THEODORI BEZAE VEZELII VOLVMEN *ALTERVM* Tractationum Theologicarum,

IN QVIBVS PLERAQVE CHRISTIANÆ Religionis dogmata aduerſus hæreſes noſtris temporibus renouatas ſolidè ex Verbo Dei defenduntur.

Additi ſunt Indices: Prior rerum & ſententiarum, quæ hoc volumine continentur: Poſterior verò locorum vtriuſque Teſtamenti, quos ipſe Auctor explicat, aut appoſitè ad ea quæ tractat accommodat.

Editio ſecunda ab ipſo Auctore recognita.

Anchora ſacra mari iactatos vnica Chriſtus



Fundat, & eſt omni tempore ſola ſalus.

ANCHORA
EVSTATHII VIGNON.
M. D. LXXXII.

LIBRORVM TH. BEZÆ HOC VOLVmine contentorum ordo & catalogus.

I.	De Polygamia.	1
II.	De Repudiis & Diuortiis.	50
III.	De Pace Chriſtianarum Eccleſiarum conſtituenda, conſilium: ad ſacram Cæſaream Maieſtatem & Romani imperii Status Auguſtæ congregatos.	110
IIII.	Defensio Sacramentalis coniunctionis corporis & ſanguinis Chriſti cum ſacris ſymbolis, aduerſus Matthæi Flacii Illyrici falſiſsimas demonſtrationes, & eiuſdem Apologiam	121
V.	Responsio ad Fr. Balduini Ecebolii apoſtatæ conuicia.	159
VI.	Ad Nicolaũ Selneccerum Reſponſio prima.	234
VII.	Ad Nicolaum Selneccerum reſponſio altera.	246
VIII.	Ad Nicolai Selnecceri κοκκυσμοὺς Apologia tertia.	266
IX.	Ad F. Claudium de Xainctes Apologia prima.	288
X.	Ad F. Claudii de X[illegible]ctes reſponſionem altera Apologia.	310

ILLVSTRI VIRO, ET AMPLITVDINE AC DIGNITATE PRAEſtanti Domino, D. VValtero Mildmayo, equiti aurato, Sereniſſimæ Regiæ in Anglia Maieſtatis ab intimis conſilijs, & ærarij Regij præfecto, Gratiam & pacem à Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.

SINGVLARIS tua humanitas, Generoſiſſime Domine, quæ me audaculũ fecerat, nunc etiam penè impudẽtem reddit, qui te rurſum auſim interpellare. Nouum enim à te in miſeros noſtros exules collatum beneficium, mihi dignum viſum eſt noua grati animi teſtificatione. Redeo igitur ad te cum altero mearum Theologicarum lucubrationum volumine, cuius editionem ante biennium inchoatam, variis poſtea huius ſcholæ miſeriis, ac præſertim Ioannis Criſpini optimi viri & typographi noſtri morte interruptam, Euſtathius ipſius gener tandem abſoluit.

Cõtinetur autem illo duplex de Coniugiis diſputatio ex meis in priorem ad Corinthios epiſtolam prælectionibus excerpta, edita iam pridem, & à me nunc rurſum emendata, quam ſpero iis profuturam qui cauſas matrimoniales ex iure Canonico decidendas arbitrantur, idque, vt arbitror, immeritò, quum tam multa in eo non tantum imperitè, verùm etiam iniquè ſtatuantur. Obortæ ſunt & aliæ iam pridem hæreſes (quidni enim ſic eas appellem?) aduerſus ſanctã iſtam viri & mulieris coniunctionem, cui præcipuè inſidiari Satanam certũ eſt, vt quæ ſit humani generis origo ex quo Eccleſia Dei propagatur, Satanæ caput cõtritura. Itaque ſecundum Dei cultum, nihil eſt in quo tanti interſit hominum, quid fas ſit aut nefas ex verbo Dei cognoſcere. Neque verò ipſe mihi in hoc argumento ſatisfeci, ſed doctiorum Theologorum ſtudia mihi ſatis fuit cõmouiſſe. Scripſit iſtic aliquando hac ipſa de re non pauca magnus ille vir D. Bucerus, quem tamen exiſtimo paucos ſibi in argumento de diuortiis conſentientes habuiſſe. An ego verò temere ab ipſo hac in re diſſentiam, cupio ex Dei verbo diiudicari: & illum arbitror librum ſuum de regno Chriſti editurum nũquam fuiſſe, qualis eſt poſtea ipſo mortuo in lucem emiſſus, quod aliquando ex ore ipſius D. Caluini audire memini, quamuis hic quoque Gallicè ſit conuerſus. Nihil enim

prohibet de iſtis quęri, & diuerſas eorum ſententias audiri quos apparet veritatis inueſtigandę ſtudio duci, modò publica auctoritate receptis pertinaciter non obſiſtatur. Et qui ex iſtis occaſionem arripiunt nos calumniandi, quaſi in religione non conſentiamus, partim non agnoſcunt quę ſit humanorum iudiciorum imbecillitas, quum ſint tamen ipſi ſæpe nullo iudicio prędit, partim verò malitiam ſuam manifeſte prodũt. Ego quid mihi de iſtiuſmodi multis videatur, quaſi vnus quiſpiam expoſui, nec cuiquam prąiudiciũ factum volui. Reliqua huius voluminis ſunt eiuſmodi vt de iis verè dixerim quod Cato ille non tam ſapienter quàm prophanè, vel per iocum de coniugiis dixit, Vtinam hac moleſtia carere poſſemus. Cõtinẽt enim apologias aduerſus inſignes Eccleſiarum turbatores, planè neceſſarias niſi veritatem vltrò prodere malimus. De Balduino, in quem iſta iam olim edidi, dicere nihil attinet, quem ſi Dominus, vti ſpes erat aliqua paulo ante Gallicam iſtam cruentiſsimam tragœdiam, ad ſe reuocarit, libenter quicquid iſtud eſt ſepeliam: ſin minùs, erunt etiam alia eiuſdem generis quę iam pridem apud me premo, in lucem edẽda, ne me idcirco ſiluiſſe arbitretur quod verum & certum pro veritate reſpõſum nobis deſit. Illyricum illum totius Germanię perniciem, vel nominare me ſanè puduiſſet, niſi perſiciẽdum fuiſſet quod ſemel Criſpinus edere cœperat, quum vir ille nihil prӕter audaciſsimam inſcitiam, & verè Satanicũ ſpiritum ad oppugnandã veritatẽ afferat, quę ſua ſponte conciderẽt, niſi iſtę flammulę in materiã igni corripiendo nimis idoneã (vt nunc ſunt hominũ ingenia) inciderent. Santeſius monachus, etſi pleraq; ab illis noſtris Synuſiaſtis mutuatur, tamẽ (vt ingenuè dicã) illis ingenioſior, calores aliquos falſis ſublinit, vt quandã interdum veritatis ſpeciẽ induant. Itaque accuratiùs etiã illi reſpondendum credidi, non quòd iſtos canes ex hoc vno quòd nobis allatrent victũ quęrẽtes ſic compeſci poſſe arbitrer, ſed vt ne quis infirmior iſtis latratibus à Domini domo abigatur: aut iam abactus eòdem redire territus reformidet. Tertiam denique ad Selneccerum Saxonẽ, &, vt ſpero, vltimam apologiam adijcere me vtinã non coegiſſet ſumma hominis iſtius intemperies, de quibus omnibus & iam nunc bonos omnes opto ſtatuere, & poſteritatem ſpero ita iudicaturã, vt noſtrũ qualecunque in tuenda pro viribus veritate ſtudiũ non improbetur. Bene vale, vir & genere & omni virtutũ genere prӕſtantiſsime. D. Ieſus Sereniſsimam tot regnorum reginã multis tui ſimilibus Dorotheis & Gorgonijs donet, florentiſsimum Anglię regnum tot miſerorum perfugium potenter cuſtodiat, tibi denique tuiſque omnibus cumulatiſsimè benedicat. Geneuę X. Cal. Martij anno temporis vltimi CIↃ. IↃ. LXXIII.

DE POLYGAMIA
ET DIVORTIIS.

DVAS quæſtiones explicare nunc conſtitui, quarum vna de Polygamia, altera de Diuortiis agam: ita tamen vt multas prætereà controuerſias, in cauſsis matrimonialibus, quas vocant, occurrentes, decidam, quantum quidem meæ, id eſt, Theologicæ profeſsionis ratio patietur. Primùm igitur de Polygamia quæratur.

De Polygamia.

Polygamia quid, & quot eius ſpecies.

Polygamiam voco coniugii multiplicationem, cuius duæ ſunt ſpecies. Aut enim vno eodémque tempore plures vxores ducuntur, aut ſoluto matrimonio alia vxor ducitur: de quibus ſpeciebus ſigillatim dicam.

Priorem ergo Polygamiæ ſpeciem nego vnquam in foro conſcientiæ, vt loquuntur, licuiſſe vel licere. Contrarium nemo vnquam callidiùs vel impudentiùs defendit quàm impurus ille apoſtata Bernardinus Ochinus, quibuſdam dialogis à bono illo viro Sebaſtiano Caſtellione Latinè conuerſis, quibus primùm reſpondebo: deinde, refutatis eorũ argumẽtis, verã ſententiã cõfirmabo.

Argumenta Ochini pro polygamiæ ſpecie priore, vnà cum refutationibus.

Hæc ſunt igitur ipſorum pro polygamiæ prioris defenſione argumenta.

Primum. Reſpon. 1.

Primùm proferũt exempla multorum ſanctorum Patrum, qui quum plures vxores habuerint, nuſquam tamen leguntur hoc nomine reprehenſi. Reſpondeo nec multitudine peccantium excuſari poſſe peccatum coram Deo, nec vllo temporis ſpatio poſſe contra Dei verbum præſcribi. Talem autem ab initio fuiſſe Dei inſtitutionem, vt vnus duntaxat cum vna legitimè conſueſceret, ſuo loco oſtendemus. Deinde, ſi vnquam licuit polygamia, licuit certè mundi initio, quum tunc neceſſe etiam fuerit (quod alioqui naturæ honeſtati magis repugnat quàm polygamia) ſororem à fratre duci: nec tamen ante Lamechum quenquam legimus plures ſimul vxores duxiſſe, ex quo ſatis intelligitur polygamiam ſicut & reliquas corruptelas paulatim obtinuiſſe. 2 Gen. 4. 19.

Obiectio 1.

Excipit Ochinus etiam ſi non legamus quenquam ante Lamechum fuiſſe πολύγαμον, tamen, quũ Moſes ſingularia illa omnia non recenſuerit, non conſequi polygamiam à Lamecho cœpiſſe. Nã etiam, inquit, ſimili ratione efficeretur Cainum ſuſcepiſſe vnicum tantùm filium: & eius quoque poſteros, quorum ſingulares duntaxat proles Moſes recenſet, quum tamen Cainum dicat ciuitatem condidiſſe. Gen. 4. 17. 18

Reſponſio.

Reſpondeo quòd Moſes vnicum tantùm Caini filium recenſeat, quamuis plures ſuſtulerit, cauſam eſſe manifeſtam: quoniam videlicet, non eſt ei propoſitum damnatæ illius familiæ ſingulas genealogias texere, ſed tantùm recenſere continuam Patrum ſeriem ad diluuiũ, quos electæ vni familiæ Seth opponit. Doceat autem nos Ochinus ſi ante Lamechum vſitata fuit polygamia, quorſum Moſes hoc expreſsè notarit in Lamecho.

Obiectio 2. Reſpon. 1.

Obiicit rurſum Ochinus illam Lamechi polygamiam Deo non diſplicuiſſe, quum ex illa naſci voluerit ingenioſiſsimos filios, & vtilium artium inuentores. Reſpondeo abſurdiſsimam eſſe hãc conſequutionem. Dona enim illa, quæ filiis Lamechi Deus tribuit, ſunt ex eorum genere, quæ pro ſingulari ſua bonitate ipſis etiam impiis liberaliter communicat. Deinde vt demus Deo gratos fuiſſe liberos ex illa polygamia ſuſceptos, non tamen cõſequetur, polygamiam Deo placuiſſe, niſi fortè placet ſimili argumento colligere placuiſſe Deo ſcortationem Gileadi, quòd ex meretrice ſuſtulerit Iephthan, cuius fides ac aliæ multæ virtutes inſignes celebrantur. 2 Iud. 11. 1.

3 Cæterùm etiamſi Patres non legamus de polygamia fuiſſe reprehenſos, illos tamẽ idcirco rectè feciſſe non conſequitur. Nam ne Iacobi quidem inceſtum, vt qui duas ſimul ſorores duxerit, reprehenſum legimus: neque filiarum Lothi, cum patre concubitum: neque iniquiſsimum illud Dauidis pro Siba iudicium cõtra Miphiboſeth, neque alia etiam multa. Habuerũt Patres verbum Dei, habuerunt legem naturæ quantumuis corruptæ, à qua oportuit conſcientiam ipſorum redargui.

Patrum polygamia quatenus tolerabilis.

1 Concedo tamen multa eſſe quæ culpam Patrum eleuent, ne quis illos exiſtimet à nobis inter impuros illos ſcortatores vel adulteros numerari. Primùm enim, tollendæ potius prolis, quàm turpis libidinis explendæ gratia, polygamos fuiſſe pleroſque ſatis cõſtat: quamuis homines etiam nõ nullos hac in re fuiſſe, minimè ſit diffitendum, vt ex ipſius Iacobi Rachelem præ Lia diligentis, & Dauidis non vna hiſtoria liquet, Solomonem autem & pleroſque ipſius ſucceſſores non eſt quòd à magna incontinentia excuſemus. 2 Deinde quamuis exempla maiorum non efficiant quominus peccata ſint peccata, tamen leuior eſt eorum culpa qui peccant eorum hominum exemplis, quos alioqui ſanctos & honeſtos fuiſſe conſtat, quàm qui primi aliquid audent ambigente conſcientia. Iudicandi enim ſunt illi iudicii potiùs errore quàm aperta improbitate vel de induſtria peccare: præſertim quoties exemplorum multitudo effecit, vt peccatum quandam rei indifferentis veluti

3 ſpeciem induerit, ſicut in polygamia factum eſt. Prætereà non inuitus agnoſco Deum in politia
Iſraelis, atque adeò in illis populi ſui primis auctoribus, ad polygamiam veluti conniuere pro ſua
clementia voluiſſe, non modò ea ratione qua libellum Diuortii permiſit (quem tamen nunquam
ſimpliciter probauit) ſed etiam vt præſtandæ ſuæ fidei de innumerabili multitudine ex pauciſſi-
mis oritura, quendam aditum hoc etiam modo ſibi patefaceret. Etſi autem bene vſus eſt eo Patrũ
facto Dominus, non conſequitur tamen nullum in ea re fuiſſe peccatum, in qua Patres à Dei ver-
2.Sam.12.10 bo deflexerunt. Sic delegit ſibi Solomonem Dominus, nec tamẽ probauit Dauidis cum Solomo-
nis matre coniugium, vtpote quod diſertè reprehendat: cuiuſmodi multa exempla proferre ex Sa-
Obiectio 1. cris hiſtoriis poſſemus. Hìc verò ſi quis roget, quid igitur ſentiam his Patribus factum eſſe quos
Reſponſio. in illa polygamia perſeueraſſe, nec tamen pœnituiſſe legamus: reſpondeo, quòd perſeuerarint, &
eius fortaſſis illos non pœnituerit, idcirco factum quòd hoc ſuum peccatum non ſatis intellige-
rent, ob eas quas diximus cauſas. Nego tamen hoc illorum factum venia non indiguiſſe. Etſi autem
ad miſericordiam requiritur pœnitentia, tamen non neceſſe eſt ſingulorum peccatorum expreſſè
nos pœnitere. Quàm multa enim non rectè fiunt, quæ tamen ſceleratè non agimus, ſed duntaxat
non ſatis erudita conſcientia? & quàm multa ſunt, quorum obliuiſcimur? Quum autem Patres il-
li ſeſe in omnibus vitæ ſuæ partibus miſerrimos eſſe peccatores etiam atque etiã agnouerint, non
dubium eſt quin hæc illorum pœnitentia, & fides in venturum Chriſtum, ipſos ſeruauerit. De-
nique etiam ſi Patres expreſsis verbis non fuerunt à Deo de polygamia reprehenſi, dico tamen
variis & acribus pœnis ſatis apertè fuiſſe demonſtratum quantoperè illam improbaret. Hinc illa
Saræ & Agaris contentio, quam non tantùm eiectio matris, ſed etiam Iſmaelis exheredatio con-
Gene.16. ſequuta eſt. Hinc Liæ & Rachelis rixæ & æmulationes, itémque Annæ & Phenennæ: idque
Gene.30. 1.Sam.1.6. etiam ex Tragicis multis familiæ Dauidis ſceleribus, & multorum Regum Iuda triſtiſsimis
exemplis liquet.

Obiectio 2. Obiicit tamen Ochinus diſsidia etiam fuiſſe inter Eſau & Iacobum, & frequentiſsimè, teſtibus
quoque Comicis, lites inter ſocros & nurus exoriri, nec propterea tamen damnari πολυγαμίαν ne-
Reſponſio. que affinitatem quæ matrimonio contrahitur. Ego verò minimè infieior quin hoc verum ſit. Dico
tamen huiuſmodi lites, ex ſola hominum improbitate, non autem ex re ipſa, exoriri, vt in Polyga-
Gen.26.35. & 27.46. mia accidit. Neque enim Cain odit Abelem neque Eſau Iacobum aliam ob cauſſam, quàm quòd
ipſi peruerſi & improbi eſſent, adeò vt ſuos etiam patres deſpicerent. Æmulatio autem inter illas
mulieres ex eo ipſo orta eſt, quòd vna alteram corriualem pati non poſſet.

Secundum. Alterum Ochini argumentum eſt, Quòd nulla expreſſa lege polygamia prohibeatur. Ego verò
Reſpon.1. reſpondeo non eſſe ſcriptas leges de rebus omnibus, quod ipſi etiam Iuriſconſulti minimè diſſi-
mulant. Relinquunt enim multa Legiſlatores omnes quæ ex conſequenti vel licere vel non licere
facilè iudicatur. Id autem vel maximè apparet ex primi ante diluuiũ ſeculi & proximorũ temporũ
hiſtoria. Neque enim iis temporibus (quæ legibus ab ipſa natura, potius quàm ab alio vllo Le-
giſlatore poſitis regebantur) ſcriptam aliam legem inuenimus quàm de homicidio: & tamen Iuda
Gen.9.5. nurum ſuam Thamaram (quam adulteram eſſe ſuſpicabatur, quoniam videlicet poſtremum ſuũ
Gen.38.24. filium ei deſponderat) flammis adiudicat. Porrò quæ ratio damnat adulterium cum muliere ſolu-
2 ta, damnat multò magis polygamiam. Præterquam enim quòd Deus vagas libidines prohibet, pe-
culiarem rationem eſſe oportet, cur grauius peccet, qui quum ſit alterius maritus rem habet cum
ſoluta, quàm qui ſolutus cum ſoluta ſcortatur. Ratio autem hæc eſt, quoniam ille non in ſeſe tã-
tùm, ſed in ſuam etiam vxorem peccat, hic verò non item. Et rurſus ille idcò in vxorem ſuam pec-
care dicitur, quoniam corpus ſuum quod vxori mancipauit, ſcorto iure tradere non poteſt. Sic au-
tem argumentor à comparatis. Si peccat maritus, qui abſque commercii diuturnioris ſpe aut vo-
luntate cum ſoluta coit, multo magis peccat qui fidem vxori datam violans, alteri ſeſe perpetua
conſuetudinis vitæ obligatione tradit, vt fit in polygamia. Itaque naturæ lex adulteria & furta
ſuiipſius prohibens, polygamiam quoque euertit. Sed & ipſa ordinatio coniugii à Deo perſcripta
polygamiam prohibet à conſequenti. Nam qui ſunt caro vna, tunc vna eſſe deſinunt, quum altera
pars cum tertia quapiam carne vnum fit, quæ non eſt vtriuſque illius communis. Vxorem autem
ſuam ſuperinductam priori, certum eſt fieri vnam carnem cum marito duntaxat, non autem cum
priore vxore: ex quo efficitur iſtiuſmodi maritum, dum fit vna caro cum ſuperinducta, deſinere v-
nam eſſe carnem cum priore, aut certè veluti in duas partes diſcerpi, vt neutra totum habeat, ſed
tantùm dimidium. Quid igitur illis fieret, qui plures etiam vxores duabus haberent? quantam illi
ſui partem primæ vxori relinquerent?

Tertium. Aliud Ochini argumentum huiuſmodi eſt. Dicit Dominus Dauidi per Prophetam Nathan,
2.Sam.12.8. Dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in ſinum tuum. Dauid ergo videtur auctore
Reſpon.1. Domino plures habuiſſe vxores. Reſpondeo nuſquam legi Dauidem accepiſſe ſibi vxores ex iis
quæ Saulis fuerant. Quòd enim diuinant Rabbini intelligi hoc loco Æglã & Riſpã, quæ primùm
Saulis deinde Dauidis vxores fuerint, cõmentitium eſt. Nuſquã enim dicitur Ægla Saulis vxor, &
2 Riſpa quidẽ narratur fuiſſe Saulis concubina, nuſquã verò Dauidi nupſiſſe. Deinde ſi valeret O-
chini argumentũ, profectò non tantùm Polygamiã, ſed etiã inceſtus probaret: ſi quidẽ cõſangui-
nei vxoris, eodẽ gradu iunguntur viro, quo ipſi vxori. Itaque non magis licuit Dauidi ducere vxo-
ris ſuæ Michol nouercas, quàm ſuam ipſius nouercam. Ex hoc autem vtroque reſponſo efficitur,
quamuis locutio illa IN SINVM TVVM propriè & vſitatè de coniugiis dicatur, illo tamen lo-
co poteſtatem tantùm & imperium declarare, ſicut etiam interdum Latini ſcriptores hac lo-
quendi

quendi formula vtuntur: ac ſi diceret Dominus, Tradidi tibi omnes domini tui facultates, ne exce
ptis quidem eius vxoribus, vt eas in manu & poteſtate haberes, ac ſi tuæ ipſius vxores eſſent.
Quarto loco ſic colligit Ochinus. Cauetur in Lege, vt ſi cui duæ fuerint vxores, vna quidem di- Quartum. Deut. 21. 15.
lecta, altera exoſa: & ex exoſæ natus fuerit primogenitus, non poſſit pater filium dilectę primogeni-
tum anteponere exoſæ filio. Atqui fieri poteſt vt illa exoſa quæ prior liberos ſuſtulit, poſterior ta
men nupſerit: ex quo efficitur vtriuſque matrimonii liberos pariter legitimos eſſe, ac proinde po
ſterius matrimonium non minus approbari quàm prius. Reſpondeo vt ſuprà, Deum toleraſſe in Reſponſio.
populo ſuo polygamiam, (quamuis eam nunquam approbarit tanquam legi ſuæ conſentaneam)
ideóque in parentum ſucceſsionibus meritò habitos fuiſſe legitimos, etiam qui ex ſecundis aut ter
tiis aut aliis deinceps vxoribus nati eſſent. Sed quid hoc ad conſcientiæ forum?
Quintum Ochini argumentum ſic habet. Iubetur in lege frater excitare fratris ſine ſobole de- Quintum. Deut. 25. 5.
functi ſemen, nec additur exceptio, niſi iam antea vxorem habuerit, adeò vt hac lege polygamia
etiam præcipi videatur. Reſpondeo exceptionem illam per ſe ſatis intelligi quia probabile non eſt Reſponſio.
voluiſſe Dominum vt quiſpiam ſuum ipſius ſemen, atque adeò vxorem ſuam negligens, alienum
ſemen excitaret, ſed voluiſſe tantùm fratrem in demortui locum ſubſtitui. Id autem manifeſtè in-
dicant verba legis SI SIMVL HABITAVERINT FRATRES: quibus verbis eos excipi
apparet qui vxorem, ac proinde familias ſeorſim diſtinctas habebant. Quid ſi prætereà excipiam 2
quod verum eſt, ſpecialem atque extraordinariam eſſe hanc ſpeciem? Nam alioqui non modò ſim
pliciter prohibetur, ſed etiam damnatur vt inceſtuoſum eiuſmodi coniugium. Itaque hæc Ochini Leuit. 18. 16
concluſio ſi firma fuerit ad inceſtum non minus quàm ad polygamiam probandam valuerit.
Sextò ſic argumentatur Ochinus. Vult Apoſtolus Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum, ex quo Sextum. 1 Tim. 3
liquet aliquos tum fuiſſe in eccleſia polygamos, quos tamen Apoſtolus non arcet ab Eccleſia, ſed
duntaxat ab Epiſcopatu. Mihi verò dubium non eſt quin multi eo tempore polygami in Eccleſia Reſponſio.
fuerint, tum ex Iudæis, tum ex Gentibus, quamuis rata ſemper fuerint in Occidente polygamiæ
iſtiuſmodi exempla: ſed qui iam tum eſſent polygami quum Chriſto nomen darent, quos tamē an
Eccleſia non abiectis poſterioribus vxoribus temere admiſerit, nolim ſanè affirmare. Verùm vt
eos fuiſſe toleratos demus, hactenus ſaltem vt inuitas vxores dimittere non cogerentur, noluit ta-
men Apoſtolus ex iſtorum numero deligi qui miniſterio Verbi fungerentur, nimirum quòd infa-
mis etiam in illis eſſet polygamia, miniſtros autem eſſe oporteat, quoad eius fieri poteſt, ἀνεπιλήπτους,
nedum vt hinc efficiatur quod vult Ochinus. Nam quòd ad eos attinet qui quum Chriſtianos ſe
profiterentur, vna vxore contenti non erant, quid de iis cenſuerit vetus Eccleſia vel ex eo liquet
quòd Clerici iſtiuſmodi nuptiis intereſſe prohibebantur, quibus etiam non benedicebatur, ſicut
ſuo loco declarabimus.
Repulſus autem à verbo Dei Ochinus ad iſtas rationes confugit. Si concederetur, inquit, po- Septimum.
lygamia, nō ita crebra eſſent diuortia. Id ego verò prorſus inficior. Diuidit enim polygamia mu- Reſponſio.
tuum coniugum amorem, quem ſingulares nuptiæ, inter honeſtos quidem coniuges, fouent.
At enim, inquit rurſus Ochinus, numeroſior eſſet generis humani multiplicatio. Reſpondeo, Octauum.
quærendam eſſe prolem legitimis modis: nec mala eſſe nobis facienda, vt bona eueniant. Reſponſio.
Excipit ille, admiſſos tamen olim fuiſſe polygamos ad baptiſmum, quod fieri non debuit ſi ſcor Nonum.
tatores vel adulteri habiti eſſent. Reſpondeo eiuſmodi polygamos etſi non probaretur eorum fa Reſponſio.
ctum, minimè tamen inter ſcortatores vel adulteros fuiſſe numeratos. Plurimùm enim intereſt
inter ſcortatorem vel adulterum qui non niſi contra conſcientiam peccat, & eum qui aliorum ex-
emplū ſequutus, plures alioqui honeſtas vxores prius duxerit quàm ſe in ea re peccare intellige-
ret. Demus autem Eccleſiam ad tempus toleraſſe quod infectum reddi non potuit niſi pars vtra-
que vltrò conſentiret, an propterea polygamiam licuiſſe conſequetur?
Pergit tamen Ochinus, & hoc quoque argumentum torquet, Vxorem, inquit, habere non eſt Decimum.
repugnans rationibus ad ſalutem neceſſariis. Ergo neque vxores habere repugnat regno Dei, ad
quod admiſſi ſunt Abrahamus, Iacobus, Dauid, & alii multi polygami. Excipio quamuis regnum Reſpon. 1.
Dei non ſit poſitum vel in coniugio vel in cælibatu, nihilominus tamen abuti nos poſſe rebus quā-
tumuis per ſe indifferentibus. Sit ergo per ſe ἀδιάφορον coniugium. Manēdum eſt tamen in Dei ver-
bo, quod iubet vt vni vna coniungatur. Deinde quid abſurdius dici poteſt, quàm licere cuipiam
centies aut millies bibere, quoniam intra modum licet bibere, & neque in eſca neque in potu re-
gnum Dei conſiſtit? Prætereà, vt concedam in coniugio non eſſe poſitum regnum Dei, at certè in 2
eo poſitum eſt vt Dei mandatis obſequamur, in quibus etiam multa de coniugio præcipiuntur.
Et nemini dubium eſſe poteſt quin polygamum plures curæ neceſſariò velut in varias partes di-
ſtrahant, quod ipſi etiam monogamo vſu venire teſtatur Apoſtolus.
Quid amplius? non eſt, inquit Ochinus, res monſtroſa vt vnicum caput habeat multa membra: Vndecimum
ſed illud planè monſtroſum eſt, vt vnum membrum habeat multa capita. Itaque vt in mulieribus
improbetur, in viris tamen probanda eſt polygamia. Reſpondeo hanc demum eſſe naturalem ac Reſponſio.
minimè monſtroſam corporis ſtructuram, quæ ordini & numero à Deo opifice conſtituto re-
ſpondeat. Itaque non minùs eſſet παρὰ φύσιν vni capiti duos naſos, quàm vni naſo tribui duo capita.
quoniam videlicet ſingulis capitibus ſingulos naſos attribuit Dominus. Inepta eſt igitur illa O-
chini concluſio, niſi fortè probarit ſicut multis membris vnū caput impoſuit Dominus, ſic etiam
vni marito plures vxores aſſignaſſe.
Dicit prætereà Ochinus multos Patres ſic loqui de polygamia, vt eam ſimpliciter non con- Duodecimū. Reſponſio.

demnent. Sed quos patres citat? Leonē quintū, Gregorium ſecundum & tertium Romanos pontifices. Deinde ſit hoc in genere reſponſum, examinādæ eſſe ſcripta patrū ad Verbi diuini normā, quod Auguſtinus expreſſè monet inter cæteros, & aduerſus Pelagianos ſcribens factitauit.

Decimum-tertium. At enim, inquit, miris laudibus effert Ambroſius Valentinianum, qui quum duas vno tempo-
Niceph. li. 12 re vxores habuerit, atque adeò legem vt id liceret tulerit, nuſquam tamē legitur hoc nomine vel
cap. 33. ab Ambroſio, acerrimo alioqui diſciplinæ Chriſtianæ vindice, vel à quoquam alio reprehenſus. Idem quoque de Carolo magno & aliis nonnullis Imperatoribus ac Gallicarum regibus ſcribitur.
Reſponſio. Reſpondeo infirmiſſimum eſſe iſtud argumentum. Notum enim eſt quàm licētioſi ſint interdum in nonnullis Principes alioqui pii & religioſi: neque perſcripta ſunt ſingula Epiſcoporum dicta vel facta. Quòd ſi huc deueniendum eſſet vt probaretur quicquid non fuit in principibus expreſſè reprehenſum, quid obſtat quominus baptiſmi ad extremam vſque ætatem dilationem probemus Conſtantini magni exemplo, in quo tamen Imperatore laudando Græci etiam optimi Epiſcopi modum tenere non potuerūt? Sed quod Eccleſiæ veteris de polygamia iudicium fuerit ex veteri-
Plutar. in Demetrio. bus Canonibus petendum eſt, qui digamis benedici prohibent: nec placuiſſe illam Valētiniani le-
Sueton. in Claudio. gem ſatis ex eo conſtat quòd vnà cum ipſo eſt ſublata, ſicut nemo eſt olim inuentus qui illam Antiochi de nouerca ducenda, & alteram Claudii de fratris filia patruo collocanda ſequeretur.

Argumenta contra prorem polygamiæ ſpeciem. Primum. Et hactenus quidem Ochino cæteriſque polygamiæ defenſoribus ſit reſponſum. Deinceps autem ſolidis firmiſque argumentis illam oppugnabo, primùm quidem petitis à triplici coniugii fine. Nam quod ad prolis propagationem attinet, quamuis in ſpeciem videatur quiſpiam plures liberos ex pluribus vxoribus quàm ex vna tollere poſſe, certum eſt tamen non poſſe fieri vt pluribus vxoribus vnus vir debitum ſoluat, quin eius corpus mirum in modum exhauriatur & inſigniter lædatur. Quales ergo liberos polygamus iſte ſuſcipiet? vt interea turpiſſima & nefaria plurima prætermittam. Iam verò ſi communem vitæ ſocietatem ſpectemus, quis non videt negligi quod à multis curatur? Omitto infinitas rixas, quas ex æmulatione oriri neceſſe eſt, adeò vt nulla penè vitæ ſocietas, nulla tranquillitas ſit in polygamia, ſicut non tantùm ex Abrahami & Iacobi hiſtoria liquet, verumetiam ex eo ipſo quod de impuro illo Mahumete referunt, quem affirmant in vxoris ſuæ odium polygamiam ſanxiſſe. Denique quum idcirco etiam ordinatum ſit à Deo matrimonium, vt aduerſus ſcortationem remedium eſſet, tantum abeſt vt polygamia ſcortationem tollat, vt etiam caſtos alioqui & pudicos homines ad immoderatam libidinem accendat, ſicut copia cibi guloſos & copia vini ebrioſos facit.

Secundum. Illi ipſi certè damnant polygamiam, qui illam vſurpabant, quod videre eſt in Labane Iacobi ſo-
Gen. 31. 50. cero. Cur enim obteſtatur Iacobum, ne ſuis filiabus alias vxores ſuperinducat, niſi quòd iniuriam illis hoc modo factum iri exiſtimabat?

Tertium. Sed & Romani Imperatores & quidem nonnulli inter eos acerrimi Chriſtianæ religionis hoſtes, veluti Diocletianus & Maximianus polygamiam his verbis damnant. Neminem (aiunt) qui
l. 2. C. de inceſt. & inutil. nup sub ditione ſit Romani nominis, binas vxores habere poſſe vulgò patet, quum etiā in edicto Prætoris huiuſmodi viri infamia notati ſint. Extant & aliæ eiuſmodi ſanctiones, adeò quidem, vt Ar-
l. j. D. de iis qui not. infa. cadius & Honorius ne Iudæis quidem polygamiam concedant.
l. eum qui. C. Ad leg. Iul. de adult. l. nemo. C. de Iud. Excipit tamen Ochinus, nec Prætores nec Imperatores illos ſimpliciter prohibere plures vxores, quum permittant concubinas: ſed hoc tantùm velle vt vnica ſit materfamiliâs. Reſpondeo,
Obiectio. nos quoque non niti iſtiuſmodi conſtitutionibus Imperatorum prophanorum, neque prætorum
Reſponſio. Romanorum edictis: ſed hoc tamen maximè pro nobis facere, vt oſtendamus polygamiam nihil aliud eſſe quàm vagæ libidinis ipſi naturæ honeſtati repugnantis velamentum, quòd homines, ſola præeunte naturæ luce, illam vt infamem damnandam eſſe cognouerint, quāuis humanum quiddam paſſi, concubinas tolerarint.

Quartum. Sed à legibus penitus humanis, age ad ſacros Canonas progrediamur, quos tamen vtinam pa-
Can. Apoſt. 17. Neocæſ. 3. tribus ad vnicum Dei verbum exigere placuiſſet. Ii certè digamos, id eſt, vt ipſi loquuntur, τοὺς δευτέροις
Obiectio. γάμοις συμπλακέντας, ſiue πλείοσι γάμοις συμπλακέντας arcēt ab Eccleſiæ benedictione, & duriſſimis ἐπιτι-
Reſponſio. μίοις multant. Sed excipit Ochinus Canonas tamen illos vetuſtiores & puriores, ſimpliciter non prohibere nec diſſoluere digamiam. Reſpondeo veteres Canonas ne de inceſtis quidem nuptiis dirimendis agere: tum quia Ciuilis erat Magiſtratus munus ſub Imperio Romano leges ferre de diuortiis, tum verò multo magis, quia verbum Dei & iudicium Eccleſiæ pœnitentiam infligentis, ſufficiebat admonendis eiuſmodi polygamis vt ab illicito concubitu abſtinerent, quum nulla ſit pœnitentia eorum qui in peccatis perſeuerant.

Quintum. Præterea rem alienam nemo inuito Domino poteſt bona conſcientia alteri donare. Vir autem
1. Cor. 7. 4. non habet in poteſtate ſuum corpus. Ergo illud alteri mancipare non poteſt, cuius vſu ne ad tem-
Obiectio. pus quidem alter alterum fraudare poteſt. Sed excipit Ochinus poſſe virum cum priore vxore contrahentem, hanc adiicere conditionem, vt aliam ſuperinducere ſibi liceat, & poſſe quoque priorem vxorem iuri ſuo renunciare, vt altera poſſit ex eius conſenſu ſuperinduci ſicut Sara ſuam Aga-
Reſponſio. rem Abrahamo, Lia & Rachel ſuas ancillas Iacobo ſubdiderunt. Ego verò reſpondeo hanc eſſe coniugii naturam vt includatur pactum de indiuidua vitæ conſuetudine, & mutuò ſeſe in ſolidū alter alteri vtendum tradat. Itaque ſi addatur illa exceptio, coniugium non erit, nec duo fient vna caro, ſiquidem tertiæ locus relinquitur. Deinde, iuri quidem ſuo quiſpiam renunciare poteſt, at
2 non alieno. Coniugii autem vinculum non aſtringitur vno contrahentium conſenſu, ſed multò magis ipſius Dei vtrumque coniungentis authoritate: cui nihil detrahere poteſt mutata contrahentium

hentium voluntas, quum dicat Chriſtus, Quod Deus coniũxit, homo non ſeparet. Præterea, quum 3
iuri ſuo quiſpiam renunciat, diligenter conſiderandum eſt, quo vſque ius illud protendatur. In
coniugio autem, alter alterius corpus ſic poſſidet, vt eo quidem vti poſſit, ad alium verò ſuo arbi-
tratu illud transferre non item, manente nimirum penes Deum directo dominio, qui etiam vſum
illius certis conditionibus definiit. Ex his autem etiam illud cõſequitur, Saræ itémque Liæ & Ra- 4
chelis factum culpa non carere, nec in exemplum trahi oportere.

Sed age, expendamus primam matrimonii inſtitutionem: & primùm quidem obſeruemus vnã Sextum.
cum vno à Domino copulari: & mox dicere Adamum, HOC NVNC OS EX OSSIBVS MEIS: Dein-
de & illud quod ſequitur, ET ADHAEREBIT VXORI SVAE: (non, VXORIBVS SVIS)
& illud quoque, ERVNT DVO (non, PLVRES) IN CARNE VNA: quæ omnia manifeſtè po-
lygamiam euertunt. Itaque miris modis conatus eſt impurus Ochinus hunc locum nobis extor- Obiectio 1.
quere. Nam (inquit) etiamſi Deus vnam cum vno coniunxit, ſingula tamen Dei facta nos non
obligant abſque expreſſo ipſius mandato: alioqui, dicendum fuerit vtendum nobis eſſe veſti-
bus pelliceis, quoniam eiuſmodi veſte Dominus Adamum & Euam induit: neque celebrandam
nobis eſſe cœnam Domini, niſi veſpere, in aliquo cœnaculo, inter duodecim homines, panibus
azymis, & paſchæ feſto. Ego verò primùm reſpondeo nos hîc non conſiderare ſimpliciter quòd v- Reſponſio 1.
nus cũ vna fuerit à Deo coniunctus, ſed ea ſimul coniungere quæ ſequuntur, nẽpe ET ADHAE-
REBIT VXORI SVAE, ET ERVNT DVO IN CARNE VNA. Deinde dico hæc ver-
ba ADHAEREBIT VXORI SVAE, ſignificare expreſſum Dei mãdatum: iſta verò ERVNT 2
DVO IN CARNE VNA expreſſam Dei benedictionẽ continere, ſed quæ ad duos tantùm perti-
neat. Præterea quum hoc Dei factum ſumimus pro certa omnis legitimi matrimonii norma, tres 3
ſequimur Diuinæ volũtatis interpretes omni exceptione maiores. Primùm enim Malachias pro- Malach. 2. 15.
pheta diſertè hoc ipſum inculcat, his verbis aduerſus polygamos vtens. Nónne (inquit) vnũ fecit?
& tamen ei non deerat ſpiritus abundantia. Et cur vnum fecit? quærens ſemen Dei. Itaque ibi
pronunciat Dominus tolerabilius peccare qui vxores priores abiiciunt, quàm qui illis retentis a-
lias ſuperinducunt. Ipſe autem Chriſtus filius Dei de diuortio diſſerens, quo negat matrimonium Matt. 19. 4.
in foro conſcientiæ vnquam fuiſſe diſſolutum, Iudæos reuocat ad illud Dei factum tanquam ad
certam & inuariabilem matrimonii regulã: & illa Moſis verba expendit, MASCVLVM ET FOE-
MINAM (non FOEMINAS) CREAVIT. Itidem Paulus alludens proculdubiò ad illum Mo-
ſis locum, diſertè ſcribit, Vnuſquiſque SVAM VXOREM, & vnaquæque SVVM VIRVM ha- 1. Cor. 7. 2.
beat. Poſtremò quòd ad illã Ochini obiectionem attinet de Cœna Domini & veſtibus pelliceis, 4
concedo ſingula Dei facta nos nec debere ſequi per omnia, nec etiam poſſe ſi maximè vellemus,
quoniam non quicquid fecit, etiam faciendum præcepit. In præceptis autem Chriſti, cuiuſmodi eſt
illud HOC FACITE, dico accidentarias circunſtantias à reipſa eſſe diſtinguendas. Hoc autem
vel illo tempore, loco, pane, numero Cœnam celebrare, circunſtantiæ ſunt quæ neceſſariò varian-
tur, in quibus danda eſt duntaxat opera, vt ritè & ordine omnia fiant, eo videlicet tempore, loco,
pane, numero, qui maximè conueniant. Sed panem & vinum ſumere & benedicere: panem fran-
gere, dare, accipere, manducare: vinum itidem cum benedictione tradere, accipere & bibere, il-
la demum ſunt quibus conſtat ſacramentalis actio, quæ proinde prætermitti nec poſſunt, nec
debent.

Sed rurſus ad illud, *Adhærebit vxori ſuæ*, reſpondet Ochinus, ſcriptum etiam eſſe, Diliges *proxi-* Obiectio 4.
mum tuum, ac proinde illis verbis non videri vxorum multitudinem prohiberi, niſi ex hoc etiam
colligamus vetari ne plures proximos diligamus. Reſpondeo nos non ſimpliciter conſiderare ver- Reſponſio.
ba illa, *Vxori ſuæ*, ſed totam illam ſententiam, *Adhærebit vxori ſuæ*, qua ſignificatur peculiaris quæ-
dam coniunctio multo arctior, quàm vllum vel ſanguinis vel vulgaris amicitiæ ac ſocietatis vin-
culum: vtpote quæ hanc vim habeat, ſicut exponit Paulus, vt alter in alterum ſeipſum transferat, &
alter cum altero totus cohæreat. Hoc autem fieri non poſſet, ſi pars vna mariti cum vna vxore, al- 1. Cor. 7. 4.
tera cum altera vxore cohæreret, quia duæ vxores nõ poſſunt in ſolidum vnius mariti corpus poſ-
ſidere: quoniam realis, ipſiúſque adeò, vt loquuntur, facti eſt mutua iſta corporum coniunctio. A-
liud autem eſt dilectio proximi, quæ quum in animo & voluntatis conſenſu tota poſita ſit, multi-
tudine eorum quos amamus, non impeditur, imò quodammodo adaugetur.

Præterea ad illud, *Erunt duo* in carne vna, reſpondet Ochinus, Moſen particulam illam *duo* non Obiectio 4.
expreſſiſſe. At ego reſpondeo blaſphemam eſſe hanc Ochini exceptionem, vtpote quæ aduerſus Reſponſio 1.
Chriſtũ ipſum torqueatur. Dico præterea hæc verba vel Adami coniugio nõ conuenire (quod eſt 2
dictu abſurdum) vel de duobus intelligenda eſſe non de pluribus, (quanuis Moſes duorũ numerũ
nõ expreſſerit) quum tunc non extarent plures homines quàm illi duo, videlicet Adamus & Eua.

Sed vult Ochinus hanc eſſe illorum verborum ſententiam, vt vir iubeatur diligere vnamquan- Obiectio 4.
que vxorem ſuam, acſi eadem cum ipſo caro idémque corpus eſſet. Ego vero credendum eſſe dico Reſponſio 1.
Chriſto non Ochino. Chriſtus autem illam particulam *duo* expendi iubet, ex qua colligit eum
eſſe adulterũ qui dimiſſa priore vxore, excepto adulterio, alteram ducat: quod quum ita ſit, multò
certè grauiùs peccare dicendus eſt qui plures ſimul vxores habet. Nego etiam hanc eſſe verborum
Adami ſententiam, quam Ochinus comminiſcitur, ſed hanc potius, Deũ ſic benedicere duobus 2
matrimonio iunctis, vt duo eſſe deſinant, ſicut ex verbis Moſis ipſe Chriſtus colligit.

Rurſum obiicit Ochinus ſcriptum etiam eſſe, vbi *duo* conſenſerint ſuper terram, nec tamen Obiectio 5.
inde poſſe colligi, non licere pluribus quàm duobus conſentire. Quaſi verò dicamus vbicun- Matth. 18. 19. Reſponſio.

que occurrit hæc particula *duo*, maiorem nnmerum excludi. Cur autem Chriſtus eo loco duorum vel trium meminerit, manifeſtum eſt, nempe non vt maiorem numerum excludat, ſed vt oſtendat ſe ne duorum quidem vel trium conſenſum ac fidem negligere, vt diſcat Eccleſia etiam ad ſummam paucitatem redacta, ſe Deo nihilominus curæ eſſe, & minimè irritas eſſe ſuas preces. Apud Moſen autem duos non plures coniungi, duobus nō pluribus benedici, ne ipſe quidem Ochinus inficiari poſſit: & Chriſtus hanc vult eſſe omnis legitimi coniugii normam.

Obiectio 6. Act. 4. 32. Reſponſio. Obiicit præterea idem Ochinus illud ex Luca, Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: ex quo colligit poſſe quempiam cum pluribus vxoribus vnam carnem eſſe. Reſpōdeo abſurdiſſima hæc eſſe, quum plurimum inter ſe differant animorum & corporum coniunctio. Iam enim antea diximus nihil impedire quominus voluntate & affectu cum multis cohæreamus, ita vt animus non diſtrahatur, ſicut animus Ionathæ dicitur conglutinatus cum animo Dauidis. quod tamen via ac ne via quidem fieri poteſt, ſi inter ſe diſſideāt quos amamus: quo ſenſu Dominus dicit non poſſe nos duobus dominis ſeruire. Sed in corporū coniunctione, & vſu, quē vocant, reali, fieri non poteſt, vt vir cū priore vxore in ſolidū cohæreat, ſi ad poſteriorē quāpiā ſeſe adiungat.

Obiectio 7. Reſponſio. Denique ſic excipit Ochinus, Si in ſcortatione duo fiunt vna caro, etiamſi ſcortator ſit cum alia muliere matrimonio coniunctus: multò magis quiſpiam cum ſecunda vel tertia vxore (ſic deinceps) fiet vna caro. Ego verò hoc argumentum in ipſum Ochinum retorqueo. Concedo enim ſcortatorē cum ſcorto vnam carnem fieri. ſed addo quod reticuit Ochinus, ſcortatorem quia cum ſcorto fit vna caro, deſinere eſſe vxoris ſuæ carnem: quæ cauſa etiam eſt cur propter adulterium potiùs quàm propter idololatriam (quod tamen ſcelus longè maximum eſt) diuortium conceditur: quia nimirum poteſt aliquis eſſe idololatra, & tamen vxoris ſuæ caro: ſcorti autem & vxoris ſuæ caro ſimul eſſe nemo poteſt. Sic igitur argumentor: Si adulter definit eſſe vxoris ſuæ caro, multò magis idem ſtatuendum eſt de polygamo, quoniam videlicet adulterium committere non eſt coniunctum cum indiuiduæ vitæ pacto, ac proinde adulterium natura ſui non tam repugnat matrimonio quàm polygamia.

Septimum. Obiectio Reſponſio 1. Matt. 5. 32.
Poſtremò, pronuntiat Chriſtus eum mœchari, qui dimiſſa vxore ſua (excepta nimirum cauſa
adulterii) aliam ducat. Atqui ſi plures ſimul vxores habere liceret, non committeret adulterium
quiſquam aliam ducendo ſiue priorem repudiaret ſiue minus. Ergo prohibetur polygamia. Vult
tamen Ochinus mœchandi verbum nihil aliud declarare quàm adulterii occaſionem illi dimiſſæ
priori vxori præbere. Sed quis nō potiùs Chriſto credat vtrumque ſimul dicenti, nempe eum qui
excepta cauſa adulterii vxorem dimittat facere vt illa mœchetur: quòd ſi præterea vxorē duxerit,
2 mœchari? Deinde quomodo illud ita explicabit Ochinus quod eſt apud Marcum, μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν;

Octauum. Marc. 10. 1. Denique verbo ἔχειν, & nomine ἴδιον in hac Apoſtoli ſentētia ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω, καὶ ἑκάστη τὸν ἴδιον ἄνδρα, multitudo maritorum & vxorum tam apertè prohibetur, vt polygamiam, meo quidem iudicio, nemo niſi præfractus & impudenter contumax tueri poſſit.

Nonum. In Androm. Poſtremò conſiderent ſaltem iſti polygamiæ defenſores, quid de hac re ſapientes homines iudicarint, ex iſtis Euripidis ſententiis,

οὐδὲ γὰρ καλὸν
Δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἕν' ἡνίας ἔχειν,
Ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες εὐναίαν Κύπριν
Στέργουσιν, ὅστις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει.

Et rurſus,

Οὐδέποτ' ἂν δίδυμα
Λέκτρ' ἐπαινέσω βροτῶν,
Οὐδ' ἀμφιμάτορας κόρους,
Ἔριν μὲν οἴκων,
Δυσμενεῖς τε λύπας.

Cuiuſmodi alias ſententias multas alij obſeruarunt.

Cæterùm & illud obſeruandum eſt, hac ſpecie polygamiæ comprehendi non eos tantùm qui pluribus ſimul vxoribus vtuntur, ſed etiam qui vna aliam ob cauſam quàm ob adulterium repudiata (qua de re ſuo loco dicemus) aliam ducunt. Matt. 19. 9. Quum enim manifeſtè dicat Chriſtus eiuſmodi homines mœchari, conſtat prius vinculum in foro conſcientiæ firmum permanere. Quod autem Pontificii etiam ad nuda ſponſalia hoc extendunt, hactenus verum eſt, vt polygamus cenſeatur qui vna ſibi deſponſa, neque legitimè diremptis ſponſalibus, aliam ſibi deſpondet, aut etiam reipſa coniungit. Sponſalia enim verum eſſe coniugium (etſi non de facto, tamē de iure, vt vulgo loquūtur) vel ex eo liquet quòd mulierem alicui deſponſam violans, punitur vt adulter, ex lege Domini: Deut. 22. 23. Matt. 1. 19. & libello diuortii in ſponſalibus quoque opus fuiſſe colligi poteſt ex Ioſephi & Mariæ virginis hiſtoria.

De altera Polygamia ſpecie.

Contra alteram polygamiæ ſpeciem argumenta Tertulliani, cum refutatione. ALTERA polygamiæ ſpecies eſt, quum quis ſoluto ritè matrimonio aliam ducit: quod nonnulli in quibuſuis fidelibus damnant, vt præ cæteris Cathari & Montaniſtæ, quorum facilè princeps fuit Tertullianus, vir alioqui maximus: nonnulli verò in Clero duntaxat, quem vocant. Nos autem è contrario id omnibus Chriſtianis ſemper bona conſcientia licuiſſe ac licere conſtanter

ſtanter ex Dei verbo affirmamus. Ac primùm quidem Tertulliani, deinde etiam cæterorum ar-
gumenta ſigillatim refutabimus, veram ſententiam poſtea firmis rationibus probaturi.

Carnale quiddam eſt (inquit Tertullianus) & pudori repugnans matrimonij repetitio: contra Primùm.
verò ſpiritualius & diuinius quiddã eſt, in vno matrimonio acquieſcere, ſicut Eccleſia vnũ Deum
pro marito ſuo credit & agnoſcit. Reſpondeo honeſtas quoque & ſanctas eſſe nuptias, ſicut pro- Reſpon. 1.
nuntiat Apoſtolus, abſque vlla diſtinctione, ſiue primæ ſiue repetitæ fuerint. Quòd ſi credendum 2
eſt iis quæ de Ioſepho Mariæ virginis marito plerique veteres tradunt, voluerit ſanè Chriſtus
quamuis non ex ſecundis nuptiis (vt qui ne ex nuptiis quidem natus ſit) tamen in ſecundis nuptiis
naſci, quod eſt magnum illarum ornamentum, quum nuſquam reprehendantur, imò generaliter, Hebr. 13. 4.
quemadmodum dixi, nuptiæ vt impollutæ & honoratæ commendentur. Deinde, vt hoc, quàm il- 3
lud per ſe diuinius eſſe vitæ genus Tertulliano concedamus, quis tamen propterea illicitum eſſe
dixerit, quòd minùs eſt ſpirituale? An enim obſecro, quoniam excellentius eſt ſermoni & precibus
vacare in Eccleſia Dei, quàm cerdonem eſſe vel negotiatorem, idcirco iſtas artes vt illicitas & ne-
farias damnabimus? Quid autem initiò dixit Dominus hac de re? Non eſt bonum (inquit) homi- 4
nem ſolum eſſe, id eſt (vt res ipſa oſtendit) abſque vxoris adiutorio. Iſta verò ſolitudo an nõ etiam Geneſ. 2. 18.
eos comprehendit, quorum vxores obierint? Quòd autem excipiunt nonnulli dictum id eſſe ante 5
peccatum, non modò pro illis non facit, verumetiam noſtræ cauſæ magnopere fauet. Nam ſi pec-
catum hanc vitam plurimis maximíſque difficultatibus & incommodis obnoxiam reddidit, eò ſa-
nè magis requiritur adiutorium, cuius opera commodiùs vitæ huius curſus conficiatur. Quid au- 6
tem ad illud reſpondebit Tertullianus, quòd non modò vtilem & iucundum facit legitimi matri-
monij vſum, verùm etiam planè neceſſarium? Incontinentiam dico & vſtionem, cui remedium
eſſe coniugium, ex Apoſtoli verbis manifeſtò liquet. Eſt autem continentiæ donum non à natu- 1. Cor. 7. 9.
ra, neque à voluntate per ſe, ſed à mera gratia: ac proinde non omnis incontinentia damnanda eſt,
quum mihi quidem ſit veriſimile, etſi ante peccatum nulla fuit in mutuæ coniunctionis appetitio-
ne ἀκρασία, tamen ne primos quidem illos noſtros parentes, quum ad matrimonium eſſent diuini-
tus vocati, continentiæ perpetuæ donum habuiſſe, cuius nimirum nullus fuiſſet vſus. Præterea ſi 7
ſpiritualius eſt in vna acquieſcere, quàm matrimonium poſt vnam mortuam repetere, ſanè multò
magis etiam ſpirituale eſt ἄγαμον manere quàm μονόγαμον eſſe. At ſi damnandæ ſunt idcirco ſecun-
dæ nuptiæ, cur non etiam propter ἀγαμίαν μονογαμία? Porrò ſicut recurrente fame & ſiti ſtulti homi- 8
nis fuerit repetitum cibi & potus vſum reprehendere, quia videlicet naturales non autem volun-
tariæ ſunt cibi & potus appetitiones, quas niſi moderate ſaltem expleas, mortem conſequi neceſ-
ſe ſit: eâdem certè ratione efficitur illos non minus inſanire qui recurrente mutuæ coniunctionis
cupiditate (recurrit autem ad vſtionem vſque, in iis omnibus qui donum continentiæ non habent)
repetitionem matrimonij damnant, quum hæc quoque appetitio in ſuo genere non minus ſit na-
turalis quàm ſitis aut fames: & niſi vſtioni tempeſtiuum remedium à Deo conſtitutum adhibeas,
periculum multò maius, nempe amittendi regni cælorum, ſubeatur. At enim, aiunt, iſta matrimo- Obiectio
nij repetitio eſt magnæ incontinentiæ argumentũ. Ego verò primùm omnium dico id perpetuum Reſpon. 1.
non eſſe, quum qui plures vxores duxit, & multos annos poſtea cælebs vixit, continentior meritò
ſit habendus, quàm qui cum vna ad extremam vſque ſenectutem fuit coniunctus. Sed vt ita eſſe de- 2
mus, ſi nemo germanè Chriſtianus eſt niſi qui continentiæ donum habet, ſanè vereor ne non mo-
dò ad ſummam paucitatem redacta, ſed etiam abolita iampridẽ fuerit Eccleſia. Imò vbi fuerit an-
te diluuium, & tot poſt annis, Eccleſia? Et quo tandem iure Abraham, alioqui in Agare non omni
culpa vacans, ducta poſt Saræ mortem Cethura glorioſum illud Patris credentium nomen non a-
miſerit? Eſt tamen, fateor (quod & res ipſa conuincit) magna in hac humana imbecillitate ἀκρασία, 3
atque etiam fœditas, ſed quæ (quum in ipſa re non hæreat, & ſingulari Dei bonitate, qua legitimo
coniugio ab initio benedixit, excuſetur) non impediat tum primarum, tum etiam deinceps repeti-
tarum nuptiarum ἁγνείαν, quas alioqui Spiritus ſanctus nunquam præciperet. Denique quod af- 9
fert Tertullianus de Eccleſia, vnicum Deum ſponſum agnoſcẽte, verè quidem, ſed admodum im-
peritè dicitur. Quum enim neque Chriſtus ſponſus, neque Eccleſia ſponſa vnquam moriatur, mi-
rum non eſt nullum hic locum repetitis nuptiis relinqui. Quorſum autem hæc ad huius vitæ im-
becillitatem? Pertinent igitur iſta ad priorem polygamiæ ſpeciem: iſti verò poſteriori de qua nunc
diſſerimus, nullo modo conueniunt, quum in repetitis nuptiis, non minus quàm in iis quæ primæ
contrahuntur, vnus cum vna coniũgatur, ac proinde Eccleſiæ cum Chriſto ſpiritualis coniunctio-
nis μυστήριον & in his & in illis eluceat. Quid, quòd vni Deo Ezechiel vxores duas vno etiam tempo- 10
re Oholam videlicet & Oholibam collocat? Quid, quòd apud Paulum dicuntur fideles Chriſto Ezech. 23.
non niſi priore marito mortuo (peccato videlicet) nubere? Sed de his plura etiam deinceps.

Pergit tamen Tertullianus, & inquit, Quum dicat Apoſtolus bonum eſſe homini mulierem nõ Secundum.
tangere, & nuptias non niſi penè inuitus concedat, idque ex humana æſtimatione potius quam ex 1. Cor. 7. 1. & deinceps.
diuina authoritate, poſtea quodammodo reuocans quod ex neceſſitate indulſerat (quia videlicet
melius, id eſt minus malum ſit nubere quam vri) oportuerit autem nos tot ſeculis proficere: omni-
no putandum eſt Spiritus ſancti afflatu regi qui nunc arctius quiddam & perfectius à Chriſtianis
exigunt, quum neceſſitatem illam ceſſare iam oportuerit. Reſpondeo *Bonum* illic non opponi ei Reſpon. 1.
quod ſit vitioſum & Dei voluntati repugnans. Nam ſi ita eſſet nõ modò repetitæ ſed primæ etiam
nuptiæ vel eſſent à diabolo (quod apertè falſum eſſe, liquet vel ex eo quòd matrimonij prohibitio-
nem Paulus vocat *doctrinam dæmoniorum*) vel ita eſſent deprauatæ vt à Spiritu ſancto nunquã lau- 1. Tim. 4. 1.

darentur. *Bonum* igitur non aliud apud Apoſtolum declarat quàm id quod commodum eſt, & ad
2 hanc vitã abſque diſtractione tranſigendã accommodatum. Deinde ne hoc quidẽ reſpectu vniuer-
ſaliter & ſine exceptione intelligendũ eſſe affirmo illud Apoſtoli dictum, ſed eorum tãtùm habita
ratione, in quos collatũ eſt continentiæ donum. Id autẽ ipſe mox declarat præcipiens, vt propter
ſcortationẽ vnuſquiſque (id eſt quiſquis vritur, quia continentiæ donũ non habet) vxorem ſuam
habeat: nunquã id certè ſuaſurus nedum precepturus, ſi mulierem attingere ſiue primis ſiue ſecun-
dis nuptiis malum, hoc eſt vitioſum, & Dei voluntati repugnans eſſet, quum non ſint facienda ma-
3 la vt bona eueniãt. Peruertit etiam aliis multis modis eiuſdem Apoſtoli ſententiam Tertullianus.
Verba enim illa, *Velim* omnes eſſe vt ego ſum, non ſunt præcipientis ſed optantis: idque non ſim-
pliciter (quid enim hoc aliud eſſet quàm humani generis internecionem optare?) ſed ſuorum tem-
4 porum, atque adeò Eccleſiaſticæ potius vocationis habita ratione. Illud autẽ κατὰ συγγνώμην nõ eò re-
fertur quò putat Tertullianus, & alij poſt eũ multi, ſed ad illud potius quod proximè dixerat Apo-
ſtolus, nempe vt vnuſquiſque vxorem ſuam habeat. Id ergo teſtatur Apoſtolus interpretandũ ex
æquo & bono, ſiue quoad eius fieri oportere (ad ſcortationem nimirum fugiendam) videbitur, nõ
quaſi vnicuique ſine exceptione id præcipiatur. niſi malimus aſſentiri auctori libri de bono vidui-
tatis, qui inter Auguſtini opera repoſitus eſt. Arbitratur autem ipſe hoc intelligendum, non de
coniugio quod liberorum procreandorum cauſa copulatur, aut fide pudicitiæ coniugalis, & indiſ-
ſolubili, quandiu ambo viuunt, matrimonij ſacramento (quæ omnia, inquit, bona ſunt) ſed de illo
immodico carnis vſu qui in coniugum infirmitate agnoſcitur, & interuentu boni nuptialis ignoſ-
5 citur, de quo ait Apoſtolus, Secundùm veniam dico, non ſecundùm imperium. Illa vero verba,
6 *Ego dico non Dominus*, quum ſic accipit Tertullianus acſi Paulus non diuinitus ſed humanitus hæc
conſuleret, à blaſphemia non procul abeſt, & ne refutatione quidem eget. Denique quod idem
Tertullianus dicit, oportuiſſe nos à temporibus Apoſtolorum proficere, rectè quidem dicit, ſed
hunc profectum dico poſitum eſſe in rebus longè aliis, nempe in fructibus Spiritus qui in epiſto-
la ad Galatas commemorantur. Errat autem vehementer qui perfectius aut melius quicquam in
Eccleſia vel præſtari poſſe arbitratur, quàm Apoſtoli mandarint. quod tamen de ſui Montani pa-
racleto miſerè faſcinatus Tertullianus ſomniat.
Tertium. Citat quoque Tertullianus locum illum Ioannis, Quiſquis ſpem habet in eo ſitam, caſtificet ſe-
1 Ioan. 3. 3. 1. Pet. 1. 16. ſe, vt & ille caſtus eſt: & illum Petri, Eſtote ſancti, ſicut & ille ſanctus fuit, Chriſtus videlicet in car-
Reſpon. 1. ne ſua. Reſpondeo nõ omnia quæ fecit Chriſtus nobis ad imitationem proponi. Nam alioqui no-
bis eſſet omnibus ex virgine naſcendum, idque in ſtabulo, & quadraginta perpetuis diebus ieiu-
nandum, & crux in carne verè ac reipſa ſubeunda: quæ omnia, vt & alia eiuſmodi, quis ita inſanit,
vt à nobis exigat? Multa enim in Chriſto perſonalia fuerunt, id eſt ipſius perſonæ ac muneris pro-
pria. Quod autem Chriſtus fuit prorſus ἄγαμος, ſi ad ſingulos Chriſtianos pertineret, certè ne primę
quidem nuptiæ licerent, quas tamen Tertullianus ipſe concedit. Et quorſum ipſe Chriſtus teſta-
2 retur non omnes poſſe hoc verbum capere? Locus autem ille Ioãnis, de generali ſanctimonia tum
corporis tum animæ intelligendus eſt, quæ niſi in matrimonio quoque vigeret ſine primo ſiue re-
3 petito, nulli certè pij coniugati eſſent. Denique locum Petri ex Moſe deſumptũ non rectè ad Chri
ſti carnem traducit Tertullianus, quum de puriſſima ſanctiſſimáque ipſius Diuinitatis natura in-
telligatur, quanuis alioqui minimè negandum ſit Chriſtum, etiam ſecundùm carnem eſſe per-
fectum omnis puritatis exemplar.
Quartum. Præterea, inquit ille, ſcribit Paulus Chriſtum miſſum eſſe vt in eo omnia recapitularentur, id eſt
ad ſuum caput & initium reuocarentur. Initiũ verò eiuſmodi fuit vt Adamo vna vxor ſemel fue
rit adiuncta. Et propheticè quoque tunc dictum eſt, *Et erunt duo in carne vna*. Sic etiam Noe, alter
humani generis parens, monogamus fuit. & ipſius filij, & præſtantiſſimi quique Patrũ, vt Ioſeph,
Moſes, Aaron, Ioſue. Etſi autem digamus fuit Abraham, tamen quum ex fide iuſtificaretur, mo-
nogamus erat. Quòd ſi digamiam eius recipiamus, recipiamus etiam circumciſionem, quoniã non
Reſpon. 1. antea fuit digamus. Ego verò reſpondeo verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι nihil neque ad monogamiã ne-
que ad repetitas nuptias pertinere, ſed hoc dũtaxat vt ſignificetur quum omnia prius eſſent extra
2 Chriſtum diſſipata, in eum poſtea fuiſſe recollecta, ſicut docti interpretes explicãt. Deinde & hoc
3 dico, minimè ſtabilienda eſſe dogmata ex particularibus exemplis. Addo & illud, nõ minùs mul-
4 ta, imò etiam plura reperiri poſſe exempla Patrum, iſtis repugnantia. Sed & Abrahamum conſtat
multò prius digamum fuiſſe quàm circumciſum, quum Iſmaelem demum circumciderit, annũ iam
agentẽ decimumtertiũ. Denique ſi quid valerent hæc argumenta, torquenda eſſent aduerſus prio-
rem polygamiæ ſpeciem, quia nõ minus eſt vnius vxoris vir qui mortua vxore alterã ducit, quàm
qui in vna ſuperſtite acquieſcit: niſi fortè ſomniemus contra Pauli doctrinã, & ſenſum ipſum cõ-
munem, ne morte quidem matrimonium diſſolui, qua de re mox dicemus.
Quintum. At enim, inquit Tertullianus, Lex prohibet ſacerdotes matrimoniũ repetere: ſumus autẽ om-
Reſponſio. 1. Leuit. 21. 13. nes in Chriſto ſacerdotes. Reſpondeo nuſquam in Lege extare prohibitionẽ huiuſmodi, ſed hoc
tantùm præcipi ſummo ſacerdoti, vt nõ aliã quam virginẽ ducat, idque myſterij cauſa, de quo ali-
2 bi differemus. Deinde quo iure Tertullianus externum illud & carnale ſacerdotiũ ſoli tribui Le-
uí peculiare, cum noſtro ſpirituali & Chriſtianis omnibus communi comparat?
Sextum. Colligit idem præterea Noui Teſtamenti exempla. vt Zachariæ monogami, & Ioannis ἀγάμου:
Simeõ e[illegible] (inquit) nõ fuit digamus, Anna mãſit vidua, ſolus ex Apoſtolis Petrus maritus legitur.
His addit Eliam ἄγαμον, & Moſen μονόγαμον, quos potiſſimùm transformationis ſuæ teſtes Chriſtus
Reſpon. 1. delegit. Poſtea colligit oportere Chriſtianos iſtis præſtantiſſimis viris eſſe ſimiles. Reſpondeo
multa

multa poni in huius enthymematis antecedente, quæ ſi negentur, probari non poſſint. Deinde 2
nego iſtiuſmodi conſequutionem, non modò quoniam ex iſtis particularibus conſtitui affirmans vniuerſalis non poteſt (quum præſertim multò etiam plura proferri poſſint exempla in contrariam partem) verùm etiam quia placuiſſe iſtos ob eam ipſam cauſam, quòd alij quidem monogami, alij verò eſſent ἄγαμοι, probandum fuerit, quod certè nunquam euincetur. Præterea ſi qua poſi- 3
ta eſſet præſtantia, qualem iſti imaginantur, tum in ἀγαμίᾳ tum in μονογαμίᾳ, illa certè iſti præſtaret, ac proinde ſicut ex διγαμίας reprehenſione Tertullianus μονογαμίαν ſuam exornat, ita etiam excludendi eſſent μονόγαμοι à regno cælorum, & in Marcionis caſtra tranſeundum, vt ſolis ἀγάμοις locus relinqueretur: quod quàm abſurdum ſit ne Tertullianus quidem ipſe ignoraſſet, vtpote Marcionis hoſtis, niſi Montanus ipſum faſcinaſſet.

Profert præterea quoſdam Scripturæ locos. Oportet enim, inquit, nos fieri pueris ſimiles: pueri verò de nuptiis non cogitant. Atqui ſi hoc ita ſe habet, ne primæ quidem nuptiæ licent. Quo verò reſpectu id poſtulet Chriſtus adeò quidem vt denuntiet nos alioqui in regnum cælorum nunquam ingreſſuros, nempe quod ad malitiam non quod ad nuptias attinet, ſatis ſuperque conſtat. Septimum. Reſpon. 1. 2 Luc. 18. 17.

Huc etiam idem detorquet aliud Chriſti dictum, nempe quòd oporteat nos eſſe columbæ ſimiles, quam vnam, inquit, nouit maſculus. Huius autem rei penes illarum rerum ſcrutatores fides eſto. Illud certè cogitare debuit Tertullianus, ſimilitudinem illam ab ipſo Chriſto reſtringi ad morum ſimplicitatem. Octauum. Mat. 10. 16. Reſponſio.

Magis illud vrget quod ex Ioanne citat, nempe quòd Chriſtus ſextum illius Samaritanæ virum negauerit eſſe illius maritum. Sed in eo fallitur, quòd illam ſexto nupſiſſe exiſtimat, quum potiùs, quinto marito mortuo, ſcortari cœpiſſet, ac proinde à Chriſto non vt πολύγαμος, ſed vt ſcortatrix reprehendatur. Nonum. Ioan. 4. 18. Reſponſio.

At enim, inquit, nuptiis ſemel duntaxat Chriſtus interfuit, id eſt quoties illas celebrari voluit. Quid ſi verò ſecundæ illæ erant nuptiæ, quibus Chriſtus interfuit? quod tamen vt omittam, ne refutatione quidem eget hoc argumentum. Decimum. Reſponſio.

Pergit autem, & inquit: Si non licet ſeparare diuortio quos Deus coniunxit, non licebit etiam coniungere matrimonio quos Deus ſeparauit. Reſpondeo ne hoc quidem nos agere, quod fruſtra moliremur, nempe vt morte ſeparatos rurſum coniungamus. Sed nimirum aliò torquetur hæc ſententia à Tertulliano ſic colligente: Si non poſſunt homines efficere, vt diuortio disiungantur quos Deus matrimonij vinculo coniunxit: conſequitur ne hoc quidem poſſe, vt nouo matrimonio coniungatur ſecunda vxor cum eo qui primis nuptiis cum alia coniunctus, ab illa poſtea eſt ſeparatus. Aſſumit igitur Tertullianus duorum alterum in hoc argumento: nempe aut ne morte quidem planè diſſolui vinculum, quod planè repugnat Apoſtolo, liberam eſſe mulierem pronuncianti poſt mariti mortem: aut iſtiuſmodi ſeparatione Dominum tacitè admonere ſuperſtitem perſonam ne de matrimonio deinceps cogitet: quod ſi quis inficietur, vt ego ſanè inficior, qui tandem probabit Tertullianus? Vana eſt igitur tota hæc collectio: neque ſi ad ſecundas aut vlterius etiam repetitas nuptias venitur, vel dirimitur quod Deus coniunxit (quum ipſemet per mortem interuenientem diremerit quod coniunxerat) vel coniungitur quod ſeparauerat, quum de ſeparata perſona non agatur rurſum cum eadem coniungenda à qua disiuncta fuit. Vndecimũ. Reſponſio. 1 Cor. 7. 39.

Addit præterea: Si non licet repudiatæ ad alium virum tranſire conſequitur repudiatam teneri viro quamuis diſcordi & inimico. Hoc autem ſi verum eſt, multò ſanè magis videtur teneri viro, à quo nullo ipſius vitio, ſed Dominicæ legis euentu, id eſt ſola mortis neceſſitate ſeparata eſt. Reſpondeo hac etiam in re magnopere falli Tertullianum. Nam vt omittam quod modò dixi, pronuntiari videlicet liberam vxorem poſt mariti mortem, vt nubere poſſit cui velit, Chriſtus de diuortio diſſerens cauſam adulterij diſertè excepit. At ſi adulterio, (quod tamen per ſe mutuum corporum vſum non tollit) vinculum matrimonij abrumpitur, id ipſum ſanè multò magis de morte dicendum eſſe nemo bene ſanæ mentis ambiget. Duodecimũ. Reſponſio. Mat. 5. 32.

Sed non licet, inquit, poſtulare ab Epiſcopo, quod ipſe habere non poteſt: Epiſcopos autem oportet eſſe monogamos. Ego verò & illud & iſtud nego. Quid enim prohibet quo minus ab aliquo poſtulem, quod vt ipſe ſibi non habeat, mihi tamen ab alio largiatur? Nam alioqui certè virtus omnis eorum, quæ in Eccleſia dicuntur & fiunt, à miniſtris penderet, non ab eo qui miniſtrorum opera vtitur. Deinde ſemel duntaxat contrahendi matrimonij neceſſitatem vel Epiſcopis vel aliis vllis 2
Chriſtianis à Domino ſimpliciter impoſitam fuiſſe prorſus nego. Decimum tertium. Reſpon. 1.

Sed aliud eiuſdem argumentum, quamuis non ita manifeſtè ab ipſo expreſſum, audiamus. Oportet nos, vt bene quippiam velimus, id demum velle quod Deus volt, & id nolle quod Deus non vult. Deus autem vel maritum vxore, vel vxorem marito priuans, videtur omnino ſuperſtiti parti indicere vt extra matrimonium viuat, ac proinde vt ſit cælebs, & nolle vt ad matrimonium redeat cuius vinculum ipſe abruperit. Ego verò illud quidem maximè concedo, ſed hoc prorſus nego. Etſi enim certum eſt, quum nemo niſi volente Deo moriatur, quoties alter coniugum moritur non placere Deo vt diuturnius ſit illud matrimonium, quod ipſemet morte diſſoluit: non tamen inde rectè concluditur partem ſuperſtitem ad cælibatum vocari, niſi ſimul habeat continentiæ donum. Decimum quartum. Reſponſio.

Erimus, inquit rurſum ille, poſt mortem. Quòd ſi credimus reſurrectionem mortuorum, vtique tenebimur cum quibus reſurrecturi ſimus rationem de alterutro reddituri. Ego verò reſurrectionem mortuorum credo, nos autem proximis rationem reddituros nuſquam lego nec etiam credo, in hoc potius occupatus quomodo ne Deus quidem ipſe mecum intret in iudicium, ac me potius Decimum quintum. Reſponſio.

datentur. *Bonum* igitur non aliud apud Apoſtolum declarat quàm id quod commodum eſt, & ad
2 hanc vitã abſque diſtractione tranſigendã accommodatum. Deinde ne hoc quidẽ reſpectu vniuer-
ſaliter & ſine exceptione intelligendũ eſſe affirmo illud Apoſtoli dictum, ſed eorum tãtùm habita
ratione, in quos collatũ eſt continentiæ donum. Id autẽ ipſe mox declarat præcipiens, vt propter
ſcortationẽ vnuſquiſque (id eſt quiſquis vritur, quia continentiæ donũ non habet) vxorem ſuam
habeat: nunquã id certè ſuaſurus nedum præcepturus, ſi mulierem attingere ſiue primis ſiue ſecun-
dis nuptiis malum, hoc eſt vitioſum, & Dei voluntati repugnans eſſet, quum non ſint facienda ma-
3 la vt bona eueniãt. Peruertit etiam aliis multis modis eiuſdem Apoſtoli ſententiam Tertullianus.
Verba enim illa, *Velim* omnes eſſe vt ego ſum, non ſunt præcipientis ſed optantis: idque non ſim-
pliciter (quid enim hoc aliud eſſet quàm humani generis internecionem optare?) ſed ſuorum tem-
4 porum, atque adeò Eccleſiaſticæ potius vocationis habita ratione. Illud autẽ κατ' συγγνώμην nõ eò re-
fertur quò putat Tertullianus, & alij poſt eũ multi, ſed ad illud potius quod proximè dixerat Apo-
ſtolus, nempe vt vnuſquiſque vxorem ſuam habeat. Id ergo teſtatur Apoſtolus interpretandũ ex
æquo & bono, ſiue quoad eius fieri oportere (ad ſcortationem nimirum fugiendam) videbitur, nõ
quaſi vnicuique ſine exceptione id præcipiatur. niſi malimus aſſentiri auctori libri de bono vidui-
tatis, qui inter Auguſtini opera repoſitus eſt. Arbitratur autem ipſe hoc intelligendum, non de
coniugio quod liberorum procreandorum cauſa copulatur, aut fide pudicitiæ coniugalis, & indiſ-
ſolubili, quandiu ambo viuunt, matrimonij ſacramento (quæ omnia, inquit, bona ſunt) ſed de illo
immodico carnis vſu qui in coniugum infirmitate agnoſcitur, & interuentu boni nuptialis ignoſ-
5 citur, de quo ait Apoſtolus, Secundùm veniam dico, non ſecundùm imperium. Illa vero verba,
6 *Ego dico non Dominus*, quum ſic accipit Tertullianus acſi Paulus non diuinitus ſed humanitus hæc
conſuleret, à blaſphemia non procul abeſt, & ne refutatione quidem eget. Denique quod idem
Tertullianus dicit, oportuiſſe nos à temporibus Apoſtolorum proficere, rectè quidem dicit, ſed
hunc profectum dico poſitum eſſe in rebus longè aliis, nempe in fructibus Spiritus qui in epiſto-
la ad Galatas commemorantur. Errat autem vehementer qui perfectius aut melius quicquam in
Eccleſia vel præſtari poſſe arbitratur, quàm Apoſtoli mandarint. quod tamen de ſui Montani pa-
racleto miſerè faſcinatus Tertullianus ſomniat.

Tertium 1. Ioan. 3. 3. 1. Pet. 1. 16. Reſpon. 1. Citat quoque Tertullianus locum illum Ioannis, Quiſquis ſpem habet in eo ſitam, caſtificat ſe-
ſe, vt & ille caſtus eſt: & illum Petri, Eſtote ſancti, ſicut & ille ſanctus fuit, Chriſtus videlicet in car-
ne ſua. Reſpondeo nõ omnia quæ fecit Chriſtus nobis ad imitationem proponi. Nam alioqui no-
bis eſſet omnibus ex virgine naſcendum, idque in ſtabulo, & quadraginta perpetuis diebus ieiu-
nandum, & crux in carne verè ac reipſa ſubeunda: quæ omnia, vt & alia eiuſmodi, quis ita inſanit,
vt à nobis exigat? Multa enim in Chriſto perſonalia fuerunt, id eſt ipſius perſonæ ac muneris pro-
pria. Quod autem Chriſtus fuit prorſus ἄγαμος, ſi ad ſingulos Chriſtianos pertineret, certè ne primę
quidem nuptiæ licerent, quas tamen Tertullianus ipſe concedit. Et quorſum ipſe Chriſtus teſta-
2 retur non omnes poſſe hoc verbum capere? Locus autem ille Ioãnis, de generali ſanctimonia tum
corporis tum animæ intelligendus eſt, quæ niſi in matrimonio quoque vigeret ſiue primo ſiue re-
3 petito, nulli certè pij coniugati eſſent. Denique locum Petri ex Moſe deſumptũ non rectè ad Chri
ſti carnem traducit Tertullianus, quum de puriſſima ſanctiſſimáque ipſius Diuinitatis natura in-
telligatur, quanuis alioqui minimè negandum ſit Chriſtum, etiam ſecundùm carnem eſſe per-
fectum omnis puritatis exemplar.

Quartum. Præterea, inquit ille, ſcribit Paulus Chriſtum miſſum eſſe vt in eo omnia recapitularentur, id eſt
ad ſuum caput & initium reuocarentur. Initiũ verò eiuſmodi fuit vt Adamo vna vxor ſemel fue
rit adiuncta. Et propheticè quoque tunc dictum eſt, *Et erunt duo in carne vna*. Sic etiam Noe, alter
humani generis parens, monogamus fuit. & ipſius filij, & præſtantiſſimi quique Patrũ, vt Ioſeph,
Moſes, Aaron, Ioſue. Etſi autem digamus fuit Abraham, tamen quum ex fide iuſtificaretur, mo-
nogamus erat. Quòd ſi digamiam eius recipiamus, recipiamus etiam circunciſionem, quoniã non
Reſpon. 1. antea fuit digamus. Ego verò reſpondeo verbum ἀνακεφαλαιοῦσθαι nihil neque ad monogamiã ne-
que ad repetitas nuptias pertinere, ſed huc dũtaxat vt ſignificetur quum omnia prius eſſent extra
2 Chriſtum diſſipata, in eum poſtea fuiſſe recollecta, ſicut docti interpretes explicãt. Deinde & hoc
3 dico, minimè ſtabilienda eſſe dogmata ex particularibus exemplis. Addo & illud, nõ minùs mul-
4 ta, imò etiam plura reperiri poſſe exempla Patrum, iſtis repugnantia. Sed & Abrahamum conſtat
multò prius digamum fuiſſe quàm circunciſum, quum Iſmaelem demum circunciderit, annũ iam
agentẽ decimumtertiũ. Denique ſi quid valerent hæc argumenta, torquenda eſſent aduerſus prio-
rem polygamiæ ſpeciem, quia nõ minus eſt vnius vxoris vir qui mortua vxore alterã ducit, quàm
qui in vna ſuperſtite acquieſcit: niſi fortè ſomniemus contra Pauli doctrinã, & ſenſum ipſum cõ-
munem, ne morte quidem matrimonium diſſolui, qua de re mox dicemus.

Quintum. Reſponſio 1. Leuit. 21. 13. At enim, inquit Tertullianus, Lex prohibet ſacerdotes matrimoniũ repetere: ſumus autẽ om-
nes in Chriſto ſacerdotes. Reſpondeo nuſquam in Lege extare prohibitionẽ huiuſmodi, ſed hoc
tãtùm præcipi ſummo ſacerdoti, vt nõ aliã quam virginẽ ducat, idque myſterij cauſa, de quo ali-
2 bi diſſeremus. Deinde quo iure Tertullianus externum illud & carnale ſacerdotiũ ſoli tribui Le-
ui peculiare, cum noſtro ſpirituali & Chriſtianis omnibus communi comparat?

Sextum. Colligit idem præterea Noui Teſtamenti exempla, vt Zachariæ monogami, & Ioannis ἀγάμου:
Simeõ etiã (inquit) nõ fuit digamus, Anna mãſit vidua, ſolus ex Apoſtolis Petrus maritus legitur.
His addit Eliam ἄγαμον, & Moſen μονόγαμον, quos potiſſimùm transformationis ſuæ teſtes Chriſtus
Reſpon. 1. delegit. Poſtea colligit oportere Chriſtianos iſtis præſtantiſſimis viris eſſe ſimiles. Reſpondeo

multa

multa poni in huius enthymematis antecedente, quæ ſi negentur, probari non poſſint. Deinde a
nego iſtiuſmodi conſequutionem, non modò quoniam ex iſtis particularibus conſtitui affirmans vniuerſalis non poteſt (quum præſertim multò etiam plura proferri poſſint exempla in contrariam partem) verùm etiam quia placuiſſe iſtos ob eam ipſam cauſam, quòd alij quidem monogami, alij verò eſſent ἄγαμοι, probandum fuerit, quod certe nunquam euincetur. Præterea ſi qua poſi- 3
ta eſſet præſtantia, qualem iſti imaginantur, tum in ἀγαμίᾳ tum in μονογαμίᾳ, illa certè iſti præſtaret, ac proinde ſicut ex διγαμίας reprehenſione Tertullianus μονογαμίαν ſuam exornat, ita etiam excludendi eſſent μονόγαμοι à regno cælorum, & in Marcionis caſtra traſeundum, vt ſolis ἀγάμοις locus relinqueretur: quod quàm abſurdum ſit ne Tertullianus quidem ipſe ignoraſſet, vtpote Marcionis hoſtis, niſi Montanus ipſum faſcinaſſet.

Profert præterea quoſdam Scripturæ locos. Oportet enim, inquit, nos fieri pueris ſimiles: pueri Septimum.
verò de nuptiis non cogitant. Atqui ſi hoc ita ſe habet, ne primæ quidem nuptiæ licent. Quo verò Reſpon. 1.
reſpectu id poſtulet Chriſtus adeò quidem vt denuntiet nos alioqui in regnum cælorum nũquam 2
ingreſſuros, nempe quod ad malitiam non quod ad nuptias attinet, ſatis ſuperque conſtat. Luc.18.17.

Huc etiam idem detorquet aliud Chriſti dictum, nempe quòd oporteat nos eſſe columbæ ſi- Octauum.
miles, quam vnam, inquit, nouit maſculus. Huius autem rei penes illarum rerum ſcrutatores fides Mat.10.16.
eſto. Illud certè cogitare debuit Tertullianus, ſimilitudinem illam ab ipſo Chriſto reſtringi ad mo- Reſponſio.
rum ſimplicitatem.

Magis illud vrget quod ex Ioanne citat, nempe quòd Chriſtus ſextum illius Samaritanæ virum Nonum.
negauerit eſſe illius maritum. Sed in eo fallitur, quòd illam ſexto nupſiſſe exiſtimat, quum potiùs, Ioan.4.18.
quinto marito mortuo, ſcortari cœpiſſet, ac proinde à Chriſto non vt πολύγαμος, ſed vt ſcortatrix re- Reſponſio.
prehendatur.

At enim, inquit, nuptiis ſemel duntaxat Chriſtus interfuit, id eſt quoties illas celebrari voluit. Decimum.
Quid ſi verò ſecundæ illæ erant nuptiæ, quibus Chriſtus interfuit? quod tamen vt omittam, ne re- Reſponſio.
futatione quidem eget hoc argumentum.

Pergit autem, & inquit: Si non licet ſeparare diuortio quos Deus coniunxit, non licebit etiam Vndecimũ.
coniungere matrimonio quos Deus ſeparauit. Reſpondeo ne hoc quidem nos agere, quod fruſtra Reſponſio.
moliremur, nempe vt morte ſeparatos rurſum cõiungamos. Sed nimirum aliò torquetur hæc ſententia à Tertulliano ſic colligente: Si non poſſunt homines efficere, vt diuortio diſiungãtur quos Deus matrimonij vinculo coniunxit: conſequitur ne hoc quidem poſſe, vt nouo matrimonio coniungatur ſecunda vxor cum eo qui primis nuptiis cum alia coniunctus, ab illa poſtea eſt ſeparatus. Aſſumit igitur Tertullianus duorum alterum in hoc argumento: nempe aut ne morte quidẽ pla-
ne diſſolui vinculum, quod planè repugnat Apoſtolo, liberam eſſe mulierẽ pronunciãti poſt ma- 1 Cor.7.39.
riti mortem: aut iſtiuſmodi ſeparatione Dominum tacitè admonere ſuperſtitem perſonam ne de matrimonio deinceps cogitet: quod ſi quis inficietur, vt ego ſanè inficior, quî tandẽ probabit Tertullianus? Vana eſt igitur tota hæc collectio: neque ſi ad ſecundas aut vlterius etiam repetitas nuptias veniatur, vel dirimitur quod Deus coniunxit (quum ipſemet per mortem interuenientem diremerit quod coniunxerat) vel coniungitur quod ſeparauerat, quum de ſeparata perſona nõ agatur rurſum cum eadem coniungenda à qua diſiuncta fuit.

Addit præterea: Si nõ licet repudiatæ ad alium virum tranſire conſequitur repudiatã teneri vi- Duodecimũ.
ro quamuis diſcordi & inimico. Hoc autẽ ſi vetum eſt, multò ſanè magis videtur teneri viro, à quo nullo ipſius vitio, ſed Dominicæ legis euentu, id eſt ſola mortis neceſſitate ſeparata eſt. Reſpõdeo Reſponſio.
hac etiam in re magnopere falli Tertullianum. Nam vt omittam quod modò dixi, pronuntiari videlicet liberam vxorem poſt mariti mortem, vt nubere poſſit cui velit, Chriſtus de diuortio diſſe- Mat.19.9.
rens cauſam adulterij diſertè excepit. At ſi adulterio, (quod tamẽ per ſe mutuum corporum vſum non tollit) vinculum matrimonij abrumpitur, id ipſum ſanè multò magis de morte dicendum eſſe nemo bene ſanæ mentis ambiget.

Sed non licet, inquit, poſtulare ab Epiſcopo, quod ipſe habere non poteſt: Epiſcopos autẽ opor- Decimum-
tet eſſe monogamos. Ego verò & illud & iſtud nego. Quid enim prohibet quo minus ab aliquo po- tertium.
ſtulem, quod vt ipſe ſibi non habeat, mihi tamen ab alio largiatur? Nam alioqui certè virtus omnis Reſpon.1.
eorum, quæ in Eccleſia dicuntur & fiunt, à miniſtris penderet, non ab eo qui miniſtrorum opera vtitur. Deinde ſemel duntaxat contrahendi matrimonij neceſſitatem vel Epiſcopis vel aliis vllis a
Chriſtianis à Domino ſimpliciter impoſitam fuiſſe prorſus nego.

Sed aliud eiuſdem argumentum, quanuis non ita manifeſtè ab ipſo expreſſum, audiamus. Opor- Decimum-
tet nos, vt bene quippiam velimus, id demum velle quod Deus vult, & id nolle quod Deus non quartum.
vult. Deus autem vel maritum vxore, vel vxorem marito priuans, videtur omnino ſuperſtiti parti indicere vt extra matrimonium viuat, ac proinde vt ſit cælebs, & nolle vt ad matrimonium redeat cuius vinculum ipſe abruperit. Ego verò illud quidem maximè concedo, ſed hoc prorſus nego. Reſponſio.
Etſi enim certum eſt, quum nemo niſi volente Deo moriatur, quoties alter coniugum moritur non placere Deo vt diuturnius ſit illud matrimonium, quod ipſemet morte diſſoluit: non tamen inde rectè concluditur partem ſuperſtitem ad cælibatum vocari, niſi ſimul habeat continentiæ donum.

Erimus, inquit rurſum ille, poſt mortem. Quòd ſi credimus reſurrectionem mortuorũ, vtique Decimum-
tenebimur cum quibus reſurrecturi ſimus rationem de alterutro reddituri. Ego verò reſurrectio- quintum.
nem mortuorum credo, nos autem proximis rationem reddituros nuſquam lego nec etiam credo, Reſponſio.1.
in hoc potius occupatus quomodo ne Deus quidem ipſe mecum intret in iudicium, ac me potius

2 ſua miſericordia per gratuitam in Chriſto remiſſionem peccatorũ abſoluat. Denique miror Ter- Mat. 22. 27. tulliano non veniſſe in mentem, hanc ipſam quæſtionem eſſe de qua rogatus à Sadducæis Dominus, Erratis, inquit, neſcientes ſcripturas.

Obiectio. Imò, excipit Tertullianus, ſi in illo æuo neque nubent, neque nubentur, ſed erunt æquales angelis, non ideo tenebimur coniugibus defunctis quia non erit reſtitutio coniugij: imò eò magis tenebimur quia in meliorem ſtatum deſtinamur, reſurrecturi in ſpiritale conſortium, agnituri tam noſmetipſos quàm noſtros. Honoratior erit maritus, quo mundior facta erit. In vita æterna Reſponſio. magis non ſeparabit quos coniunxit Deus, qui in iſta vita ſeparari vetat. Hæc ille à Montani paracleto faſcinatus, quæ ne refutatione quidem egent: tanti eſt momenti intra verbi Dei limites ita conſiſtere, vt neque ad dextram neque ad ſiniſtram declines. Inſtitutum eſt porrò matrimonium initio, quòd bonum homini nõ eſſet ſolum eſſe: illic verò, id eſt in Dei gloria ſoli certè non erimus, nec eiuſmodi adiutorio egebimus, quia Deus erit omnia in omnibus. Finis coniugij alter eſt humani generis propagatio, cuius tum aduenerit terminus. Scortationi verò quærendum nullum erit ibi remedium vbi hæredes Dei & cohæredes Chriſti erimus. Quorſum igitur iſta noui paracleti deliria?

Quærendam Tertulliani scripſiſſe, num Montano. Hæc ſunt præcipua Montaniſtarum aduerſus ſucceſſiuè repetitas nuptias argumenta, ſtudioſius etiam, opinor, à Tertulliano quàm ab ipſo Montano explicata. Operæpretium autem me facturum putaui, ſi in eorum gratiã (qui lectione illius alioqui maximi, ſed maximo cum iudicio audiendi viri delectantur) ea quoque adiicerem quibus contrariæ partis, id eſt orthodoxorum rationes aggreſſus eſt refutare.

1. Cor. 7. 39. Itaque ad locum illum Pauli planum & penitus perſpicuum, *Mulier iuncta eſt in quantum temporis viuit vir eius: ſi autem mortuus fuerit, libera eſt, cui vult nubat: tantum in Domino*, ita reſpondet vt neget ſic concedi licentiam ſecundi matrimonij poſt fidem Chriſto datam. Primùm quoniam Paulus ſibi ipſi repugnaret. Si enim, inquit Tertullianus, ſecundas nuptias remittit, quæ ab initio non fuerunt, quomodo affirmat omnia ad initium recolligi in Chriſto? Si vult nos iterare cõiugia quomodo ſemen noſtrum in Iſaac ſemel marito auctore defendit? quomodo totum ordinem Eccleſiæ de monogamis diſponit? Hæc ille, cuius primum argumentum antea refutauimus. Alterum certè nullius eſt momẽti. Nec enim Iſaac ideò proponitur noſtri ſeminis auctor, quia ſemel maritus, ſed quia promiſſionis filius: vt neque Abraham pater credentiũ, neque Iacob fortis luctator ideò grati Deo quoniam bimariti: ſed quoniam vterque Deo credidit. Tertium denique argumentum nihil mouere quenquam debet, quum de iis demum monogamis agat Apoſtolus qui veris polygamis, id eſt iis qui plures ſimul vxores habuerint, opponuntur. vt ſuo loco plenius demonſtrabimus, & non modò Chryſoſtomus, ſed ipſe quoque Hieronymus egregia illa ad Oceanum epiſtola interpretatur.

Secundò præfatus Tertullianus Apoſtolũ hæc ſcripſiſſe nouæ adhuc eccleſiæ quam lacte paſceret, dicit hoc accipiendũ de ea muliere quæ fuerit in viduitate à fide deprehenſa: id eſt, vt planius loquar, quæ non niſi iam vidua ad Chriſtianiſmũ acceſſerit, cuius nouus maritus (inquit) non deputabitur ſecundus, qui eſt à fide primus: ſicut ante fidem ſoluto ab vxore non numerabitur poſt fidem ſecunda vxor quæ poſt fidem prima eſt, quoniam ipſa vita noſtra à fide cenſeatur. Sed quis iſta violenter ac ſophiſticè prorſus declamata fuiſſe non videt? Cur enim iſta planius non explicaret Apoſtolus, præſertim cum rudibus agens? Etſi autem meritò Corinthiis exprobrat Apoſtolus quòd craſſè adhuc errarent, tamẽ minime rudem fuiſſe illam Eccleſiam, ſatis apertè initio prioris 1. Cor. 1. 5. Rom 1. 8. & 7. 2. Epiſtolæ teſtatur, gratias agens Deo quòd abundarent ἐν παντὶ λόγῳ καὶ γνώσει. Præterea quum hoc ipſum Romanis ſcribat quorũ fidem magnificẽtiſſimè prædicat, quorſum iſta Tertulliani effugia? Denique quum inter infideles quoque ſint nuptiæ, (nam alioqui non ſuaderet fidelibus Paulus vt 1 Cor 7. 12. in eiuſmodi contubernio manerent) certè ſecundus maritus ſemper ſecundus erit, quicquid garriat Montani paracletus.

1 Tim 3 2. Item quum colligerẽt Orthodoxi, permitti reliquis iterationem matrimonij ab Apoſtolo, eò quòd ſolos qui ſunt in Clero adſtrinxerit monogamiæ iugo: Tertullianus primùm reſpõdet ideò potius omnibus præſcribi monogamiam, quia Epiſcopis, & ideò Epiſcopis, quia omnibus. Vnde enim (inquit) Epiſcopi & Clerus? nónne de omnibus? Hîc verò rurſum manifeſta eſt ſophiſtice. Nam ſi *de omnibus* eligi cenſet, qui ex ipſo Eccleſiæ corpore ſeligãtur, rectè loquitur, nec inde conſequitur ſingula Eccleſiæ membra iiſdem legibus adſtringi quibus Clerus adſtringatur. Sin verò *de omnibus* ita interpretatur acſi quiuis ea Eccleſia eligi poſſit, hoc quidem poſito cõſequetur illud quod colligit: ſed quis tandem id verũ eſſe ipſi largietur? An enim quoniam ea fidelium turba deliguntur Epiſcopi quales eſſe iubet Apoſtolus, ideò vnumquẽque ex illa turba conſequetur talem eſſe oportere vt ad Epiſcopatũ ſit idoneus, ac non potius ij demũ ea tanto numero deligendi qui idonei cõperientur? Deinde aliud opponit, nempe ſi verba illa *Vnius vxoris virum* ad ſolos Epiſcopos referantur, idem quoque de cæteris quæ ſequuntur virtutibus dicendũ, quas tamen abſurdum fuerit ſolis Epiſcopis tribuere. Reſpondeo vanam etiam eſſe iſtius argumẽti conſequutionẽ. Quid enim prohibet quominus Apoſtolus tum ea recenſuerit quæ propriè in Epiſcopo requiruntur, tum etiam quæ habeat vel cum reliquis omnibus Chriſtianis, vel cum aliquibus duntaxat communia, in quibus tamẽ ipſum præ cæteris oporteat eminere? Obſecro enim an hoc à quibuſuis ad Baptiſmum accedẽtibus requirendũ vel ipſe Tertullianus cenſuiſſet, vt eſſent ἀνεπίληπτοι; an vt eſſent *διδακτικοί*; Imò ne in Epiſcopis quidẽ ipſis ſimiliter illa omnia requiri res ipſa clamat, quoniã alioqui

qui dicendum fuerit qua ratione non eſt eligendus qui non ſit temperans aut qui ſit ebrioſus, excludi quoque ἄγαμον,& qui familia & liberis careat,quod vel cogitari niſi perabſurdè non poteſt.

Ad locum autem Pauli ex epiſtola ad Romanos, Quæ ſub viro eſt mulier viuente viro, iuncta eſt:ſi autem obierit,euacuata eſt à lege viri,reſpondet dupliciter,primùm addenda eſſe quæ ſubiiciuntur quibus iubet nos mortificari legi per corpus Chriſti,id eſt,inquit, nos aufert à lege quæ non tenet vxorem marito defuncto quòminus alii viro fiat,vt ad contrariam nos redigat cõditionem,ne mulier amiſſo viro nubat.Deinde ſi Apoſtolus abſolutè, inquit, permiſiſſet amiſſo in fide matrimonio nubere,perinde feciſſet quemadmodum & cætera quæ aduerſus formam regulæ ſuæ geſſit, circuncidens Timotheum,& raſos quoſdam inducens in templum,rebus ita exigentibus vt omnibus omnia fieret quò omnes lucrifaceret. Neutrum verò reſponſum vnquam vir iſte tantus protuliſſet,niſi fuiſſet à falſo illo Montani paracleto dementatus. Quis enim locum illum vel leuiter inſpiciens, non animaduertit Paulum ibi ex profeſſo non agere de matrimonio, ſed ſimilitudinem à legitimo coniugio quale fert huius vitæ ſtatus, ad ſpiritualem noſtram cum Chriſto ſignificandam coniunctionem ducere? Sublato autem illius ſimilitudinis fundamento (quod iſte quidem ſedulò facit) ruere ſanè & illud oporteat cuius cauſa eſt inſtituta. Apoſtolum verò vbi tandem comperiemus matrimonium inter illa numeraſſe quæ ad tempus tolerauit vt omnibus omnia fieret? Rom. 7. 2.

Et de iſtis quidẽ hactenus.Iã enim tẽpus eſt vt aduerſus eos diſſeramus qui quãuis nõ eũdẽ prorſus atque Montaniſtæ curſum tenuerint,tamẽ ad eundẽ prorſus ſcopulum naufragium fecerunt.

Dicturus autem aduerſus iſtos qui repetitas nuptias in ſolis quos vocant eccleſiaſticis condemnant, neceſſe habeo de primis etiam nuptiis interdictis initiò diſſerere, quoniam vterque error iiſdem magna ex parte argumentis nititur,& ſicut vnus ex altero eſt enatus, ita etiam altero euerſo ruere alterum oportet. De repetitis nuptiis clero interdictis.

Sed hoc in primis obſeruandum eſt,ſic à nobis coniugium laudari in omnibus, vt tamen cælibatum in nemine,niſi in eo qui vratur damnemus. quod idcirco prædicere volui, ne quis eum à nobis errorem foueri putet, quem nonnulli (& quidem, vt arbitror, immeritò) Iouiniano & Vigilantio obiecerunt.

Qui igitur arcent à coniugio in ſacris ordinibus conſtitutos,puta Epiſcopos,Presbyteros,Diaconos, & Hypodiaconos,non idem per omnia ſentiunt. Nam alii perpetuæ continentiæ votum ab omnibus ordinandis exigunt:alii iam coniugatis permittunt vxoris vſum, ſed cum duplici exceptione,nempe vt prima fuerit, neque illa mortua repetere nuptias vllo modo liceat, ſicut,& ei qui cælebs ordinatus fuerit coniugium interdicunt. Eum verò qui poſt baptiſmum vel ſæpius quàm ſemel vxorem duxerit:vel ſemel quidem ſed viduam acceperit, à ſacris ordinibus reiiciunt. Et rurſus in his interdictis alii aliis ſunt duriores,ſicut ex eorum decretis apparet.

Deinde aliæ ſunt inter eos ac multiplices,eæque nondum compoſitæ cõtrouerſiæ. Quidã enim iuris hoc eſſe diuini & quidem ſcripti:alii iuris,vt loquuntur, eccleſiaſtici & traditionis arbitrantur.& hanc rurſus nonnulli ab Apoſtolis ipſis profectam, alii recentiorem eſſe volunt, & quum hæc initiò libera eſſent,acceſſiſſe poſtea voti neceſſitatem. Quid plura?ne in huius quidem neceſſitatis definiendo modo inter ipſos conuenit. Nam alii votum eiuſmodi nulla prorſus ratione,ne ſi quidem (vt ipſorum verbis vtar)Soldanus cum toto Saracenorum regno fieri vellet Chriſtianus, diſſolui poſſe dicunt:alii vero relaxari certas ob cauſas volunt,de quibus rurſum inter ſe non conſentiunt. Poſtremò coniugia contra iſtas leges inita nonnulli non modò vt illegitima ſed etiam vt inceſtuoſa diſſoluunt:nonnulli etſi non probant, tamen vt vera matrimonia dirimi iure poſſe negant. En quibus labyrinthis neceſſe eſt inuolui qui recta illa via Domini relicta vel ad dextram vel ad ſiniſtram deflectunt. Illud autem triſtiſſimũ eſt,eò rem euaſiſſe vt nulli longius abſint ab omni pudicitia nulli,quod omnibus conſtat, omni libidinum genere viuant contaminatiores quàm plerique qui hodie pro voto perpetuæ virginitatis depugnare videri volunt: qui tamen, vt res oſtendit,coniugia non aliam ob cauſam damnant,quàm vt adulteria omnéque adeò ſpurcitiæ genus eò liberius exerceant.

Sed nunc quidem nobis non eſt propoſitum aduerſus illos declamare quos in ſuis ſordibus relinquendos vt ἀπηλγηκότας cenſeo,vt qui ignorat ignoret,& qui ſordeſcit ſordeſcat amplius. Refutare tamen illorum argumenta conſtitui, vt qui ſapere meliora cœperunt,magis ac magis, detecta iſtorum inſania,in ſimplici puráque veritate confirmentur.

Quoniam autem iſti in hac præcipuè controuerſia veterum canonum ac patrum authoritatem, & quidem non prorſus inaniter,prætexunt:neceſſariò quoque aduerſus ipſam vetuſtatem diſſerã: quod tamen ſobriè facere conſtitui,ne editis quidem piorum alioqui patrum, niſi ſi cogar, nominibus,quod meum ſtudium vobis vtile commodúmque fore ſpero. Quòd ſi quis iſta omnia ſigillatim volet cognoſcere,legat Cl. Eſpenſæi,Pariſienſis Theologi, libros ſex de Continentia inſcriptos,quo nemo diligentiùs plura ad hoc argumentum pertinentia congeſſit.

Itaque Legis cælibatus, id eſt, perpetuæ poſt ordinationem continentiæ acerrimi defenſores, partim quidem pugnant authoritate verbi Dei: partim verò traditionibus,quæ tum canonibus tũ aliis etiam patrum teſtimoniis confirmantur: partim denique rationibus & vetuſtis quibuſdam exemplis,quæ omnia cuius ſint ponderis age expendamus. Argu. Hieronymi pro cælibatu.

Cogimur autem inuiti proferre in medium quod libenter tegeremus, niſi iam omnibus plus ſatis pateret:nimirum ſic laudatã fuiſſe à veteribus nonnullis ac præſertim ab Hieronymo virginitatem,vt planè,quicquid poſtea prætexere ſoleant,nuptias non multò minus quàm ipſe Tatianus

damnarint, atque adeò illa ipſa quæ refutauimus argumenta ab eo ipſo Tertulliano, quem quoties libuit hac in parte & quidem optimo iure, damnant, mutuari ipſos non puduerit. Id autem vt penitus liqueat, Hieronymi aduerſus Iouinianū prioris libri partem priorē age perſequamur, ſingulis ipſius veſtigiis inſiſtentes, de digamia demum poſtea diſputaturi.

Iouinianus alioqui & ipſe nuptiarum caperꝰ, ſtultā & ſuperſtitioſam cælibatus admirationem non ferens, coniugium virginitati æquabat. *Ne ſuperbias*, aiebat, ô *virgo, eiuſdem eccleſiæ membrum es, cuius & nupta.* Proferebat quoque præceptum Domini, & patrū ſanctiſſimorū exempla, ex quibus colligebat iſtos peſſimè facere qui præpoſtero cælibatus ſtudio de nuptiis non aliter quàm de malo quodam propter aliud maius malum tolerabili iudicantes, certatim etiam quoſuis ad vouen-
5 dum virginitatē concitabant, quaſi in ea re poſita eſſet pietatis ſumma. Hoc verò ferre non potuit Hieronymus, vt qui ſe in primis ita carpi ſentiret, vir cuiuſuis reprehenſionis impatiēs: & quaſi de religione Chriſtiana actū eſſet, ſi virginitati pudicum matrimonium præſertim repetitum æquaretur, virginitatis dignitatem ſic profectò tueri cœpit, vt cōtentionis æſtu, vir alioqui magnus abreptus, planè ſe reum faciat eius cuius accuſabatur, illos nimirum ſequi Manichæorum dogma qui coniugiū cuiquam incontinenti prohiberent. Hoc autem quum dico, an ſim in ipſum cōtumelioſus, ac non potius ingenuè dicā quod res eſt, age ex ipſiuſmet verbis & argumentis iudicetur. Pro-

Primū arg. 1 Cor. 7. 1. uocat ad Paulum iudicem, *qui*, inquit, *quicquid ſtatuerit, Chriſti in eo loquentis legem putemus.* Sanè verò ita faciamus, *Rogatus*, inquit, *Apoſtolus à Corinthiis verùm poſt fidem Chriſti cælibes eſſe deberent & continentiæ cauſa vxores dimittere, reſpondet, Bonum eſſe homini mulierem non tangere. Si bonum eſt mulie-*

Reſpon. 1. *rem non tangere, malum eſt ergo tangere. Nihil enim bono contrarium eſt, niſi malum.* Quid audio Hierony me? profeſſus es initiò te non damnare nuptias: an verò non damnat, qui malū eſſe dicit, mulie-
2 rem tangere? Agnoſcis paulò pòſt, cogente Apoſtolo, nuptias eſſe Dei donum: an verò mala ſunt
3 Dei dona? Imò ſi malæ ſunt, an rectè facis, quum illas non damnas? Res autē ita ſe habet. Contradicentia tum demū ſeſe mutuò expellunt, vt omnes in ſcholis norunt, quum eidē ſubiecto ſimul eodémque, vt loquuntur, reſpectu tribuuntur. Ponamus hoc axioma, Bonū eſt ieiunare. An ideo ſimpliciter malū erit cibum capere? bonū eſt vigilare, an ideò ſimpliciter malū eſt dormire? Minimè profectò. Sed ſi cuipiam bonū eſt ieiuniū aut vigilia, eidem profectò malū eſt eo tempore, eadémque ratione cibum capere vel dormire, & contrà. Idem quoque de nuptiis & cælibatu ſtatuendum eſt, nec illud concludi rectè potuit. Imò vtræque iſtæ enuntiationes & in iiſdem perſonis & in diuerſis, quanquam non vno, vt vulgò loquuntur, reſpectu veræ comperientur, Bonū eſt mulierem non tangere, &, Bonum eſt mulierem tāgere: Bona eſt cōtinentia, & Bonæ ſunt nuptiæ: quod poſterius apertè confirmat Apoſtolus, tum hoc ipſo capite, quū dicit eum benefacere qui nuptui tradit ſuam virginē, tum etiam alibi, quum vult iuniores viduas nubere, nuſquā id certè dicturus niſi nubere quoque bonum eſſet ex ipſius ſententia. Præterea quum Boni nomen perinde accipit Hieronymus, ac ſi ſignificaret rem iuſtam & per ſe expetendam, quæ videlicet vitio opponatur, in qua denique regnū Dei ſit poſitum, aberrat ſanè ab Apoſtoli ſcopo, vt qui hoc loco nec de continētia nec de coniugio vt de virtute vel vt de vitio diſputet, ſed quatenus vitæ cōmodiùs & minore cum impedimento tranſigendæ conueniebant. Denique qui mulierem tangere dicit per ſe malum eſſe, quomodo non eſt reus doctrinę quam meritò Iouinianus cum Apoſtolo, vt doctrinam dęmoniorum damnat? Fuit enim homicida diabolus ab initio, & is profectò homicida eſt qui cōiugium vt rem per ſe malam damnat.

Secundum. Sed & illud quod in eundem locum annotat quomodo tandem excuſabimus? *Non dixit Apoſtolus*, inquit, *Bonum eſt mulierem non habere: ſed, Bonum eſt mulierem non tangere, quaſi & in tactu ſit periculum.*

Prouer. 6. Subiicit poſtea Solomonis ſententiā de fœmina quæ virorū pretioſas animas rapit. Itē illud eiuſdem, Alligabit quis in ſinū ignem, & non comburetur? Et ne quid deeſſet, Ericthoniū ex prophanis fabulis depromit, *Vnde*, inquit, *& noſter Ioſeph, quia tangere eū volebat Ægyptia, fugit ex eius*

Reſpon. 2. *manibus.* Obſecro verò quid aliud diceret Manichæi ſi reuiuiſcerēt? Totum autē iſtud inane pror-
2 ſus eſt commentū. Quorſum enim coniux mulier, ſi tangere nefas eſt? Quòd ſi tangere non licet ci-
3 tra conſcientiæ periculum, certè nec habere quam tangas. Iſta verò quæ citantur teſtimonia tū ex Solomone tum ex Moſe, quid aliud oſtendunt quàm vel nullum eſſe inter adulteram & iuſtā vxorem diſcrimen, vel magnam ita fieri Spiritui Dei iniuriam per Solomonē & Moſen cōiugium pro-
4 banti, ſcortationem & adulterium reprehendenti? Quid ſi reuiuiſceret Ioſeph? Certè reſponderet ſeſe qua conſcientia adulteram abhorruit, eadem prorſus ſuſcepiſſe ex vxore ſua duos chariſſimos filios Ephraim & Manaſſem.

Tertium. 1. Cor 7. 2. Reſpon. 3. Scribit poſtea in hæc verba, *Propter fornicationē autem, &c. Si malū eſt & ignoſcitur, ideò cōceditur, ne quid malo deterius fiat. Quale autē bonū eſt quod conditione deterioris cōceditur? Tolle fornicationem, & nō dicet, vnuſquiſque vxorem ſuam habeat.* Reſpōdeo multipliciter hîc quoq; erratū fuiſſe & quod ipſe Hieronymus etiam poſtea ſeſe excuſare de hoc dicto conatus eſt ad Pammachium, quaſi videlicet nonniſi ſub conditione ſic loquutus ſit, magis etiam eum redarguere, quum antea diſertè dixerit hoc ipſum malum eſſe, ac proinde non ſit in his verbis vlla conditio, ſed potius expreſſa ἀντιλογία.
2 Deinde quod ad rem ipſam attinet, non eſt certè Chriſtianæ religionis quicquā malum concedere ne quid deterius eueniat, quum nunquam ſint facienda mala. liceat hoc quidem ciuilibus legiſlatoribus, ſicut permiſſus fuit diuortij libellus ad duritiem cordis. Sed quoties de conſcientiæ legibus
3 agitur, nunquam conceditur malū. Et quorſum obſecro ignoſceretur cuius ipſe Deus auctor eſt?

1. Cor 7. 20. Paulo pòſt enim dicit Apoſtolus in genere, *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus fuit, in ea maneat.* An verò nos Deus ad malū vocat? Redarguat igitur Hieronymū Auguſtinus in hunc ipſum Iouinianum,

nianum,ſed longè rectius ſcribens. *Coniugium*, inquit, *non ſic dicimus bonũ vt in fornicationis compara-*
tione ſit bonum, alioqui duo mala erunt, quorum alterũ peius: aut bonum erit & fornicatio, quia eſt peius ad-
alterũ. Hoc autem falſum eſſe quis dubitet? Non ergo duo mala ſunt cõnubiũ & fornicatio, quorũ alterum
ſit peius: ſed duo bona ſunt connubiũ & continentia, quorũ alterum eſt melius. Hęc ille cui ſi ne in hoc qui- 4
dem aſſentitur Hieronymus, quæſierim libẽter ex aliquo Hieronymi ſectatore, quo tẽpore cœpe-
rit eſſe coniugiũ ex earum rerũ genere quæ ignoſcuntur, ſiue quæ maioris dũtaxat mali vitãdi cau-
ſa conceduntur, quod tamen in conſcientiæ legibus diximus nunquã valuiſſe. Nã certè, ab initio
non fuit ſic, quum apertè dixerit Dominus, non eſſe bonũ homini ſolũ, id eſt extra coniugiũ eſſe.
An verò poſtea vel [illegible] illa quæ in hac potiſſimùm cupiditate efferbuit, vel maxima plurimáq;
illa incõmoda quæ in iſtam alioqui ſuauiſſimã in cõmuni tuenda familia coniunctionẽ per pecca-
tum inuecta ſunt, ita rem ipſam peruerterũt vt per ſe vitioſa facta ſit? Certè qui ita ſentit, nihil ſen-
tit: neque hoc vnquã Hieronymus ipſe iſto diſputationis feruore ſedato magis dixiſſet quàm da-
mnãdũ eſſe cibi & potus vſum, aut alias eiuſmodi naturales appetitiones, quoniam homines in iis
modum tenere non poſſint, ac proinde nunquã illis ſic vtantur quin venia indigeant. Quaſi verò
nõ ſit magnus interdũ ipſius quoque virginitatis abuſus, quum eleemoſynas etiã ipſas Phariſæorũ
ac ieiunia Dominus reprehendat. Fefellit autem Hieronymum inter cætera nomen συγγνώμης, 5
quod nõ accipi pro venia quæ peccato detur, ſed pro moderatione ex æquo & bono, quum quip-
piam videlicet relinquitur eorum ipſorum arbitrio de quibus agitur, colligere ſaltem debuit ex
oppoſito ἐπιταγῆς nomine, quod præciſum mandatum declarat. Poſtremò in eo quoque fallitur 6
quòd fornicationum periculo ceſſante exiſtimat Apoſtolum fuiſſe cõiugio quibuſuis interdicturum. Obiectio.2.
rum. Quid enim hoc aliud fuiſſet quàm exitium humani generis quantum in ipſo erat procurare?
Neque ignoro quæ ſubterfugia quæſierit tum idem Hieronymus tum etiam alicubi Auguſtinus, Auguſt.de bono coniugali cap.10.
quum ad hoc argumentum eſſet reſpondendum. Stat enim illud firmum, ſublato cõiugio tolli ho-
neſtam omnem propagandi humani generis propagationẽ, quod nemo, niſi naturæ ipſius hoſtis Reſpon.1.
& alter Timon μισάνθρωπος, facere cogitarit. Rectè enim idem Auguſtinus eodem libro, nempe de 2
bono coniugali, cap.16. *Quod eſt cibus ad ſalutem hominis, hoc eſt concubitus ad ſalutem generis.* Nec
obſtat aliud eiuſdem Apoſtoli dictum quod mox explicabitur. Ipſi certè Romani pontifices, per- Obiectio. 2. Reſponſio.
petui alioquin non tam ſcortationis quàm coniugij hoſtes, vbi nullum erat incontinentiæ pericu-
lum, monachos etiam nonnullos, familiæ alicuius ſeruandæ & publici boni cauſa, è ſuis clauſtris
educere non dubitarunt.

Addit Hieronymus, *Bonũ eſt illud naturaliter quod cõparationem nõ habet mali, quod prælatione alte-* Quartum.
rius non obumbratur. Quid ergo? an coniugiũ cuius auctor eſt Deus, & quod ipſe Hieronymus mox Reſponſio 1
donũ Dei vocat, naturaliter malũ eſſe arbitratus eſt? Sit ſanè viri & fœminæ coniũctio per peccatũ 2
magnoperè deprauata: verùm ſi propterea naturaliter eſſe bona deſiit, quid tandẽ naturaliter bo-
num in hac vita cẽſuerimus? Certè ne virginitatẽ quidẽ quãtumuis incorruptã, poſſe quoque Deo
multis de cauſis ingratiſſimã fieri, ne ipſe quidẽ, opinor, negarit. Rectè enim Auguſtinus, de ſancta
virginitate, ca.11. *Neq; nos hoc in virginibus prædicamus, quòd virgines ſunt, ſed quòd Deo dicatæ pia cõtinentia*
virgines. Præterea quæ hæc eſt argumẽtandi ratio? An enim nuptias comparat cum ſcortatione: vt 3
minus malũ cum deteriore, qui illas vitãdi mali cauſa præcipit? Continẽtiam ſuadet Apoſtolus ad
vitandam tribulationem in carne. Sit igitur etiam ex hoc Hieronymi argumẽto continentia natu-
raliter non bona. Alterum autem illud cuiuſmodi eſt, *naturaliter bonum id non eſſe quod prælatione al-* 4
terius obumbratur? Continentiam coniugũ tẽporariam probat Apoſtolus, propter ieiunium & pre-
ces. an igitur naturaliter bona non eſt? Imò quomodo effugiet quin fateri cogatur hoc ieiunium 5
& has preces melius quiddam eſſe hac continentia, quum hæc ad illa referatur? Et certè ita eſſe di-
co, vt ne in iis quidem bonis ſit numeranda continentia quæ ſuapte natura & neceſſariò bona
ſunt, quum potius prout aliquis eam vel ad bonum vel ad malum refert, vel bona vel mala ſit ne-
ceſſariò exiſtimanda: quod manifeſtè tradit de coniugio, ac proinde de continentia quoque Auguſti.de bono coniu. cap.9.
Auguſtinus.

Subiicit poſtea in hæc Apoſtoli verba, *Vt vacetis orationi. Oro te quale illud bonum eſt, quod orare* Quintum.
prohibet? quod Chriſti corpus accipi non permittit? quandiu impleo mariti officiũ non impleo Chriſtiani. Imò
verò ſi Chriſtiani & mariti officium ita repugnant vt ſtare ſimul nõ poſſint, quid iſto deterius eſſe Reſpon.1.
poteſt, quo illud abrogatur quo nihil eſt melius? Si mariti officio fungi & precari ſimul non licet,
quid aliud illud eſt quàm peccare? Vtri credemus obſecro, tibíne qui mariti cum vxore cõgreſſum
adeò pollutũ eſſe exiſtimas vt in hæc etiam verba erumperis, *Si ſemper orãdum eſt vt iubet Apoſtolus,* 1.Theſſ.5.
nunquã ergo cõiugio ſeruiendum: quoniã quotieſcũque vxori debitum reddo, orare non poſſum: an potius
Spiritui ſancto nuptias τιμίους & torum matrimonij ἀμίαντον in omnibus pronuntianti? Requiris 2
alicuius Synodi auctoritatem? Nicæna Synodus ex Paphnutij cælibis ſententia iudicat vnuſcuiuſ-
que etiam Epiſcopi cum vxore ſua congreſſum eſſe σωφροσύνην μᾶλλον. Quod verò non impedit offe-
rentem, quo iure prohibuerit accipiẽtem? Membra ſimul eſſe nos nõ poſſe Chriſti & meretricis le- 3
go: honeſtæ vxoris & Chriſti ſimul eſſe nos membra non poſſe vbi tandem inuenies? Mẽbrum au-
tem Chriſti quo iure à Chriſti corpore arcebis? Requiris Patrum auctoritatẽ? Auguſtinus tibi rur- 4
ſus velut ex profeſſo cõtradicens & quidẽ in eundẽ Iouinianum ſcribens, *Decus*, inquit, *eſt cõiuga-*
le, caſtitas procreandi & reddendi carnalis debiti fides, hoc eſt opus nuptiarum, hoc ab omni crimine defen-
dit Apoſtolus. Res autem ita ſe habet, vt à melioribus interpretibus eſt annotatum. Agit Apoſtolus 5
de extraordinariis ſiue publicis ſiue priuatis precibus, quod & res ipſa indicat, & coniunctum cum
precibus ieiunium: niſi fortè ſicut aſſiduè precãdum, ſic etiã ſemper ieiunandum aliquis ſomniet.

Cur autem eo tempore prorſus intermittendũ cõiugalis copulæ vſum, nec id tamen abſq; magna
cautione, ſuadeat Apoſtolus, apparet ex verbo σχολάζητε, nempe vt cõiuges toti velut à præſentis
vitæ vſu alioqui per ſe licito auocati melioribus illis vacent: quod quidem abſit vt damnemus.

Sextum. 1. Pet. 3. v. 7. Iſtud autem eſt etiam deterius quod mox ſubiicit Hieronymus, illud videlicet Petri, *vt videant*
viri caſtam veſtram conuerſationem, & illud, *Similiter viri cohabitantes*, &c. his verba explicans, *Ecce*,
Reſpon. 1. inquit, *eodem ſenſu, quia eodem Spiritu, impediri dicit orationes officio coniugali*. Imò nullum neque apud
2 Paulum neque apud Petrum inuenerimus quod illis affingitur. Imò ἀγάπης nomine cõmendatur
id quoque quod hîc damnat vt impurũ. Et quod mox ſubiicit cuiuſmodi eſt? *Cohabitantes*, inquit,
iuxta ſcientiam vt nouerint quid velit, quid deſideret Deus, vt tribuant honorem vaſculo muliebri. Si abſti-
nemus nos à coitu, honorẽ tribuimus vxoribus: ſi non abſtinemus, perſpicuum eſt honori contraria eſſe contume-
3 *liam*. Imò verò nomine τῆς συνοικήσεως quis non videt illud ipſum quoque comprehendi quod ipſe
4 contumeliam, nimium certe indignè & contumelioſe, vocat? Quo verò tandem verbi Dei teſtimo
5 nio confirmabitur iſta vocabuli Honoris ſignificatio? & qua ratione iſtud *ſecundum ſcientiam*, quo
ſancta prudentia ad regẽdam vxorem ac familiam neceſſaria ſignificatur, ad vnam illam Hieronymi continentiam referemus?

Septimum. Addit autem deinceps: *Verùm ne quis putet ex eo quod ſequitur, Vt vacetis orationi, & iterum reuer-*
Reſpon. 1. *timini ad ipſum, hoc velle, & non propter maiorem ruinam concedere ſtatim infert, ne tentet vos Satanas per in-*
continentiam. Pulchra nimirum indulgentia. Et mox. *Quum autẽ*, inquit, *dicat Apoſtolus iuxta indulgen-*
tiam, non iuxta præceptum, an muſſitamus adhuc nuptias non vocare indulgentiam ſed præceptum? quaſi non
eodem modo ſecunda & tertia matrimonia concedantur: quaſi non & fornicatoribus per pœnitentiam fores Ec-
2 *cleſiæ aperiantur, quod ſine his eſt maius inceſtis*. Rurſum ergo pergit in ſuo inſtituto Hieronymus, &
vt nuptias eſſe probet malum (quod tamen indulgentia concedatur, maioris mali vitandi cauſa) ar-
ripit τῆς συγγνώμης nomen. Enimuerò cui ignoſcitur niſi peccato? quamuis nuptias nõ audeat aper-
te vocare peccatum: quod fortaſſe tamen feciſſet, ſi veniſſet ei in mentem illud Dauidis, Et in pec-
catis concepit me mater mea, quum alios locos plurimos magis etiã torqueat. Imò verò quorſum
3 illud de pœnitentia? Ac de digamorum quidem pœnitentia poſtea viderimus. Inceſtorum autem
quorſum obſecro meminit, niſi vt eodem quoque remedio, nempe pœnitentiæ, nuptias etiam pri-
mas indigere doceat? Rurſum igitur redarguat Hieronymum Auguſtinus & quidem in hoc ipſo
argumento. *Non duo ſunt mala*, inquit, *connubium & fornicatio, quorum alterum peius: ſed duo ſunt bona,*
De bono coniugali, cap. 8. & 10. *coniugium & continentia, quorum alterum eſt melius*. Nomen autem συγγνώμης, quod veniam interpre-
tatur, audiamus quantò etiam rectius exponat quàm Hieronymus. *Mihi*, inquit, *videtur eos qui ſe*
non continent coniugari oportere, *ſecundum illam eiuſdem Apoſtoli ſententiam, Quòd ſi ſe non continent,*
nubant. Nec ipſis tamen peccatum ſunt nuptiæ, quæ ſi in comparatione fornicationis eligerentur, minus pec-
catum eſſent quàm fornicatio, ſed tamen peccatum eſſent. Nunc autem quid dicturi ſumus aduerſus euiden-
tiſſimam vocem Apoſtoli dicentis, Quod vult faciat, non peccat ſi nubat? Non itaque nuptias ſecundum ve-
niam concedit Apoſtolus. Nam quis ambigat abſurdiſſimè dici, non eos peccaſſe quibus venia datur? Sed
illum concubitum ſecundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non procreandi cauſa, & aliquando
nulla cauſa procreandi. Hæc ille, velut ea profeſſo iſtum Hieronymi & aliorum errorem oppugnãs:
& eadem inculcans in libello de bono viduitatis, capite 3, & 4. quanquam illi non aſſentior in ipſa
ſententiæ Apoſtolicæ enarratione, quum ne tenuiſſimam quidem eius rei mentionem faciat Apo
5 ſtolus. Omnino igitur συγγνώμη non declarat hoc in loco veniam quæ peccato ignoſcat, ſed potius
moderationem ſiue conceſſionem ex æquo & bono: poteſtque vel ad proximè præcedentem ſen-
tentiam referri, (ne quis videlicet exiſtimet imperari quod de receſſu ad tempus dixerat, quod
ſe teſtatur vniuſcuique arbitrio relinquere:) vel ad alteram illam ſententiam, vnuſquiſque
ſuam vxorem habeat: quod ſed eſt non præcipere, ac ſi omnes oporteret neceſſariò eſſe coniu-
gatos, ſed vnumquenque hîc ſibi iudicem eſſe oportere, vt videat quid expediat, ſiue an con-
tinere poſſit an ſecus: in quam ſententiam magis inclino propter illa quæ proximè idem Apo-
ſtolus ſubiicit.

Octauum. 1. Cor. 7. 7. Paulo pòſt autem idem Hieronymus exponens illud, *Volo autem omnes homines eſſe ſicut meipſum:*
Aliud eſt, inquit, *velle Apoſtolum, aliud eſt ignoſcere. Vis ſcire quid velit Apoſtolus? Volo homines om-*
nes eſſe ſicut & meipſum. Hoc, inquit, *volo, hoc deſidero vt imitatores mei ſitis, ſicut & ego Chriſti. Ille vir-*
go de virgine, de incorrupta incorruptus. Nos quia homines ſumus & natiuitatem Saluatoris non poſſumus
imitari, imitemur ſaltem conuerſationem &c. *Qui enim in Chriſtum credit, debet ſicut & ille ambulauit, &*
ipſe ambulare. Hæc ille rurſum ad eoſdẽ ſcopulos impingens, quod nõ ſine tanti viri cõmiſeratione
Reſpon. 1. dico, nedũ vt eius reprehenſione delecter. Mirũ eſt autem eum ab vna vocula ſic pẽdere vt auſit di
cere Apoſtolũ coniugiũ noluiſſe, ſed duntaxat toleraſſe, aut etiam ignouiſſe. Quaſi verò verba illa
ἔχέτω, & μὴ ἀποστερεῖτε, non ſint mandantis. quaſi qui dixit θέλω πάντας ὡς ἐμαυτόν, non dixerit, γαμησάτωσαν. Cui
enim dubiũ eſt quin coniugij remedium, quatenus aduerſus vſtionem neceſſariũ eſt, præcipiatur?
2 Imò verò tantũ abeſt vt non præceptæ ſint incõtinẽtibus nuptiæ, vt cõtrà virginitas nuſquã præ-
3 cipiatur. Quid plura? Hoc ipſo *Volendi* verbo vtitur idem Apoſtolus de viduarũ cõiugio loquẽs,
1. Tim. 5. *Volo*, inquit, *iuniores nubere, liberos gignere*, &c. quod quum alibi veniſſet in mentẽ eidẽ Hieronymo,
In epiſto. ad Gerontiam, de monogamia. hãc rimã quæſiuit qua elaberetur: quòd videlicet Apoſt. id quidẽ voluerit, ſed coactus voluerit, quaſi
verò coactio & volũtas ſimul ſtare poſſint. Etſi enim quædam mixtæ ſint actiones, tamen vt rectè
Ariſtot. lib. 3. Ethic. 1. ca. 1. de iis loquens Ariſtoteles definit, ἐοίκασι μᾶλλον ἑκουσίοις. Ne longius autem aberremus, ſic de re iſta
conſtituendum arbitror. Quod prudentia humana ſolet cõſulere, & neceſſitas interdum à legiſla-
4 toribus ciuilibus extorquet, nempe vt ex duobus malis minus concedatur, hoc nunquã conſcientię
concessum

conceſſum fuit ex ſacro Dei verbo. Itaque neque Loti exemplum probandū eſt in conſcientię fo-
ro, qui oblato filiarum ſtupro redimere maius ſcelus voluerit, neque eiuſdem filiarum facinus, ne-
que Abrahami mendacium. Nunquam enim malè agendū eſt. ac proinde ſi quo modo nubere ma-
lum fuiſſet, nunquam id cōceſſiſſet, nedum voluiſſet vllo modo Apoſtolus. Supereſt ergo vt quod 5
dicit Hieronymus de coacta volūtate, locum habeat tunc demū quum ex duobus bonis acquieſci-
mus in minore, quoniam quod maius eſt conſequi non poſſumus.

Demus igitur Apoſtolum potius deſideratu ſuum fuiſſe vt omnes Corinthij cœlibes manerent, 6
coniugium tamen concedere, quoniā illud obtineri non poſſe videbat: an inde concludetur quod
vult Hieronymus, nempe ignoſci coniugio tanquam minori malo ſiue leuiori, ac nō potius in mi-
nore bono acquieſcere Apoſtolum, quoniam maius nō impetraſſet? Sed ne hoc quidē cōceſſerim 7
Hieronymo. Affert enim longè aliam rationē Apoſtolus, nēpe quia vitanda ſit tum ſcortatio tum
etiam vſtio, ex quo efficitur, nō cōcedere ipſum nuptias, vel tanquam minus malū, (hoc enim non
eſt Chriſtianum nedum Apoſtolicū) vel vt minus bonū maioris boni obtinendi deſperatione, ſed
potius vt bonū neceſſarium præcipere, quo magnum malū vitetur. Præterea mirari & illud ſubit 8
non veniſſe in mentē Hieronymo (malo enim obliuione id factū putare quàm non recta diſſimu-
latione) Apoſtolum optare Corinthiis cœlibatū, non vt magis arduum aliquid, ſed è contrario vt
ipſos infinitis coniugij moleſtiis eximeret, quibus meritò verebatur vt pares eſſe poſſent, quum in
Chriſtiana religione diuortia nonniſi propter adulteriū concedantur. Quum enim coniuges dixiſ-
ſet habituros afflictionem in carne, ſubiicit ſtatim, *Ego autem* vobis parco. Itaque ſi qua hîc eſt in-
dulgentia, ea certè potius ad cœlibatū quàm ad cōiugium ſpectat. Quòd ſi credimus Apoſtolo (vti 9
ſanè credendum eſt, accedente præſertim ipſa experientia) multò ſanè laborioſius eſt, & moleſtius
in coniugio quàm cœlibem viuere: ac proinde ſi, (quod iſti meritorum diſpenſatores tradunt) pro
certaminum ratione præmia deferenda ſunt, viderint quo iure laureolam quā vocant, virginitati
potius quàm bonis & ſanctis cōiugibus tribuant. Sed hoc obiter dictum ſit, ne quis idcirco me ca-
lumnietur peius etiam facere quàm Iouinianū qui nuptias virginitati duntaxat exæquabat. Supe- 10
reſt vt illud admoneam, peſſimè quoque in hoc facere Hieronymum, quòd illud Pauli, Imitatores 1.Cor.11.1.
mei eſtote vt & ego Chriſti, itémque generalē illam Ioannis exhortationē ad bona opera ſectan-
da, non ſecus interpretetur quàm ſi excluſis coniugibus ſoli cœlibes eſſent Chriſti imitatores, quo
neſcio an quicquam vnquam in nuptias contumelioſius euomuerint Manichæi. Satis autē conſtat
illud neque de cœlibatu neque de coniugio (quibus in rebus per ſe non magis eſſe poſitū regnum
Dei certum eſt, quàm in edendo vel non edendo) ſed de ea vitæ regula intelligi quam tum coniu-
gatos tum cœlibes ſequi oporteat.

Idem paulo poſt in illud. *Sed vnuſquiſque propriū donū habet, &c. Quid*, inquit, *velit Apoſtolus per-* Nonum.
ſpicuum eſt. quoniā in Eccleſia diuerſa ſunt dona, concedit & nuptias, ne videatur damnare naturā. Simulq; 1.Cor 7.7.
conſidera quòd aliud ſit donū virginitatis, aliud nuptiarū. Si enim eadē eſſet merces nuptiarū & virginum,
nunquā dixiſſet poſt præceptū continentiæ, ſed vnuſquiſq; propriū donum habet ex Deo. Deus bone quò Reſpon 1.
feruor iſte contentionis abripuit Hieronymū? Primum enim quod de mercede vel æquali vel inæ-
quali diſputat, prorſus eſt extra ſcopū: & ſi Paulum interroges, reſpondebit gratuitū donum Dei Rom.6.23.
eſſe vitam æternā, ac mercedem quidem, ſed quæ credentibus donetur, non quæ operantibus de- Rom.4.4.
beatur. Exemplū ad eam rem profertur Abrahami patris credentiū, non agami, nō monogami, ſed
digami, & in quo etiā aliquid hac in parte fas ſit non laudare. Non tamē his nominibus, fateor, iu-
ſtificatus eſt: ſed ne ob virginitatem quidē fuiſſet iuſtificatus, quum fides quæ illi ad iuſtitiā impu-
tata eſt, neque coniugiū neque nuptias reſpiciat, ſed gratuitā Dei promiſſionē. Quem autem homi 2
num etiam [illegible] auſis vel cum patre credentiū Abrahamo, vel cum Moſe coniuge (cui non
ſurrexit alius ſimilis propheta) cōparare? Viue ex fide ſiue coniugatus, ſiue cœlebs, nec te fallet qui
promiſit quod non debet. Sed neque nos ſanè coniugium, neque cœlibatus ſeruabit. Regnū enim
Dei non eſt neque hoc neque illud, vt neque eſca neque potus, ſed iuſtitia & pax & gaudiū in Spi Rom.14.17.
ritu ſancto. Præterea quorſum hîc meminit doni nuptiarum? Arripimus tamen hoc vt eum appa 3
reat vel detrahere dono Dei quum nuptias malum vocat, vel ſibi ipſi contradicere. Sed quàm hoc
facit intēpeſtiuè? Tantum enim abeſt vt hæc de nuptiarum dono dicat Apoſtolus, vt cōtrà de con-
tinentiæ dono hæc omnino intelligat, moderans videlicet vniuerſalem illā ſententiā, *Velim omnes*
eſſe vt meipſum, quam ad eos ſolos reſtringit qui cōtinentiæ donum habent, quoniam, inquit, non
omnia vni data ſunt, ſed hoc quidem iſti, aliud verò alij: ſecutus nimirum hac in re Chriſti veſtigia,
qui hac ipſa dē re differēs, *non omnibus*, inquit, *hoc datum eſt. qui poteſt capere, capiat.* Sed ne hoc qui-
dem datū eſt omnibus, vt onus matrimonij poſſint ſuſtinere. Itaq; quid prohibet quominus & il-
lud dicamus de coniugio. Cui datū eſt vt poſſit ſicuti decet capere, capiat? Teſtatur enim, vt paulo
ante dicebā, Apoſtolus ſe ad cœlibatum hortari Corinthios, non vt tanquam robuſtiores ad diffi-
cilius aliquod opus vocet, ſicut imaginatur Hieronymus: ſed potius vt illis tanquam infirmioribus
parcat. Denique vbi tandem inueniet præceptum illud continentiæ quod hîc commemorat, alibi 4
verò nuſquam eſſe ipſemet agnoſcit?

Idem poſtea in hæc verba, *Melius eſt nubere quàm vri. Ideò*, inquit, *melius eſt nubere, quia peius eſt* Decimum.
vri. Tolle ardorē libidinis, & nō dicet, melius eſt nubere. Quaſi verò nō etiā, & quidē potiſſimùm, pro 1.Cor.7.9.
pter generis propagationem nunc quoque vacandum ſit matrimonio. quaſi non & propter mutua Reſpon.1.
alia officia coniugium ex Dei ordinatione contrahatur. Totum iſtud igitur inane & friuolum eſt. 2
Illud verò quod ſequitur prorſus eſt ex Manichæorum doctrina, *Vbi de continentia loqueris*, inquit,
bonum eſt, ais, mulierem non tangere : &, *bonum eſt ois ſi ſic permanſerint vt & ego: & puto hoc bonum ois*

eſſe propter inſtantem neceſſitatem &, *quia bonum eſt homini ſic eſſe. ſed dicis, melius eſt nubere quàm vri. Si
per ſe nuptiæ ſunt bona, noli illas incendio comparare: ſed dic ſimpliciter, bonum eſt nubere. Suſpecta eſt mihi
bonitas eius rei quam magnitudo alterius mali cogit eſſe malum inferius. Ego autem non leuius malum, ſed
ſimplex per ſe bonum volo.* Hæc ille, quæ paulo antè ex ipſo Auguſtino refutauimus. Oſtendimus &
illud, non agi hîc de bono cui vitium opponatur, ſed de eo quod conducibilius eſt ad vitam ſine di-
3 ſtractione Deo dicandam, idque nũ ſimpliciter, ſed pro temporis & perſonarum ratione. Illud au-
tem nunc etiam adiicio, quòd cælibatum in rebus propter ſeipſa expetibilibus collocat, non rectè
ab eo dici: quod & ipſe Apoſtolus indicat, quum addit rationes propter quas bonum ſit eis non
nubere, *propter inſtantem*, inquit, *neceſſitatem, & vt facilius & ſine vlla diſtractione cohæreatis cum Do-
mino.* &, *quia vobis parco.* &, *quod cupiam vos ἀμερίμνους εἶ.* Nam alioqui ſiue cælebs fueris ſiue mari-
4 tus, nihilo certè propterea fueris Deo commendabilior. Quòd ſi valet iſtud dictum, *Tolle ardorem
libidinis, non dicet Apoſtolus melius eſt nubere:* cur non & iſtud valuerit: *Tolle præſentem neceſſitatem, &
non dicet Apoſtolus, bonum eſt ſic vos eſſe?* Sicut enim illud dixit propter vſtionem & fornicationẽ,
ita & iſtud dixit propter præſentẽ neceſſitatem. Quid plura? *Dic ſimpliciter*, inquit Paulo Hierony-
5 mus, *bonum eſt nubere.* An non verò ſatis ſimpliciter & perſpicuè hoc expreſſit, quum diceret eum
qui nuptum tradit ſuam virginem bene facere, quamuis qui non tradit (addita tamen exceptio-
ne) melius faciat?

6 Sed ne illud quidem rectè Hieronymus, quòd putat in his verbis malum minus, id eſt coniu-
gium, cum maiore, vſtione videlicet, comparari, quum potius bonum cum malo ſic comparetur,
vt quàm neceſſariò ſit hoc bono iis vtẽdum demonſtret, quibus alioqui tantum imminet malum.
Neque verò nouum eſt hoc dicendi genus. Melius eſt beneagendo affligi quàm male agendo,
1.Pet.3.17. inquit Petrus. An verò affligi propter iuſtitiam, malum eſt, ac non potius inſigne bonum? Quid
7 amplius? Si qui non dat nuptum melius facit, annon & ille bene facit qui dat nuptum? ſi beatior
eſt, id eſt meliore conditione, vidua quæ ſic manet, annon & illa beata eſt quæ rurſum nubit in
Domino? An verò fieri quicquam poteſt in Domino, quod malum ſit, ſiue ſimpliciter ſiue
comparatè conſideres?

Vndecimũ. 1.Cor.7.18. & 21. 1.Cor.6.17. Reſpon.1. Item in illud, *Circumciſus aliquis vocatus eſt? ne adducat præputium*, *Per hoc*, inquit, *ſicut habentibus
vxores Apoſtolus tollit licentiam eas dimittendi, ſic virginibus amputat nubendi facultatem.* Et in illud,
Qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Quanta, inquit, *fœlicitas non vxoris ſeruum eſſe, ſed Chriſti: non
carni ſeruire, ſed ſpiritui. Qui enim adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.* Mirum eſt verò iſta potuiſſe tãto
2 viro excidere, quaſi nõ apertè contrariũ affirmet Apoſtolus, teſtatus beneſacere virginẽ quæ nu-
bat: quaſi etiam templa Spiritus ſancti non vocarit idem Apoſtolus, ſanctorũ coniugum corpora:

Illud verò cuiuſmodi eſt? *Si bonum eſt homini ſic eſſe, malum eſt ergo homini ſic non eſſe.* Quid ſi bo-
Duodecimũ. num eſt ieiunare, an ideò malũ eſt comedere? nẽpe cui opus eſt ieiunio. Sed de hoc ſuprà pluribus.

1.Cor.7.26. Reſponſio. Item in illud, *Si acceperis vxorem, non peccaſti*, *Aliud eſt*, inquit, *non peccare, aliud bene facere.* Ego
Decimum tertium. verò contrà affirmo, etſi multa ſunt in ſeſe ἀδιάφορα, tamen quicquid agimus vel benè agi vel ma-
1.Cor.7.28. lè, nec dari poſſe medium. Et quorſum iſtam inanem argutiam, quum apertè dicat Apoſtolus,
Reſpon.1. eum quoque qui virginem nuptum tradat, beneſacere. Excipit Hieronymus eas virgines
2 quæ ſe voto obligarunt. Sed quo iure hoc faciat ſuo loco expendemus. Illud quidem iam nunc
Obiectio. Reſpon.1. dicam, non rectè eum facere videri, quòd quæ de viduis primam fidẽ violantibus dixit Apoſtolus,
2 ad virginum vota Apoſtolo prorſus ignota transferat, de quo etiam alius dabitur dicendi locus.

Decimum quartum. 1.Cor.7.34. Reſponſio 1. Nec illud quoque probari poteſt quòd ſcribens in hæc verba, *Nupta cogitat quæ ſunt mundi, de
hoc*, inquit, *dicitur ad Apoſtolos, Si eſſetis de hoc mundo, amaret vtique mundus quod ſuum eſt.* An enim
dicere audebit Hieronymus iniunctum cælibatum Apoſtolis, aut etiam ipſos ſimul maritos & ſer-
2 uos Dei non fuiſſe? Nam ſi verum id eſſet, quomodo nuberet aliqua in Domino? Itaque rectè mo-
net Chryſoſtomus non poni his verbis diſcrimen inter cælibem & coniugatum, ſed inter ἀμεριμ-
3 νίαν & πολυμεριμνίαν, neque eſſe τὴν μῖξιν κακόν τι, ſed τὸ ἐμποδίζον. Denique ſignificat neceſſariò
auocari ad huius vitæ ſolicitudinem coniuges, in qua etiam plerique modum non tenent: contrà
verò cælibes maxima curarum iſtiuſmodi parte non impediri, vt meritò dixerit Apoſtolus ſe par-
Obiectio. Reſponſio. cere Corinthiis quum illos ad cælibatum hortatur qui continere poſſunt. At enim, inquiunt cæli-
batus meriti defenſores, longè magis arduũ eſt continere quàm coniugii laboribus defungi. Ego
verò fateor ſanè continentiam ſuperare humanas vires, verùm hoc nego ſpectari ab Apoſtolo,
ſed hoc potius quòd multò commodius & minore cum moleſtia viuant cælibes, infinitis videlicet
curis vacui, quàm cõiugati, iis præſertim temporibus quæ tum præſagiebat Apoſtolus: ac proinde
optimè ſibi conſulant, qui ſi cælibes ſint, de vxore ducenda non cogitent, tum qui quum iam ſint
mariti, quoad eius fieri poteſt, animum ab iſtis terrenis abducunt, ad quæ alioqui coniugium eos
vel inuitos pertrahit. Interea tamen etiam atque etiam inculcat adeò ſeſe nemini laqueum inice-
re, vt & moneat tum vnicuique de coniugio cogitandum qui continentiæ donum non habeat, tũ
vnicuique coniugato ſanctè colendum coniugium, ne videlicet qui coniugii moleſtias fugiunt, in
aliud peſſimum malum, nempe in ſcortationem vel adulterium, incidant. Quorſum autem hæc
2 ad inanes iſtas & prorſus ἀνωφελεῖς diſputationes de virginitatis & nuptiarum præſtantia, qua-
3 ſi in iſtis per ſe poſitum ſit regnum Dei? Quod autem idem Hieronymus ἀπερισπάστως, id eſt, abſ-
Decimum quintum. 1.Cor.7.36. que diſtractione, interpretatur ſine vlla diſtenſione, & locum Eccleſiaſtis eodem refert, tum ipſius
Hebræi tum Græci ſermonis proprietate refellitur.

Decimum ſextum. Illud quoque refutatione non indiget quòd per *virginem ſuam* intelligit carnem cælibis.
1.Cor.7.37. Et quum illud *bene facit*, dicit mox obumbrari cõparatione melioris, quia videlicet ſubiiciatur

melius

melius facit, nihil ſanè dicit quod poſſit excuſare contumelias quibus antea coniugium affecit.
Sed & illud planè non video quî tolerari poſſit, quòd ſcribens in hæc verba, *Puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam: vbi*, inquit, *ad continentiam prouocat, ibi non hominis, ſed Spiritus Dei conſilium eſt. vbi autem nubendi concedit veniam, Spiritum Dei non nominat, ſed prudentia librat conſilium ita ſingulis relaxans, vt vnuſquiſque ferre poteſt.* Quaſi verò Apoſtolus alio ſpiritu de continentia quàm de coniugio ſit loquutus. Decimum‑ſeptimum. 1. Cor. 7. 40.
Et de priore quidem illius Hieronymiani libelli parte hactenus. Nunc verò ex poſteriore quoque nonnulla eòdem ſpectantia etiam expendamus.
Ludit Hieronymus in cõiugij myſterio quod Chriſtum & Eccleſiam adumbrat. *Chriſtus*, inquit, *in carne virgo, in Spiritu monogamus. Vnam enim habet Eccleſiam.* Hoc ipſum quoq; ſcribit Tertullianus, & quidẽ eodem prorſus, vt apparet, ſpiritu. Sed quàm hoc rectè? Primùm enim ſi in primis nuptiis ſaltẽ Hieronymus ſacrũ hoc myſterium cum Apoſtolo verè agnoſcit, cur toties autea malas Decimum‑octauum. Reſpon. 1.
pronũtiauit? Deinde ſi hæc coaptatio cõiugij carnis cum ſpirituali iſtis anguſtiis definitur, ſanè de 2
ſinit maritus eſſe typus Chriſti ſimulá1que virgo eſſe deſiit, quod tamẽ ex diametro repugnat Apoſtoli conſilio. Quomodo enim iſta congruerent cũ matrimonij typo, *Membra ſumus corporis eius*?
Poſtremo ſit ſanè Chriſtus vnius Eccleſiæ coniux in ſpiritu, annõ etiam qui ſecundæ, vel tertiæ, & 3
ſic deinceps, vxoris coniux eſt, vnam habet non plures? Sed, inquies, hæc fuerit ſecunda, vel tertia: vna autem eſt Eccleſia. Nempe quoniã ea eſt vitæ noſtræ imbecillitas. Sed quo iure vult Hiero- 4
nymus, carnalia non eſſe ſpiritualium typos, niſi penitus illis reſpondeant? & illius diſtinctionis an vlla eſt vel leuiſſima apud Apoſtolum mentio?
Iſta verò penitus ſunt Manichæorũ, quòd hæc Apoſtoli verba, *diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiã*. Item, *Vnuſquiſq; ſuum vas poſſideat in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderij, ſicut gentes quæ Deũ non nouerunt*. Itẽ, *non vocauit nos Deus ad immunditiã, ſed in ſanctificationẽ, &c.* torquet aduerſus matrimonij copulam, quum Apoſtolus Paulus iſta quidem aduerſus ſcortationẽ diſertè ſcribat, quam etiam nominat: illud verò omnia coniugalia officia planè comprehendat. Decimum‑nonum. Epheſ. 5. 1. Theſ. 4. 4. Reſponſio.
Quis autem illud excuſare poſſit quòd quæ apud Apoſtolũ dicuntur de vetere homine exuẽdo & nouo induẽdo ſecundùm imaginẽ creatoris ſui, vbi non eſt maſculus neq; fœmina, rurſus eòdẽ detorquet? *Nam*, inquit, *imago creatoris non habet copulam nuptiarum. Vbi ſexus diuerſitas aufertur, & vetere homine exuimur, & induimur nouo, ibi in Chriſtum renaſcimur virginem, qui & natus ex virgine, & renatus per virginem eſt.* An hoc verò non eſt nuptias planè & ex profeſſo execrari, & quidem verbo Dei manifeſtiſſimè deprauato? Viceſimum. Reſponſio.
Ad illud, Creſcite & multiplicamini, *Neceſſe fuit*, inquit, *prius plãtare ſyluã & creſcere vt eſſet quod poſtea poſſet excidi.* At iſtud quod tu vis, Hieronyme, non eſt ſyluam putare, ſed radicitus extirpare. Viceſimum primum. Reſponſio.
Et iſtud allegoricum ſiue pythagoricum potiùs quàm Chriſtianum, cuiuſmodi eſt? *Scriptura*, inquit, *in primo, tertio, quarto, quinto, & ſexto die, expletis ſingularũ operibus dixit, & vidit Deus quia bonũ eſt, in ſecundo die hoc omnino ſubtraxit, nobis intelligentiam derelinquẽs non eſſe bonum duplicem numerum qui ab vnione diuidat, & præfiguret fœdera nuptiarum.* Argue igitur, Hieronyme, opificem, qui ex vno Viceſimum ſecundum. Reſponſio. 1.
duos fecit, quia bonum homini nõ erat ſolũ eſſe. Quòd ſi volebas hic philoſophari, cur nõ potius 2
conſideraſti, vnum coniugio non diuidi, ſed ex duobus vnum fieri? Annon verò etiam longius ab 3
vnitate diſcedunt alij numeri quàm binarius? Sed friuola ſanè iſta ſunt, & æonibus Valentini non
diſſimilia. Cauſa verò cur illud in opere ſecundi diei non ſit à Domino expreſſum ſatis eſt mani- 4
feſta, quoniam videlicet aquarum integra diſpoſitio tertio demum die perficitur, in quo etiam bis illud idcirco dicitur.
Quum, inquit, *Noe ingreditur in arcam, quæ eſt Eccleſiæ typus, tam ipſe, quàm filij eius ab vxoribus ſeparantur.* Imò redarguit te Moſes ipſe, Hieronyme, vt qui nõ aliter nec aliis verbis loquatur de Noe in arcã cum familia ſua ingreſſu quàm de exitu diſſerens. Et quũ quatuor maritos, & totidẽ vxores, nec vllos alios in arcã ingreſſos legamus, quantò iuſtius colligeremus cælibes ab Eccleſia Dei excludi, ſi ludere inanibus iſtis allegoriis tecum vel cum Origene placeret? Itaque totum hũc locum prætermitto libens, ne quis me ſtudioſè captare putet quod in tanto viro reprehendam. Viceſimum tertium. Gen. 7. 1. & 7. Reſpon. 1.
Alia igitur quæ ſpeciem aliquam probationis habent aggredior.
Populus acceſſurus ad montẽ Sina: & Dei auditurus eloquium, tribus diebus ſanctificari iuſſus eſt. Concedo. Nam ſanè vel ex ipſo mundo exire oportuit, ſi fieri potuiſſet, ſanctam Dei legiſlatoris vocem audituros, & ipſius Dei colloquio interfuturos. Oportuit quoq; ſub pædagogia Legis poſitos ſuã immunditiam externis ſignis agnoſcere & deteſtari, vt diſcerent impuris, cuiuſmodi omnes naſcimur, nullum patere ad Deum acceſſum: ac proinde Legem iis omnibus ad mortẽ cedere quorum corda non ſint per fidem in Chriſtum purificata. Ecquid autẽ non polluitur hominũ vſu coram eo cuius conſpectũ ne Angeli quidem beati ſuſtinent? Itaque & tua iſta continentia, Hieronyme, coram ipſo impura eſt, quantácunque voles animo cõcipere. & ipſum Ioſue, (quem tu propter cœlibatum ipſi etiam Moſi, contra expreſſum Dei verbum anteponis) cæteróſque virgines, ſiqui erant in Iſrael, mũdare cum cæteris veſtes oportuit. Vbi autem inuenies quoties ad Dominum accedebant Iſraelitæ, iuſſos ab vxoribus abſtinere, aut veſtes mundare? Viceſimum quartum. Exod. 9. 10. Reſponſio.
Quærit Achimelech daturus Dauidi panes propoſitionis edendos, an pueri, id eſt, qui eũ comitabantur, mundi eſſent ab vxoribus, *quoniam*, inquit Hieronymus, *quod ad munditias corporis Chriſti omnis coitus immundus ſit.* Nos verò noſtráque omnia quis non fateatur coram Deo & Chriſto ipſius, nihil aliud eſſe quàm impuriſſimas ſordes? Sed hoc ſanè ad continentiſſimos etiam quoſuis pertinet. Intereà ſcimus nos omnes, ſiue virgines ſiue maritos, in eo puros & ſanctos haberi Viceſimum quintum. 1. Sam. 21. 4. Reſponſio.

qui factus eſt nobis à Deo Patre iuſtitia & ſanctificatio,atque adeò ſanctificauit ſeipſum pro no-
2 bis,vt & in ipſo ſancti ſimus.Iſtud verò quod dicit de quouis coitu Hieronymus,refellit Apoſto-
Hebr.13. lus,quum coniuges eſſe dicit Chriſti membra:& alius,quum nuptias,nuptias,inquam,veras,non
3 quæ ſint continētiæ voto amputatæ,vocat τίμιον & cubile impollutum.Quod autē quærit ex Da-
uide ſacerdos,aliò ſpectat,quum aliis etiam modis viri vel ex ſolo mulierum contactu pollueren-
Vide Leu.15 tur,vt eis nihil ſacrum attingere ad veſperam vſque liceret,nedum vt propoſitionis panibus extra
ordinem veſci poſſent.Quorſum autem hæc ad coniugium alicuius immunditiei damnandum,
quum ſacerdotes ipſos coniugatos fuiſſe legamus, abſtinuiſſe autem neceſſario à ſuis coniugibus
vllo tempore non legamus.

Viceſimum-ſextum. Deut 20.14. Reſpon.1. *Qui vxorem duxerit, & qui plantauerit vineam veluti propaginem filiorum,prohibetur ad bella procede-
re.Non enim poteſt Domini ſeruire militiæ,ſeruus vxoris.*Hoc verò non ita eſt,quod pace tua dixerim,
Hieronyme,vt tua te planè memoria fefellerit. Quomodo enim bellaſſet Moſes bella Domini,
imò quis pugnaſſet in Iſrael,maritis à militia excluſis?& vbi legiſti,maritos eſſe,non Domini,ſed
2 vxorum ſeruos?Hoc quidem inuenio, indulgere Dominum vacationē militiæ, iis qui vineæ ſuæ
(hæreditatis videlicet chariſſimæ)nullum adhuc fructum perceperint: & ſponſis qui nōdum vxo-
res duxerint,itémque nouis primo anno coniugibus. Cauſa verò quam affers, nec ſanè vera nec
veriſimilis eſt: ſed hæc potius,quòd benignus pater aliquid concedere huiuſmodi affectibus vo-
luerit,quum etiam periculum eſſet ne qui animum domi haberent, parum alacriter foris bellum
gererent.

Illa verò quæ ſequuntur,quis tandem poſſit in Hieronymo excuſare,quum centum minimùm
Scripturæ teſtimonia velut ex profeſſo,in manifeſtam coniugij contumeliā atque adeò execratio-
nem,paucis paginis deprauet?Hoc verò quum meritò redargui poſtea minimè ignoraret,quis nō
doleat ipſum tamen tantum hoc crimen(nec enim ſcio quid deterius committere quiſquam poſ-
ſit Scripturarum interpres)inani excuſatione diluere quàm agnoſcere & deprecari maluiſſe? Nos
tamen hoc quàm pauciſſimis fieri poterit abſoluemus.

Viceſimum-ſeptimum. Primùm quicquid Solomon in Prouerbiis diſſerit aduerſus malas mulieres, torquet aduerſus
coniugium:ſed quàm tempeſtiuè id faciat,ex his ſaltem intelligatur.

Scribit Solomon,in Prouerbiis,inquit Hieronymus,*Mulier inſipiens & audax,inops panis effici-*
Reſponſio.1. *tur. Cuius panis?nempe illius qui de cælo deſcendit.*Atqui nuſquam id apud Solomonē inuenias, vt li-
quido conſtet Hieronymum hanc criminationem ne inſpectis quidem locis,impetu quodam po-
2 tius quàm certo animi iudicio effudiſſe, quod tamen certè facere nullo modo debuit. Sed vt hoc
extet,quis non iſtam rationem peruertendi Scripturas dānet? Euadet ſanè inops & famelica quæ-
cunque eſt inſipiens & procax.Quorſum hoc aduerſus nuptias, vel ad modeſtas & cordatas cōiu-
Obiectio. Reſponſio. ges?*At enim*,inquit Hieronymus, *hoc periculum in memet fieri graue eſt.*Ergo eò prudentius agito,&
Deum adhibeto in conſiliū.Sed annon multo grauius eſt, vt malum incertū effugias,teipſum vltrò
3 dare in vſtionis & fornicationis præcipitiū?Denique quæ hæc agendi ratio eſt,quæ in malas mulie-
res dicūtur aduerſus nuptias torquere,& quæ ſanctarum honeſtarum mulierum laudes ab eodem
Solomone prædicantur,ſilentio prætermittere?

Viceſimum-octauum. Citat etiam illud ex Eccleſiaſte,*Tempus pariendi,tempus moriendi,tempus plantandi,tempus vellen-
di quod plantatum eſt:peperimus*,inquit,*in lege cum Moſe,moriamur in Euangelio cum Chriſto:plantaui-*
Reſpon.1. *mus in nuptiis,euellamus per pudicitiam quod plantatum eſt.*Quid hoc autem ei eſt obſecro?Quis enim
ignorat de rerum omnium viciſſitudine ſapientē diſſerere? Quid hoc ad nuptias aut virginitatem?
2 Certè ſi tempus eſt aliquod pariendi,tempus quoque eſt vxorem amplectendi. Promiſſionem au-
tem multiplicandæ poſteritatis ad ea tempora reſtringere quæ aduentum Chriſti præceſſerūt,quid
tādem nos cogit? *Tempus*,inquit Apoſtolus,*contractū eſt.* Fateor. ideóque de cæleſti potius quàm
de terrena domo ædificanda cogitandum.Sed an ideo bene facit quiſquis vxorem non ducit?Apo-
3 ſtolum autem illic non in genere de huius vitæ breuitate vel de temporum quæ Domini aduētum
præceſſerunt diſcrimine diſſerere,ſed peculiariter notare proximè tunc imminentes Eccleſiæ tem
peſtates,eóque demum reſpectu hortari vt quicunque poſſunt de cælibatu potius (vt tranquillio-
re vitæ genere) quàm de coniugio cogitent,mecum, vt ſpero, fatebitur quiſquis totum illum lo-
cum attentè conſiderarit.Sic non dicit abſolutè Dominus, *Væ prægnantibus & lactantibus*, ſed ad-
Mat.24.19. dit *in diebus illis*. Sic præcipitur Ieremiæ ne vxorem capiat,ſed additur,*in loco iſto*.& cauſa exprimi-
Luc.4.2. tur,quoniam videlicet vltima vaſtitas à Domino imminebat. qui Ieremiæ locus optimè explicat
4 Apoſtoli ſententiam.Quod autem addit Hieronymus ex eodem ſcriptore,*Tempus amplectendi, &
tempus longè fieri ab amplexu*,annon disertè contra ipſum facit?Nam certè nullum tempus eſt agen
di quód malum eſt.

Viceſimum-nonum. Reſponſio. Multa poſtea ex Canticis Canticorum profert idem Hieronymus,ſed ita ſanè vt imprudēs præ-
uaricari videatur.Cur enim illic ſpiritualis coniugij tot laudes decantātur ſub caſtarum quidem,
ſed tamen carnis nuptiarum typo,ſi bonæ iſtæ non ſunt?

Triceſimū. Eſa.7.14. Reſpon.1. Vbi verò ad Eſaiam ventum eſt,explicās aduerſus Iudæos,& rectè quidem, locum illum nobi-
lem,Ecce virgo concipiet,*Si non præfertur*,inquit,*nuptiis virginitas,cur Spiritus ſanctus maritatam,aut
viduam non elegit?*Imò verò,mi Hieronyme,ne virgo quidē Deo placuit, niſi quia fuit κεχαριτωμένη,
id eſt,gratis dilecta,quod ipſamet diuinitus cecinit,nō ſuam virginitatem, ſed Dei miſericordiam
2 prædicans.Gratias igitur agant Deo, tum virgines tum nuptæ. Cur autem ex virgine potius illi-
bata quàm vel ex coniugata vel ex vidua naſci Dominus voluerit, non ea tantùm cauſa eſt
quòd quàm puriſſimum vas ille ſibi delegit qui eſt ipſamet puritas, ſed etiam præcipuè vt Filium
quidem

quidem hominis, id eſt hominem, ſed diuinitus prorſus & conceptum & natum eſſe citra omnem controuerſiam conſtaret.

Triceſimum primum. Iſa. 37. 22. 54. Reſpon. Quum autem idem Hieronymus iſta eiuſdem Prophetæ verba, *Spreuit te virgo, filia Sion*, cum illis comparat, *Exulta ſterilis quæ non paris*, rurſum torquet vtrunque Prophetæ locum. Nam illic quidem Sion vrbæ & deſtitutæ puellæ comparatur per Ταπείνωσιν, quòd rex Aſſur eam vſqueadeò contempſiſſet, quem poſtea hæc ipſa eſſet irriſura: hîc verò florentem Eccleſiæ ex Gentibus potiſſimùm collectæ ſtatum deſcribit Propheta, quæ quidem Gentes ſunt Sionis populus non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm libertatem ſpiritus genitus, & in naturalem filiorum locum per fidem inſitus, quam interpretationem docet nos ad Galatas ſcribens Apoſtolus. *Gal. 4. 27.* Quorſum autem hæc ad id de quo agimus? Quis enim ſic nuptias laudauit vnquam, vt illis acceptum ferret quòd filii Dei ſimus, quáuis benedicat Deus tum ſanctis ipſis tum etiam ſanctorũ ſemini, pro bona ſua volũtate?

Triceſimum ſecundum. Ierem. 2. 32. Reſpon. 1. Idem nihilo rectius iſtis Ieremiæ verbis, *Nunquid obliuiſcetur ſponſa ornamenti ſui, aut virgo faſciæ pectoralis ſui?* ad virginitatem coniugio præferendam abutitur. Primùm enim videmus hic non minus fieri ſponſæ quàm virginis mentionem. Deinde quis ignorat populum illic à Propheta redargui, quòd Deum ſuum minoris fecerit, quàm ſponſæ aut virgines ornamenta ſua? Quorſum au- 2
tem hoc ad nuptias vel damnandas vel virginitati poſtponendas?

Triceſimum tertium. Reſpon. 1. Ier. cap. 16. *Ieremias*, inquit Hieronymus, *ideò parcitur in vrbis vaſtatione, quoniam virginitatis erat beatitudini deſtinatus.* Quid ſi verò negem Ieremiam fuiſſe virginem? poteſt enim aliquis in vtero ſanctificari, nec tamen continentiæ donum habere. At enim prohibetur vxorem ducere & liberos tollere. Fa- 2
tetur id quidem. Sed quid ſi cælebs tum erat? Sed demus quod affirmat. Non fuiſſe tamen ideò ſeruatum ex ipſo cõtextu liquet. Aliunde igitur petere oportuit virginitatis laudes, & meminiſſe hũc ipſum Prophetam paſſim ipſis quoque virginibus internecionem minari.

Triceſimum quartum. Eze. 24. 18. Ezechiel teſtatur ſeſe vxore veſperi mortua, manè loquutum eſſe ad populum quæ ipſi mandarat Dominus. *Diligenter attende*, inquit Hieroymus, *donec vxor viueret, non habebat libertatem populum commonendi. Moritur vxor, & coniugale vinculum ſoluitur, & abſque vlla trepidatione ſemper eſt in officio prophetali. Qui enim liber vocatus eſt, verè eſt ſeruus Chriſti.* *Reſponſio.* At te potius miror, Hieroyme, ſic in aduerſario quoquo modo oppugnando fuiſſe occupatum, vt non attenderes quum multo antè in munere prophetico perſeueraſſet Ezechiel, conſequi aliam ob cauſam hic fieri vxoris mortuæ mẽtionem. Iuſſus enim fuerat non lugere, atque adeò populum à luctu auocare, quod ſe feciſſe dicit, etiamſi domi eſſet ipſi oblata iuſti luctus occaſio. Quorſum igitur iſta?

Iam ad ea teſtimonia accedo quæ ſic collegit ex Paulo Hieronymus, vt planè ſit ἀναπολόγητος.

Triceſimum quintum. Rom. 6. 19. Reſponſio. Numerat coniugium inter illa quorum finis ſit mors, & quorum fructus erubeſcere nos oporteat. Quænam autem illa ſunt? *Sicut*, inquit Apoſtolus, *exhibuiſtis membra veſtra ſerua impuritati & iniquitati ad patrandam iniquitatem, &c.* Et dubitamus diabolicam hanc doctrinam pronuntiare?

Triceſimum ſextum. Ro. 7. 24. & 26. Reſponſio. Eodem, id eſt ad conuitiandum nuptiis, detorquet illa, *quum eſſemus in carne, & nõ in nouitate Spiritus ſed in vetuſtate literæ, faciebamus ea quæ carnis erant, & fructificabamus morti.* Et illa, *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et illa, *Ipſe igitur mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Quòd ſi hæc de coniugio dicuntur, Hieronyme, vt tu vis, quomodo virginem audes Paulum pronuntiare?

Triceſimum ſeptimum. Rom. 8. 5. & deinceps. Reſponſio 1. Et illa, *Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ ſunt carnis ſapiunt. Prudentia carnis, mors eſt. Prudentia carnis, inimicitia eſt in Deum. Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Hæc verò aduerſus coniugium torquere, quid eſt aliud quàm doctrinam dæmoniorum manifeſtè proponere? Et ne dubitemus hunc fuiſſe animum Hieronymi, & hanc ſentinam ex qua Syritius & Innocentius impuras & im- 2
pias illas voces hauſerunt quæ nunc quoque tam multos inficiunt, hæc ipſa ſunt Hieronymi in hũc locum verba. *Si prudentia carnis inimicitia eſt in Deum, & qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt: arbitror eos qui ſeruiunt officio coniugali, quòd prudentiam carnis diligant, & in carne ſunt.* At ego, Hieronyme, deteſtor hunc ſpiritum qui pronuntiat bonum, malum: & Gangrenſem Synodum arbitror rectè aduerſus hanc tuam ſententiam anathema protuliſſe.

Triceſimum octauum. Rom. 12. 2. Et illa quorſum, *Nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* In quæ verba ſcribẽs Hieronymus, *Concedit*, inquit, *nuptias, cõcedit digamiam, & ſi neceſſe fuerit, fornicationi & adulterio præfert etiam trigamiam. Sed nos qui corpora noſtra exhibere debemus hoſtiam viuam, &c. non quid concedat Deus, ſed quid velit conſideremus, vt probemus quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Ergo quod concedit nec bonum, nec beneplacens eſt, nec perfectum.* Et mox, *Aliud eſt voluntas Dei, aliud indulgentia.* Quid *Reſpon. 1.*
hoc verò monſtri eſt? quo igitur pudore ſacerdotes nuptiis benedicunt? ſi concedit Deus mala, cur nõ impunè peccemus? Longè aliter & multo rectius Auguſtinus, non quidem in hunc locum 2
(in quo de virginitate Apoſtolus ne χρῦ quidem verùm de ſanctis tum virginum tum maritorũ moribus agit) ſed in illud eiuſdem Apoſtoli ſcribens, Ego autem vobis parco, *Sectatores*, inquit, *perpetuæ continentiæ admoneo vt ſuum bonum ita præferant nuptiis, ne malum iudicent nuptias, neque fallaciter ſed planè veraciter ab Apoſtolo dictum nouerint, Qui dat nuptum bene facit.* *Aug. de ſancta virginit. c. 18.*

Triceſimum nonum. Et illa, *Induimini Chriſtum Ieſum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.*

Rom. 13. 14. Rom. 12. 3. Reſponſio. Et illa, *Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad pudicitiam*, vbi Hieronymus, *non ad ſobrietatem*, inquit, *vt malè in codicibus Latinis legitur, ſiquidem Græcè ſcriptum eſt, εἰς τὸ σωφρονεῖν.* Quaſi verò ipſe contextus non manifeſtè conuincat τὸ σωφρονεῖν vel inutilibus ſtudiis opponi qualia nimium multa ſunt quorum cognitione nullus euadit ſanioris mentis, vel eorum arrogantiæ qui intra modum nolunt multis in rebus ſapere, ideóque ſtultiſſimi tandem euadunt.

Quadrageſimum. 1.Cor.3.1.

Et illa, *ſicut carnalibus, ſicut paruulis, lac vobis potum dedi non eſcam.* Vbi rurſum hic noſter, *Qui animalis eſt, & non recipit quæ ſpiritus Dei ſunt, ſtultitia enim illi eſt, nec poteſt intelligere, quia ſpiritualiter diiudicatur, iſte non perfectò caſtitatis cibo, ſed rudi nuptiarum lacte nutritur.*

1.Cor.15.50. Reſpon.1.

Et illa, *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt, neque corruptio incorruptionem.* Vbi Hieronymus, parum ſanè pudenter, *Hoc*, inquit, *tam clarum vt nulla expoſitione queat manifeſtius fieri: Si corruptio ad omnem coitum pertinet, incorruptio autem propriè caſtitatis eſt, præmia pudicitiæ nuptiæ poſſidere non poſſunt.* Imò, Hieronyme, vt tibi penitus conſtares, dicere te oportuit ingenuè nuptias nõ
2 poſſeſſuras regnum Dei. Sed abſit vt mendaci ſpiritui credamus. Illic verò quis ignorare poſsit Apoſtolum diſſerere de corporum poſt reſurrectionem qualitatibus, ſiue virgines ſiue mariti olim fuerint qui tunc reſurgent?

Quadrageſimum primum. Gal.2.16. Reſponſio.

Et illa, *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro. Opera legis*, inquit, *& nuptiæ ſunt, quæ ſi conceduntur etiam in Euangelio, aliud eſt indulgentiam infirmitati tribuere, aliud virtutibus præmia polliceri.* Hoc eſt ſcilicet rem acu tangere. Imò verò quàm me tui pudet quum hęc lego, vir alioqui magne? Nam quid eſt quaſi ex induſtria verbum Dei peruertere, ſi hoc non eſt?

Quadrageſimum ſecundum. Gal.3.1. Gal.5.16. Reſponſio.

Item illa, *Sic inſipientes eſtis vt quum cœperitis ſpiritu, nunc carne conſumamini?* Et illa, *Spiritu ambulate, & deſideria carnis ne perfeceritis. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum.* Vbi Hieronymus: *Non neceſſe eſt nunc*, inquit, *de operibus carnis dicere, quia longum eſt.* Imò, Hieronyme, vide ne meritò dicaris aſtutè ita prætermittere quo vel vno facilè conuinci poteras. Nec enim in operum carnis enumeratione nuptias inueniſſes.

Quadrageſimum tertium. 2.Cor.11.2. Reſpon.1.

Et illa, *Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto, quod*, inquit, *ſi ad totam Eccleſiam credentium volueris referre, & in hac deſponſione Chriſti & maritatas & digamos, & viduas, & virgines cõtineri, hoc quoque pro nobis facit. Nam dum omnes ad pudicitiam & præmium virginitatis inuitat, oſtendit cunctis gradibus virginitatem eſſe potiorem.* Sed annon ſaltem animaduertere te oportuit, Hieronyme, ſi de iſta tua virginitate diſſereret Apoſtolus, ineptiſsimum futurum fuiſſe illius deſiderium? Nam certè virginitas corporis amiſſa nunquam reſtituitur, ac proinde non potuerunt vnquã ple-
2 ræque ex Corinthiis eo genere virginitatis virgines, coram Deo ſiſti. Planius eſt autem quàm vt inficiari poſsis alibi Apoſtolum agere de tota Corinthiaca Eccleſia, & de ſpirituali Eccleſiæ cum Chriſto coniugio diſſerentem (quod plenius deſcripſit, ad Ro.7, & Eph.5.) per virginitatem nihil aliud intelligere quàm ſanctificationem tum corporis tum ſpiritus, quæ tum virginibus, tum viduis, tum coniugatis & viris & mulieribus, credentibus denique omnibus communis eſt in Chriſto, vt disertè Auguſtinus annotat, lib. de bono viduitatis, capite.10.

Quadrageſimum quartum. Gal.5.24. Reſponſio 1.

Et illa, *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Item, *Qui cum Chriſto carnem noſtram & paſſiones eius ac deſideria crucifiximus, quid rurſum ea quæ carnis ſunt agere cupimus?* Hoc verò aduerſus coniugium torquere, annon eſt nuptias vt rem omnium peſsimam & im-
2 puriſsimam damnare? Et quum toties fatearis non præcipi virginitatem, Hieronyme, quomodo tibi conſtabis? Nam certè dubium non eſt quin contraria carnis concupiſcentiis præcipiantur. Imò annon eſt totius Legis Dei ἐπιτομὴ, ſecundum ſpiritum ambulare?

Quadrageſimum quintum.

Et illa, *Qui ſeminat in carne ſua, de carne metet corruptionem*, vbi etiam hæc ſcribit: *Exiſtimo quòd qui vxorem habet quandiu reuertitur ad idipſum* (ſic autem ſolet conuertere Græcum illud ἐπὶ τὸ αὐτὸ quo vtitur Apoſtolus mutuum caſti coniugij vſum honeſtè ſignificans) *ne tentet eum Satanas, in carne ſeminet, & non in ſpiritu. Qui autem in carne ſeminat, (nõ ego loquor, ſed Apoſtolus) metit corruptio-*
Reſponſio 1. *nem.* At ego miror, tantum virginitatis defenſorem tam obſcœna, & tantum Theologum tam ab-
2 ſurda & tam falſa ſcribere potuiſſe. Certè vt cætera omittam quæ hîc in Hieronymum dici poterant niſi hoc ipſius crimen aliæ multæ obtegerent virtutes, cuius fuit iudicij fateri (nec enim id negare poterat quod totidem verbis ſcripſit Apoſtolus) coniuges rurſum coniungi ne tentet eos Satan, & tamen eos dicere corruptionem metere, quoniam in carne ſeminent? Nam certè tota iſta carnis ſatio & corruptionis meſsis eſt a Satana. Itaque hoc ſanè non eſſet Satanam vitare, ſed in ipſius laqueos ſponte ſeſe induere, aut ſtultos imitari de quibus ille non ineptè, Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt. Annon hoc eſt igitur Apoſtolicum præceptum ludibrio habere?

Quadrageſimum ſextum. Epheſ.1.4. 1.Cor.7.14. 1.Pet.3.6. Reſponſio.

Item illa, *Elegit nos pater vt eſſemus ſancti & immaculati coram eo.* Sanè verò annon ſancti ſunt cõiuges quorum ſanctos etiam eſſe liberos teſtatur Apoſtolus? Annon ſanctę illæ vxores quas hoc nomine Petrus vel potius Spiritus ſanctus exornat, etiamſi alicubi non rectè illas imaginatur Hieronymus, vxores eſſe deſiiſſe, vt ſanctæ eſſe inciperent?

Hier. contra Heluid. Quadrageſimum ſeptimum. Epheſ.2.3.& 4.24. Reſponſio.

Item illa, *Ambulauimus in concupiſcentiis carnis, & fuimus filij iræ vt cæteri. Nunc autem exuamus veterem hominem qui corrumpitur iuxta deſideria erroris, vt*, inquit, *nobis iſta Apoſtoli benedictio aptari poſſit, Gratia vobis cum omnibus qui diligunt Dominum in incorruptione.* Ergo tibi, Hieronyme, coniuges ſunt iræ filij, ſed redarguit te Spiritus ſanctus, ſiquidem ita ſedatus ſenſiſti vt iratus ſcripſiſti.

Quadrageſimum octauum. Phil.4.8. Reſponſio. Quadrageſimum nonum. Col.2.11.& 3.2.

Iſta verò cuiuſmodi ſunt, ſi modò quicquam illis quæ iam diximus deterius dici poteſt? *Quæcunque ſunt*, inquit Apoſtolus, *σεμνὰ, id eſt, veneranda*, (Hieronymus vertit, pudica, vt & vetus interpres, ſed perperam) *quæcunque ἁγνὰ, id eſt, pura* (vetus interpres legit ἅγια, *ſancta*, Hieronymus ſuperuacuo verborum ambitu, *ad caſtitatem pertinentia.*) *hæc cogitate*, (Hieronymus, codice, vt opinor, nõ inſpecto, *his copulemur, hæc ſequamur.*) Iſta verò quum vt aduerſus coniugium dicta profert, quis pius illis aſſentiatur?

Quid quum iſta eòdem detorquet? *Circumciſi ſumus circumciſione non manufacta, in expoliationem corporis carnis?* Et illa, *Sapiamus quæ ſurſum ſunt, & non quæ ſuper terram?* Et illa, *Nemo militans*

Deo ſe

Deo ſe implicat huius vitæ negocijs? Et ille, *Abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, viuamus tempe-* 2.Tim.2.4.
ranter (vetus interpres non malè *ſobrie*: Hieronymus ſuo more, *caſtè*, quod ipſum tamen contra Tit.2.12.
nos non facit) *& iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo?* Reſponſio.

Quid amplius? Hue etiam pertrahit illud Domini dictum. *Adhuc multa vobis habeo dicere, ſed nō potestis ea portare modò.* Et torquens etiā illud Iacobi, *Omne perfectū donū de ſurſum deſcendit vbi,* inquit, *nō ſunt nuptiæ, & deſcendit nō à quolibet.* Certè, Hieronyme, nec illic comeditur vbi neque nubitur. Cur non igitur cibū etiā & potū, & ſomnum, hanc denique mortalem vitam ſemel prohibes? Quinquageſimum. Ioan.16.12. Iacob.1.17. Reſponſio.

Pergit tamen etiam longius, & ab hæreditate incorrupta cuius meminit Petrus arcet coniuges. Sed bene eſt quod Lazarum nouimus in ſinum Abrahami etiam digami collectum. Quinquageſimum primum. Reſponſio.

Iubet nos idem Apoſtolus, ex Moſe, *ſanctos eſſe,* id eſt, ſi Hieronymo credimus à coniugio dehortatur, vt ſancti ſimus. Sed quid ſi Moſes ipſe per quem hoc præcipiebatur coniugatus erat? Iubet nos etiam *caſtificare animas noſtras.* Imò dicit Apoſtolus, *ſanctos omnes iam eſſe purificatis animabus* ([illegible],) & addit. [illegible], *obediendo veritati.* An verò nullus audit veritatē niſi qui virginitatem vouet? Subijcitur etiam, [illegible], *ad fraternum amorem ſimulationis expertē,* quod miror ab eo præteritum eſſe qui nullos maritos fratres, nullas vxores ſorores agnoſcit, vt antea vidimus, niſi ſuperuenerit cælibatus votum. At nos credamus potius Spiritui ſancto, vbique profitenti, fidem (quæ ſanctos à mundo ſegregat, non autem virgines à coniugibus) eorum eſſe qui veritatem, id eſt, verum Dei verbum audiant, vnde tanquam ex fonte promanat vera fraterna dilectio omnium Eccleſiæ membrorum communis teſſera. Ideò etiam idem Apoſtolus conſentiens Ioanni addit, *nos non eſſe regenitos ex communi ſemine ſiue ſatione* ([illegible] quod inuidioſo vocabulo Hieronymus *coitum* maluit hîc interpretari) *ſed incorruptibili, verbo Dei videlicet manente in æternum.* Cuius ergo iudicii, cuius pudoris fuit iſta torquere aduerſus nuptias, quanuis aliud ſit ſecundùm naturam gigni, quàm ſecundùm gratiam regigni? Nam ſanè vtrunque filiis Dei tum virginibus tum coniugatis neceſſario commune eſt. Quinquageſimum ſecundum. 1 Pet.1.15.& 23. Reſponſio 1. 2 3 1.Pet.1.23.

Iam verò quid contumelioſius dici in coniugiū potuit, quàm quod citat ex eodē Apoſtolo quaſi nuptiarum hoſte, quem tamen coniugatum fuiſſe & vxorem circunduxiſſe Paulus teſtatur? *Qui paſſus eſt in carne,* inquit, *quieuit à peccato, vt nequaquam in deſiderijs hominum ſed in voluntate Dei reliquum in carne temporis exigamus. Sufficit enim nobis præteritum temporis, quando ambulauimus in luxuria, & deſiderijs, cæteriſque vitiis* An hoc verò ſi in nuptias dictum eſt, nuptiæ non ſunt peccatum, & quidem cui neceſſarium ſit Chriſtianos omnes renuntiare? Quinquageſimum tertium. 1.Pet.4.1. Reſponſio 1.

Idem in altera epiſtola teſtatur *grandia nobis & pretioſa promiſſa donata eſſe vt per hæc efficiamur diuinæ conſortes naturæ.* Quid enim eſt maius eo qui datus eſt nobis, & in quo promiſſa ſunt nobis quæ in cor hominis non aſcenderunt? Verùm ſi Hieronymo credimus, *grandia nobis virginitatis promiſſa donantur vt per hanc efficiamur diuinæ conſortes naturæ, fugientes eam quæ in mundo eſt concupiſcentiam corruptionis,* id eſt, nuptias. Coniuges enim & ii qui nuptias ſuadent, ſiquidem ipſi credimus, ii ſunt *qui poſt carnem in deſiderijs pollutionis ambulant, qui quaſi irrationalia iumenta in ventrem & libidinem proni ſunt,* in quos denique competunt horrenda illa quæ in perditiſſimos homines ibi ab Apoſtolo ſcribuntur, & quæcunque Ioannes profert vt nos à mundi dilectione auocet. Et hæc non eſt doctrina illa quam Paulus doctrinam dæmoniorum vocat? Quinquageſimum quartum. 2.Pet.1.4. Reſponſio. 2 Pet.2.10. & deinc.pr.

Profert quoque Hieronymus, *ſolos illos cantantes canticum nouum, qui non ſe coinquinauerunt cum mulieribus. ac ne putaremus,* inquit, *de his dici qui ſcorta non norunt, ſtatim intulit Ioannes, virgines enim permāſerunt.* Quaſi verò de ſpirituali virginitate ibi non diſſerat Ioannes, vt totus ille liber myſteriorum & viſionum corporalium ad res cæleſtes ſignificandas plenus eſt. Alioqui nos doceat Hieronymus quomodo toro immaculato adhæreat coinquinatio. Quinquageſimum quintū. Apoc.4.14. Reſponſio.

Huc quoque ſpectare decem illas virgines, quæ fidelium cœtum adumbrant, res ipſa clamat. Age verò cur quinque fatuæ excluduntur? *Quoniam,* inquit Hieronymus, *ſola abſque aliis operibus virginitas non ſeruat.* Ego verò malo aſſentiri Paulo clamāti nos iuſtificari ex fide abſque operibus, quanuis ſanè aſſentiar virginitatem nihil eſſe niſi reliquis fidei fructibus exornatam. Sed quod addit idem Hieronymus, *omnia opera abſque virginitate eſſe imperfecta,* quū ab hac virginitate excludat coniugatos, falſum eſſe dico, eo quidem ſenſu quo loquitur, quum alioqui ipſarum etiam continētiſſimarum virginum virginitatem cæteráque adeò opera plurimùm à perfectione abeſſe credā. Quinquageſimumſextū. Matt.25 11. Reſponſio 1. 2

Et hactenus quidem refutata ſint Hieronymi aduerſus Iouinianum argumenta. Nunc verò videamus quàm aptè illius argumentis reſponderit, ita quidem vt ſunt ab eo annotata. Nam ſi Iouiniani liber ipſe extaret, plenius ac fortaſſis etiam verius explicatam ipſius ſententiam haberemus.

Obiiciebat Iouinianus, & quidem rectè, primā matrimonii inſtitutionem in paradiſo, aduerſus eos qui præpoſtera cælibatus admiratione coniugio detrahebant. Quid ad hoc Hieronymus? *In paradiſo,* inquit, *ante offenſam virgines, poſt peccatum autem & extra paradiſum protinus nuptiæ,* Et mox, *Nuptiæ terram replent, virginitas paradiſum.* At ego dico, Hieronyme, In paradiſo nuptiæ fuerunt ante offenſam, & etiam audita iam tum vox eſt, Et erunt duo in carnem vnam, & illa benedictio, Creſcite & multiplicamini. Eſt tamen, fateor, poſt peccatum demum ſoboles, quia vel ita diſpoſuerat Dominus vt nemo niſi per gratiam ſeruaretur, vel quia priùs amiſſum eſt bonum illud quàm tentatum, adeò breuis fuit prioris fœlicitatis vſura. Exceptiones Hieronymi ad Iouiniani argumē. Primū Iouiniani argu. Exceptio Hieronymi. Refutatio exceptionis Hieronymi.

Nec illud ſanè poſterius per ſe verum eſt, quoniam coniugati quoque cælum replent quū ipſa virginitas in ſinu coniugati Abrahami ſit beata, quanuis nec virgines virginitas, nec coniugium coniugatos, ſed vtroſque vna Dei gratia iuſtificatos ſeruet: & virgines quoque: etſi non vt ſint virgines, ac certè vt ſint, hoc nuptiis debent. 1 2

Secundū Iouiniani arg. 1.Cor.9. · Obiiciebat Iouinianus illud Apoſtoli, Nunquid non habemus poteſtatē ſorores mulieres vel
vxores circunducendi. vt oſtenderet etiam ſacerdotum puritati, probè conuenire cum matrimo-
Exceptio Hieron.1. nio. Hieronymus verò etſi alibi aliquoties inculcat ſe non reprobare nuptias (quibus tamen au-
Refutatio 1. diuimus & porrò audiemus quales notas inurat) nouos hîc fodit cuniculos quibus elabatur. Pri-
mùm enim negat probari poſſe alium præter Petrum fuiſſe inter Apoſtolos coniugatum. Atqui vt
de Clemente & Ignatio ipſóque adeò Ambroſio taceam, non temerè Paulus addidit Cephæ & fra
2 tri Domini, cæteros etiam Apoſtolos. Sed hoc ſanè parum momenti habet, quia vel vnum Ce-
pham Apoſtolum ſimul & maritum fuiſſe ſatis eſt, vt coniugium nihil officere ſacerdotii dignita-
3 ti, nedum cuiuſuis fidelis munditiei, probetur. Hoc tamen adiiciam, inter fratres Domini vel præ-
cipuum recenſeri Iacobum quem vetuſtas vocat Epiſcopum Hieroſolymorum, quod ſi verum eſt
(vt ſcribit etiam diſertè Græcus ſcholiaſtes) viderit Hieronymus quo iure perpetuum eius cæ-
Exceptio 2. libatum prædicet. Sed ad rem venio. Excipit ergo ſecundo loco Hieronymus, ſi habuiſſe ipſos
vxores concedatur, *reliquiſſe tamen officium coniugale, quod etiam teſtatur Petrus ex Apoſtolorum per-
ſona, quum ei reſpondens Dominus, meminerit quoque eorum qui vxorem propter regnum Dei reliquerunt:*
Matt 19.29. Refutatio 1. *quod etiam oſtendat ſororum nomen, eas videlicet in ſpiritu fuiſſe germanas, non coniuges.* Atqui dictum il-
lud Chriſti ſi hoc modo explicandum eſt, quid fiet fratribus, ſororibus, patri, matri, domibus quo-
que & agris? nempe Chriſtianus eſſe nō poterit, niſi qui ſuo, etiam erga illos officio fungi deſinet,
quo quid abſurdius dici poſſit? *Relinquendi* igitur verbum non eò ſpectat, quum diſertè & generali
2 ter dixerit Apoſtolus Chriſtianis omnibus coniugibus, *Ne fraudate alius alium*, & Euangelium
non euertat, imò potius ſtabiliat dilectionem proximi: ſed huc potius refertur vt Dei gloriam v-
nuſquiſque pro ſuæ vocationis ratione quibuſuis ſine exceptione rebus anteponat, nec ſit quic-
3 quā omnino quod noſtrū curſum abrumpat. Nomē autē ſororis minimè ſanè abrogat coniugii
4 copulam, quum è contrario Chriſtiana omnia coniugia inter fratres & ſorores contrahantur. De-
inde ſi ita eſſet, oportuit ſanè Apoſtolum ſcribere potius mulierē ſiue vxorem ſororē, quā ſororē
mulierē vel vxorem, quū mulieris ſiue vxoris nomen, ſi interpretationē iſtam ſequamur, latius pa-
Exceptio 3. teat, ac proinde non præcedere ſed ſequi omnino debuerit. Tertiò excipit nos etiam γυναῖκας poſ-
ſe mulieres, non autem vxores interpretari, *vt hoc videlicet dictum ſit non de vxoribus, ſed de ſanctis a-*
2. Reg.4.10. Luc 8.3. *liis mulieribus, quæ iuxta morem Iudaicum magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant.* Hanc vero inter-
Refutatio 1. pretationem etſi ſequuntur veteres plerique tum Græci tum Latini, tamen rectè repudiat Cle-
mens, quoniam, vt rectè obſeruat eruditiſſimus ille vir Petrus Martyr, ſi ita eſſet, non fuiſſent iſti-
uſmodi mulierum circunductione grauatæ, ſed potius ſubleuatæ Eccleſiæ, ac proinde contra Pau
2 lum hoc ipſum faceret, quod pro ſe adducit. Sed alteram etiam cauſam adiicio, quia videlicet ſu-
peruacaneū eſſet nomen γυναῖκα. Quorſum enim ſubiiceretur, quum omnis ſoror ſit mulier? Dico
igitur neceſſariò oportere ſororē vxorē interpretari, quorū illud ſit latius, iſtud anguſtius: & illud
prius expreſſum fuiſſe ab Apoſtolo vt maior eſſet ſententiæ emphaſis: additum autem iſtud poſte-
rius, quòd alioqui honeſtum non fuiſſet mulieres etiam fideles circunducere. Cæterùm quæ de Io
Exceptio 4. anne ſubiicit, *ipſum videlicet quia virgo fuerit plus fuiſſe amatum, & quòd poſt reſurrectionem ſolus vir-
go virginem agnouerit: quod dicatur non moriturus, quia virginitas non moritur, nec ſordes nuptiarum ab-
luantur cruore martyrii, ſed maneat cum Chriſto: denique propterea etiam fuiſſe non tantùm Apoſtolum
vt Petrum, ſed etiam Prophetam, & Euangeliſtam, & quidem aliis præſtantiorem, quia expoſuit virgini-
Refutatio. tas, quod nuptiæ ſcire non poterant:* iſta inquam, refutatione longiore non egent. Dilexit Ioannem pe
culiari quodam affectu Dominus, pro ſua miſericordia nec eius amoris cauſa in Ioanne ſed in ipſo
diligente quærenda eſt. Non, inquam, fuit dilectus Ioannes præ cæteris quia virgo: ſed ideò virgo
quia dilectus ab eo qui dona ſua diſtribuit vnicuique ſicut vult. Agnoſcit primus Dominū ſtantē
in litore, ſcilicet quia virgo, ac non potius, quia hic eius oculos direxit Dominus, qui ne præſens
quidem ac lateri adhærens, à duobus diſcipulis agnoſci facilè potuit, quòd eorum oculos teneret.
Sordes autem nuptiarum vt & ipſius virginitatis per eum tolluntur qui tollit peccata mūdi: quod
hic ipſe Ioannes apertè teſtatus eſt, ita ſcribens, Si dixerimus nos peccatū non habere, mendaces
ſumus. Itaque quòd diutius manſit ſiue ſuperſtes fuit in hac vita quàm reliqui, cauſa præcipua &
germana fuit, Dei bonitas, Eccleſiā ſuam reſpicientis: deinde verò illa ipſa fides qua etiam inter-
ueniente tranſlatus eſt Enoch, ne videret mortem. Denique quod Petrum Hieronymus ſpoliat
Euangeliſtæ & Prophetæ titulo, vt eius ſpoliis Ioannem veſtiat, non rectè facit, quum ipſemet a-
libi referat Marcum ex ore Petri excepiſſe Euangelicam hiſtoriam, cuius proinde verus auctor
fuerit Petrus, deſcriptor autem Marcus. Propheticæ vero in altera Petri epiſtola quales & quàm
veræ extent qui non ſentit, ſanè nihil ſentit. Demus tamen hoc ita eſſe, prout varia ſunt Dei dona,
nec vna eorum menſura, quorſum hæc vt ſordeſcant nuptiæ?

Tertium Iouiniani arg. Exceptio Hieronymi. Obiiciebat etiam Iouinianus ad dignitatem Coniugii aſſerendam locum illum Pauli, Salua ta-
men fiet per filiorum generationem. Reſpōdet Hieronymus, quæ nunc nolo copioſius perſequi,
quoniam fortaſſis nec ille quid obiiceret, nec iſte (quod ſine iniuria dictum ſit) quid de re ipſa
reſponderet ſatis expendit. Sed quod inter cætera permiſcuit ſanè nō poſſum prætermittere. Ad-
dit Apoſtolus eo loco, ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ καὶ ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης, id eſt ſi manſerint in fide, in
charitate, & in ſanctificatione & pudicitia. *Non enim* (inquit Hieronymus) *ſobrietas eſt legenda
Refutatio 1. vt male habetur in Latinis codicibus, ſed caſtitas, id eſt σωφροσύνη.* Ego vero miror an potuerit Hierony-
mus exiſtimare, nullum inuentum iri Græcæ linguæ vel penè rudem, qui quid eſſet σωφροσύνη non
intelligeret, ac proinde non facilè agnoſceret, quò ipſum abripuerit iſtius contentionis æſtus. Di
Luc 8.35. cit Lucas dæmoniacum illum quem inuaſerat dæmonum legio, poſtea repertum σωφρονοῦντα ad pe
des Ie-

des Ieſu. Paulus apud eundem, quum Feſtus eum vt furentem argueret, Non inſanio, inquit, ſed Act. 26. 25.
verba eloquor *σωφροσύνης*. An hæc quoque Hieronymus voculam illam adeò ſtudioſè arripiens, ad
ſuum cælibatum tranſtulerit? Imo ne longius abeamus, quum eâdem epiſtola & eodem capite A-
poſtolus iubet vxores ſeſe exornare internis dotibus quæ ſanctas matronas deceant, pudore vi-
delicet & *σωφροσύνῃ*, quis non videt modeſtiam eo nomine ſignificari? Eſt autem varia eius vocis de-
claratio, quum in genere temperantiam declaret, ſed tamen latius etiam pateat, adeò vt omnem
mentis ſanitatem quæ ſeſe intra modum contineat ſignificet. Itaque & temperantiam, & modeſtiã,
& ſobrietatem, & ſanam mentem, interdum interpretari oportet, prout requirit loci circunſtan-
tia. Age tamen dicamus Pudicitiæ nomen hîc optimè conuenire, de quo ſanè nolim contendere,
quum vel præcipua ſit mulierum virtus: an ideò Cælibatus præcipietur? nempe ſi nullæ ſunt vxo-
res pudicæ: qua de re ſaltem autem audiatur caſtus ille poeta ruſticum patremfamiliâs, coniugem
quidem eũmque multorum liberorum patrem, ſed vrbis ſordium expertẽ ſic quoque deſcribens,
Interea pendent dulces circum oſcula nati, Caſta pudicitiam ſeruat domus.

Sed longè deterius eſt quod ſubiicitur, *Tunc ergo*, inquit, *ſaluabitur mulier ſi illos genuerit filios qui* 2
virgines permanſuri ſunt, ſi quod ipſa perdidit, acquirat in liberis. Egregiè profectò, quaſi matris ſalus a Refutatio 1.
filiorum moribus pendeat, niſi ſiquid ipſa fortaſſis in educatione peccauit: quaſi etiam mater nu- 2
bens & coniugium ſanctè colens, aliquam noxam contraxerit à qua in filiis abſoluatur: quaſi ſalua 3
res ſit, ſi liberos genuerit cælibes, aut fortaſſis etiam monachos futuros: quaſi denique in matri- 4
bus ſitum ſit continentiæ donũ quod filiis largiantur. Denique quorſum hæc? Nam certè verbum 5
μείνωσιν quo vtitur Apoſtolus, non poteſt commodè ad *τέκνα* referri, quod nomen non præceſſit ni-
ſi in compoſitione verbi *τεκνογονίας*, ſed ad ipſas vxores pertinet. Neque nos mouere debet numeri
mutatio, quũ de mulieribus vxoribus in genere, non autem de certa quapiam diſſerat Apoſtolus.

Quærebat Iouinianus quæ ſit futura diuerſitas inter viduam & virginẽ baptiſatas, quæ ſic per- Quartum Iouiniani arg.
manſerint. Reſpondet Hieronymus eadem ratione ſcorta & proſtibula ſi fuerint baptiſata, virgi- Exceptio Hieronymi
nibus æquari. Ego quæſtionem hanc miror dignam cenſuiſſe tantos viros, de qua vſqueadeò con- Refutatio 1.
tenderent vt in apertas etiam matrimonii contumelias ruerent. Sed hoc dico non conſequi quod
concludit Hieronymus. An enim pares ſunt vidua & meretrix? Sed hoc etiam dico, quanuis multo 2
laudabilior ſit quæ integrè quàm quæ flagitioſè etiam ante baptiſmum vixerit, neutram tamen
habere de quo in ſeſe glorietur, iſtam verò cui plura remiſſa ſunt, eo ampliorem cauſam habere in
Domino gloriandi: ſed ab iis potius quæ baptiſmi gratiam conſequuntur hanc diuerſitatem eſſe
petendam. Itaque ſi iſta meliores in ſua viduitate, quàm illa in ſua virginitate fructus ediderit, vi-
duam non dubitarim virgini anteponere. Quid viduam? imò & publicam in vrbe peccatricem, ſi
modò quia plus illi condonatum eſt, amplius etiam dilexerit. Addam & iſtud. Des mihi, Hierony- 3
me, vel continentiſſimam virginem baptiſatam, ſed ſuperbam, maledicam, auaram: dem tibi con-
trà proſtitutæ antea pudicitiæ meretricem vel ipſa Laide corruptiorem, ſed iam pœnitentem, &
ſiue in coniugio ſiue extra coniugium maximis plurimiſque virtutibus exornatam audebiſne tu
ipſe illam virginem cum hac mutata peccatrice comparare?

Obiiciebat, & quidem perappoſitè, Iouinianus aduerſus coniugii tanquam rei impuræ hoſtes, Quintum.
Apoſtolicum illud, *Oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum.* Hieronymus autem triplicem exce- 1 Tim. 3. 2.
ptionem regerit, *Sicut*, inquit, *in diſputatione de virginitate & matrimonio Apoſtolus ſuadet quod im-* Exceptio Hieronymi
perare non audet, ne videatur laqueum iniicere, ita & in Eccleſiaſtico ordine conſtituendo, quia rudis ex 1.
Gentibus conſtituebatur Eccleſia, leuiora nuper credentibus dat præcepta, ne territi ferre non poſſent. Deni-
que Apoſtoli mittunt vt non amplius imponatur oneris iis qui ex Gentibus crediderunt, niſi vt ſe abſtineant
ab idololatria, fornicatione, ſanguine & ſuffocatis: & quaſi paruulis & infantibus lac potum dant non ſolidũ Acto. 15. 28.
cibum, nec præcipiunt de continentia, nec de virginitate ſignificant, nec ad ſumma prouocant, nec dicunt il-
lud, ne habeant duas tunicas, &c. In hac porrò exceptione, Deus bone, quis agnoſcat Hieronymi acre Luc. 9. 3.
illud iudicium, & eruditionem minimè vulgarem? Primùm enim tantum abeſt vt in illa deſignan- Refutatio 1.
di epiſcopi deſcriptione quippiam mediocre proponat Apoſtolus ſicut rudibus diſcipulis ſolent
magiſtri, vt contrà propoſuerit perfectiſſimum paſtoris exemplar, quale nullius oratoris apud Rhe
tores inuenias. Sed quoniam neſcio qua penè fatali cælibatus perſuaſione faſcinatus Hieronymus,
virginitatem pro omnium virtutum quadam, vt ita loquar, *ἀρετὴν* ducebat, idcirco nulla ſumma-
rum illarum virtutum habita ratione quas in paſtore Apoſtolus requirit, perperam ſanè de 2
re tota iudicauit. Deinde quod de illo Apoſtolorum reſcripto profert quàm appoſitè dicitur? Et-
ſi enim habita eſt Gentium ratio quum Circuncifionis onus illis non imponeretur, tamen hoc id-
circo propriè factum non eſt vt earum infirmitati conſuleretur, ſed quoniam, vt in ipſa Synodo
Petrus oſtendit, iniquum fuiſſet atque adeò Domini voluntati repugnans, ceremoniarum iugum
iis imponere qui ſemper fuerant eius expertes. Et quod additur de ſanguine & ſuffocato non ar-
guit Gentium ruditatem, ſed Iudæorum, quibus vnis hoc tribuitur, quum Gentes multò eſſent in
Chriſto adultiores, contrà quàm opinatus eſt Hieronymus. Denique ſicut nulla fuit in Paulo 3
infirmitas, ſed in Iudæis, quòd Timotheum circuncidit, Græca videlicet matre natum (nunquam
id alioqui facturus) ita iſtud Apoſtolicum interdictum Iudæis datum eſt non Gentibus. Sed & il- 4
lud quo iudicio ſcripſit Hieronymus de præcepto continentiæ, quod cibum ſolidum vocat? Nam
ſi ita eſt, certè nulli vnquam ſolidus cibus eſt ſubminiſtratus. Nam coniugii præceptum lego ſal-
tem propter fornicationem, virginitatis autem præceptum nuſquam, nuſquam, inquam, in ſacris
literis inuenio, ſed ſuaſionem duntaxat: & quidem additã multiplici reſtrictione, nempe propter
inſtantem neceſſitatem, vt vitetur ſolicitudo nos à melioribus auocans, denique ſiquis quod velit
hoc poſſit, ſiue ſiquis non vratur. Nec dicit Apoſtolus ſe hæc ita ſcribere quòd vereatur ne virgini-

tati parea eſſe non poſſint Corinthii.ſed cōtrà,quòd eis pareat, ne videlicet ſi ad eam quæ immine
bat tempeſtatem secederet coniugii pondus,penitus obruerentur. Nec etiam dicit ſe hortati dun
taxat ad id quod expedire ceuſebat,ne videretur eis laqueū iniicere, ſed ne ipſis,iniiceret laqueū.
5 Poſtremò,quum Hieronymus verba illa Chriſti, *Ne poſſidete duas tunicas*,accipit, pro ſolido cibo,
omnibus,niſi infirmitas prohibeat, conueniente,multis modis aberrat à Chriſti ſcopo. Peimùm
enim ſolis Apoſtolis hoc ſemel dictum eſt, ìdque peculiari certè de cauſa, nempe vt plenam ex-
perientiam facerent ſummæ potentiæ præceptoris, à quo poſtea ſuo tempore mittendi erant in
vniuerſum terrarum otbem. Et quæſo quando hoc illis mandatum eſt? tum certè quum prorſus
adhue rudes erant,& lacte indigebant, nedum vt hic fuerit ſolidus ille cibus. Quòd ſi quis roget,
cur igitur onus adeo difficile tam infirmia impoſuerit, quum præſertim illos iam confirmatos
in orbem terrarum mittens,eadem illa non repetierit? reſpondeo longè facilius fuiſſe mandatum
illud,quamuis prima fronte longè aſperrimum videatur. Nam (vt de præceptoria præſentia ta-
ceam quæ vnica tum illos fulciebat,vt paſſim apparet) longè alius fuit apud ſuos gentiles obire
breuis temporis legationem,quàm ad vniuerſum orbem expugnandum mitti aliud quoque mitti
Matt 10 16 Luc 22 35. viatico quidem vacuos,ſed breui ad præceptorem reuerſuros, addita promiſſione fore vt nihil ta-
men ipſis deeſſet,quàm dicere, Ecce ego mitto vos vt oues in medio luporum. Itaque tum rogan-
1 Cor. 4. 8. ti Domino reſpondent nihil ſibi deſu iſſe:poſtea verò ſæpe defuerunt eis multa, quanuis nunquā,
Exceptio Hieronymi altera. vt ait Apoſtolus,fuerint à Deo deſtituti. Alteram exceptionem mutuatur Hieronymus à tempo-
ris ſui conſuetudine. *Nam*,inquit,*fatetur Iouinianus non poſſe Epiſcopum eſſe, qui in epiſcopatu filios*
Refutatio 1. *faciat. alioqui ſi deprehenſus fuerit,non quaſi vir tenebitur.ſed quaſi adulter tenebitur. Oportet ergo Epiſco*
pum eſſe vnius vxoris virum,id eſt,qui vnam vxorem habuerit,non habeat. Atqui manifeſta etiam eſt i-
ſta cauillatio. Neque enim ſcripſit Apoſtolus γεγονέναι fuiſſe, ſed εἶναι eſſe:quanquam in eo ſanè aſſen
2 tior Hieronymo & Chryſoſtomo,nō eſſe hæc Apoſtoli verba ſic accipienda quaſi nullus niſi vnius
vxoris vir ſit ad miniſterii munus deligendus. Quod autem ad illum morem attinet nullum epiſco
pum maritum deligendi niſi qui vxoris vſui renunciaret:fateor vetuſtum quidem fuiſſe, ſed Ro-
mæ duntaxat præciſè ſeruatum,vbi conſtat vixiſſe & docuiſſe Iouinianum. Verùm quid ad nos ſi
Romana Eccleſia iam tum pietatis prætextu myſterium iniquitatis moliens,laqueum iniicere vo-
luit imperitorum conſcientiæ? Tyrannicam autem ac planè Satanicam fuiſſe iſtam legem cæliba-
tus, non tantùm illud oſtendit quòd manifeſtè repugnat Apoſtolicæ doctrinæ, ſed etiam quòd à
Nicæna Synodo clarè & expreſſè redarguatur: vnde etiam factum vt à ſexta ſynodo OEcumenica
ob eam cauſam Romana Eccleſia diſertè quod ad presbyteros quidem & diaconos, fuerit repre-
3 henſa,præſentibus nec repugnātibus Agathonis Papæ Romani τοποτηρηταῖς, qua de re alibi plenius
Exceptio tertia Hieronymi. diſſeremus. Vrget tamen Hieronymus in eandem ſententiam, σώφρονα & ἐγκρατῆ nomina quibus
ibidem vtitur Apoſtolus. Sed iam oſtendimus iſta maritis quoque fidelibus quadrare. Conatur ta-
1 Cor. 7 5. men præterea Hieronymus iſtum morem ſic excuſare. *Si laicus*,inquit, *& quicunque fidelis,orare non*
poteſt,niſi careat officio coniugali:ſacerdoti,cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum
eſt. Si ſemper orandum eſt,ergo ſemper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege.qui pro populo hoſtias
offerebant,non ſolum in domibus ſuis non erant,ſed purificabantur ad tempus ab vxoribus ſeparati: & vi-
Refutatio 1. *num & ſiceram non bibebant,quæ ſolent libidinem procreare.* Hæc verò ſi ſic haberent, quis tandem nu
2 beret in Domino? Sed de quibus precibus agat Apoſtolus,abundè dictum eſt à nobis. Quod autē
3 citat ex lege,nuſquam extat neque quod ad coniugalis coitus immunditiem, neque quod ad vxo-
Ambroſius 1 ad Tim. c. 4. rum ſeparationem attinet, vt ſæpe mirari ſubierit ab Ambroſio quoque id dici, & Auguſtinum in
Auguſtinus quæſt in Leuit 6: & Retract lib 2. c. eo qui nuſquam eſt expediendo nodo tantopere laborare. Longè itaque rectius Chryſoſtomus,
Quomodo,inquit,*honorabiles ſunt nuptiæ,ſi nos tantopere impediunt?* Et mox, *Si qui impediti ſunt ex nu-*
ptiis ſciant quòd non nuptiæ illis impedimento fuerunt, ſed voluntas quæ malè vtitur nuptiis. Nam neque
1. Chryſoſt. in epiſto. ad Heb ho. 7 *vinum facit ebrietatem,ſed mala voluntas,& moderationis exceſſus. Vtere cum moderatione nuptiis, &*
Hieron. Occa no ſoter. 2. *PRIMVS ERIS IN REGNO,& omnibus fruêris bonis.* Denique opponamus ſibiipſi
Obiectio. Hieronymum longè rectius alibi de Epiſcopis coniugatis ſcribentem. *Quæritur quid ſit*, inquit,*in*
Reſponſio. *ordinando Epiſcopo,non quid fuerit.quare verò ſolum vxoris nomen impediat,quod ſolum peccatum non*
ſit? Neque verò,inquiet fortaſſe quiſpiam,dixit vſquam Hieronymus,nuptias eſſe peccatum. Re-
ſpondeo vt totidem verbis id non dixerit, imò quoties libuit, hæreticorum eſſe teſtetur nuptias
damnare:eum tamen ſatis ex ore ſuo conuincei. Quid enim eſt aliud peccatum quàm quod malum
eſt? quàm quod non niſi ex venia licet? cuius denique tanta eſt immunditia, vt ei vacare & Chri-
ſtiani officium implere, imò ne precari quidem poſſis? Sed hoc ex iis quæ mox ſubiiciam ma-
Sextum Iouiniani arg. gis etiam liquebit.
Exceptio Hieronymi 1. Quærebat quoque Iouinianus, Si omnes fuerint virgines, quomodo ſtabit genus humanum?
Hic verò miris modis Hieronymus tergiuerſatur,nec tamē elabi poteſt. *Quid ſi*,inquit,*omnes fue-*
Refutatio. *rint viduæ,vel in matrimonio continentes?* Reſpondebit Iouinianus ne hoc quidem fieri oportere, &
Exceptio 2. Refutatio 1. tu nodum non expedieris, Hieronyme. Iterum excipit Hieronymus, *Vereris ne ſi virginitatem plures*
appetierint,ceſſent lupa, ceſſent adultera,ne infantes in vrbibus & villis non vagiant. Facis verò mihi in-
iuriā, Hieronyme,potuit optimo iure regerere Iouinianus,qui ſtupra & adulteria fugienda ſuadeo
2 cū Apoſtolo quū nuptias ſuadeo. Imò hoc vereor potius,ne manente iſta Tyrannica cælibatus le-
ge eueniat quod Paphnutius iam olim Synodo Nicenæ prædixit, & euentu iam cœpit confirmari,
3 id eſt, vt pro legitimis vxoribus,omnia concubinis, ſcortis, turpiſſimis denique libidinibus con-
ſpurcentur,quia eò deuenire tādem oportet qui remedium oblatum aſpernantur. Vereor & illud
ne ſi perſuaſeris quod tu dicis contra Dei verbum, malum eſſe nimirum mulierem tangere, per te
non ſtet quominus illi ex ſanctorum connubio propagentur.

Dicebat

Dicebat etiam Iouinianus, non pro ſcortatoribus aut adulteris, nec contra continentiam, ſed *Septimum Iouiniani argumentum.*
contra iſtos qui virginitatis admiratione nuptias, non verbo quidem, ſed reipſa damnabant, alij
quidem in omnibus ſimpliciter, (vt ex ſuperioribus Hieronymi argumentis liquet, & multo ma-
gis ex iis quæ ſequuntur conſtabit) alii verò in Clero duntaxat, tanquã ſacerdotii puritas matrimo
nio contamineretur: dicebat, inquã, aduerſus iſtos Iouinianus, *Cur igitur creata ſunt genitalia, & ſic à* *Exceptio Hierony. 1.*
Conditore ſapientiſſimo fabricati ſumus, vt mutuũ noſtri patiamur ardorem, & geſtiamus in naturalẽ copu- *Refutatio.*
lã? Hieronymus reſpondet, ſed tamen titubans, ad alios etiã vſus eas partes eſſe conditas. Hoc ve- *Exceptio 2.*
rò nihil ad rem. Loquimur enim de alio vſu qui negari non poteſt. *Nunquam ergo ceſſemus*, inquit,
à libidine, ne huiuſmodi membra fruſtrà portemus. Cur enim maritus ſe abſtineat ab vxore? Cur caſta vi-
dua perſeueret, ſi ad hoc tantùm nati ſumus, vt pecudum more viuamus? aut quid mihi nocebit ſi cum vxore
mea alius concubuerit? Quorſum eunuchos propter regnum Dei commendat Dominus? cur Paulus imò Do-
minus ipſe has etiam partes habuit? Pudet enim me Hieronymi verba omnia huc adſcribere. Atqui *Refutatio.*
hoc quidem non eſt reſpondere, ſed calumniari. Scortatio certè & adulterium contra hominis ra-
tione præditi, nedum contra Chriſtiani & regeniti hominis naturam eſt. Loquitur autem Iouinia-
nus de rectò illarum partium vſu: & hoc dicit, Hieronyme, vel non ſapienter fabricatos fuiſſe ho-
mines, & accuſandum in ipſa natura humana opificem: vel fatendum eſſe in naturam & naturæ ar
chitectum peccare qui ab illarum partium vſu legitimo tanquam à re nonniſi ea comparatione
deterioris mali bona, homines auocent: qui denique omnes quantum in ſe eſt cuperent eſſe cæli-
bes, & Apoſtoli verba, *Velim omnes eſſe ſicut meipſum*, eò detorquent. Tuum verò fuit non tergi-
uerſari neque abſurda iſta opponere, ſed ſolidas rationes opponere, vel ſententiam mutare. Quæ- 2
ris cur igitur laudentur qui ſeipſos caſtrarunt propter regnũ Dei? quaſi verò Domino nõ liceat
quos ad rectum vſum formauit, ad alium etiam præſtantiorem traducere: & quaſi non ſint maxi-
ma laude digni qui hac etiam in parte ſe ipſos abnegant. Sed hoc ſanè iis demum conuenit quibus
datum eſt, & quandiu datum eſt. Manet interea communis ordo naturæ ſic Dei opificis decreto
confirmatus, vt quicunque illũ voluerit, quocunque id obtentu fiat, reſcindere, tandẽ ſeſe θεομαχεῖν
magno ſuo malo experiatur. Eâdem autem ratione concidit quod de Paulo ipſóque adeò Domi- 3
no noſtro certè non admodum πρέποντως eodem loco ſcribit Hieronymus.

Denique quum Iouinianus obiiceret Dominum præſentia ſua nuptias honoraſſe, duo reſpon- *Octauum Iouiniani arg.*
ſat Hieronymus, quem tamen oportuit ſimpliciter aſſentiri, ſi nuptias eſſe τιμίας verè cum Apoſto- *Exc. prĩo Hierony. 1*
lo ſentiebat. Primùm igitur inquit hîc quoque Iudaicam conſuetudinem obſeruaſſe Dominum, *Refutatio 1.*
ſicut & idem circunciſus eſt, ne Iudæis iuſtam cauſam ſe interficiendi tribuere videretur. quaſi ve-
rò vel nuptiæ ſint ex legalium ceremoniarum iam abolitarum numero, ac non ipſo paradiſo, per-
petuo & inuiolabili naturæ fœdere ſancitæ: quarum dignitatem imminuit quidem corruptio ſu-
perueniens, non autem ſuſtulit. Deinde ponamus ad nuptias inuitatum Dominum venire recuſaſ- 2
ſe, quis eum propterea damnare naturam vel vt legis tranſgreſſorem mortis reum cenſuiſſet? Imò 3
(quod iam toties Hieronymum feciſſe oſtendimus) quum quicquid in carnis opera ſcriptum eſt
aduerſus nuptias torqueret, & quum argumentum illud Iouiniani, Si omnes virgines fuerint,
quomodo ſtabit humanum genus, oppugnaret, hoc ſanè fuit naturam damnare. Denique vnde cau 4
ſam iſtã deſumpſit Hieronymus, legis à Domino impletæ? Longè enim aliter hac de re ſenſit Apo *Gal 4.4.*
ſtolus, ſcribens ideò factum ſub lege vt eos qui ſub lege erant redimeret: Oportuit enim ab eo iu-
ſtitiam omnem impleri, qui factus eſt nobis à Deo patre Iuſtitia. Secundò reſpondet qui ſemel ve *Exceptio Hieronymi altera.*
nit ad nuptias, ſemel docuiſſe eſſe nubendum. Ergo, Hieronyme, primas ſaltem nuptias non eſſe *Refutatio 1.*
malas tam tandem confiteris, quum minime fueris vnquam dicturus, Chriſtum docuiſſe vel ſemel
vel ſæpius eſſe malè agendum *Neque ego verò*, inquis, *coniugium damno, quod eſt hæreticorum*. Verùm
quis hic pudor eſt, poſtquàm omnibus conuitiis & probris coniugium affeceris, negare te nuptiis
detraxiſſe & vno verbulo tot maculas abſtergi poſſe arbitrari? Poſtremò annon illum meminiſſe 2
ſaltem oportuit, quum ineptum & elumbe hoc argumentum ex Tertulliano repeteret, quid in eũ
tot antè annis duriſſimè ſcripſiſſet, nempe hominem Eccleſiæ non fuiſſe?

Sed fortaſſe rogabit quiſpiam quid igitur hac de re mihi videatur. Reſpondeo, quòd ad huius *De Cælibatu & virginitatis præſtantia quid ex Dei verbo ſentiẽdũ.*
vitæ tranquillius transigendæ commoditatem & rationem attinet, cælibatum in iis quidẽ qui non
vruntur, meritò nunc (id eſt poſt ingreſſum peccati in mundum) anteponi coniugio, duabus
præſertim de cauſis. Cælebs enim liber eſt à plurimis maximíſque rei domeſticæ curis, ac proinde
ad præſtantiora ſine diſtractione meditanda multo eſt accommodatior: quas ob cauſas accedente
etiam tertia nempe temporum vel præſentium vel imminentium aſperitate, pronuntiat Apoſto-
lus melius facere, & beatiores, id eſt, meliore conditione eſſe cælibes quàm maritos. Sin verò de
futuræ vitæ præmiis quæritur, primùm illud dico nullum neque virginibus neque coniugatis præ
miũ deberi, ac proinde Chriſtianos iſtam quæſtionem nõ admodũ decere, vt qui potius de eo labo
rent quomodo ſint Domino ſuo placituri, quàm quid ab eo mercedis inutiles ſerui ſint accepturi.
Et certè fuit hæc inſignis verſutia Satanæ, vt magnos alioqui viros in mercedis potius quàm in
laboris meditatione occuparet. Scripturam verò quum ſatis conſtet nihil de iſtius generis contro
uerſiis ſtatuere, ſed iubere potius vt quæ praua ſunt fugientes, & quæ recta ſunt ſequentes, voca-
tionis noſtræ curſum ſiue coniuges ſiue virgines alacriter obeamus de corona noſtra ſecuri,
quorſum iſta, quæſo, digladiatio? Cur non enim æquè diues Eccleſia, bonis & ſanctis
coniugibus, atque virginibus abundans? & à quo ſpiritu profectæ ſint iſtæ contentiones an-
non exitus ipſe ſatis demonſtrat? Sed age, vt hoc quærere licuerit fœlici filo, vtinã nõ imaginario,

ſeculo, in quo de virtutum præſtantia certamen erat, quorſum hæc ad illos qui legis cælibatus
prætextu, teſte Deo & angelis, ipſiſque adeò diabolis, penè opinor, cohorreſcentibus, orbem ter-
rarum in Sodomam & Gomorrham transformarunt? Nullus certè, ne iſtorum quidem, igno-
rat eò rem rediiſſe vt mundus hodie vniuerſus nihil ſit aliud quàm ſpurciſſimum lupanar. Et nos
ſcilicet carnis libertatem prædicamus, qui nemini iniiciendum virginitatis perpetuæ laqueum, &
vnicuique continentiæ donum non habenti accipiendam vxorem quicum ſanctè & pudicè vi-
uat, cum Apoſtolo docemus. Sed ad rem. Si pro modo, quanuis non pro merito certaminis, dona-
bitur brabium, vtcunque admirer in ſanctis continentibus ſingulare & angelicum potius quàm
humanum Dei donum: non poſſum tamen viciſſim non prædicare eorum fortitudinem qui coniu
gii pondus ſic perferunt vt non ſuccumbant. Commune enim eſt, quamuis non æquale, certamen
cum incontinentia, tum virginibus tum coniugibus. Coniuges verò quàm varias & multiplices
obire pugnas neceſſe eſt, quas penitus cælibes ignorant? Denique quod ſæpe iam dixi, apertè ite-
rum dico, neque virginitatem neque coniugium in earum rerum numero cenſeri oportere quæ
per ſe ſint expetibiles, vel in quibus per ſe poſitum ſit regnum Dei: ſed quatenus vel ad illam vel
ad iſtud vocatus eſt quiſpiam, & ſua vocatione bene vtitur ad Dei gloriã & proximi ædificationẽ,
Mat. 13. 8. coronari tum cælibes tum maritos prout certarunt. Itaque totum illud de centeſimo ſiue ſexage-
ſimo virginum & de triceſimo viduarum fructu, excluſis coniugibus (quorum tamen vberri-
mos fructus iam pridem carpit & carpet ad extremum vſque Domini aduentum Eccleſia) vt ina
ne & abſurdum ſomnium repudio: quum nihil ibi tale commemoret Dominus neque de vitæ æ-
ternæ vel pari vel impari præmio, ſed de verbi Dei in præſenti vita efficacitate diſſerat. Et de Hie
ronymo quidem hactenus.

Ne quis autem me calumnietur non tam aſſerendæ veritatis quàm nouandarum rerum, aut iã
receptæ nouationis, vt nonnulli loquuntur, defendẽdæ ſtudio, non in iſtã Hieronymi reprehen-
ſionem incidiſſe, ſed vltrò eam quæſiuiſſe: præterquam quòd conſcientiæ meæ teſtem Deũ ipſum
appello, ſpero æquos omnes lectores re ipſa facilè quæ mihi mens fuerit æſtimaturos. Apologiã
porrò ipſius Hieronymi cur attingere noluerim ſi quis rogabit, ſciat duabus de cauſis id à me nõ
eſſe factum, quia videlicet quum nihil mihi quidem proferre videatur quod pro iuſta excuſatione
accipi poſſit, illi tamen omnino parcendum potius quàm alteram in eum parandam refutationem
putaui.

Argumenta aliorum pro cælibatu Cleri, ex Dei verbo ſcripto. Iſta verò quæ nunc ſubiicio, diuerſa quidem ſunt à ſuperioribus, ſed partim ex eodem aucto-
re, partim ex aliis ſcriptoribus petita, ad quæ ſigillatim etiam reſpondendum putauimus. Nam il-
la repetere quæ ex Hieronymo deprompta recentiores, ac præſertim blaſphemi põtifices Siritius
& Innocentius primus, ex malis deteriora fecerunt, ſuperuacuus labor fuiſſet.

Argumentũ primum. Proferunt exempla quorundam à condito mundo ad Chriſti aduentum qui cælibes vixerunt.
Reſpon. 1. Atqui non quæritur an cælibatus ſit vitæ genus Deo probatum, (quis enim hoc negat, modò ad
rectum finem referatur?) ſed an ſit Verbi miniſtris neceſſarium, & ita quidem vt votum præeat or
2 dinationi. Itaque abſurdè iſta citantur, vt interim taceam pauciſſimos illos fuiſſe, nec omnes ex
Obiectio. Prophetarum aut ſacerdotũ numero. Imò ipſi inficiari non poſſunt ſub lege ſacerdotes ipſúmque
Reſponſio. adeò Pontif. Maximum ac Leuitas fuiſſe coniugatos. Sed excipiunt id neceſſitate factum, quòd ex
ſola tribu Leui deligerentur ſacerdotes, quorum alioqui genus intercidiſſet, quæ ratio nunc non
obtinet. Ego verò ita id oportuiſſe ob eam etiam cauſam fieri concedo: ſed hanc ſolam fuiſſe coniu
gii ſacerdotum cauſam fortiter nego, verùm hanc potius quò etiam reſpexit Apoſtolus, quum dice
ret, Propter ſcortationem autem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat. Fuerunt enim & illi ho-
mines: neque peculiarem continentiæ promiſſionem à Deo habuerunt.

Argumentũ ſecundum. Leuit. 15. 18. Citant Legem Domini, vbi immundus pronuntiatur à quo manat ſemen cubilis, (ſic enim ha-
bent Hebræa) quod ipſi de quouis coitu interpretantur, adeò quidem vt Auguſtinus in hoc nodo
Augu. quæſt. in Leuit. quæſt. 52 & lib. retract. 2. cap. 55. expediendo plurimùm laborarit. Sed mirum eſt illos non animaduertiſſe quod ex epitheto non te-
merè adiuncto liquet, nempe Moſen initio capitis illius 15. agere de gonorrhœa quam vocant, po
ſtea verò de ſeminis per quietem inuolũtario fluxu diſſerere, vt ipſe quoque Caietanus agnoſcit.
Reſpon. 1. Quis igitur pudor, imò quæ inſcitia fuit hoc torquere aduerſus cubile nuptiarum impollutum?
Deinde illud quoque animaduertere debuerunt legalem & externam duntaxat fuiſſe iſtã pollutio-
2 nem vt & alias multas: ac proinde nullum nunc ei locum relinqui, niſi cætera etiam legalia velint
3 in vſum reuocare. Poſtremò non tantùm ad ſacerdotes, ſed ad quoſuis etiam ex populo lex iſta
pertinebat. Vbi autem comperient prohibitos maritos à templi aditu & vllis ſacrificiis, quoties v-
xores ſuas attigiſſent? Non eſt igitur quòd veterum hac in re conſuetudo nobis opponatur, de qua
Hieron. in apologia ad Pamachium. tamen Hieronymus, *Ipſorum,* (inquit) *conſcientiã conuenio qui eodẽ die poſt coitũ cõmunicant, quare ad
Martyres ire non audẽt? quare nõ ingrediũtur Eccleſias? an alius in publico, alius in domo Chriſtus eſt? Quod
in Eccleſia non licet, domi non licet.* Chryſoſtomus autem durius etiam loquitur, & quidem, quod
Chryſoſto. hom. 51. in Matth. mirum eſt, lectum nuptiarum incontaminatum eſſe profeſſus *Quo die,* inquit, *liberis legitimè operã
dediſti, quamuis illud crimen non ſit, orare tamen non audes.* quod tamen quum ad ſolas preces publicas
pertineat, viderit Hieronymus, quo iure illud ad priuatas etiam trahat, errorem ſuum ita excuſans
vt etiam duplicet, quum in Apologia repetit abſurdiſſimum illud argumentum *Si ſemper orandum
eſt, nunquam ergo coniugio ſeruiendum:* & huc etiam manifeſtè torquet illud Petri, *ne impediantur ora-
tiones noſtræ.* Cæterùm illa cõſuetudo, etſi ex eo manauit quòd quàm religioſiſſimè cupiebãt accipi
tantæ rei ſacramẽta (quod ſtudiũ nõ poteſt nõ magnopere laudari) tamen quũ in nuptiarũ opere
ſtatuat

ſtatuat peccatum quod à Chriſti communione arceat, atque adeò ab Eccleſiæ corpore nos auel-
lat,manifeſta fuit ſuperſtitio,præter Dei verbum inuecta: quanuis editi ſint Canonca poſtea qui-
bus non modò confirmaretur,ſed etiam plurimum augeretur. Itaque mirum non eſt ex eo errore
qui per ſpeciem religionis irrepſerat, maiorem etiam abuſum exortum, nempe vt quibus religio
erat ad templum accedere,religio non eſſet domi cœuá priuatam facere, id eſt,ſacra myſteria ma-
nifeſtè prophanare, ſi Paulo credimus. quod tamen ſatis ex eodem illo Hieronymi loco apparet
fuiſſe Romæ præcipuè ſactitatum,quòd tum illic quotidie corpus Domini accipere cõſueuiſſent, Iuſt.apolo.2.
quum tamen Iuſtini ætate diebus tantùm Dominicis ſynaxis celebraretur. Ex eodem fonte, id eſt,
ex illo Leuitici loco perperam expoſito, profluxit & illud argumentum ab Ambroſio expreſſum,
& ab aliis poſtea inculcatum, *ſemper miniſtris continendũ, quia ſemper orandum & iugiter ſacrificandũ*,
cui noua refutatione non eſt opus. Sed execrabiles ſunt profectò Syritii & Innocentii voces, quũ
iſtud tam falſum & Dei verbo repugnans argumentum ſic cupidè arripuerunt vt aduerſus coniu-
gium quicquid in turpiſſima lupanaria dici poteſt euomuerint, arbitrati nimirum domum Domi
ni pulcherrimè repurgatum iri,ſi coniuges à regno Dei quantum in ſe eſt, exclusiſſent. Syritii au-
tem in primis pudenda etiam eſt inſcitia, & incredibilis audacia, quum annuas ſacerdotum vices
fuiſſe ſcribit, quibus ipſos ab vxoribus ſeiunctos fuiſſe comminiſcitur.

Auſus etiam eſt furioſus ille Smytheus reponere rancidum illud pro ſacerdotum cælibatu ar- Tertiũ arg
gumentum quòd videlicet iuberentur Iſraelitæ accinctis renibus agnum Paſchæ edere: quo ri-
tu (inquit) ſignificata eſt caſtitas. Reſpondet doctiſſimus P. Martyr, præterquàm quòd totum Reſponſio.
hoc allegoricum eſt,aliam cauſam huius ritus ab ipſo Moſe exprimi:& tamen vt caſtitatem ita ſi-
gnificatam fuiſſe demus,pertinere quoque caſtitatem ad cæteros, atque adeò ad vniuerſum popu
lum:ac proinde ſi valeret hoc argumentum, excludendum fuiſſe ab his conuiuiis totum Iſraelem.

Ex nouo Teſtamento citant Mariæ virginis votum. Neque verò ignoramus quid veteres ea de Quartũ arg
re ſenſerint & ſcripſerint. Verùm vnde tandem votum iſtud eliciunt? De perpetua ſelectiſſimæ il- Reſponſio 1.
lius virginis virginitate non ago,quam minimè ſanè inficior, quum ante partum quidem Virginẽ
fuiſſe & ex Eſaiæ prædictione & ex Matthæi narratione certiſſimè conſtet, poſt partum verò à Io
ſepho fuiſſe cognitam neque vſquam legamus,nec ſanè ſit probabile. Eius ergo puriſsimam virgi-
nitatem minimè in dubiũ voco,ſed de voto quæro, vnde tandem colligi poſsit: quia non modò
nulla eius rei mentio apud Matthæum, ſed etiam contrarium manifeſtè colligi poteſt ex eo quòd
eſſet viro deſponſa. Quorſum enim deſponſatio,ſi verè nubere non inſtituerat? Nec rurſus inficior
Dei prouidentia ita fuiſſe factum,ſed aliud tamen ipſius Mariæ conſilium fuiſſe dico,quum præſer
tim,vt ex eius perculſione apparet,minimè in mentem ei veniſſet quod poſtea nuntiauit Angelus.
At enim(dices) cur igitur excipit ſe virum non cognoſcere? Nempe,vt etiam idem D. Martyr e-
gregiè obſeruauit, cogitans virgo quid tandem ſibi vellet tam inexpectata & ſibi adhuc virgini
minimè conueniens ſalutatio,modeſtè & prudenter de rei futuræ modo & ratione quærit. Nam ſi
vſitata futura erat conceptio,differendus ſaltem videbatur nuptius quoad vſque marito eſſet con-
iuncta. Sin verò potius,quod ex Angeli verbis proculdubiò colligebat, extra ordinem id futurum
eſſet, cupiebat & illud, quantum virgineus pudor patiebatur, edoceri: ſubuerita nimirum ne alio-
qui de fama ac de vita etiam periclitaretur, ſi grauida necdum nupta deprehenderetur. Quorſum
autem hæc ad votum? Poſteà verò vouiſſe virginitatem vnde colligemus,quanuis illibatam ex cõ-
ſenſu Ioſephi,cuſtodis potius quàm mariti,permanſiſſe vltrò concedam? Poſtremò quorſum hæc
ad Clerum voto perpetui cælibatus conſtringendum?

Euerſo porrò legis Cælibatus fundamento præcipuo,quum quæcunque ex verbo Dei ſcripto Legem cæli-
nonnulli proferunt, partim abſurdè citent, partim etiam manifeſtè nec ſine blaſphemia torqueãt: batus nõ eſ-
neceſſarium eſt vt à verbo Dei depulſi aliunde ſubſidium petant qui Cleri cælibatum adeò perti- ſe ex tradi-
naciter defendũt. Hinc enim efficitur (quod etiam Thomas & ſaniores Scholaſtici fatentur) vel à tione Apo-
traditione Apoſtolica nõ ſcripta,vel à iure Eccleſiaſtico quod vocãt,promanaſſe,aut ſi neutrũ etiã ſtolica ſcri-
iſtorum verum eſt,manifeſtè damnandam eſſe Legem quæ à Deo nullo modo profecta doceatur. pta.

Traditionem autem Apoſtolicam ſcriptam eſſe quî tandem probabunt, quum in ſcriptis Apo- Argumentũ primum.
ſtolicis nuſquam extet? Canonas enim illos ita vocatos, pro Apoſtolicis habere iſti non poſſunt, Obiectio 1.
quin à Papa Gelaſio diſſentiant,ac proinde Catholici eſſe deſinant: ſiquidem, vt ipſi arbitrantur, Reſponſio.
eadem eſt illa Romana ſedes quæ & Eccleſia Catholica. Clementis verò διαταγὰς quis tandem niſi
ſummè impudens vt Apoſtolicas tueri poſſit? Nos tamen & iſtas & illos ſuo loco, fauente Deo, Obiectio 2.
expendemus,ac ne iſtis quidem fauere oſtendemus. Reſponſio.

Supereſt igitur vt traditio iſta ſit ἄγραφος. Sed quî potuit vel ſine ſcriptis tradi, vel etiam tolerari Legem cæli-
ab Apoſtolis quod non modò non extat in eorum libris (quibus tamen affirmo complexos fuiſ- batus nõ eſſe
ſe quicquid ſaltem directè conſcientiam reſpicit) ſed etiam illorũ ſcriptis ex diametro repugnat? ex Apoſtoli-
Quid enim attinet tergiuerſari? Imperari coniugium iis ſaltem qui vruntur non eſt quòd quiſquã ca traditiõe
niſi præfractus inficiari poſſit. Sed audio quid excipiant. Contendunt ex veteribus etiam pleriqne ἀγράφῳ.
hoc non pertinere ad eos qui continentiam vouerint. Atqui vitioſiſſimum eſſe hoc argumenti ge Obiectio 3.
nus ne pueri quidem ipſi in ſcholis ignorant,quum illud ipſum de quo quæritur, ad alterius proba-
tionem aſſumitur, quod petitionem principii vocant. Hoc igitur nobis imprimis demonſtre-
tur, votum perpetuæ continentiæ, aut præcepto aliquo, aut exemplo ex ſacris literis petito ni-
ti: deinde ab eis qui ad munus aliquod Eccleſiaſticum vocabantur id genus voti flagitatum
fuiſſe: ac tertio demum loco nobis oſtendant cur Paulus hac ipſa de re ex profeſſo rogatus à

Corinthiis,ne γρῦ quidem iſtius diſtinctionis meminerit. Quum enim adeò grauiter iſtorum iudi-
cio peccent qui votum iſtiuſmodi violant, quî tandem fieri potuit vt eius exceptionis nullo mo-
do meminerit Apoſtolus? Quid quòd nuſquam virginitatem ne ſuadet quidem, niſi addita ratio-
ne,qua vel ceſſante vel alterius validioris interuentu impedita, nullus ei ſuaſioni locus relinqui-
Obiectio 2. tur?Quid quòd tam expreſsè teſtatur ſe nolle cuiquã laqueũ iniicere? Neque nos verò, inquiunt
Reſponſio. iſti,cuiquam laqueum iniicimus, quum ad vouendum nemo cogatur. Egregium ſanè reſponſum,
quod mirum eſt Apoſtolo in mentem nõ veniſſe: perinde ac ſi quis nullum quidem obtorto col-
lo ad ſuſpendium trahat, ſed pendentes ex trabe laqueos oſtentans ac etiam ad illos inuitans,qui-
cunque ceruicem inſerere vltrò voluerint non modò non eripiat huic periculo, ſed etiam extrica-
re ſe volẽtes pro viribus impediat.Ac ne quis duriorem eſſe iſtam ſimilitudinem arbitretur, ſciat
me diſcedere ab Apoſtoli veſtigiis noluiſſe, qui non continentiam quidem ipſam, (abſit enim
hoc à nobis) ſed ſeruandæ continẽtiæ legem *Laqueum* vocauit. Quid quòd tam multis idem A-
poſtolus Diaconi & Epiſcopi dotes deſcribens, non modò non requirit perpetuam iſtam conti-
nentiam,ſed etiam vnius vxoris virum admittit? Nam quòd nonnulli non vxores ſed ſorores po-
tius fuiſſe volunt, à quibus videlicet ex voto abſtinerent, ne refutatione quidem indigere vel ex
hiſtoriæ Nicenæ Synodo liquidò perſpicitur. Sed de his etiam plenius diſſeremus, vbi de matri-
moniis ipſo iure nullis agetur.Hæc autem eſt huius argumenti ſumma,quantumuis Apoſtolicam
Epiphan. contra Apoſtolicos. eſſe hanc traditionem aſſerant veteres nonnulli, ac præſertim Epiphanius, tamen id ne veriſimile
quidem eſſe,quoniam alioqui à ſeipſis Apoſtolos diſſenſiſſe conſequeretur.

Legi cœlibatus non rectè prætexi ius eccleſiaſticum ſiue poſitiuum. Iam verò ſi interdictum iſtud ab Apoſtolis neque in ſacras tabulas eſt relatum, nec voce tradi-
tum,quid ſupereſt niſi vt ſit Eccleſiaſtici ſiue poſitiui iuris quod vocant? Et ſanè huc adacti confu-
giunt Scholaſti omnes quibus aliquid eſt iudicii,tum quoniam quæ ex verbo Dei proferuntur vi-
dent manifeſtiſſimè torqueri, tum quòd alioqui ſanctiſſimi ſui papæ diſpenſationes tueri non
poſſent. Nos verò quale ſit ius iſtud non Apoſtolicum & tamen Eccleſiaſticum, age diſpiciamus.

Argumentũ primum. Hoc igitur omnes æquos iudices mihi conceſſuros arbitror, ratas eſſe non poſſe leges niſi ab
eo profectas cui condendarum legum ſit poteſtas.Hãc ergo auctoritatem cuiquam vnquam mor-
talium à Deo fuiſſe attributam vt leges conſcientiis ferret oſtendant nobis iſtarum legum Eccle-
Obiectio 1. cum reſponſione. ſiaſticarum defenſores.ſin minus,mirari deſinant nos iſtiuſmodi iugum recuſare. Moſen audio le-
ges etiam huiuſmodi ferentem,ſed quas ex ore & manibus Domini acceperat,quibus addere quic
quam aut detrahere,ne tum quidem cuiquam mortali fas eſſet,quum Deus adhuc πολυμερῶς ϗ πο-
2 λυτρόπως loquebatur. Danidem & Solomonem audio in ſtructura templi quædam præter taberna-
culi dimenſiones ædificaſſe, ſed illum quidem Prophetam, iſtum verò patris monitis obtempe-
rantem. Leges autem de ſacerdotum & Leuitarum vicibus præterquàm quòd ex eodem Spiri-
tu manarunt,ad ordinem propriè non autem ad conſcientiam aut ipſum Dei cultum referuntur.
3 Hominum mandata licet eorum proculdubio qui ſacra tractabant, audio tamen diſertè à Domi-
4 no inania pronuntiari. *Quæ dicunt facite*,inquit Chriſtus:ſed præcedit cõditio, quum videlicet ſe-
derint ſuper cathedram Moſis. Nam alioqui iubet idem Dominus caueri Phariſæorum fermen-
5 tum. Audio habendum vt Ethnicum & Publicanum qui non audierit Eccleſiam. Sed eundem
Chriſtum audio Phariſæorum ablutiones reiicere,eorundem traditiones coarguere, totius deni-
que ſynagogæ proſcriptionem nihil omnino curare. ex quibus intelligitur aliud eſſe Eccleſiam
quæ ſponſi ſui vocem audiat,aliud ſpecioſam laruam quæ Eccleſiæ ſpeciem mentita,gubernandæ
6 familiæ leges non accipiat ſed ferat. Audio ſolutum & ligatum in cælis quicquid ſoluitur aut li-
7 gatur in terris,ſed ita vt ſoluendi & ligandi leges à Domino accipiant fidi myſteriorum Dei diſpẽ
ſatores non ex ſua ſed ex heri ſui voluntate. Audio Apoſtolum teſtantem Epheſiis, ſeſe illis omne
8 conſilium Dei,nempe quod ad ſalutem noſtram,& Dei cultum attinet, expoſuiſſe. Idem ſcribit,
Obiectio 2. *dico ego non Dominus*,ſed vt Spiritum Dei habens,& vt Apoſtolus. Et hic nimirum locus eſt quem
nobis obiicient aduerſarii, vt qui ſe quoque Spiritum Dei habere iactent, nimirum ad Eccleſiæ
Reſpon. 1. gubernacula collocati tanquã Apoſtolorum ſucceſſores. Ego verò mallem ipſos doctrinã quàm
ſedem Apoſtolicam demonſtrare, ne Caiaphæ ſint ſimiles qui ex Aaronis cathedra Filium Dei vt
2 blaſphemum damnauit. Deinde etiamſi idem docerent atque Apoſtoli,affirmo tamen ipſos vide-
ri non poſſe ſucceſſores Apoſtolorum,ſed,vt plurimùm ipſis largiar, eorum duntaxat qui ab Apo-
ſtolis conſtituti ſunt per ſingulas Eccleſias. Neque verò iſtud diſcrimen parui eſt momenti. Quũ
enim Apoſtolis onus impoſitum eſſet plantandi Eccleſias per vniuerſum orbem terrarum, non
dubium eſt quin præ cæteris & authoritatem peculiarem ordinandi Eccleſias & explicandæ diui-
næ voluntatis cum maxima Spiritus efficacitate habuerint. Iis verò qui ab Apoſtolis per ſingulas
Eccleſias conſtituti fuerunt,nihil aliud curandum fuit quàm vt Apoſtolicæ tum doctrinæ tum di-
ſciplinæ cuſtodes eſſent: quod ſuo iam ſeculo quum à nonnullis non ſatis diligenter obſeruari
Paulus expetiretur,queritur non deeſſe qui fœnum & ſtipulam extruerent,atque adeò anathema-
3 ti deuouet quicunque aliud Euangelium præter id quod ipſe prædicarat annuntiarent. In ſumma
igitur vt Dominus per Apoſtolos aliquas etiam conſcientiis leges poſuerit, negamus tamen hoc
ius in quenquam poſtea tranſlatum, quoniã plenè & integrè munere ſibi commiſſo defuncti ſunt
4 Apoſtoli, vt nihil eiuſmodi faciendum poſteris reliquerint. Deinde quum iubeamur probare ſpi-
ritus, quod obſecto experimentum oſtenderint iſti loquentis in ipſis Chriſti? Nam vt cætera o-
mittam quæ hac de re pluribus dici poſſent, annon aliquid præter Euangelium Pauli facit, qui
quod ille facere nec voluit nec debuit,cælibatus laqueum omnibus paſtoribus presbyteris & dia-
5 conis imponuit: & ita quidem vt coniugatum eſſe & in carne eſſe, ac proinde Deo non placere,

uoum & idem eſſe affirment? Ex hoc autem illud effectum volo, ius iſtud non eſſe Eccleſiaſticum
appellandum, quum Eccleſia extructa ſit ſupra fundamentum, à Prophetis & Apoſtolis poſitum,
ſed hanc ipſam eſſe dæmoniorum doctrinam: quod euentus etiam ipſe oſtendit.

Non tamen, inquiunt, damnamus nuptias, vt Tatianus & alij. Cedò igitur quod inter vos & il- Obiectio 1. Reſponſio 1.
los aliud diſcrimen, quàm quòd illi in omnibus, vos in certis duntaxat perſonis nuptias damnatis?
At non vt impuras, inquiunt, quum illas etiam inter ſacramenta numeremus, & palàm eis benedi-
camus. Mirum ſanè hominum genus. Cur ergo Hieronymum, Syritium, Innocentium apertè ad-
uerſus matrimonium torquentes quicquid in ſacris Literis aduerſus quæuis ſcelera dicitur, non
hoc nomine repudiatis? Quòd ſi ſeriò adnumeratis matrimonium rebus omnium puriſsimis, id eſt 2
ſacramentis, qui fit obſecro vt ei cum ordinibus ſacris, alio videlicet, vt vultis, ſacramento, tam
malè conueniat, vt ſcortatorem, adulterum potius quàm maritum quantumuis honeſtum & pu-
dicum ſitis ad ordinationem admiſſuri? Quem enim vnquam à vobis ordinandum rogaſtis, an vir-
go eſſet? imò quem tandem in tota veſtra hierarchia auderetis bona conſcientia iurare aut
etiam præſumere virginem: ac proinde nec ſcortatorem eſſe nec adulterum, ne quid turpius
dicam?

Sed & illud quæro, ſitne habendum ius illud Eccleſiaſticum, quod Nicenæ Synodi decreta ma- Secundum argumen.
nifeſtiſsimè conuellit. In his enim disertè ex verbo Dei & doctrina Apoſtolica pronuntiatur im-
pollutum eſſe epiſcoporum etiam & aliorum in ſacris ordinibus conſtitutorum congreſſum cum
vxoribus ante ordinationem ductis. Cur igitur pro Eccleſia habebimus eorum cœtus qui contra-
rium poſtea cenſuerunt? At non tamen, inquiunt, conſtituit Nicæna Synodus licere, mortuis vxo- Obiectio 1.
ribus quas iam habentes ordinati fuerint, alias poſtea ducere. De hoc verò poſt ea viderimus. Nũc Reſponſio.
illud ſatis eſt demonſtraſſe, coniugio cum ſacris ordinibus optimè conuenire ex Nicenæ quoque
Synodi decreto: quam iſti catholici ſcilicet pro ſacra & inuiolabili ducunt, quos non pudet pro-
nuntiare eos in carne eſſe, nec Deo placere poſſe qui matrimonio vtantur. Operæpretium eſt au- Obiectio 2.
tem intelligere quid etiam hac in parte prætexant. Fuit, inquiunt, illis Apoſtolorum temporibus
Eccleſia ex Gentibus & Iudæis collecta. Illis ne ſcortari quidẽ flagitium erat: iſtis cælibatus erat
etiam inuiſus & vſitata polygamia. Quid mirum eſt igitur, inquiunt, maritos etiam fuiſſe ad ſacra
miniſteria admiſſos in tanta cælibum penuria? Hoc autem incommodum quum nunc ceſſarit, me-
ritò aliter Eccleſiæ viſum eſt. Ego verò fateor, boni viri, eam tum fuiſſe temporum rationem. Sed Reſpon. 1.
non niſi propter cælibum penuriam toleratos fuiſſe ad tempus maritos, vnde tandem colligitis?
Imò ſi ſacerdotiũ dignitati tantoperè repugnat coniugium, vt neceſſarium ſit cælibatus vinculum,
qua conſcientia tolerare illud potuerunt Apoſtoli, idque ne vocula quidem emiſſa, ex qua intel-
ligeretur aliter poſteris faciendum, quoniam quod tum facerent, temporibus dare cogerentur?
Imò ſi ita res ſe habebant, annon præſtabat Paulum totum illud, *vnius vxoris virum*, omittere? Nã 2
illud, *velim vos omnes eſſe vt meipſum*, ad totam ſanè Corinthiacam Eccleſiam dirigitur. Ergo, in- Obiectio 3. Reſponſio 1.
quient iſti, multo magis ad Clerum. Ita verò eſto, quid inde conficietis? Hoc videlicet Paulum o-
ptaſſe, quod & ipſi optaremus, nempe vt quotquot in miniſterio Eccleſiæ ſunt, donum continen-
tiæ haberent ſicut habuit Paulus: & cælibes eſſe poſſent vt fuit Paulus, & quidem ob eas demum
cauſas quas ibi Paulus recenſet, non ob illas quas poſtea commenti eſtis. Hoc, inquam, & ipſi vel-
lemus. Sed quis hoc præſtabit? quod quum ita ſe habeat, cur potius dicitis, *Qui vult capere, capiet*,
quàm cum Chriſto ipſo, *Qui poteſt capere, capiat*? & cur laqueum audetis torquere, quem ne collo 2
quidem cuiuſquam iniicere auſus eſt Apoſtolus, nedum vt cuiuſquam ſtrangulandi exemplum vo-
bis præbuerit? Illa porrò eiuſdem ſententia, *melius eſt nubere quàm vri*, annon etiam eſt vniuerſalis 3
& indefinita? Cur non ergo & iſta multo magis ad Clerum pertinebit, etiam ſi aliter Epiphanius,
& alii poſt eum ſentiunt? Sicut enim cælibatus commodis eget Clerus præcipuè, (quod erat ſu-
perioris argumenti fundamentum) ita etiam nulli ſibi magis ab vſtione cauere tenentur quàm
quorum maximè periculoſus eſt lapſus.

Quid quòd pronuntians Apoſtolus honoratas eſſe nuptias & cubile impollutum, *in omnibus*, Tertium arg.
omnem ſanè exceptionem omnibus præcidit? Hoc enim ſi ad perſonas referas (quod om-
nino faciendum videtur) videtis neminem prorſus excipi, in quo non ſit honeſtum coniugium ſi
eo ſibi vtendum cenſuerit: adeò vt ſi Paulus etiam aliorum Apoſtolorum exemplo, vxorem duxiſ-
ſet (duxiſſet autem proculdubiò ſi iudicaſſet expedire, & niſi continentiæ donum habuiſſet) nihil
turpe vel Chriſti Apoſtolo indignum fuerit facturus. Sin verò id mauultis neutro genere accipe-
re, & *per omnia* interpretari, quo tandem Spiritu gubernantur qui ab eo quod per omnia purum
fuerit, ſacerdotes neceſſario etiam perpetuóque voto prohibendos ſanciunt? an quòd non omnia
quantumuis alioqui licita quoſuis deceant? Cur ergo *vnius vxoris viros* admittit nominatim
Apoſtolus?

Sed & hunc nodum velim mihi ab iſtis caſtiſſimis votariis expediri. Cælebs fuit Paulus. an ve- Quartum argum.
rò ex voto? minimè profectò. Mentitus enim eſſet quum ſibi quoque & Barnabæ diceret poteſta-
tem fuiſſe vxorem ſororem circunducendi. Ita enim omnino locum explicandum eſſe ſuprà oſtẽ-
dimus. At cur non ex voto? Certè quoniam quum ſatis intelligeret Continentiæ donum ex eorũ
genere non eſſe quæ vel quibuſuis vel ſemper & in perpetuũ Dominus largiretur, homo alioqui Obiectio.
de miſericordia Dei certiſſimus, tamen ne ſibiipſi quidem laqueum iniicere voluit. Gratianus 26, quæſt. 1. in principio,
Ventum eſt igitur à nonnullis ad aliam quandam rationem, quòd videlicet Apoſtoli inchoarint §. his ita, &
duntaxat ædificium quod poſtea ſuis ornamentis oportuerit decorari: inter quæ vel præcipuo lo- 35 q. 1. ad finem.
co numeranda ſit virginitas. At ego ſanè miror potuiſſe quenquam vnquam ſomniare pu-

Secta Synodus,can.12. Reſpon.1. Epiphanius contra Apoſtol.& Catharos.

riorem vel ornatiorem vnquam fuiſſe Eccleſiam quàm Apoſtolorum temporibus. Quis enim adeò cæcus eſt vt non videat, quis adeo præfractus vt non agnoſcat (ſiue doctrinæ puritatem, ſiue Eccleſiæ formam & ordinem, ſiue paſtorum præſtantiam, ſiue auditorum virtutes cõſideremus) aurea tum verè ſecula fuiſſe præ iis quæ ſtatim conſequuta ſunt? Itaque hoc ego confidenter dico, vix vllos magis Eccleſiæ nocuiſſe quàm illos ipſos Epiſcopos, qui ea tum doctrina tum Eccle-

Auguſt. de agone Chriſtiano.ca.31.

ſiæ forma vt quàm ſimpliciſsima ſic etiam quàm optima non contenti, quam Apoſtoli tum ſcriptis tum ipſo vſu conſtituerant, non de retinenda illa natiua pulchritudine ſed de fuco potius & calamiſtris ineptè laborarunt, eóque rem adduxerunt vt virgineum tandem Eccleſiæ vultum, in meretricium habitum planè transformarint. Rectè igitur Auguſtinus, citante etiam Eſpẽſæo, hac ipſa de re diſſerens, *Nec eos*, inquit, *audiamus, qui viduas ſi nupſerint, tanquam adulteras damnant, & ſuper doctrinam Apoſtolicam ſe prædicant eſſe mundiores: qui ſi vellent nomen ſuum agnoſcere, mundanos ſe potius quàm mundos vocarent, qui viduas ſuas vri cogunt, quas nubere non permittunt, Paulo qui mauult eas nubere quàm vri, non habendi prudentiores*. Ac de viduis quidem ſuo loco dicemus. Quod autem de viduis dicitur, cur non & in virginibus locum habeat? Niſi fortaſſe in illis quidem prudentiores

Obiectio.

Apoſtolos, in his verò imprudentiores arbitrabimur. Quòd ſi quis excipiat Auguſtinum de virginitatem aut viduitatem profeſsis non agere, verum fortaſſe dixerit, ſed quid inde effecerit? An e-

Reſponſio.

nim vouendo obtineri poteſt continentiæ donum, ac non potius ſtoltè vouet qui continentiæ do-
2 num antea non habet? Et vnde hæc quoque vouendi ratio profecta eſt, niſi ab iis qui ſibi viſi ſunt Apoſtolis prudentiores?

Quintum argu. Veteribus primis Synodis votum cœlibatus incognitũ fuiſſe.

Denique illud nobis reſpondeant velim, vnde tandem ius iſtud Eccleſiaſticum cœperit. Neq; enim adhuc ea de re inter ipſos liquet. Imò tanta eſt hac in re & inter Canonas, & inter veteres Patres diſcrepantia, vt nullus adhuc ſit repertus qui eos inter ſe poſſet conciliare: quod quàm pauciſſimis fieri poterit demonſtrabimus, lectore ad Eſpenſæi farraginem reiecto, vbi plané inueniet φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. Nos præcipua tantùm carpemus.

De Canonibus Apoſt.

Primùm igitur quòd ad Canonas Apoſtolicos, ſiue διαταγὰς à neſcio quo Clemente collectas, & Græcè nuper editas attinet, quum inter apocrypha meritò numerentur, non eſt quòd moremur

Can. Apoſt. 5. Diſtinc. 28. cano. ſi quis docuerit, & diſt. 31. poſt canoné quoniam.

quicquid inde proferri poteſt. Hoc tamen conſtat, illic inhiberi omnino in ſacris ordinibus conſtitutis ne religionis obtentu vxores ſuas eiiciant: quod (vt ab aliis etiam eſt obſeruatum) fruſtra deprauare conatus eſt Gratianus, nihil aliud intelligens hîc præcipi quàm ne alendarum vxorum curam abiiciant. Neque verò libro διαταγῶν ſexto, cap. 17, ſtatuitur vt voueant continentiam, aut etiam ab vxorum congreſſu abſtineant Epiſcopi, Presbyteri, vel Diaconi, ſed dũtaxat vt illa mortua, aliam ducere non poſsint, de quo interdicto alibi dicemus.

De Ancyrana Synodo. Ancyr. ſyn. can. 10.

Ex Ancyrana Synodo particulari quæ aliquot annis Nicænam vniuerſalem præceſsit, liquet rogatos fuiſſe ſaltem Diaconos cælibes ecquid ea conditione vellent hoc munus obire vt vxores poſtea non ducerent, quod tamen etiamſi non promiſiſſent, nihilominus ab Epiſcopo admitti poterant: & eis integrum erat poſtea vxores ducere. Sin verò vel ſilentio vel expreſsis verbis id polliciti, poſteà, quòd continere non poſſent, matrimonium contraherent, expungebantur ex Diaconorum numero. Hæc porrò ordinatio etſi patefecit iam tum neſcio quid labis aſperſum fuiſſe Apoſtolicæ doctrinæ puritati, quum nihil tale neque Apoſtoli Hieroſolymis commemorent quũ primos Diaconos eligunt (inter quos Nicolaum ſaltem & Philippum coniugatos fuiſſe conſtat) neque Paulus præcipiat vbi de Diaconis agit: tamen ſi quis quæ tum fuerit Eccleſiarum conditio, & quid ibi conſtituatur, propius inſpiciat, magna æquitate niti comperiet quod illic decernitur: quod qui non conſiderant, ideóque Canonas tanquam vniuerſales quaſdam regulas eſſe arbitrãtur, multa perperam explicant, nec poſſunt tamen ſeſe ex iis quos vltrò ſibi nectunt nodis, vlla ratione extricare. Inops adhuc erat Eccleſia vixdum ex illis aſsiduis perſequutionibus emergens. grauiſsimum erat hoc onus, quum deligendus eſſet Diaconus aliquis, ſimul grauari Eccleſiam magnæ alicuius familiæ pondere. Quanuis enim, vt ex aliis locis apparet, priuatæ facultates cum Eccleſiaſticis non permiſcebantur, tamen id non poterat tam commodè caueri quin Eccleſia damnũ inſigne acciperet, vel ob hanc vnam cauſam quòd domeſticæ familiæ ſimul & tam laborioſo muneri ſatisfacere eſſet perdifficile. Non dubium eſt igitur quin optima ratione dederint operam patres illi, vt cælibes, ſi fieri poſſet (modò & ipſi idonei eſſent) deligerentur: quòd ſi qui non occurrerent, ſaltem à deligendis nondum maritis flagitandum cenſuerint, ecquid ſe ſperarent vxoribus deinceps carere poſſe. Hoc autem omne factum fuiſſe ex æquo & bono, & abſque vlla conſcientiarum tyrannide, vel illud oſtendit quòd licuit vnicuique quod ſentiebat ingenuè reſpõdere, nec propterea quiſquam vt diaconatu indignus reiiciebatur. Quòd ſi quis ſibi temerè promiſiſſe compertus eſſet quod poſtea præſtare diutius non poſſet, neque matrimonium dirimebatur tanquam contra voti alicuius obligationem initum (nulla enim εὐχῆς, id eſt voti, ſed ἐπαγγελίας, id eſt ſpontaneæ promiſsionis ibi fit mentio, quod latini interpretes profeſsionem ſunt interpretati) neque communione Eccleſiæ eiiciebatur, neque inter ſcortatores pœnitentes tum ſtare iubebatur: ſed duntaxat, quanuis non ſine aliqua leuitatis macula, alteri locum cedebat. Quorſum hoc autem ad iſtam diabolicam voti tyrannidem? quorſum ad perfectius neſcio quod Eccleſiæ Chriſtianæ ornamentum? quorſum ad matrimonii contumeliam vt rei cuiuſpiam impuriſsimæ & quæ ad vitandum duntaxat deterius malum concedatur? Sed quorſum hæc aduerſus noſtros Catholicos? Oſtendant iſti mihi in tota ſua Hierarchia vel vnum diaconum, & ipſos audiam de his rebus diſputantes. Nos verò ſanè, per Dei gratiam, melius & iuſtioribus de cauſis poſſumus de hoc negotio diſceptare.

In eadem

In eâdem Ancyrana ſynodo, οἱ παρθενίαν ἐπαγγειλάμενοι, id eſt qui vltrò promiſerunt continentiam, Can. 19. niſi ſtent promiſſis, iubentur ὅρον τῶν διγάμων, id eſt tempus digamorum pœnitentiæ præſcriptum implere. Ac de digamis quidem illis agemus ſuo loco. Hunc autem canonem quis non videt prorſus cum alio conſentire, & quod de Diaconis in priore dictum fuerat, vniuerſaliter hîc ſtatui? Iam tum enim Eccleſiam inuaſerat ſuperſtitioſa illa cælibatus admiratio, vnde exortum illud decretum cui interceſſit in Nicena Synodo Paphnutius. ſed quàm procul adhuc à conſequuta corruptione totum hoc abeſſet, vel hoc oſtendit, quòd ne inter ſcortatores quidem pœnitentes, nedum inter adulteros, nedum inter inceſtuoſos cenſebantur qui contra promiſſum vxores duxerant. Itaque diſtinctio illa quam etiam ſequitur Eſpenſæus, inter ſimplicem hanc pollicitationem & votum ſolenne ſiue inter laicalem & velatam virginem, quaſi alia voce conciliari nõ poſſit hic Canon cum Chalcedonenſis ſynodi canone 16, quo virgines & monachi non cõtinentes excommunicãtur, nihil ad rem facit. Nego enim Ancyranæ Synodi temporibus fuiſſe illũ iſtiuſmodi voti vſum in Eccleſia: nego etiam in illo Chalcedonenſis Synodi canone vllam fieri dirimendi matrimonij mentionem (totum enim hoc poſtea inuexit in Eccleſiam ſuperſtitio) ac proinde cauſam non fuiſſe dico cur hoc loco diſtinctio iſta quæreretur.

Id autem quod dico multo etiam magis cognoſci poteſt ex alia Synodo, quæ & ipſa vetuſtior De Neocæſ. ſynodo. habetur quàm Nicæna, nempe Neocæſarienſi, in cuius canone primo, presbyter ſi vxorem duxe- Neocæſ. rit, ordine ſuo duntaxat mouetur: ſin verò ſit ſcortatus, vel adulterium commiſerit, grauius puni- can. 1. tur. Nam certè ſi quis tum fuiſſet vſus iſtiuſmodi voti quale iſti imaginantur, interueniſſet in ordinando presbytero, ac proinde matrimonium omnino fuiſſet diremptum, ſicut poſtea inuecta illa voti neceſſitate, quàm ſeueriſſimè cautum fuit. Interea tamen hoc negari non poteſt quin iam tum qui cælibes ad presbyterium erant vocati (de his enim vnis hoc accipiendum apparet & ex Gangrẽſi penè tota Synodo, & ex Sextæ canone decimotertio) vel abdicarentur, vel continentiam promiſſam ſeruare tenerentur, cuius etiam rei cauſas paulo antè expoſuimus. Quorſum hoc autem ad iſtius voti neceſſitatem? quorſum denique ad Catholicos noſtros presbyteros.

Proxima fuit illis ſynodus illa Nicæna omnium vniuerſalium vt prima ita etiam celeberrima, Nicæna Synodus. in qua quum disertè tranſitum ſit in Paphnutij ſententiam, aſſerentis, non in Oriente duntaxat (an enim alius eſt Orientis, alius Occidentis Deus?) nec dũtaxat Epiſcoporũ ſed omniũ τοῦ ἱερατικοῦ καταλόγου cum propriis vxoribus concubitum, idque non ex iure neſcio quo ἀγράφῳ vel Eccleſiaſtico, 7 ſed ex diſerto Dei verbo, purum ac legitimum eſſe, contra eorum ſuperſtitioſam opinionem qui hanc ipſam obtrudere vouendi cælibatus legem iam tum cogitabant: aut fateantur neceſſe eſt noſtri boni Catholici (Conciliorum & ſanctæ Apoſtolicæ Eccleſiæ fortiſſimi ſcilicet aſſertores) errasse concilium quod iidem ipſi quoties libuit quatuor Euangeliis (ſic enim loquuntur) exæquant, aut ſe potius magni erroris conuinci, quum ei ex diametro obſiſtant, idque in re tanti momenti, quanti vix vlla eſſe poteſt. Itaque mirum eſt quod ex ipſo Eſpẽſæo, ingenuo certè hac in parte ſcriptore, didici, Torrenſem, inſigne illud Catholicæ Romanæ ſedis columen, eò vſque efferueſcere vt Socratem & Sozomenum auſus ſit hac in re mendacij accuſare. Quoniam autem idem Torrenſis negat in actis illius Synodi tale quicquam reperiri, adſcribam totam eius facti hiſtoriam, tantiſper dum integra acta prælo tradantur, ſicut illa non ita pridem ſum nactus, & quidem in Italia bona fide deſcripta, ne quis à me fuiſſe deprauata cauſetur. Sic ergo illic narratur hiſtoria.

Ἐδόκει τοῖς ἐπισκόποις, νόμον νεαρὸν εἰς τὴν ἐκκλησίαν εἰσαγαγεῖν ἐν τῇ συνόδῳ, καὶ ὡς περὶ τῶν ἄλλων τῆς ἐκκλησίας, οὕτω καὶ περὶ τούτου ὁρίσαι. Ἔγνωσαν οὖν περὶ τοῦ μὴ δεῖν τοὺς ἱερωμένους, εἴτε ἐπίσκοπος, εἴτε πρεσβύτερος, εἴτε διάκονος, εἴτε ὑποδιάκονος, εἴτε τις τοῦ ἱερατικοῦ καταλόγου, συγκαθεύδειν ταῖς γαμεταῖς ἃς ἔτι λαϊκοὶ ὄντες ἠγάγοντο. τούτων οὕτω διατυπουμένων, ἀναστὰς ἐν μέσῳ τοῦ ὄχλου τῶν ἐπισκόπων ὁ θεῖος Παφνούτιος, μεγάλῃ φωνῇ ἐβόησε λέγων, μὴ βαρύνετε τὸν ζυγὸν τῶν ἱερωμένων. τίμιος γάρ, φησιν, ὁ γάμος ἐν πᾶσι καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος, ἵνα μὴ τῇ ὑπερβολῇ τῆς ἀκριβείας, τὴν ἐκκλησίαν μᾶλλον προσβλάψητε. οὐ γάρ, φησι, πάντες δύνανται φέρειν τῆς ἀπαθείας τὴν ἄσκησιν. οὐδὲ ἴσως ὡς οἶμαι, φυλαχθήσεται ἡ σωφροσύνη, τῆς ἑκάστου γαμετῆς τοῦ ἀνδρὸς στερηθείσης. σωφροσύνην δὲ καλῶ καὶ τὴν νομίμου γαμετῆς ἑκάστου τὴν συνέλευσιν λέγω. μὴ μὴν ἀποζεύγνυσθαι ταύτην ἣν ὁ Θεὸς ἔζευξε, καὶ ἣν ἅπαξ ἀναγνώστης ἢ ψάλτης ἢ λαϊκὸς ὢν ἠγάγετο. Καὶ ταῦτα ἔλεγεν ὁ μέγας Παφνούτιος, ἄπειρος ὢν γάμου, διὰ τὸ ἐκ παιδόθεν ἐν ἀσκητηρίοις ἀνατραφῆναι αὐτόν. διὸ πείθεται ὁ πᾶς τῶν ἐπισκόπων σύλλογος τῷ τοῦ ἀνδρὸς συμβουλῇ, ἀπεσίγησαν περὶ τοῦ ζητήματος τούτου τῇ γνώμῃ καταλείψαντες τῶν βουλομένων κατὰ συμφωνίας ἀπέχεσθαι τῆς ἰδίας γαμετῆς. Ideſt,

Placebat quibuſdam Epiſcopis in Synodo NOVAM legem in Eccleſiam introducere, & vt de aliis Eccleſiæ rebus, ita etiam de hac decernere. Cenſebant igitur oportere qui ſacerdotio fungerentur, ſiue presbyteros, ſiue diaconos, ſiue ſubdiaconos, quicunque denique in ſacerdotali catalogo cenſerentur, ab vxorum concubitu abſtinere quas adhuc laici duxiſſent. quæ quum ita ordinarentur, conſurgens in media Epiſcoporum turba diuinus Paphnutius, magna voce clamans, ne, inquit, aggrauate Sacerdotum iugum, quum honoratæ ſint in omnibus nuptiæ, & cubile impollutum, ne potius iſta ſummè exacta ſeueritate detrimẽtum Eccleſiæ afferatis. Nec enim, inquit, omnes tuendæ iſti rationi vitæ ab omnibus iſtiuſmodi affectibus alienæ, pares eſſe poſſunt: nec quiſquã, opinor, caſtitatem ſeruabit, ſi vxores ſuis maritis priuentur. Aio verò honeſtã etiam caſtitatẽ eſſe, cuiuſque cum legitima ſua vxore congreſſum. Non igitur ſeparate quam Deus coniunxit, & quam ſemel quiſpiam adhuc lector aut cantor aut laicus duxit. Hæc tum igitur dixit Paphnutius, & quidem nuptiarum expers, vt qui fuiſſet à pueris in aſceteriis educatus: cuius conſilio quum aſſenſus eſſet vniuerſus Epiſcoporum cœtus, de hac quæſtione tacuit, & cui ex mutuo conſenſu libuiſſet à ſua vxore abſtinere vniuſcuiuſque arbitrio reliquit.

Hæc tum igitur placuerunt Nicænæ Synodo, in quibus ſanè non inuenio quæ apud Socratem, Sozomenum,& Nicephorum adeò diſertè leguntur de non ducenda poſt ordinationé vxore. Nec tamen inficior poſſe hoc vtcunque ex iſtis etiam colligi,ſed voti tamen nulla ibi adhuc mẽtio. Cur autẽ cælibes ordinati,vel quorum vxores poſt ordinationem defunctæ fuerant, ſi vxores ducerẽt, exauctorarentur, cauſa non erat vel quòd coniugio cum ſacerdotio non conueniat,(hoc enim manifeſtè refellitur ex ipſius Paphnutij verbis & ſynodi aſſenſu) vel quòd continentiæ ex voto neceſſitas fuiſſet vnquam illis impoſita,(hoc enim ſi ita eſſet, iſtiuſmodi coniugium fuiſſet ipſo iure nullum,& duriſſima pœnitentia iam tum fuiſſet illis iniuncta) ſed quòd cælibes tanquam magis idonei, liberi videlicet à rei domeſticæ curis, maritis antepouerentur. Iſta tamen cautio fuit ſanè fœnum & ſtipula, quanuis ſuper fundamentum extructa, ſicut triſtiſſimus rerum euẽtus oſtendit: tanti eſt momenti ex ſolo Dei verbo ſic ſapere vt nuſquam neque ad dexteram neque ad ſiniſtram deflectas.

Vetuſtiſſimos patres votum Cælibatus ignoraſſe.

Etſi verò præcipuè ex legitimarum Synodorum decretis probabiliter iudicandum eſt quæ tum fuerint maioris & ſanioris partis iudicia, tamen quoniam ſolent noſtri Catholici quoties illis placuit, peculiares huius vel illius ſcriptoris ſententias nobis obiicere ex quibus poſtea vniuerſales ſuas concluſiones extruant, idcirco placuit ne hanc quidem partem intactam relinquere, quod mihi ſanè difficile non fuit, aliorum multorum ac præſertim D. Petri Martyris laboribus adiuto.

Dico igitur nullum ante Synodum Nicænam, id eſt trecentis & amplius annis à Chriſti aduentu reperiri idoneum ſcriptorem, ex quo ius iſtud Eccleſiaſticum per ea tempora viguiſſe appareat, quanuis minimè negandum ſit iam tum cælibatui quidem plus, cõiugio verò minus quàm oporteret tributum fuiſſe, atque adeò Satanam in angelum lucis transformatum prima Tyrannicæ iſtius legis quæ veram caſtitatem ex orbe terrarum tandem profligauit, iam tum iacere fundamenta cœpiſſe.

Apoſtoli.

Quid ergo ſtatuerit Paulus, id eſt, quid in Eccleſiis tum ipſe fecerit, tum faciendum docuerit, ex eius ſcriptis apparet. Non aliter autem ſenſiſſe aut feciſſe reliquos Apoſtolos vel ex eo cõſtat quòd vxores circunducere non dubitarent.

Ignatius. Ignat. ad Philad.

Ignatius virgines ad puritatem exhortans, diſertè cautionem addit, *non tanquam nuptias abominantes, ſed vt præſtantius quiddam appetentes, non culpandæ coniunctionis gratia, ſed vt leges diuinas meditemini.* An verò nos aliter de iſtis docemus? Interea voti nulla ne tenuiſſima quidem mentio.

Iuſtinus. Iuſt. apol. 2. Idẽ queſ. 22.

Iuſtinus multos teſtatur in Eccleſiis extitiſſe qui ad extremam ſenectutem perpetuam virginitatem ſeruarent: voti verò alicuius nuſquam meminit. Quæſtionum enim liber Iuſtini eſſe non poteſt, vt qui Manichæos & Origenem nominet. Sed tamen quod ibi de Monachis ſcribitur, pro nobis etiam facit, vtpote quos ſcriptor ille nõ dicat aliqua voti neceſſitate, ſed *μᾶλλον λογισμῷ κατεχομένους τὰς χαμαὶ ἡδονὰς ἀποστρέφεσθαι*, id eſt, ratione ad caſtitatem comparata cohibitas coniugales voluptates auerſari.

Athanaſius. Athan. epiſt. ad Dracontium.

Idque etiam multo magis confirmatur ex eo quod multis pòſt annis Athanaſius Magnus, idque ex ipſa Ægypto Monaſtices domicilio totidem verbis ſcripſit, *Multi quoque ex Epiſcopis*, inquit, *matrimonia non inierunt, monachi contrà parentes liberorum facti ſunt: quemadmodum viciſſim Epiſcopos filiorum patres, & monachos generationis poteſtatem non quæſiuiſſe animaduertas. Sic enim licet, & ad eum modum non prohibetur, ſed quiſque vbi volet decertat.* quem Athanaſij locum citans Eſpenſæus, fruſtrà conatur eum eludere.

Dionyſius Corinthius.

Dionyſius autem Corinthius in Epiſtola ad Gnõſios, referente Euſebio, ipſóque adeò Hieronymo, Pinitũ Epiſcopum grauiter monet ne hoc iugũ caſtitatis fratribus imponat. Quòd ſi excipiant iſti, ne ſe quidẽ velle quenquã ad votum caſtitatis cogi, quis non manifeſtũ ipſorum dolum animaduertat? Quum enim carẽre miniſtris Eccleſia non poſſit, nolint autem ipſi quenquã ordinari niſi qui cælibatum voueat, an hoc votũ liberum eſſe patiũtur? Nam certè ita fit vt non minus neceſſariũ euadat votum, quàm eſt Eccleſiæ neceſſariũ miniſteriũ. Præterea vt neminẽ ad vouendum cogant, annon tamen ad cælibatũ ſeruandum cogunt? Nempe, inquiunt, quoniã vouiſti, tute tibi hanc neceſſitatẽ impoſuiſti. Imò verò veſtrũ fuit & ſtulta vota, ne quid nunc acerbius dicam, prohibere,& ſemel facta, in iis ſaltem qui vruntur, irrita pronuntiare, vt vnicuique ſalua maneret libertas non carnis, ſed ſpiritus, quia qui propter vitandum ſcortationem nubit in Domino, Spiritui certè ſeruit non carni.

Clemens Alexandrinus. Cle. ſtrom. lib. 3.

Clemens autem Alexandrinus ex profeſſo matrimonium defendit in ipſis quoque Apoſtolis, nedum vt in eorum ſucceſſoribus improbet. & multa etiam argumenta refellit à nobis antea refutata. Duobus tamen locis meminit *μονογαμίας* Neque verò nego ab iis qui cælibes ordinarentur petitũ fuiſſe an conſtituiſſent in cælibatu permanere, ſicut ex Ancyrana Synodo paulo antè diximus. Verùm hoc nego fuiſſe votum: nego pro cultu Dei habitũ: dico fuiſſe etiam ordinatos, ſi ita viſum eſſet epiſcopo & plebi, qui rogati reſponderent ſeſe vxorem niſi continere poſſent ducturos. Dico vxores etiam poſt illam pollicitationem ducere, nulla ob id ſcortationis nedum adulterij aut inceſtus pœnitentia ipſis impoſita, potuiſſe: quanuis poſtea qui hoc feciſſent iuſſi ſint exauthorari, nimirum propter leuitatis notam: dico etiam inauditum fuiſſe vt à coniugatis ordinandis peteretur vt ab vxoribus ſuis abſtinerent, quod à primo Eliberino Concilio, contra Nicænam Synodum ſtatui nec debuit nec potuit.

Tertullianus.

Tertullianus verò, presbyter quum eſſet, vxorẽ etiam habuit, cui duos libellos inſcripſit, nedum vt cenſeret ſacerdotiũ pollui coniugio. Quum autem Romæ, teſte Hieronymo, præcipuè vixerit, & Africanas Eccleſias (fuit enim Carthaginienſis presbyter) conſtet ad Occidentẽ pertinere, nullum hîc ſubterfugiũ iis patet qui vbi Orientem aliter quàm Occidentem in hoc factitare ſolitum

reſponde-

reſponderunt, omnes nodos pulchrè ſe expediſſe ſomniant. Nam vt concedam (Romano præſertim pontifice ſedulam hîc operam Satanæ nauante, vt ex Syritij & Innocentij blaſphemiis apparet) aliquanto tardius in Oriente quàm in Occidente Tyrannidem iſtam inualuiſſe, quid ad nos iſta diſtinctio, qui non quid ab his vel illis ſit factum, ſed quid fieri ab omnibus ex Dei verbo oportuerit, quærimus? An verò duplex eſt Eccleſia Catholica? an alius Orientis, alius Occidentis Deus? an quod in Græcia licet, Romæ peccatum eſt? & tamen ne tum quidem Romæ peccatum hoc fuiſſe ecce ex Tertulliano oſtendimus, alioqui acerbiſſimo repetitarum nuptiarum hoſte. Quod autem ex eodem citatur de virginibus velãdis nihil ad votũ illud quod poſtea noua neſcio qua velaminis ſpecie inſigniri cœpit, quanuis minimè inficier ibi mentionem fieri virginum quæ, vt ipſe loquitur, *ſanctificare carnem propoſuerant*, itémque earum quæ ex conſenſu continebant, pro quo Tertullianus, duriter ſanè, *contumeliam communem recuſaſſe ſcribit*. Quis enim vnquam vel in viris vel in mulieribus continendi propoſitũ non laudauit, niſi prorſus impudens? modò id quidem ad rectum finem referatur. Sed quod Satan hoc prætextu in Eccleſiã Dei inuexit & cui Deus ipſe è cælo tot poſtea ſeculis maledixit: quod denique modicæ ſemper fuit vtilitatis: itémque quod ipſę veterum cælibatus patronorum querelæ (niſi hoc veluti fatale quoddam malum fuiſſet) ſatis commonefacere poterant optimos eorum temporum Epiſcopos, omnino eſſe intolerabile: hoc illud eſt quod affirmo in puriore illa Eccleſia, id eſt trecentis minimùm annis à Chriſti aduentu fuiſſe inauditum, votum nimirum neceſſarium perpetui cælibatus, quo miſeræ conſcientiæ contra expreſſum Dei verbum vltrò peruſtæ non deſinunt eò ruere præcipites, quò tandem abripi ſcortatores & adulteros oportet. Itaque illud Ignatii, *αἱ παρθένοι γινωσκέτωσαν τίνι καθιέρωσαν ἑαυτάς*, & illud ex eâdem Epiſtola, *ἀσπάζομαι τὰς χριστολήπτους παρθένους* nihil contra nos facit, imò noſtros bonos Catholicos vniuerſo mundo teſte, ac in primis ipſius conſcientiæ morſu, plus ſatis redarguit. Video tamen ex eôdem Tertulliano duo præterea teſtimonia citari, vnum ex libro de Velandis virginibus, vbi alias vocat virgines Dei alias virgines hominum: alterũ verò ex libro extremo exhortationis ad caſtitatem, quum tamen neuter ad rem faciat. Prior enim alluſione quadam ad illud quod ſcripſit Moſes de filiis Dei in filias hominum exardeſcentibus, (quem locum tamen abſurdè prorſus, vt & veteres plerique interpretatur) eas virgines quæ tum foris tum in Eccleſia velatæ ſemper comparebant ſicuti modeſtas & pias decebat, diſtinguit ab iis quæ foris quidem abſque velato capite incedebant, in cœtu verò tectæ conſpiciebantur, ſatis ex eo declarantes ſe in cœtu duntaxat modeſtiam virgineam ſimulare, quũ foras egreſſæ formã ſuã quibuſuis venditarẽt. In his verò quænam eſt vel tenuiſſima votiuæ, imò vllo modo promiſſæ virginitatis mentio? Nihil enim certe neque has, neque illas nubere prohibebat, quantum ex Tertulliano coniicere poſſumus. Alter autem locus manifeſtè ad viduarum ordinem pertinet, cuius etiam meminit libro ad vxorem priore, qua de re ſuo loco diſſeremus.

Ignatius. Ignat. ad Antioch.

Origenem porrò, quum in pleriſque fuerit impuriſſimus, & adeò etiam inſanierit vt ſeipſum caſtrarit, cur pro iudice admittamus? *Iuge ſacrificium*, inquit, preces intelligens, *non niſi à virgine aut à cælibe præſtari poteſt*. Vbi verò hoc comperit? Quid enim factum olim eſſet Aaroni & aliis pontificibus? quid Petro etiam in ipſa Roma coniugato, ſi hiſtoricis credimus? quid aliis Apoſtolis vxores circunducentibus? Eiuſdem eſt farinæ, quod idem numerat Coniugium inter illa quæ ad duritiem cordis duntaxat conceduntur, quod argumentum proculdubiò Hieronymus ex eo deprompſit. Sed idẽ rectius alibi, contra quàm ſenſit poſtea Hieronymus, docet ſanctos quoque coniugatos offerre corpora ſua hoſtiam viuam. Et alibi rectè inter eos qui onera importabilia imponunt, eos reponit qui nuptias prohibent. In ſumma verò quorſum hæc ad votiuam continentiam, & Satanicam perpetui cælibatus legem?

Origenes. Orig. hom. 23 in Numer. Idem tract. 7 in Matth. Idẽ in Rom. 12. Ide. in Matthæum 24.

Cyprianum porrò, etſi in libello de habitu virginum, verbo deuouendi & dedicandi vtitur: tamen nihil eiuſmodi ſenſiſſe quale poſtea in Eccleſiam inuectum eſt, liquet ex iis quæ apertè ad Põponium ſcribit, nempe vt iſtæ etiam ipſæ virgines ſi ſe continere non poſſunt, nubant. Quòd autem ibidem iniunctæ pœnitentiæ ac tandem etiam, niſi admonitæ reſipuerint, perpetuæ eiectionis meminit, quum ad eas referatur quæ continentiam ſimulantes depræhenſæ fuerint vitiatæ, optimo ſanè iure ſtatuitur: neque contra nos facit: qui minimè omnium vel ſcortationes vel adulteria probamus, nec ſanè continentiam damnamus, ſed duntaxat perpetuum ac neceſſarium eius ſeruandæ votum.

Cyprianus. Cypr. epi. 11. lib. 1.

Et hi quidem ſunt præcipui illorum trium ſeculorum ſcriptores quos ego quidem nouerim. Abdiã enim illum ineptiſſimum & fabuloſiſſimũ ſcriptorem, quem etiam Romani ipſi inquiſitores proſcripſerũt, vt & illam de paſſione Petri & Pauli fabulam quæ Lino inſcribitur quid attinet refutare? Philonem verò vt concedam de Ægyptiis monaſteriis loquutum, non video tamen quinam poſſunt iſti cælibatus votarii defenſores in partes ſuas pertrahere. Sed abſit vt tam ineptarum rerum Marcum Euangeliſtam auctorem faciamus. Proferent autem fortaſſe locum ex altera Epiſtola Clementis papæ inſcripta, qua prohibetur ordinatis cubile vxorum inuadere, non minore penè ſeueritate quàm ſi parricidium admiſiſſent. Quis verò quicquid illic ſcribitur non animaduertat nec iis temporibus nec grauitati apoſtolicæ vllo modo conuenire? Quid quòd hæc eadem apud Gratianum Lucio Papæ, ne verbo quidem immutato tribuũtur? Ego verò vtrunque adulterinum eſſe non dubito. Quorſum enim ſi ita eſſet, legem cælibatus, vt rem NOVAM tot annis poſtea dicerentur Epiſcopi nõnulli in Synodo Nicæna voluiſſe in Eccleſiam introducere? & quàm probabile eſt Romanos ſaltem [illegible], non fuiſſe tam vetuſtum decretum Paphnutio oppoſituros? Concilium porrò quod Romanum appellant & Syluestro tribuitur, preſbytero à die ſuſcepti

Abdias. Catal. inquiſitorum, anno 1559. Linus. Philo. Clemens Romanus. Cle. ep. 2. ad Iacobum. Diſt. 32. can. miniſtri. Sylueſter. Conc. Ro. primi. Can.

oneris presbyterij coniugio interdicit: voti verò non meminit, nec aliam pœnam præſcribit quàm vt annos duodecim à ſuo munere abſtineat.

Et iſta quidem fortaſſe plus ſatis. Volo tamen vlterius etiam progredi, vt nihil ſuperſit quod veritatem poſſit obſcurare.

Sexta Synodus vniuerſalis. Conc. Conſtantinop. in Trullo, can. 13.

Quid verbum Dei, quid prior Eccleſia, quid denique expreſſis verbis probarit in Paphnutij ſententiam Nicæna Synodus, abundè diximus. Statuit tamen contrarium in Epiſcopis ſexta Conſtantinopolitana Synodus vniuerſalis, alioqui quòd ad doctrinã attinet orthodoxa, ne quis calumnietur eam à me non admitti. Vtri credemus? Et quid hîc reſpondebitis Catholici? illud nimirum quod ibi expreſſè dicitur: nempe hîc non prohiberi ſuarum vxorum vſum Epiſcopis vt euertãtur quæ prius ſunt Apoſtolicè conſtituta, ſed partim vt fiat progreſſus ad meliora, partim ne ſtatus Eccleſiaſticus vllo probro afficiatur. Sed quid hoc eſt obſecro, putare progredi Eccleſiam ad meliora ſi contra expreſſum Dei verbum prohibentis vxorem dimitti niſi propter fornicationem aliquid in Eccleſia ſtatuatur? Et quanuis nõ quicquid licet expediat, ac bonum ſit etiam carnem non edere nec vinum bibere ſi offendatur infirmus frater, quis tamen ad vitandum offendiculum rectè cenſuerit præcipiendum quod Deus diſertè prohibuit, & abſque animæ pernicie facere non poſſis? niſi fortè præſtat aliquem vri & ſeipſum perdere, quàm non nubere, vt ſuperſtitioſulo gratificetur. Sed quid pluribus eſt opus? Audiatur illa ipſa Synodus canone proximè ſequente. Ibi expreſſè reprehenditur & corrigitur veſtra Catholica Romana Eccleſia, Catholici, quòd coniugatos presbyteros, diaconos & ſubdiaconos ordinandos ad cælibatus profeſſionem adigeret: & poſtea contracta matrimonia diſſolueret. Sed & Carthaginiẽſis Synodus quæ ſimile quiddam iampridem conſtituerat, aliqua interpretatione explicatur. Quibus autem argumentis nititur iſta ſanctiſſimæ ſedis & beatiſſimi Papę Romani correctrix Synodus? Primùm quòd æquum ſit antiquũ canonem Apoſtolicæ PERFECTIONIS ſeruari. Secundò, ne nuptiis, quas Deus conſtituit, ſuáque præſentia conſecrauit iniuria afferatur. Tertiò, quoniam expreſſo Dei verbo cauetur, ne quod Deus coniunxit, homo ſeparet: & Apoſtolus docet honoratas eſſe nuptias, & torum immaculatum, &, Alligatus es, inquit, vxori? ne quære ſolutionem. Quid verò vos ad iſta poteſtis regerere Catholici? Lutherana certè hæc non ſunt, neque Caluiniana, ſed vniuerſalis Synodus ſic decernit, cũ Nicæna hac in parte conſentiens. Hæc, inquam, veſtram hãc legem vt Dei verbo, & Apoſtolicæ perfectioni repugnantem condemnat: & vos iſtius pertinaciæ non tandem pudebit? Operæpretium eſt tamen audire quid opponatis.

Idem Conc. can. 13. Romana Eccleſia falſi dogmatis reprehenſa ab vniuerſali Synodo.

Obiectio. 1.

Non conuenerat, inquit Humbertus Cardinalis, *iſta Synodus ad tradendum Romanis nouas conſtitutiones, ſed ad deſtruendam Monothelitarum hæreſin.*

Reſponſio.

Quaſi verò nouum fuerit poſt dogmatum controuerſorum deciſionem, canonas de cæteris rebus ſtatuere. Sed & F. Surrius Carthuſianus hunc canonem habet pro næuo, quòd, inquit, matrem omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam pauci canones æquo acerbius perſtringant.

Obiectio. 2.

Reſponſio.

Ergo quid ſupereſt, boni viri, niſi vt etiam vniuerſales Synodos legitimè coactas & congregatas, imò & Romanam ipſam Eccleſiam errare poſſe fateamini, vtpote quæ per ſuos legatos iſti decreto non intercedens, in ſuiipſius damnationem conſenſerit? Sed hoc lepidum eſt profectò, vt toties erraſſe cenſeantur Synodi quoties aliquid conſtituerint quod poſtea S. D. Papæ non allubeſcat.

Interea illud ſanè manifeſtè liquet non poſſe iſtos Patres ab omni errore in ſuperiore canone excuſari, & quidem (quod eorum pace dictum ſit) iis ipſis argumentis conuictos quibus aduerſus Romanam Eccleſiam rectè vtuntur. Quicquid enim ad Diaconorum & Presbyterorum coniugium minimè dirimendum proferunt, valet etiam & ex Dei verbo & ex Apoſtolicæ profectionis ordinatione in Epiſcoporum connubiis. Quo indicio igitur iſta quidem dirimunt, neſcio quid melius, id eſt ipſa perfectione perfectius, imaginantes, illa verò diſſolui, & quidem optimo iure, non patiuntur? Tanti nimirum eſt momenti à verbo Dei ne tantillum quidem deflectere. Ad Carthaginienſem autẽ ſynodum quòd attinet, ea intelligẽda eſt quę, quũ Syritij & Innocentij primi blaſphemiis Occidens infectus iam eſſet, habita eſt Carthagine, anno Domini 422, in cuius 3, 4, & 25, canone diſertè cauetur de epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum caſtitatis vinculo implicatorum continentia, & quidem facta præcedentis Synodi mentione, nempe quintæ circa Innocentij tempora habitæ, cuius ea de re canonem tertium duobus locis inculcat Gratianus. Hunc igitur canonem quoniam ſic explicat vniuerſalis iſta de qua nunc agimus Synodus, vt eum dicat duntaxat de eo tempore accipiendum quo munus ſuum obeunt, non autem quaſi ſemper à ſuis vxoribus abſtinere iubeantur, mirum quas hîc turbas boni viri Pighius, Torrenũs, Sotus, excitẽt, adeò quidem vt totam etiam Synodum conuitiis afficere audeant: tantus eſt bonorum Patrũ pro Romanæ ſedis tuenda dignitate zelus. Res autem ita omnino ſe habet. Citat tertius ille Canon illius Synodi poſterioris τὸ διὰ τῶν Ἀποστόλων παραδοθὲν καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς ἀρχαιότητος κρατηθὲν, quod per Apoſtolos traditum eſt, & ab ipſa vſque antiquitate obſeruatum. Id autem quum patres illi Conſtantinopoli coacti viderent falſiſſimum eſſe ſi ſimpliciter accipiatur, idcirco verba iſta eiuſdem canonis ὑπουργοῦσι θείοις προσεδρεύοντας, qui diuinis ſacris ſubſeruiunt: & iſta quarti canonis, οἱ τὰ ἱερὰ ψηλαφῶντες, qui ſacra contrectant: & iſta vicesimi quinti, τῶν τὰ ἅγια μυστήρια ψηλαφώντων quæ ſacra myſteria contrectant: iſta, inquam, verba non de munere ipſo, ſed de muneris, vt ſic loquar, exequutione ſunt interpretati: ita videlicet vt quemadmodum ſuæ demum vicis tempore Leuitæ & Sacerdotes à ſuis vxoribus abſtinebant, (quod tamen nuſquam dicitur in Lege) ita etiam lex Cælibatus in Chriſtianis ſacerdotibus valeat. Eòdem etiam applicant illud Pauli, de continentia ad tempus. nec id quidem ſatis rectè, quum de extraordinariis precibus & ieiuniis ibi agat Apoſtolus, vt rectè tradit Dionyſius Alexandrinus ad Baſiliden. Sic igitur boni illi Patres explicarunt Canonas illos Carthaginienſes,

Carth. Synodus. Diſtin. 84. Quum de præterito.

Diſt. 84. quum de quorundam. & 32. quoniã in Roman.

Dionyſ. epi. ad Baſiliden can. 3.

alioqui

ſlioqui prorſus intolerabiles. Verùm tantum abeſt vt ea res Eccleſiæ Romanæ adulatoribus ſatiſ-
fecerit, vt contrà tanquam falſarius acerbiſsimè conuitientur. Et ſanè mihi veriſimilius eſt Car-
thaginienſes illos ab Epiſcopis Romanis Syritio & Innocentio faſcinatos, ſimpliciter potius con-
tinentiæ legem præſcribere voluiſſe, cui errori iam abundè reſpondimus. Imò quod hi ſtatuunt
de vicis tempore non multo minus eſt ſuperſtitioſum. Vbi enim hoc in lege veteri cautum inue-
nietis? & vt tunc cautum fuerit, quo iure volunt illa merè legalia in vſum reuocare?

Hinc tamen ſibi viſi ſunt nonnulli Romanæ Tyrannidis fautores rimam inueniſſe qua ipſis pa- Obiectio 9. Vide admonitionem, F. Laurentii Surrii, in canonem Synodi 13 Reſponſio 1.
teat effugium. *Nam, inquiunt, ſi iuſtè prohibentur in Oriente ſacris initiati cum propriis vxoribus mane-
re vicis ſuo tempore, nónne æqua erit conſtitutio vbi ſacerdotes & reliqui non præſunt vicissim hebdoma-
dibus, ſed perpetuò ſacrificant, vt in Occidente?* Imò verò, F. Surri, totum iſtud de vicibus Iudaicum eſt,
non Chriſtianum: imò ne iudaicum quidem ſed prorſus commētitium: imò planè Satanicum, quū
vt immundum culpet quod Scriptura pronuntiat τίμιον καὶ ἀμίαντον, Deo videlicet quicquid eſt in cō- 2
iugali debito ἀταξίας, honeſtate nuptiarum obtegente. Sed vt illud valere poſſe demus, non tamen
id quod tu vis efficitur. Nam præterquam quòd falſiſsimum eſt omnes ſacerdotes quotidie in Ro
mana Eccleſia ſacrificare, (rite autem an minus rite ſacrificent nunc non quæro) vnde iſta toties
ſacrificandi neceſsitas niſi ea priuatarum miſſarum abuſu prorſus intolerabili, etiamſi alioqui ve-
ſtræ miſſæ tolerabiles eſſent? Apage igitur & veſtram hanc neceſsitatem & veſtra quoque ſacrifi-
cia. Manet autem illud, reprehenſam fuiſſe, præſentibus & ſubſcribentibus Epiſcopi Romani το-
ποτηρηταῖς, Romanam Eccleſiam, à recepto concilio vniuerſali circiter annum Domini 681, id eſt,
ante annos 887, & quidem vt verbo Dei, & Apoſtolicæ regulæ repugnantem, in voto cælibatus à
Presbyteris & Diaconis exigendo.

Quoniam verò iampridem Romani pontifices iſtos canonas oppugnarunt, libet hac de re Bal-
ſamonis ſcholion ex manuſcripto codice vetuſtiſsimo deſcriptum ſubiicere. Ἐστὶ δὲ καὶ [illegible]. Καὶ
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Ἐκκλησίας Ῥώμης. Καὶ οὐ μόνον αὐτοί, ἀλλὰ καὶ
[illegible] ὁ Ἡρακλείας Θρᾴκης καὶ ὁ Κορίνθου. Id eſt, Eſt autem hæc
quoque Synodus vniuerſalis. Etſi enim Occidentales Epiſcopi, Itali videlicet & Latini, quibus le-
thale vulnus à quibuſdam huius Synodi canonibus infligitur, valde inſtant iſtam non eſſe vniuer-
ſalem: neque ei interfuiſſe Romani papæ vicarios, quòd alia ſit ſexta Synodus regnante Conſtan-
tino Pogonato habita, ſicuti dictum eſt, hæc verò multo poſt tempore Iuſtiniani Rhinotmeti: mā-
dato coierit: ego tamen hæc audire non ſuſtinens, & huius allocutionis cohærentiam potius con-
ſiderans: & ordine ſequentes Canonas his verbis ſcriptos, SANCTA & vniuerſalis Synodus hęc
& hæc definiit, prætéritis recentibus Nomocanonibus, vt qui neque Regum neque patrum à qui-
bus editæ ſunt Synodi, ſubſcriptiones contineant, ſumptis in manus vetuſtioribus Nomocanoni-
bus, comperi ex ſubſcriptionibus, in hac quoque Synodo, quæ in Trullo regii palatii coiit, adfuiſ-
ſe vniuerſæ Synodi Romanæ Eccleſiæ nomine vicarios, Baſilium quendam Gortynæ Cretæ Inſu-
læ metropolis, & alium quendam Rauennæ epiſcopum, neque iſtos duntaxat, verùm etiam pa-
pæ tunc Romani legatus Theſſalonicæ, Sardiniæ, Heracleæ in Thracia, & Corinthi Epiſco-
pos. Hæc ille.

Cedò igitur, quod tandem eſt iſtius Eccleſiaſtici iuris fundamentum, vtpote quod ex verbo
Dei ab vniuerſali Synodo, minimè (quod conſtet) reclamantibus totius Romanæ Synodi vicariis, Tridentinū concilium fruſtra legē ſeiūs nititur excuſare.
& Epiſcopi Romani legatis, apertè deſtruatur? Et tamen quidam non ita pridem, cuius ſanè me
miſeret quòd ne manum quidem porrigente ipſi tot annos veritate, poſſit ex hoc cœno emerge-
re, pulchrè ſibi videtur Tridentinum conciliabulum excuſaſſe, quòd legem ſuper hac re latam, Ec
cleſiaſticam vocarit: quaſi verò duabus ſellis ſedeat Eccleſia, vna quidem Diuina quæ Eccleſiaſti-
ca non ſit, altera quæ Eccleſiaſtica ſit non diuina. Neque eſt quòd me quiſquam calumnietur quaſi
diſſimulem quod nullus ignorat, quaſdam eſſe leges diuinas totidem verbis ſcriptas, quaſdam quę
vt præſcriptis verbis latæ non ſint, tamen ex ipſa διανοίᾳ aut ea neceſſario conſequenti colligantur,
quas iſti explicitas & implicitas aut aliis quibuſuis vernaculis nominibus appellant. Hoc ego fa-
teor, hoc concedo, quod nemo noſtrûm qui nos totes, deſertores, hæretici denique vocamur, vn-
quam eſt inficiatus. Sed hoc dico, & hoc iam pridem omnes vociferamur quod iſti ſurdaſtri cla-
rius multo quàm velint exaudiunt, non modò neque in explicitis neque in implicitis Dei manda-
ris inueniri iſtud Tyrannicum & diabolicum votum, quod nulli minus obſeruant quàm qui ma-
ximè illud defendunt, ſed etiam explicitiſſimo, vt ipſorum verbis vtar, verbo Dei, explicitiſſimā-
que purioris Eccleſiæ conſuetudine damnari.

Nemo etiam perinde me calumnietur ac ſi negem multa eſſe quæ quū neceſſariò varientur, tē-
porariis legibus indigeant, quas certè nemo ſanæ mentis inficiabitur ex legitimi cœtus Eccleſiaſti
ci ſententia conſtitui oportere, vt omnia in domo Domini ritè & ordine fiant. Hoc enim quis vn-
quā noſtrûm negauit quod ipſa rerū natura redarguit & ipſi quotidie facimus? Sed hoc dico, hoc
clamo, hoc vociferor quod ille certè nō ignorat, & exprimere potius debuit quā cōtra cōſcientiā
Tridentinum illud conciliabulum vtriuſque tū Græcæ, tū Latinæ Eccleſiæ Canonibus confor-

me dicere: nēpe neq; nunc in Romana Eccleſia quæ ſe nō minus falsò quàm ineptè Catholicā vocat, eſſe vllum legitimum cœtum conſtitutum qui de iſtis vel conſtituendis vel interpretādis legibus aliquid ordine & more maiorū ſanciat: neq; vnquā in iſtis quæ ad cōſcientias vincīdas ſpectant ſiue quæ per ſe vel iuſta vel iniuſta ſint, licuiſſe quicquā Eccleſiæ vel tantillū extra Dei verbū ſcriptū, id eſt extra vtriuſque fœderis tabulas Canonicas, ſtatuere. Nos ita ſentimus, ita ſcribimus, ita viuimus bone vir. Tu verò videris qua conſcientia ſcripſeris nos deſertores (deſertores quidē veſtrorum & ſecundum carnem & ſecundū ſpiritū lupanatiū) legem de continētia clericali & monaſtica pèdibus prorſus hircinis & ſuillis proculcare. Nam tu quidē certè continentiā & inter clericos & inter monachos tuos nō magis quàm reip. Platonicæ Ideam inueneris: Satyrorum autem & Faunorum capripedum luſtra tam bene noſti, vt ne diſſimulare quidem poſſis tanto futuro in te grauiore Dei iudicio, niſi rectò tandem pede incedas.

Quæ initio cauſa fuerit cælibes nuncios deligendi. Placet vnum adhuc attingere quod prætermitti ſanè nō debet. Cauſæ cælibatus iis ſuadēdi qui eo vti poſſent, ex Paulo notæ ſunt. Quas poſtea rationes nonnulli commenti ſint, neſcio quo Angelicæ puritatis ſtudio planè præpoſtero, ex iis quæ diximus abundè liquet. Quas denique poſtremi hominū excogitarint, hypocritæ videlicet manifeſti & qui de continentia loquuti bacchanalia viuunt, partim ex tyrānicis Paparum decretalibus, partim ex triſtiſſimis multorum populorū caſibus, partim ex præſentis ſeculi moribus licet æſtimare. Medij autem inter hos & illos fuerunt qui prudentia quadam nixi, quæ nunc quoque vtinam ne plenam Templi Domini inſtaurationem impediat, non modò requiſierunt cælibatum in ordinandis Epiſcopis & aliis id genus, verùm etiam vt ordinandi nullos nec filios nec nepotes haberent, ſiue illas leges amplectantur, ſiue reſpuant.

Nouel. 6. & 123 & 137. Sic enim ſanciuit Iuſtinianus, & quidem tribus Nouellis: ac, quod magis mireris, citatis etiam in eam ſententiam non minus falsò quàm impudenter & Apoſtolicis ſcriptis & ſacrorum canonum definitionibus. Eſt autem hæc ipſa conſtitutio quam Pelagius papa qui Gregorium Magnum Diſ. 28. cap. de Syracuſ. anteceſſit Principalem vocat, cuius etiam ſanctionis cauſam quoniam pulchrè explicat, totum reſcriptum vt à Gratiano citatur, placuit adſcribere. *Sic ergo ibi Pelagius*, adhuc ex eorum Epiſcoporum numero qui leges ab Imperatoribus acciperent, quas tamen pro arbitrio iam tum inflectere incipiebant.

Diſ. 28. cap. de Syracuſ. *De Syracuſana vrbis antiſtite, optaueramus in ipſo initio Gloriæ veſtræ deſideriis obedire, niſi nos multiplex ratio ipſius nō paucis temporibus ordinationē differre ſacerdotij coegiſſet. Ob hoc autē, quòd vel perſonæ qualitas (ſicut & vos melius noſtis) vel ſuperſtes vxor aut filij (per quos Eccleſiaſticæ periclitari ſolet ſubſtantia) noſtros animos diutius ab eius ordinatione ſuſpenderet, quantum ad cautelam humanam pertinet, integro penè anno diſtulimus: opinantes quòd in melius Syracuſanorum prouenire poſſet electio. Sed quia in voluntatis ſuæ propoſito irreuocabiliter perſtiterunt, & nullus eſt alius in eadem repertus Eccleſia, niſi longioribus adhuc temporum differretur ſpatiis: ne paulo amplius inſanirent (ſicut filij veſtri magnifici Prætoris teſtificatione didicimus) inter huiuſmodi ambiguitates illud conſultius iudicauimus faciendū, vt congrua prouidentia cauſam, propter quam principalis conſtitutio habentem filios & vxorem ad Epiſcopatus ordinem promoueri prohibet, ſalua diſpoſitione concilij muniremus: qua de re ſummo ſtudio ab eodem Syracuſanæ vrbis Epiſcopo, priuſquam à nobis in Epiſcopum contingeret ordinari, huiuſmodi exegimus cautionem, per quam & ſuam fateretur, quantula eſſet, præſentis temporis habita rerum deſcriptione, ſubſtantiam & nihil vnquam per ſe aut per filios & vxorem ſiue quamlibet propinquam aut domeſticam vel extraneā fortè perſonam de rebus audeat vſurpare Eccleſiæ: & vniuerſa ſui Epiſcopatus quæſita tempore, Eccleſiæ ſuæ dominio ſociaret: nihil vltra id quod modò deſcriptum eſt filiis ſuis vel heredibus relicturus.*

Ex his autem nemo non videt non propter religionis cauſa, ſed vt Eccleſiaſticis facultatibus caueretur, cælibes fuiſſe maritis antepoſitos, quamuis cælibatum iampridē nonnullis ſpoliis matrimonij exornaſſent. Quid autem hic potius deplorem quàm & principum & paſtorum præpo-Cauſam non ſatis iuſtam fuiſſe obligandi cuiuſquam ad neceſſarium cælibatus obſeruationē. ſtera iudicia? Cur enim à verbo Dei potius quàm à carnis prudentia conſilium non petunt? Deprecati ſunt Apoſtoli creſcente Eccleſia Hieroſolymitana quod nunc vnum iſti, illorum ſcilicet ſucceſſores, cupidiſſimè arripiunt: & pro quo vno retinendo non dubitant hodie totum orbē terrarum concutere, nempe bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem. Itaque quum hoc quoque ad tempus Hieroſolymis ſumma fide curaſſent, totum hoc onus mox à ſe abdicatum Diaco-Arg. primū. nis reliquerunt, ſeruato ſibi videlicet tum adminiſtrandi ſermonis tum precum munere, quod à Domino acceperant. *Nam*, inquiunt, *non eſt æquum nos derelicto ſermone Dei, miniſtrare menſis.* Hanc certè rationem ſi amplecti maluiſſent poſteri quàm omnia Epiſcopis in manus tradere, quibus nihil æquius videtur quàm quod iniquum eſſe iudicarunt Apoſtoli, tot tantáque mala Eccleſiam non euertiſſent funditus, vtpote quæ iampridem nullum remedium patiatur.

Deinde quum diſertè Paulus inter illa ex quibus periculum fieri vult de Epiſcopo ad regēdam Secundum. Domini familiā idoneo, illud quoque requirat vt domui ſuæ bene præſit, & liberos habeat ad obedientiam & honeſtatem rectè compoſitos, quæ hæc fuit audacia in eo Imperatore qui ſe religioſiſſimū vocaret, quicunque eſſent mariti & patres, ab epiſcopatu excludere? quæ verò Epiſcoporum ac præſertim ſummi illius (ſi Deo placet) & vniuerſalis catholicæ Eccleſiæ capitis negligētis, imò quæ fides & conſcientia, non modò de tanta verbi diuini deprauatione Imperatorem alioquin, vt arbitror, minimè malum non commonefacere, verùm etiam ex iſtiuſmodi legibus Eccleſiam adminiſtrare?

Tertium. Bene autem illud cecidit quòd ceſſantibus vel potius in tuenda ſua Tyrannide occupatis Romanis Epiſcopis, repertus eſt inter ipſos Imperatores qui hanc conſtitutionem non modò vt ini-

quam,

quam, ſed etiam vt ſtultam refigeret. Is autem eſt Leo cognomento Philoſophos, ac ſanè reipſa in hoc quidem ſapiens, cuius etiam verba ipſa placuit adſcribere: *Mirari ſubit, inquit, quomodo nõ veteres nonnulli ſiui ſacras diuináſque Leges, tanquam illa abſoluta non eſſent, promulgatis aliis Legibus abrogare. Etenim quum ſacri Canones, quibus locus de Epiſcoporum creatione preſcribunt, ſtatuant, eum qui ex legitimo matrimonio liberos habeat, ſi modò in reliqua vita ratione nihil impedimenti ſit, ad primarium ſacerdotium promoueri poſſe: hi in contrarium ſtatuentes aiunt, vt ij qui liberos habent, tametſi legitimi coniugij munus ſint, ad Epiſcopalem dignitatem euadant, ſuo impedimento non vacare. Quod ideo fortaſſe in animum induxerunt, quòd affectione quadam erga liberos (quid enim quis aliud dicat?) ſacras facultates oblaturus ſtiuſmodi videatur. Verum non rectè ſeſe illa ratio habet. Sic nanque nec ij cui fratres aliíve cognati fuerint acceſſum ad Epiſcopatum haberet: ſiquidem & ad hos ſanguinis propinquitatíſque affectio reſpicit. Quin & hoc praeuidentes diuini Canones, fecerunt Epiſcopis poteſtatem, vt ſi ipſi cognati pauperes eſſent, illorum inopiam ex ſacris facultatibus ſubleuarent. Noſtra igitur Imperatoria quae ex Deo eſt maieſtas, ſi mandatis diuinis inſiſtatur, id longè conuenientius fore animaduertens, conſonam illis proferre legem, quemadmodum ipſis videtur ad primariam ſacerdotium promoueri poſſe, qui illo honore alioqui dignus ſit, tametſi liberos lege tamen honoratos habeat, ita deſiniens vt ab eo qui contradicere auſus fuerit, lex pro audacia poena perpetuum ſilentium exigat.* Hæc ille, ſatis declarans quod antè dixi, nempe non tam ſanctimoniæ maioris gratia quàm vt facultatibus Eccleſiaſticis conſuleretur cælibes & ἀτέκνους fuiſſe maritis & patribus antepoſitos.

Nullam autem ne tum quidem fuiſſe voti neceſſitatem in Epiſcopis, ſed eis ordinandis, licuiſſe, vel cælibatum (ſi libuiſſet) promittere (quem niſi poſtea ſeruaſſent, exauthorabantur dumtaxat, vt ante diximus, neque matrimonium dirimebatur) vel vxorẽ ducere, & nihilominus ordinari, abolito hac in parte canone illo 12. Synodi ſextæ de quo paulo antè diximus, ipſáque adeò Iuſtiniani Nouella 6. imò etiam intra bienniũ ab ordinatione illis adhuc licuiſſe vxoré ducere, liquet ex alia eiuſdem Imperatoris conſtitutione, in qua tamen iſtud quod de biennio diximus ſuſtulit, idque addita ea ratione quæ ſatis oſtendit iam tum Orientem quoque nonnihil fuiſſe Romanæ Eccleſiæ veneno afflatum. Quartum. Ide Nouel. 3.

Mitigat autem etiam illud de cælibatu, quòd tum Epiſcopos eligere ante triceſimum quintum vitæ annum non licebat, intra quod ſanè ſpatium ipſis abundè licuerat ſuarum virium periculum facere. Quintum.

Et tamen quanto ſatius fuerit à puro Dei verbo nuſquam deflectere, vel ipſis exeis perpetua tot ſeculorum experientia demonſtrat. Quos enim tumultus, in omnibus Gentibus Tyrannica & planè diabolica lex iſta peperit? quot inde populorum vel in vna Germania ſtrages? quot infanticidiis contaminatus vniuerſus terrarum orbis? quæ ſpurcitiæ Romam ipſam præſertim, omnis iſtius mali ſcaturiginem, quamuis iam ab vltima memoria turpium omnium libidinum parentem obruerunt? an vnquam Sodoma & Gomorrha vſqueadcò corã Domino Deo exercitnum fœtuerunt, atque obſcœniſſima iſta non hominum, ſed porcorum colluuies, dicam, an ipſius Satanæ proluuies? Sextum.

Imò quis hoc non miretur nullis vnquam modis hoc potuiſſe obtineri vt lex iſta quantumuis repetitis canonibus ſancita, & crudeliſſimis edictis confirmata, inuiolabiliter ſeruaretur? Repugnabat enim ipſa rerum natura, contra iſtos conſcientiarum carnifices, Deum humani generis, & ſancti coniugij authorem interpellans: nec Deo vnquam viſum eſt vſqueadcò aduerſariis laxare habenas, vt quod ipſe ſanxiſſet prorſus irritum euaderet. Septimum.

Quid quòd ipſis pontificibus (pecunia tamen delinitis iuxta illud. Qui altari ſeruit, ex altari viuat) religio non fuit, vteunque in ſcholis ſeſe miſeri homines de indiſpenſabilitate diſputando fatigarent, ſuis ipſorum legibus derogare quum libuiſſet: & quod pro irremiſſibili peccato ducunt quoties libuit, vltrò concedere? Nempe, inquiunt, publici alicuius maximi boni cauſa. quaſi verò facienda ſint vnquã mala, vt bona eueniant: quaſi non ſit bonis paſtoribus vel vnius animulæ ratio habenda. quaſi denique Romanorum Epiſcoporum hac etiam in re ambitio, auaritia, ἀσελγεία denique non ſit ex omnibus hiſtoriis manifeſta. Octauum. Obiectio. Reſponſio.

Rectius itaque multo Syneſius, teſtatus ſe non dimiſſurum vxorem quam & Deus & Lex & Epiſcopi manus ipſi tradiderant. Neque nobis Epiphanius hac in parte audiendus, quem ſanè mirum eſt audere etiam Canones proferre, quum nemini dubiũ eſſe poſſit quin Nicænæ Synodo ex diametro repugnet. Intolerabilis autem planè in hoc quoque Hieronymus, quum hæc ſcribit: *Quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti & ſedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut, ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt?* Etſi enim non deerant qui præpoſtero zelo iſtud iugum vellent quibuſuis imponere, tamen, vt Epiphanius ipſe fatetur, & vetus hiſtoria teſtatur, nunquam huiuſmodi continentiæ neceſſitas in Oriente valuit, imò ne in Occidente quidem abſq; maximis turbis obtinuit. Nonum. Syneſius ad Euxopium. Obiectio. 1. Reſponſio. Obiectio. 2. Reſponſio.

Illum autem ex patribus cuius nomini libẽs parco, quis non videt ludere quamuis in re nimiùm ſeria, potius quàm seriò agere, quum in his verbis Apoſtoli, τοῦ ἰδίου οἴκου προϊστάμενον *qui domui ſuæ bene præſit*, domum interpretatur vniuſcuiuſque corpus, vt hinc quoque ad cælibatus legẽ torqueat? Hieronymum denique quis ferre poſſit vſqueadeò deprauantem Apoſtoli verba, vt illic quoque nomine τῶν τέκνων id eſt liberorum, filios τοὺς ἄῤῥενας, filias τὰς θηλείας intelligat? Sed de his ſanctiſſimis nugis plus ſatis. Obiectio 3. cum reſpon. Obiectio. 4. cum reſpon.

Summa autem iſtorũ hæc eſt, ne Eccleſiaſticum quidẽ ius illud videri poſſe quod & Verbo Dei, & Apoſtolorum totiúſque veteris illius purioris Eccleſiæ moribus ex diametro repugnet. Concluſio.

an propterea eleemoſynis Eccleſiæ indigna quòd Deo ad côiugium vocanti ſit obſequuta? In hoc 5
autē de eleemoſyna videtur etiam Hieronymus alio modo, & quidem de induſtria, errasſe. Viduæ
enim de quibus côqueritur Apoſtolus, quòd velint nubere, non ab eleemoſyns propriè ſed à mi-
niſterio viduarū abſiciebantur. Sunt enim diſtinguendæ viduæ quarum inopiæ ſubueniebatur ex
Eccleſiæ ærario, ab illis viduis quæ *κατάλογον*, id eſt in earum album referebantur, quæ pauperibus
& aliis ſanctorū vſibus inſeruiebant. Itaque ſuſtentabātur quidem iſtæ ex ærario Eccleſiæ, vt pro-
babile eſt: ſed ita vt viciſſim laborarent, non cantillando, neque ſeſe in eremum recipiendo, vt po-
ſtea factitatū eſt, ſed ea exercēdo quæ eſſent Eccleſiæ vſui, vt ea Dorcadis hiſtoria liquet, & ea alio Act. 9. 31.
Apoſtoli loco. Iſtas porrò, ſi quidem nubebant, quid mirū eſt ea hoc albo fuiſſe expūctas, quum in 1. Tim. 5. 9.
maritorū familiam tranſirent? illas autem non quòd nuberent, ſed quòd nubentes iam non eſſent
alio ſubſidio deſtitutæ, probabile etiā eſt deſiiſſe ali ea publico, niſi rurſum paupertas aliunde pre-
meret. Quorſum hæc igitur aduerſus repetitas nuptias?

Ne quis autem arbitretur vllam à me iniuriam tanto viro fieri, alium etiam locum ea eadē epi- Quintum.
ſtola proferam. Damnauit ipſemet alibi Tertullianum, & quidē meritò, quòd in monogamia præ-
dicanda Montanū ſequeretur. Quid ſi ea ipſa ea Tertulliano ipſemet mutuatur? Hæc enim vtriuſ-
que eadē penè verba ſunt, eadē ſanè per omnia ſententia, *Lege ſacerdotali tenetur & laicus, qui talem
prabere ſe debet vt poſſit eligi in ſacerdotium. Non enim eligitur ſi digamus fuerit. porrò eliguntur ex laicis
ſacerdotes. Ergo & laicus tenetur mandato, per quod ad ſacerdotium peruenitur.* Hoc verò, (vt alia pluri- Refutatio. 1.
ma omittā, id eſt totum penè Tertullianū repetitum) annon eſt omnes velle ad monogamiā cum
Montano obſtringere? Et ſanè qui nec ſecundis nuptiis benedicunt, nec digamos abſq; pœnitén- 2
tia recipiunt, non video qui poſſint à Catharorum errore prorſus immunes videri, vt pluribus ſuo
loco diſſeremus. Sed de Hieronymo plus ſatis, cuius ſanè nimium multa ſunt huius generis, vt & 3
aliorum multorum, quorum nominibus parco.

Præſtiterit ergo non tam quis hoc vel illud dixerit quàm quibus rationibus id confirmetur ex- Refutatio a-
pendere, quanquam nihil ferè extant præter illa quæ contra Tertullianum initio refutauimus. liorum argu-

Non dixit Adam, vel potius Dominus in Adamo, *Et adhærebit vxoribus ſuis*, ſed *vxori ſuæ*. Con- mentorum
cedo, ideòque plures ſimul vxores habere nefas eſt. Sed quorſum hæc aduerſus eos qui plures ſuc- côtra te eti
ceſſiuè ducunt? niſi fortè putamus cum Montano, ne morte quidem ſolui coniugij vinculum. tas nuptias. Primum. Refutatio.

Simili ratione friuolum illud argumentum refellitur, *Duo erunt in carne vna, de primis nuptiis di-* Secundum.
ctum eſt, non de ſecundis. Sanè de primis concedo, quum ante Adamum nullus homo extiterit. Con- Refutatio.
cedo & illud, Adamum vna Eua contentum fuiſſe, quoniam nihil inuenimus in Scriptura quod
contrarium doceat. Sed de vnis illis dictum id fuiſſe nemo ſanæ mentis arbitrabitur, quia conſe- Vide 31. q. 1.
queretur vxores ſecundas non mereri vxorum nomē. Quomodo igitur viduas diceret Apoſtolus, cap. Deus maſculum.
nubere in Domino?

Illud verò via aliqua refutatione indiget. *Primus Adam monogamus, ſecundus agamus. Qui diga-* Tertium.
miam probant, exhibeant tertium Adam digamum, quem ſequantur. Nam quod ad primum Adamum
attinet, vnde iſti didicerunt oportere nos illi in iſtis quæ perſonalia ſunt, ſimiles fieri? In eo tamen Refutatio. 1.
ſanè ſimiles illi ſimus, quòd non pluribus, ſed vni coniunctus fuit. Sed annon etiam poſt priorem
mortuam ducta vxor ſecunda, vna eſt? quòd ſi quis continere mauult & poteſt, contineat ſanè. Sed
an Adamus Euæ ſuperuixerit, & ita continuerit, quis nos docebit, aut cur quæramus curioſius?
Secundi autem Adami *ἐπουρανίου*, in hac quidem vita, poſita eſt in Spiritus fructibus, ſiue mari- 2
ti ſiue cælibes ſimus, tantiſper dum apparuerit quod ſumus, quum ſimiles erimus Angelis Dei.
Quid quòd ſi argutari liberet, digamos cenſeremus potius quàm monogamos, patrem illum cre- 3
dentium referre? Sic enim ait Auguſtinus, *Promiſſum fuiſſe hoc exemplo contra hæreticos futuros ſecun-* Auguſt. de Ciuit. Dei,
darum nuptiarum aduerſarios. lib. 16. cap.

Nemo, inquit Ambroſius, *cum ſecunda benedicitur*. Et, *Scimus coniugium ſemel benedici*. At ego mo- 34. & contra
rem iſtum vt & alium quo pœnitentia iniungebatur alteram vxorem ſucceſſiuè ducentibus, non aduerſ. legis, lib. 2. cap. 9.
dubito planè iniquum pronuntiare. Annon enim vna res ſunt ſiue primæ, ſiue ſecundæ aut ſæpius Quartum.
in Domino repetitę nuptię? Si in Domino nubit vidua, vt & virgo, quo iure recuſabitur illi bene- Refutatio. 1.
dictio quæ illi tribuetur? Longè ſanè rectius & verius Auguſtinus, ſiue quicūque auctor eſt libelli
de fide ad Petrum. *Si cui primo contigerit priuari coniugio, ſecundum vel tertium iniens, nullum peccatum* 2
habebit. Et ſanè ita eſt. Quis enim pius dixerit, peccatum ab Apoſtolo ſuaderi vt fiat in Domino? De fide ad Petr. cap. 3.
Quorſum igitur pœnitentiæ pœnam non peccanti? Idem eòdem libello, *nuptia*, inquit, *non tantùm* 3
prima diuinitus inſtituta ſunt & benedicta. ſed & ſecunda & tertia, pro eorum qui ſe continere nō poſſunt in- Ibidem
firmitate. Cui verò benedixit Dominus, in quo nimirum vult viduas nubere Apoſtolus, quo iure ſa- cap. 42.
cerdos benedictionem recuſauerit?

Sed, inquiunt Sententiarij, *ſecunda nuptia non ſunt ſacramentales, quoniam*, ait Durandus, *quum non* Sextum
ſint vna vnius, aliquem defectum ſacramenti patiuntur ad plenam matrimonij Christi & Eccleſia ſignifica- Libr. 4. ſen-
tionem. Atqui (vt illud ridiculum & millies refutatum commentum de Matrimonij ſacramento tent. diſt. 42. & ibi Durandus.
nunc non attingā) quum Paulus illius ſpiritualis ſanctorum & Chriſti coniunctionis velut imagi- Refutatio. 1.
nem dicit in coniugali copula extare, quis iſtos docuit de primis magis quàm de ſecundis vel vlte-
rius etiam ſucceſſiuè progreſſis nuptiis hoc intelligendum, quum illic in genere de mutua coniu-
gum inter ſe dilectione manifeſtè diſſeratur? Annon verò vnus cum vna in ſecundo vel tertio vel a
vlteriore ſucceſſiuo côiugio nō minus quàm in primo copulatur? Quadrarēt igitur iſta profectò in
veros polygamos, id eſt qui plures vna vxores ſimul habēt, quū vna Eccleſia ſit vnius Chriſti ſpōſa:

Ezech.23. aduerſus iſtos autem de quibus nunc agimus, non item. Quid ſi verò obiiciam illud Oholæ & O-
Eſaię 54. holibæ repudium? quid ſi totius Synagogæ diuortium, & ſterilem illam multorum nunc filio-
Oſeæ 2. rum matrem in illius repudiatæ locum aſcitam? annon ſi minutim iſta vellemus cõſectari, (quod
Ierem 3. tamen eſſet præter mentem Apoſtoli) dicere liceret eorum potius matrimonia ſecunda qui repu
diata va ore aliam ducunt, plenam Eccleſiæ & Chriſti ſignificationem habere? Totum igitur iſtud
inane eſt Matæologorum ſomnium.

Septimum. Iam accedo ad illud quod nonnulli palmarium putant vt votum viduitatis ſeruandæ ſtabiliant.
1.Sam.2.22. Proferunt enim primo loco exemplum mulierum quæ ad templi veſtibulum excubabant. Sed
Refutatio. vtcunque de iſtis fabulentur Rabbini, & quicunque alii, nuſquam ibi inuenient vllam voti
Octauum. mentionem.
Luc.2.36.
Refutatio 1. Celebrant quoque Annæ propheteſſæ exemplum: quaſi verò viduas continentes vituperemus,
2 ac non potius laudemus magnopere, ſiquidem ſua viduitate rectè vtantur. Dico igitur nunc quo-
que continentiæ donum à nobis non minus quàm ab vllis veteribus, ſi hyperbolas excipias, præ-
dicari: ac etiã, Deo ſit gratia, multo minus inter nos tolerari quicquid cõtinẽtiæ repugnat, quàm
inter iſtos quos hodie non pudet de his rebus contra nos diſſerere. Sed hoc viciſſim fatemur, non
diuinam, non Eccleſiaſticam, ſed mirifica Satanæ fraude inuectam videri legem quæ voti iſtius ſpe
Nonum. cie tot animarum myriadas inferis mancipat, vt triſtiſſima tot ſeculorũ experientia comprobauit.
1.Tim.5.12.
Refutatio 1. Illud autem eſt velut vltimum eorum perfugium quòd eas viduas reprehendat Apoſtolus, quę
fidem primam irritam fecerunt. En enim, inquiũt, fidei id eſt promiſſionis datæ ſiue voti ſit mẽtio,
& quidem inuiolabilis. Atqui primùm omnium hoc illis conſiderandum erat, non agi hoc loco de
quibuſuis viduis, ſed de iis demum quæ ad certum illud collegium erant allectę, quòd apparet ex
verbo καταλέγω. Iſti verò vt paulo antè oſtendimus, ſic loquuntur de ſecundis nuptiis, vt peccatũ
2 quidem non eſſe verbo fateantur, re negent, quum renubentes omnes pœnitentiæ pœna multent.
Sed veniamus ad primam iſtam fidem. Eam verò etiam ſi concederemus ita vt iſti volunt accipi-
endam, quorſum hoc ad illorum viduas, quæ nuſquam ſunt? Collegii enim illius viduarum apud
ipſos ne veſtigium quidem aliquod nũc videas. Et quod ad me attinet, vt fuerit aliquis eorum v-
ſus primis illis temporibus, tamen exiſtimo magnam cauſam non eſſe cur de illis inſtaurandis ma
gnopere laboremus. Itaque inutilis videri poſſet hæc quæſtio niſi votiuæ iſtius cõtinentiæ neceſſi-
3 tatem nobis propoſitum eſſet oſtendere nullo prorſus verbo Dei neque præcepto neque exem-
plo cõfirmari. Dico igitur fidei nomine nihil eſſe prorſus quod nos cogat aliud quàm pactum &
ſimplicem promiſſionem Eccleſiæ factam intelligere. Quænam autem illa erat? ea nimirum quæ
miniſterium iſtud reſpiciebat, quo ſanè defungi non poterant quæ ad nuptias redirent. Pollice-
bantur ergo ſe conſtanter operam ſuam nauaturas Eccleſiæ, nec ab eis exigebatur votũ quo con-
ſcientias obſtringerent coram Deo, ſed ſimplex pollicitatio ſuæ fortiter & fideliter turndæ voca-
tionis. In iſtis autem tum exigendis tum præſtandis pollicitationibus quum experientia oſtendiſ-
ſet grauiter peccari, hanc normam adhibuit Apoſtolus vt nulla niſi ſexagenaria deligeretur, cuius
ordinationis grauiſſimas rationes affert: nempe quòd iuniores ad luxum & delicias ſubinde pro-
lapſæ, poſt varia offendicula, tandem apertè leuitatem ſuam proderent, deſerto contra fidem datã
munere, ad ſecundas nuptias tranſeuntes, adeò quidem vt nonnullæ quoque interdum à Chriſto
ipſo deficerent. Sic ergo iſti incommodo proſpici voluit Apoſtolus. quam regulam ſi poſteritas
eſſet ſequuta, præterquàm quòd infinitis offendiculis obuiam itum eſſet, ſuperſtitioſum iſtud per-
petuæ viduitatis votum, quod tandem etiam meritorium euaſit, & repetitarum nuptiarum tur-
piſſimam vituperationem peperit, Eccleſiam non inuaſiſſet. Scio tamen aliter quoque & commo-
dè quidem explicari primæ fidei vocabulum. Sed quid mihi maximè accommodatũ videatur, illud
dixi, nempe nihil aliud quàm ſimplicem pollicitationẽ Eccleſiæ factã minimè tamen temere vio-
landam ita ſignificari, ſed quæ à ſolis diaconiſſis & quidem ſexagenariis ex æquo & bono, non ſan-
ctimoniæ alicuius nedum meriti, ſed miniſterii ipſius cauſa quod obire nuptæ non poſſent, exige-
retur. Verùm hac de re rurſus aliquid in tractatu de diuortiis, Deo fauente, dicemus. Nunc autem
Digamus nõ ad eam digamiam accedamus, quæ Clero interdicitur.
recte inter-
dici ſacrum Digamos, id eſt, (vt ii interpretantur contra quos nunc diſputamus) eos qui plures ſucceſſiuè
miniſterium. vxores, vel etiam vnam, ſed eam viduam, duxerunt, adeò iam olim plerique cenſuerunt indignos
Hieronym. eſſe ſacro miniſterio, vt eos nõ modò à ſacris ordinibus, putà epiſcopatu, presbyteratu, diaconatu,
Oceano. ac ſubdiaconatu, ſed etiam ab ipſo clero ſemel excluſerint, adeò quidem vt reluctante fruſtra Hie
Obiectio 1. ronymo, alioqui infenſiſſimo, quoties libuit, nuptiarum hoſte, eum quidem admittant qui ante ba
Reſponſio. ptiſma fuerit quantumlibet ſcortatus, digamum autem non item. Sit autem hoc quanlibet vetuſtũ,
Obiectio 2. nihilominus tamen iniquiſſimum eſſe nec in Eccleſia tolerabile affirmo. Nec enim ea vis eſt vetu-
Reſponſio. ſtatis, vt quod malum eſt, quia vetus eſt idcirco bonum euadat. Nec eſt rurſus, quòd clamitent pa
tribus ita inſignem fieri iniuriam, & illud inane ſuum *Catholicum* nonnulli nobis obtrudant. Saltem
enim ſemper id dici non poteſt obtinuiſſe, quod præter Dei verbum ſeorſim fuiſſe in Eccleſiam in-
uectum non difficile fuerit demonſtrare. Audiamus igitur quas rationes iſtius moris afferant. Ita
enim liquebit an ſuper verum fundamentum ædificarint aurum & argumentum, an potius fœnũ
Valentin.1. & ſtipulam, quæ nunc clarus ille dies Domini retexerit, & quaſi per ignem conſumpſerit.
Syn.c.1.
Refutatio. Iactat quidem apertè Synodus Valentina præcepti diuini formam, ſub Damaſo papa, vel potius
rationũ pro vt arbitror, ſub Syritio, ſed quum ad rem ventum eſt, tum planè detegitur impoſtura. Nam hæc
demum ex verbo Dei ab iſtis proferuntur.

Cautum

Cautum fuit in Lege,(inquiunt iſti legis defenſores quo digami à Clero arcentur)ne Sacer- *miniſterio digamis interdicto.*
dotes ſæpius,id eſt plus quàm ſemel nuberent. Acſi requiras vbinam hoc cautum ſit, nuſquam ſa-
ne neq; apud Moſen,neq; apud Prophetas,nullo deniq; ſacræ Scripturæ libro inuenias. Ac Ter- *Prima. Refutatio.*
tullianum quidem à paracleto Montani faſcinatũ iſtud quoque ſomniaſſe non adeò mirãdum fue-
rit. Tertulliani verò veſtigia poſtea ſequutos fuiſſe Siricium & Innocentiũ primum, homines, vt
eorum epiſtolæ palàm faciunt,blaſphemos & inſigniter impudentes,quis iure miretur,quum nihil
illos puduerit? Quoſdam autẽ ſummæ alioqui tum eruditionis tum probitatis viros quis non mi-
retur & ingemiſcat in re præſertim tanti momenti non ſaltẽ ſacros codices quos quotidie verſa-
bant inſpexiſſe,vt ſcirent verè iſtud an falsò citaretur? Sed illa tunc fuit nimirũ mendacij ſpiritus
efficacia: & Chriſtianæ Eccleſiæ fatalis calamitas. Hieronymus præ cæteris qua ratione poſſit ex-
cuſari certè non video, vt qui in Epiſtola ad Oceanum,quocunque illam tẽpore ſcripſerit (tum ſa-
nè rectius multo de nuptijs ſentiens quàm quum in Iouinianum declamaret) manifeſtè dicat ipſis
etiam ſacerdotibus ſub lege patuiſſe polygamiæ, id eſt plurium ſimul vxorum habendarum licen-
tiam. Quod ſi verũ eſt, quis alterum digamiæ omnibus conceſſæ genus illis interdictum cenſeat?
Et tamen idem ipſe ex Tertulliano illud repetit, cauſæ ſuæ ſeruiens.

Proferunt ſecundo loco legem illam quòdam Moſi traditam, qua iubetur ſacerdos nec viduam, *Secunda.*
nec meretricem, nec prophanatam, nec ab alio eiectam, ſed virginem, eámque ea populis ſuis acci- *Leuit. 21.*
pere, quæ lex etiam ab Ezechiele repetitur. Eum autem locum quem vereor vt multi interpretes *Ezech. 44.*
nondum ſatis commodè expoſuerint, placet explicare, priuſquam oſtendam quantopere ab iis tor- *Refutatio.*
queatur aduerſus quos nunc eſt nobis agendum. Sic enim fere ſolet accipi acſi toti tribui Leui hoc
eſſet præſcriptum, quod tamen eſt præter Legiſlatoris mẽtem, vt qui de ſolis Aaronis poſteris ex-
preſſè diſſerat priore loco, vbi de non ducenda vel meretrice vel prophanata vel eiectitia cauetur.
Quod autem additur de vidua non ducenda ſed virgine ne ad omnes quidem ſacerdotes, ſed ad ſo-
lum Pontificem Maximum pertinere partim liquet manifeſtè ex Moſe qui diſertè hoc habet, par-
tim ex Ezechiele qui ſolos filios Zadoc, non autem omnes filios Aaron nominat. Additur autem
apud Ezechielem exceptio, ad Pontificiam quoque familiã, vt videtur, pertinens, nempe vt viduam
quoque ducere liceat, ſed ex ſacerdote. Obſecro verò quorſum hæc ad digamos, ſiue viduarũ ma-
ritos ab omni ſacro miniſterio prohibendos? Quia, inquiunt, ſi hoc fuit obſeruatum in iis qui tum
miniſtrabant altari, multo magis id requirendum eſt ab iis qui nunc multo dignius miniſterium
exercent. Atqui nulla prorſus hic mentio de nuptiis non repetendis, vel non repetitis. Imò, vt pau-
lò antè diximus, cenſet ipſe Hieronymus ſacerdotibus quoque conceſſum fuiſſe plures ſimul vxo- *Hieronym.*
res habere, nedum viſi plures ſucceſſiuè vxores duxiſſent, ex ſacerdotum numero expungerentur. *Oceano.*
Deinde viduarum coniugium vni Pontifici Maximo interdicebatur. Itaque etiam ſi illis daremus
ipſorum Clerum tribui Leui ſucceſſiſſe, & illa lege nunc quoque Eccleſiam teneri, hoc tamen ni-
hil prorſus illos in hac cauſa ſubleuarit. Sed neutrum ſanè illis concedimus. Nam quod ad ipſo-
rum Clerum attinet, quæ tandem luci cõuenientia cum tenebris? Legem verò Leuiticam præter-
quàm quòd abrogatam conſtat, ſi rurſum iſti in vſum reuocandam cenſent, cur illam reſtringunt
tum in diaconis, quos eſſe volunt alios Leuitas, tum in Epiſcopis & Presbyteris, quos antiquis ſa-
cerdotibus comparant? an quod purius & ſpiritualius quiddam ſit Euangelicum miniſterium? At-
qui vt cultus Leuiticus præ hoc noſtro carnalis fuerit, nihil hoc tamen ad rem, niſi oſtenderint la-
bem aliquam vel primis vel repetitis, ſiue cum virgine ſiue cum vidua nuptiis contrahi, quæ puri-
tati ſacerdotij officiat: quod nunquam ſanè oſtendent, quum clamet Apoſtolus honoratas eſſe in
omnibus nuptias, & torum impollutum.

Cur ergo, inquies, virginem, non autem viduam, aut meretricem, aut ab alio repudiatam, duce- *Tertia.*
re poterat Pontifex Maximus? Reſpondeo rurſum nihil hoc ad repetitas nuptias pertinere, quum *Refutatio.*
hac lege nõ vetetur Pontifex Maximus ſæpius coniugium contrahere, modò virginem ſemper ac-
cipiat. Item, ne coniugium quidem ſacerdotibus cum vidua ſic prohiberi, ſi modò ſit ex alio ſacer- 2
dote vidua: quod quum ita ſit, dico rurſum morẽ iſtum, quo tum digami tum viduarum mariti (ſic
enim hos ab illis multi etiam recentiores canones diſtinguunt) à clero arcentur, nullo iure diuino
niti, ac proinde iſtud interdictum Apoſtolicæ ipſi doctrinæ ex diametro repugnare. Sed ad rẽ. Cur 3
virginẽ ducere iuberetur Pontifex Maximus tres cauſæ à Philone afferuntur. Vna, vt ſacrum ſe- *Philo libro de Monarchia.*
men aruo intacto exciperetur: altera, ne huius natales cum aliis familiis miſcerentur: tertia, vt faci-
lius ſacerdotum moribus accommodaretur. Ego nullam ex his cauſis probo. Nam quod ad primã
attinet, illam non valere vel ex eo apparet quòd licebat etiam ſacerdotibus extra Pontificem Ma-
ximum viduam ex alio ſacerdote ducere. Secunda verò falſa etiam eſt, quum expreſſè dicat Moſes
licuiſſe Pontifici Maximo virginẽ ducere *de populis ſuis*, id eſt, vt interpretatur Ezechiel, de ſemine
domus Iſrael, quod alioqui aliis tribubus non licebat, ne confunderẽtur ſingularum tribuum hæ-
reditates: vnde etiam factum, vt Eliſabeth & ſacerdotis vxor & Mariæ cognata eſſet. Illud verò
tertium prorſus commentitium eſt, nec refutatione indiget. Vera autem cauſa hæc eſt procul-
dubio, quòd Pontifex Maximus venturi Chriſti & ſpiritualium Eccleſiæ cum Chriſto nuptiarum
peculiaris typus eſſet. Vmbras autem illas omnes iam deſiiſſe, quum corpus ipſum obtinea-
mus, ac proinde manifeſtè Iudaizare qui hæc & alia eiuſmodi in vſum reuocant, quis ignorat? At *Obiectio.*
enim, excipiet aliquis, Paulus hoc ipſum in noſtris quoque matrimoniis ſignificari dicit. Imò
verò ſi diligenter Paulum inſpicias, comperies illud *μυστήριον* (quod nomen vetus Latinus inter- *Reſponſio.*
pres ſolet Sacramentum interpretari) non in coniugiis noſtris, ſed in Chriſti & Eccleſiæ copu-
latione merè arcana ſtatuere. Sed ita eſto. Si tamen hoc ad ſolas virginum nuptias retuleris, non

modò perperá idcirco feceris,quòd hæc ſimilitudo in eo poſita ſit quod quibuſuis coniugijs com-
mune eſt,nempe quòd duo fiant vna caro:ſed ideo etiam,quod illud quoque Apoſtol·, *Viri, dili-
gite vxores veſtras* (quò tota hæc ſententia refertur) res ipſa clamet omnibus ſine exceptione mari-
tis præcipi. Deinde ne hanc quidem analogiam eſſe ſubtiliùs indagandã, vt ſingula ſingulis reſpon
deant,vel illud manifeſtè declarat,quod de repudiata & alteri nupta,& nihilominus iterùm contra
Ierem.3.1. legem recipienda dicit apud Ieremiam Dominus. Ac de virgine quidem & vidua hactenus. Quòd
Refutatio 4. autem ad prophanas,id eſt (vt interpretatur Philo) infamibus parentibus prognatas,& ad meretri-
ces attinet,nemo non videt ideo eiuſmodi mulierũ coniugiũ ſacerdotibus fuiſſe ſub lege interdi-
ctum,ne quod earum probrum ad illos vſque redundaret. Quòd ſi quis roget an hanc quoque le-
gis partem abolitam fuiſſe exiſtimem , reſpondeo , quum hæc ratio nunc quoque valeat,aliter de
iſtis,id eſt de probroſis mulieribus ſtatuendum quàm de virgine aut vidua: idque non quòd olim
ita fuerit cautum in ſacerdotio Leuitico (quod iam abrogatum eſt) ſed quoniam res ipſa clamat fie-
ri vix poſſe,quin ſi eiuſmodi probroſæ famæ mulieres ducantur, aliquid detrahatur miniſterij di-
gnitati,cuius quanta ſit habenda ratio vel illud declarat quòd Apoſtolus in familiam quoque Epi-
1.Tit.1.7. ſcopi vult inquiri. Abſit tamen vt hac in re ſine exceptione probem ſummam illam Canonũ quo-
rundam ſeueritatem: abſit,inquam, vt Phariſæum illum imitemur qui pre ſe peccatricem illã mul-
tum diligentem damnabat,ne fortè illud audiamus ex ore Domini, Publicani & meretrices præ-
cedent vos in regnum cælorum. Matthæus certè factus eſt Apoſtolus & Euangeliſta ex publica-
no. Noſtri autem Catholici,belli ſanè homines ſunt,& ſeueri ſcilicet Canonũ obſeruatores , qui-
bus intolerabile quidem flagitium eſſet honeſtiſſimæ etiam matronæ,nedum cuiuſpiam quãtun-
nis pœnitentis mulieris maritum ſacris initiare,infames autem omníque libidinum genere conta-
minatiſſimos non item,modò ne maritos,quum vis tamen alios,teſtibus ipſorum hiſtoriis , inter
decem ſeculorum Pontifices inuenias. Poſtremò quod ad repudiatam attinet,quum repudia nun-
quam fuerint in foro conſcientiæ, vt vulgò loquuntur,probata, (adeò vt manifeſtè dicatur qui ſic
repudiatam ducat,adulterij reus eſſe coram Deo) non mirum eſt ſacerdotibus,quos oportuit ho-
neſtate vitæ cæteris prælucere,interdictas repudiatæ nuptias,quod in cæteris nõ niſi ob duritiem
cordis,ciuilibus legibus tolerabatur.

Quartum. Hierony. ad Gerontiam. Refutatio.1. Profert etiam Hieronymus quod ait inſtitutum quoque fuiſſe in Lege,nempe vt maritatę filiæ
Sacerdotum,ſi viduæ fierent , veſcerentur ſacerdotalibus cibis: ſin autem alios viros accepiſſent,
alienæ fierent à patre & ſacrificiis,& inter externas deputarentur. Atqui ne hoc quidem ſatis bona
fide citat ille,ſiue memoria fretus,ſiue, vt alibi nimium ſæpe factitat , cauſæ ſuæ ſeruiens. Nec
Leuit.22.12. enim aliud ibi conſtituit Moſes, quàm vt filia ſacerdotis, quæ extra tribum ſuam enupſerit , ex-
tranea cenſeatur, ac proinde veſci oblationibus non poſſit : quia nimirum in extranei familiam
tranſierat , aliis autem quàm ſacerdotibus non licebat ſacris cibis veſci. Quòd ſi fuiſſet repudiata,
aut,defuncto marito,abſque liberis relicta (nam alioqui manſiſſet adhuc in extranea familia) tum
ei ad ſuos reuertenti licebat rurſum , vt ante nuptias , apud patrem ſacris veſci : in cuius videlicet
familia rurſus cenſeretur. Nulla autem apud Moſen vel primarum vel ſecundarum nuptiarum
mentio.

Quinta. 1.Tim.3.2. & Tit.1.6. Citant deniq; illud Pauli de Epiſcopis & Diaconis, *Vnius vxoris virum*,qui locus triplici modo
torquetur. Allegoriam enim illam,quæ vxoris nomine Eccleſiam intelligit, vt ab ipſomet Hiero-
nymo refutatam,omitto. Placet ergo quibuſdam iſtud de eo accipere qui fuerit,nõ autẽ qui ſit ma
Hier.li.1.aduerſus Iouinian. ritus. *Vnius vxoris virum*,inquit Hieronymus,id eſt, *qui vnam vxorem habuerit,non habeat.* Nec illud
Ambroſij diſſimile eſt, *habentem filios dixit Apoſtolus,non facientem.* Sed huic deprauationi opponẽ-
Ambroſ. Epiſt.82. da eſt ſimplex veritas,quam confirmauit Nicæna Synodus in Paphnutij ſententiam tranſiens : vbi
etiam lex illa NOVA vocatur,qua volebant nonnulli ſtatuere, vt ſacris initiati à coniugibus ſuis
Refutatio.1. abſtinerent. Itaque ne altera quidem abſurda interpretatio admitti poteſt,quantumuis magnis au-
2 thoribus (ſed in hac re quidem planè tum à verbo Dei,tum ab antiquæ Eccleſiæ iudicio aberran-
tibus) nitatur: quæ videlicet hoc dictum Apoſtoli interpretatur de iis qui vxores quidem habeant,
ſed à quibus ex mutuo conſenſu abſtineant, cuiuſmodi vota prorſus fuiſſe vetuſtæ Eccleſiæ inco-
gnita ſuo loco declarauimus. Nec ſanè in hoc excuſari poteſt Epiphanius (quod tanti viri pace di-
xerim) quum audet etiã Canonum authoritatem prætexere,quos tamen non edit. Quos enim edi-
diſſet,qui Nicænæ & Gangrenſi ſynodo manifeſtè hac in re contradicit? Ita verò ſcripſiſſe Epipha-
Ambr. epiſt. ad Vercellẽſes.82. nium nemo mirabitur,qui obſeruarit Ambroſium auſum etiã eſſe ſcribere,Patres in Nicæno con-
cilio addidiſſe,clericum quenquam eſſe non debere, qui ſecunda coniugia ſortitus ſit. in quo ſanè
3 eſt periculoſè hallucinatus: niſi de iis hoc accipiat qui duas ſimul vxores habeant. Itaque multò re-
Synodi in Trullo, can. 13. ctiùs poſtea ſynodus ſexta vniuerſalis eccleſiam Romanam coarguens,illam obiurgat,quòd iſtam
continentiæ legem obtruderet ἐν τάξει κανόνος, id eſt,vice Canonis,& tãquam Canonem: quod ſanè
Eſpenſ. libr. de Contin. primo,ca.4. falſum erat,vt planè mirer Eſpenſæum ex illis ipſis ſynodi ſextæ verbis,quibus Romanæ eccleſiæ
tyrãnis & impoſtura coarguitur,aliquam eius excuſandæ occaſionem arripere potuiſſe. Tertia de-
4 nique huius loci deprauatio eorum eſt qui vnam vxorẽ accipiunt pro prima,quaſi qui plures ſuc-
ceſſiuè duxit,ab Epiſcopatu arceatur . quam ſententiam ſequutus quidem videtur Chryſoſtomus
in Epiſto.ad Titum,ſed in altero Epiſtolæ ad Timotheũ loco de Polygamiæ Iudaicæ prohibitio-
ne rectè accipit: quã interpretationẽ amplectitur quoque Theodoretus, nonnihil tamen fermenti
de voto admiſceẽs. Quũ autẽ manifeſta ſint Apoſtoli verba,quid attinet nodum in ſcirpo quærere?
5 Cur nõ enim potius πρώτης quàm μιᾶς ſcripſiſſet Apoſtolus? & quæ tandẽ in ſecũdis ſucceſſiuis nu-
ptiis labes ineſt vel macula, quæ quenpiam Epiſcopatu indignum reddat? Rationes tamen, quas
hic

hîc nonnulli prætexunt, mox etiam expendemus. Nunc hoc dico, planũ & penitus perſpicuũ eſſe quod ſcribit Apoſtolus, quũ qui ſecundam aut tertiam, & ſic deinceps, vxorem duxit, modò ne plures ſimul habeat, tam ſit vnus vxoris vir, quàm cui neceſſe non fuit prima mortua aliam ducere. Et ita etiam ſentire puriores ſcholaſticos coegit ipſa veritas, vt mox oſtendemus.

Expendamus autem etiam quæ ab iſtis opponuntur. Primùm quærunt cur illud verbum OPORTET vſurparit Apoſtolus, quum ex eo videatur conſequi (ſi quidem hunc locum ita vt diximus interpretemur) non poſſe alios quàm maritos epiſcopari. Reſpondeo, non ſolui hunc nodum etiã ſi in iſtorum ſententiam tranſeamus, qui de alio genere digamorum hæc intelligunt. Verum eſt autem quod à noſtris quoque non ſemel reſponſum eſt, ſpectaſſe Apoſtolum quod conſuetudo illorum puriorum temporum ferebat, nempe, vt qui adoleuerant, mariti eſſent, ac proinde de vnica vxore & honeſtate familiæ non alia formula quàm de reliquis virtutibus ſtatuiſſe: quum tamen certum ſit nec ἀγάμους verè continentes, neque ἀτέκνους propterea excludi. Obiectio 1. Reſponſio 1.

Obiiciunt præterea eiuſdem Apoſtoli alterum locum, in quo iubet non aliam deligi viduam quàm quæ vnius viri vxor fuerit: quæ verba ad illam polygamiam trahi non poſſunt, quum nullis vnquam legibus licuerit fœminis plures ſimul maritos habere. Hoc ego verò ita eſſe fateor, ſed cõſequi tamen nego, quin vtrobique eadem digamiæ ſpecies (quanuis non per omnia ſimilis) prohiberi intelligatur, atque adeò quin eadem interpretatione locus vterque exponatur. Vult enim Apoſtolus non eligi epiſcopum niſi qui vnica muliere, & quidem vxore, ſit contentus: vult quoque non referri in viduarum album viduam niſi quæ vno viro & quidem marito, ſit vſa. His autem verbis à ſacro miniſterio non alios arceri dico quàm primùm quidem turpis & flagitioſæ vitæ tũ viros tum mulieres: deinde etiam διγάμους, id eſt, tum qui plures ſimul vxores haberent, tum quæ pluribus ſimul maritis vſæ eſſent. Hoc autem poſterius ne cui mirum videatur, ſciendum digamiæ quoddam genus fuiſſe tum viris tum mulieribus commune, quum videlicet illi quidem repudiatis aliam ob cauſam quàm ob adulterium vxoribus, alias illis ſuperſtitibus ducebant: iſtæ verò viciſſim temerè diſcedentes à ſuis maritis, ad alias nuptias tranſibant. Hinc illa vetus lex Moſis, ne ſacerdoti liceret meretricem aut repudiatam ducere, de qua paulò antè diximus. Hinc & illud Pauli, Vxor à viro ne diſcedito: quòd ſi diſceſſerit, maneat innupta, aut viro reconciliator. & vir vxorem ne dimittito. Fuiſſe autem ipſis etiam mulieribus hoc flagitium minimè ne Romæ quidem, nedum in Græcia inſuetum, vel ipſe Iuuenalis hoc peruulgato verſiculo teſtatur, Obiectio 2. Ti. 1.5. Reſpon. 2.

-- ſic fiunt octo mariti

Quinque per autumnos. Sed de his hactenus.

Hæc ſunt igitur quæ pro tuendo illo ſuo interdicto citare vel potiùs manifeſtè detorquere ex Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis iam olim conſueuerunt. quo fundamento quum deſtituantur, cauſa fortaſſe non erat cur vlterius progrederemur. Placet tamen tum veteres ea de re Canonas, tum veterum quorundam Patrum argumenta expendere, ne temerè videamur ab iis, quos falſo nonnulli Catholicæ Eccleſiæ nomine exornant, diſſentire. Sic igitur habet Canon Apoſtolicus, vt vocant, 17. Veterũ Canonum in quibus de digamis agitur, comparatio cum Dei verbo. Apoſt. Can. 17.

Ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. Id eſt,

Qui duplici coniugio poſt baptiſmum fuerit implicitus, aut pellicem poſſederit, non poteſt eſſe epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut prorſus ex ſacerdotali catalogo.

Et deinde mox octauus, Ὁ χήραν λαβὼν ἢ ἐκβεβλημένην, ἢ ἑταίραν, ἢ οἰκέτιν, ἢ τῶν ἐπὶ σκηνῆς, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. Id eſt, Apoſt. can. 18

Qui viduam acceperit aut repudiatam, aut meretricem, vel ancillam, vel ſcenicam, non poteſt eſſe epiſcopus aut presbyter, aut prorſus ex ſacerdotali catalogo.

Libet autem etiam ſubiicere hæc eadem, ſed paulò pleniùs ſcripta, ex illo libro quem & Græcè & Latinè nunc ediderunt Clementi epiſcopo Romano inſcriptum, cui titulum fecerunt, Διαταγαὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων: Ἐπίσκοπον καὶ πρεσβύτερον καὶ διάκονον εἴπομεν μονογάμους καθίστασθαι, κἂν ζῶσιν αὐτῶν αἱ γαμεταὶ, κἂν τεθνᾶσι· μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτοῖς μετὰ χειροτονίαν ἀγάμοις οὖσιν ἔτι ἐπὶ γάμον ἔρχεσθαι, ἢ γεγαμηκόσιν ἑτέραις συμπλέκεσθαι, ἀλλ᾽ ἀρκεῖσθαι ᾗ ἔχοντες ἦλθον ἐπὶ τὴν χειροτονίαν. ὑπηρέτας δὲ καὶ ψαλτῳδοὺς, καὶ ἀναγνώστας, καὶ πυλωροὺς, καὶ αὐτοὺς μονογάμους εἶναι κελεύομεν. εἰ δὲ πρὸ γάμου εἰς κλῆρον παρέλθωσιν, ἐπιτρέπομεν αὐτοῖς γαμεῖν εἴγε πρὸς τοῦτο πρόθεσιν ἔχοιεν, ἵνα μὴ ἁμαρτήσαντες κολάσεως τύχωσιν. οὐδενὶ δὲ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ κελεύομεν ἢ ἑταίραν, ἢ οἰκέτιν, ἢ χήραν καὶ ἐκβεβλημένην λαμβάνειν, ὡς καὶ ὁ νόμος λέγει. Id eſt, Clem. lib. 6 can. 17.

Epiſcopum & presbyterum & diaconum diximus vnius vxoris viros debere conſtitui, ſiue viuant eorum vxores, ſiue mortuæ fuerint: non licere autem ipſis, ſi poſt ordinationem coniugij expertes fuerint amplius ad nuptias deuenire: vel ſi mariti fuerint, cum aliis iungi, ſed ea contentos eſſe quam habentes ad ordinationem peruenerunt. Miniſtros autem & Cantores, & Lectores, & Ianitores, iubemus quoque vnius vxoris viros eſſe. Quòd ſi antequàm matrimonio iungerentur in clerum proue cti ſint, concedimus eis vt vxores ducant, ne ſi peccarint pœnas luant. Iubemus verò vt nulli ex clero liceat vel meretricem, vel ſeruam, vel viduam & repudiatam accipere, ſicut & lex ipſa dicit.

Non omittenda quoque alia ex eodem libro διαταγὴ, quæ ſic habet, Αἱ δὲ νεώτεραι χῆραι εἰς χηρικὸν μὴ ἐγκαταλεγέσθωσαν, μήποτε προφάσει τοῦ μὴ δύνασθαι κρατεῖν τῆς ἀκμῆς, ἐπὶ δευτερογαμίαν ἔλθωσιν, ἐν πράγματι γένωνται. ἐπικουρείσθωσαν δὲ καὶ βοηθείσθωσαν ἵνα μὴ προφάσει τῆς λείψεως, ἐπὶ δευτερογαμίας ἔλθωσιν, ἐν πράγματι ἀπρεπεῖ ἐνεχθῶσιν. Καὶ τοῦτο γὰρ εἰδέναι ὀφείλετε, ὅτι μονογαμία μὲν κατὰ νόμον γενομένη, δικαία, ὡς ἂν κατὰ γνώμην θεοῦ ὑπάρχουσα. διγαμία δὲ μετ᾽ ἐπαγγελίαν, παράνομος, οὐ διὰ τὴν συνάφειαν, ἀλλὰ διὰ τὸ ψεῦδος. τριγαμία δὲ ἀκρασίας σημεῖον. τὸ δὲ ὑπὲρ τὴν τριγαμίαν, προφανὴς πορνεία καὶ ἀσέλγεια ἀναμφίβολος. ὁ γὰρ θεὸς μίαν γυναῖκα ἑνὶ ἀνδρὶ δέδωκεν ἐν τῷ Clem. lib. 3. can 2.

δημιουργῷ. ἔσονται γὰρ οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. νεωτέραις δὲ μετὰ τὴν τοῦ προτέρου τελευτὴν συγχωρείσθω καὶ ὁ δεύτερος γάμος. ἵνα μὴ εἰς κρίμα τοῦ διαβόλου ἐμπέσωσι καὶ παγίδας πολλάς, καὶ ἐπιθυμίας ἀνοήτους, καὶ βλαβερὰς ψυχαῖς. αἳ τιμωρίαν ἐπιφέρουσι μᾶλλον ἢ ἄνεσιν. Id eſt,

Vbi τὸ χηρικόν, pro quo male Bonus vidualem ſtatum. Item pro ἀκατάσχετον perperam legit ἀκατασχέτους

Viduæ iuniores(nimirum annis ſexaginta,vt paulò antè dictum fuerat)*viduarum* " *collegio ne aſcenſeantur, ne eo obtentu quòd ætatis vigorem coercere non poſſint, ad ſecundas nuptias prolapſæ, negotium faceſſant. Subueniatur tamen illis & neceſſaria ſuppeditentur,ne ſe* " *deſeri prætexentes,& ad repetitum coniugium decurrentes,indecorum quippiam admittant. Nam hoc quoque ſcire vos oportet,monogamiam quidem ritè initam,iuſtam eſſe,vtpote Dei voluntati congruentem:digamiam autem, poſt pollicitationem,illegitimam eſſe,non propter coniunctionem ipſam,ſed propter falſitatem. Trigamia verò eſt incontinentiæ ſignũ. Quod verò vltra trigamiam eſt,manifeſta eſt ſcortatio,& certa laſciuia. Deus enim vnicam mulierem vnico viro adiunxit. Erunt enim,*inquit,*duo in carne vna. Iunioribus autem poſt primi mariti obitum concedatur præterea ſecundus,ne in iudicium diaboli,& laqueos multos incidant, & cupiditates amentes ac animis damnoſas,ex quibus pœna potius ſequatur,quàm voluptas concilietur.*

Ad Canones Apoſtolicos in genere.

His verò antequàm ſigillatim reſpondeam, primùm dico iam olim eſſe de iſtorum Canonum numero & authoritate dubitatum: nec poſſe negari ab Apoſtolis editos non eſſe, quum (vt alia omittam) quorundam deciſiones contineant, de quibus nunquam aliquot poſt ſeculis tam acriter in Eccleſia certatum eſſet,ac etiam aliter poſtea ſtatutum ſit.tum.iſti Canones vel editi, vel certè recepti ab Eccleſiis fuiſſent. Huius autem rei Canon etiam iſte 17. certum nobis teſtimonium præbet. Cur enim iſtæ particulæ μετὰ τὸ βάπτισμα, additæ eſt, niſi vt ſignificetur in iſto interdicto non cenſeri, qui ante Baptiſmum plures vxores habuerint? Hoc verò ſi Apoſtoli tam perſpicuè deciderant,cur hoc taceret Hieronymus hanc ſententiam tot argumentis communiens, & qui poſtea tranſitum potius eſſet in contrariam Ambroſii & Auguſtini ſententiam? ac ne id quidem ſatis rectè,vt arbitror. Mihi verò maximè probabilis videtur eorum opinio, qui coniiciunt aliquãto poſt Apoſtolorum tempora,ſiue à Clemente,ſiue ab alio quopiam, eius quæ tum vigeret Eccleſiaſticæ politiæ regulas aliquot colligi cœpiſſe,quarum poſtea paulatim auctus fuerit numerus: ſed priuatum fuiſſe hoc ſcriptum,nec publicæ vllius auctoritatis, donec paulatim obtinuit vt publicè legeretur,quoniam vtile Eccleſiæ compendium iſtiuſmodi videbatur. Apoſtolicos autem fuiſſe iſtiuſmodi Canones vocatos,veriſimile eſt,non vt ab ipſis Apoſtolis editos (fuiſſet enim primis illis temporibus nimium craſſum hoc mendacium) ſed quòd in Eccleſiis quas Apoſtolicas vocabant, antiquitate videlicet ac proinde auctoritate primas,obtinerent. Sed ipſas etiam Apoſtolicas Eccleſias nimium facilè in ipſa quoque doctrina,nedum in ritibus,fuiſſe deprauatas, quis auſit inficiari quum id ita futurum Apoſtolus ipſe non modò prædixerit, ſed etiam ſuo ipſius ſeculo in Galaticis præſertim & Achaicis Eccleſiis ſit expertus? Illas porrò ἀναιδῶς ita etiam conſarcinatas, vt illi Canones videri poſſint quædam eſſe iſtarum epitomæ, Clementi neſcio cui ſeſe Romanum tum Epiſcopum tum ciuem admodum ambitioſe vocanti attributas, mirarer hoc ſeculo inueniri poſſe qui defendere auderent,niſi res ipſa oſtenderet nihil nunc homines pudere. Nam certè vt ſcatent vaniſſimis mendaciis, ita etiam inter ſe repugnantia quædam continent, denique ita poſſunt & ex Apoſtolicis ſcriptis,& ex hiſtoria Eccleſiaſticæ refelli,vt nulla iuſta ratione defendi poſſe mihi quidem videatur: ſicut aliquando fortaſſe plenius propria de his rebus tractatione demõſtrabo. Poſſet igitur vno verbo res tota tranſigi, ſi exciperem non ſatis idoneos teſtes ab aduerſariis proferri. Sed ne quis à nobis quæſitum ſubterfugium arbitretur, age ſigillatim etiam reſpondeamus.

Hieron. ad Oceanum, tom.2.

Ad Cano.17.

Canone 17. prohibentur numero Sacerdotum,id eſt,eorum qui publico in Eccleſia munere ſacro funguntur,adſcribi qui poſt Baptiſmum duplici coniugio fuerint impliciti. Rectè hoc quidẽ, & ex Apoſtoli ſententia,id eſt,expreſſo Dei verbo. Nego enim de aliis quàm veris & propriis ſic appellatis bimaritis intelligi,de iis nimirum qui, vt tunc tempora ferebant, plures ſimul vxores haberent,ſiue vna temerè repudiata, aliam ea ſuperſtite ducebant. Id autem ita eſſe (quanuis alia poſtea expoſitio obtinuerit) vel illud oſtendit quod de pellice ſubiicitur: nimirum ne quis quod de duplici coniugio dictum erat, eluderet, ſi ſe pellicem duntaxat diceret ſuæ legitimæ coniugi adiunxiſſe. Nec enim παλλακὴ propriè quamuis concubinam declarat, ſed eam demum quæ iuſtæ vxori ſit adiuncta.

Ad Canon. Apoſt.18. 34 Diſtinct. Si quis vidua

In altero Canone dico pro ἢ ἐκβεβλημένην, legendum eſſe καὶ ἐκβεβλημένην: idque non tantùm illius Clementis (quicunque tandem ſit) auctoritate, verùm etiam ipſius Gratiani teſtimonio euinco, ita videlicet vt ſignificetur hoc interdicto non quaſuis viduas intelligi, ſed eas demum quæ miſſo à marito repudio viduæ haberentur. Sic enim Ariſtophanes Græcus grammaticus χήρας definit, non modò quæ mariti morte vxores eſſe deſiiſſent, verùm etiam τὰς μετὰ γάμον διαλυθείσας ἀνδρὶ συνοικεσίας: quo fortaſsis alluſit Apoſtolus quum τὰς ὄντως χήρας καὶ μεμονωμένας deſcriberet.

1.Tim 5.

Eſt autem hoc interdictum expreſſè quoque & ab ipſo Chriſto & ab Apoſtolis traditæ doctrinæ prorſus conſentaneum, quum diſertè dicat Dominus, eum eſſe adulterii auctorem qui ab alio (excepta videlicet adulterii cauſa) repudiatam ducat, quæ corruptela paſſim tunc regnabat: & præcipiat ex Domini Spiritu Apoſtolus, vt iſtæ deſertrices aut viris reconcilientur, aut inuptæ permaneant. Non ignoro tamen apud Moſen viduæ nomen virgini opponi, & à repudiata manifeſtè diſtingui. Sed quid ſi probabile eſt, iſtius Canonis auctores ſiue ex Apoſtolicarum Eccleſiarum more, ſiue ex ſuo ſenſu illum ſcripſerint, hic quoque Moſis legem ita vt oportuit relaxaſſe, ſicut & alibi in iiſdem Canonibus ritè factum eſt? Alioqui ſi iſta exigere ad Apoſtolicorum ſcriptorum regulam non licet, ſequamur ſanè illud

Leuit.21.7.

Can. Apoſt. 21 & 76.

Apoſtolicum

Apoſtolicum mandatum, Si qnis vobis euangelizauerit prætea id quod accepiſtis, anathema eſto.

In illo verò priore Clementis Canone, qui eſt illius vtriuſque veluti commentarius, illa tanquã Apoſtolica recipimus, quòd monogami ſoli admittantur, ſiue prius mortuæ, ſiue adhuc ſuperſtites fuerint vxores. quod Romani Papæ ſiue Antichriſti poſtes vt impium damnarunt, adeò vt ad damnandum hunc Clementem, cui ſe ſucceſsiſſe quoties libet gloriantur, non aliis quàm ipſiſmet iudicibus egeamus. Item, quòd maritis ordinatis alteras nuptias interdicit, quum nulli Chriſtiano, nedum Eccleſiaſtico munere fungenti cuipiam, fas ſit plures ſimul vxores habere: & illud quoque probo, quòd turpium mulierum coniugio implicitos à ſacris functionibus prohibet, ne videlicet earum dedecus in Miniſterium ipſum redundet. Idem de repudiatis mulieribus ſtatuo, quia ſi temerè, id eſt, aliam ob cauſam quàm ob adulterium repudiatæ ſint, reconciliationi ſtudeant, vel innuptæ maneant oportet ex Apoſtoli doctrina: qua de re tamen plenius alibi diſſeremus. Sin verò iure ſunt repudiatæ, rectè cautum eſt ne eiuſmodi turpitudo ſacri miniſterii dignitati detrahat. *Οἰκέτιδος* verò nomen video dupliciter accipi poſſe ex Græcæ linguæ vſu: nempe vt eo nomine vel concubinam intelligamus, quæ ita honeſtiore vocabulo quaſi *σύνοικος* vocatur (vt etiam à Latinis contubernii & conſuetudinis nomen vſurpatur) vel ſeruilis conditionis fœminam. Illi verò interpretationi cur potius quàm huic aſſentiar, duo faciunt. Primum enim lex Moſis, cuius fit in extremo Canone mentio, præter viduam, meretricem, & repudiatam, adiicit etiam חללה, id eſt *profanam*, quæ videlicet non ſit publicum ſcortum, neque tamen legitimè coniuncta, ſiue vt iuſta materfamilias, ſiue vt פלגש (quam propriè Latini concubinam vocarũt) ac proinde profana: cuiuſmodi ſunt quas hodie Romanus clerus ſolutas amicas vocat. Deinde niſi ita interpreteris, non video qui poſſimus hunc Canonem vt Apoſtolicum, in hac quidem parte admittere, niſi eam intelligas quæ abſque domini conſenſu nupſerit. Nam alioqui quum Oneſimum, nõ modò ſeruum, ſed etiam fugitiuum, non minùs honorifico nomine quàm Timotheum ipſum dignetur, filium illum & fratrem appellans, adeóque cum Tychico coniungens: vix mihi probabile eſt illum, quòd olim ſeruus fuiſſet, excellentibus alioqui donis præditum, miniſterio indignum fuiſſe pronuntiaturum, nedum vt id in eo ſtatueret qui ipſe ingenuus ancillam aut libertinam duxiſſet. quod diſcrimẽ potius iuris Ciuilis Romani fuerit quàm Eccleſiaſtici ac verè Chriſtiani. Iam verò quòd cælibes ad maiora illa munera vocatos non ſinit matrimonium contrahere, quo modo explicandum ſit ſuprà docuimus, nempe non vt eiuſmodi nuptiæ tanquam illicitæ pronuntientur, neque etiam vt aliqua in illis pollutio ineſſe ſignificetur, quod poſtea nonnulli non rectè ſenſerunt: ſed quòd cælibes miniſtri, partim vt huius vitæ negotiis minus occupati, ſicut Apoſtolus docet, partim vt Eccleſiam minore ſumptu grauantes, maritis anteponerentur. Quòd autem legem Moſis citat quaſi adhuc illa teneamur, aut ſic intelligendum eſt vt paulò antè diximus, aut vt Iudaicum fermentum potius repudiandum, nedum vt tanquam Apoſtolicum recipiatur.

Supereſt aliud Caput ex eodem libro à nobis deſcriptum, cuius prior pars de viduis iunioribus non allegendis, non poteſt non vt Apoſtolica probari, quum ex Apoſtolo ſit manifeſtè deſumpta. Sed ne illud quidem improbo, quòd repetitum connubium non ſine pollicitationis (id eſt, *ἐπαγγελίας*, non autem *εὐχῆς*, id eſt, voti) violatione contractum, *πίστιν ἄσεμνον καὶ ἀθέμιτον*, id eſt, rem indecoram & illegitimam, appellat: quatenus videlicet violabatur fides ſiue promiſſio illa qua ſeſe non ad cœlibatum, ſed ad Eccleſiæ miniſterium conſtanter obeundum adſtringebant. Id autem ita eſſe verba ipſa oſtẽdunt: NON, inquit, PROPTER CONIVNCTIONEM IPSAM, SED PROPTER FALSITATEM, id eſt, non quia nupſerint, ſed quia nubendo tranſgrediuntur quod pollicitæ fuerant, ſe videlicet Eccleſiæ miniſtraturas. Nec enim temerè eſt quòd quæuis viduæ non recipiebantur, ſed eæ demum quas eſſet probabile in miniſterio perſeueraturas, ac proinde continentiæ dono præditas. Eſſet autem proculdubio ipſa matrimonii coniunctio damnanda & (vt poſtea perperam de his rebus iudicatum eſt ab hominibus falſa voti opinione faſcinatis) coniugium ipſum neceſſariò dirimendum, ſi quod tunc iuſtum votum ſeruandæ viduitatis extitiſſet. Quid ſi verò quiſpiam excipiat tacitè ſaltem exactam fuiſſe tuendæ viduitatis fidem, quum id promitteretur quod non niſi ſeruata viduitate præſtari poſſet? Fatebor quidem ego ita eſſe, quanuis inter id quod tacitè ſiue ex conſequenti duntaxat, & quod expreſſè directéque promittitur, magnum ſit diſcrimen: ideóque Apoſtolum dico vt iſtis vanis plerunque pollicitationibus (ſicut res ipſa poſtea probauit) occaſio præcideretur, rectè cauiſſe ne viduæ ſexagenariis minores in ſacrarum viduarum album referrentur. Earum autem quod munus fuerit, ex iis liquet quæ de Dorcade in Actis Apoſtolicis referuntur: vt eos qui iſta nobis nunc obtrudunt, quaſi ſint ipſi veteris diſciplinæ vindices, ſi quid frontis habent, ſanè in his ſaltem erubeſcere oporteat. Sed ad rem redeo. Iſta quidem in hoc Canone vt Apoſtolica non modò nõ improbamus, ſed etiam ab aduerſariis, ſiquidem reſtituta volunt Viduarum collegia, in primis exigimus. Verùm quæ ſubiiciuntur quis ſanæ, id eſt, Apoſtolicæ fidei homo non damnarit, *Trigamia*, inquit, *eſt incontinentiæ ſignum*. Eſto. nam primæ etiam nuptiæ hoc plerunque arguunt, quum tũc ætas maximè vigeat, & propter ſcortationem quoque oporteat vnamquamque ſuum maritum habere. Abſtinere verò ſe à coniugio non poſſe (id enim eſt, opinor, hoc loco incontinentia) vitium per ſe non eſt, excepta *ἀταξίᾳ*, quum naturalis ſit illa appetitio, & continentia ſit peculiare Dei donum: ſed quum continere nõ poſſis, turpia facere, id demum vitioſum eſt, quod in eas non cadit quæ quoniam continere non poſſint, nubere malunt quàm vri, quotieſcũque id faciãt. Quod autem ſubiicitur, cuiuſmodi tandẽ eſt? *Quod vltra trigamiam eſt*, inquit, *manifeſta eſt ſcortatio, & certa laſcinia*. Ergo quæ quartò nupſerit, ſcortatrix fuerit? ergo quartum coniugium dirimendum? Quid ſi quæ in ætatis flore tertium coniugium

Ad Canon. Clem. pri. ré

Ad Clem. Canon. poſte riorem.

Actorum 9

cõiugẽ amiſerit, nec cõtinentiæ donũ habeat? Iſtorũ certè, vt paucis abſoluã, nõ eſt auctor ille Spiritus qui per Apoſtolũ nihil tale definiit, ſed ille ipſe Montani paracletus, qui nõ Tertullianũ modò, verũ etiã alios deinceps plurimos miſerè fefellit: ac inter cæteros Baſiliũ quoq; hæc eadẽ inculcantẽ, ſi modò (q mihi probabile nõ eſt) eos Canonas edidit qui ipſius nomine quaſi ad Amphilochiũ ſcripti circunferuntur, & ab aliis quoque (Græcis etiã) hoc nomine citantur. Quid pluraᵒ hũc ipſum Canonem non ita pridem concilium Florentinum ſub Eugenio quarto planè aboleuit, vt Eſpenſæus ipſe obſeruat. Controuerſiæ autem illæ hac de re poſtea inter hypocritas illos Conſtantinopolitanos Patriarchas & aliquot Imperatores excitatæ, Cæſaribus ipſis, prout ferebat eorum leuitas, modò in hanc modò in illam partem nutantibus, à quo ſpiritu iſta profecta ſint, ſatis ſupérque probant, vt longiore refutatione non ſit opus. Quod enim ex Dei verbo profert iſte Clemens, valere non poteſt niſi aduerſus eos qui plures ſimul vxores habẽt: vt ſuo loco aduerſus Tertullianum hoc ipſo argumento vtentem probauimus. Nam alioqui certè ſentiendum erit ne morte quidem diſſolui coniugii vinculum, ſi plures vxores habere, ac proinde in ordinationem Dei peccare exiſtimabimus qui mortua vna aliam ducit. Sed quid ſi hoc etiam iſti quicunque Clemẽti daremus? certè conſequeretur, digamos etiam ipſos aduerſus legem Dei facere. Qua fronte igitur digamos tolerat, trigamos verò damnat, tetragamos denique in album ſcortatorum refert? *Ne*, inquit, *in diaboli iudicium & laqueos multos, & amentes cupiditates incidant.* Egregia ſanè ratio, tolerare legis diuinæ tranſgreſſionem, vt diaboli laqueum effugias. Imò quum etiam tertio, non minùs quàm ſecundo mortuo marito, vti poſsit qui continentiæ donum non habet, quis eſt iſte Apoſtolorum ſcilicet diſcipulus, qui remedium aduerſus incontinentiam diſertis Apoſtoli verbis expreſſum miſeris conſcientiis auſit adimere? Itaque longè rectius Hieronymus ipſe, alioqui prorſus quum libuit Montanizans, ne octogamos quidem damnare ſe teſtatur: minimè certè ita ſcripturus ſi pro ſcortatoribus habuiſſet. Quid ſi igitur iſta dicamus non de quibuſuis viduis, ſed de iis tantùm accipienda quæ ſacro miniſterio fungebantur? Atqui ne ita quidem poſſit iſte ſcriptor excuſari, quum ne ſecundus quidem maritus illis, ſalua manente ipſarum pollicitatione, concedi potuerit. Sed vnde ſit error iſte exortus non ita difficile eſt conicere. Quum enim initiò gentibus ſenſim ad Chriſtum trãſeuntibus, multi in Oriente, ac præſertim inter Iudæos ipſos, polygami deprehenderentur, quos ſi quis coegiſſet vxores omnes præter primam abiicere, multis fuiſſet peſſimè conſultum, quòd ea corruptela ita eſſet inueterata, vt vitio non duceretur: idcirco paulatim hac in re progrediendum fuit. Itaque à Paulo fuit illud in primis cautum, vt omnis ordo Eccleſiaſticus iſta labe careret. Qui enim potuiſſent polygamiam in aliis damnare, qui ſuo exemplo illam confirmaſſent? Ad reliquos autem quod attinet, digami poſt Baptiſma, id eſt, qui vnica ſuperſtite vxore non contenti aliam ſuperinducerent, primùm à benedictione, id eſt, publica conſecratione excludebãtur, adeò quidem vt presbyteris intereſſe iſtiuſmodi nuptiarum conuiuiis nefas eſſet. Deinde iubebantur errorem ab Eccleſia deprecari, & certo temporis ſpatio à communione arcebantur. Poſtremò fuit hic modus conſtitutus huic laſciuiæ, vt cum tertia vxore vix, ac ne vix quidem quiſquam admitteretur in Eccleſiam: quadrinubus autem pro manifeſto ſcortatore haberetur, ac proinde quartam abiicere prorſus teneretur. Hinc illa quæ & hic Clementis, & Baſilius (vt & veteres Canones alii multi) quum de veris digamis, id eſt, iis qui plures κατ' ταὐτὸν vxores habent rectè ſcripta ſint, ad alios digamos nulla in re peccantes (ad eos videlicet qui plures ſucceſſiuè ducunt in Domino) perperam tranſtulerunt. Vt autem ita ſentiam non res ipſa modò penè clamans me impellit, ſed & rationes manifeſtæ, & eorundem etiam Veterum authoritas. Incontinentiam enim, vt paulò ante dixi, id eſt, quòd aliquis non habens continentiæ donum, amiſſa vxore pergat vti matrimonii remedio, ſiue ſecundò, ſiue vlterius repetiti, quis vnquam ſani iudicii homo vitio duxit? Quis verò ita inſaniiſſe Patres, imò ipſos Apoſtolos, ſi huic Clementi credimus, exiſtimarit, vt pro eo quod iubet in Domino fieri Apoſtolus, pœnitentiæ mulctam cuiquam irrogarint? Rectiùs igitur iſta multò tum Epiphanius tum Hieronymus quàm alia multa. Sic enim ille contra Catharos, quamuis in eo, vt antè diximus, aberrans, quòd quæ in genere dixit Apoſtolus, ad ſolos quos vocãt laicos reſtringit,

Conci. Flor. definitio 10. in epitome Concil. Photius Nomocanonis tit. 13. & ibi Balſamõ.

Καὶ ὁ μὲν μίαν ἐσχηκὼς, ἐν ἐπαίνῳ μείζονι καὶ τιμῇ παρὰ πᾶσι τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς συντέτακται. ὁ δὲ μὴ δυνηθεὶς τῇ μιᾷ ἀρκεσθῆναι τελευτησάσῃ, ἢ ἕνεκέν τινος προφάσεως, πορνείας, ἢ μοιχείας, ἢ κακῆς αἰτίας χωρισμοῦ γενομένου, συναφθεὶς δευτέρᾳ γυναικί, ἢ γυναῖκα δευτέρῳ ἀνδρί, οὐκ αἰτιᾶται ὁ θεῖος λόγος, οὐδὲ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς ζωῆς ἀποκηρύττει, ἀλλὰ διαβαστάζει διὰ τὸ ἀσθενές, οὐχ ἵνα δύο γυναῖκας ἐπὶ τὸ αὐτὸ σχῇ, ἔτι περιούσης τῆς μιᾶς, ἀλλ' ἀπὸ μιᾶς ἀποσχεθεὶς δευτέρᾳ εἰ τύχοι ἐννόμῳ συναφθεὶς, ἐλεεῖ τοῦτον ὁ ἅγιος λόγος, καὶ ἡ ἁγία θεοῦ ἐκκλησία, μάλιστα εἰ τυγχάνει ὁ τοιοῦτος τὰ ἄλλα εὐλαβὴς, καὶ κατὰ νόμον θεοῦ πολιτευόμενος. Id eſt, *Et is quidem qui vnam habuit, magis laudatur & honoratur à toto Eccleſiæ cœtu. Eum verò qui vna qua defuncta fuerit contentus eſſe non potuerit, quive ſeparatione vel ſcortationis, vel adulterij, vel alicuius mali criminis occaſione facta, cum ſecunda vxore coniunctus fuerit, ſiue mulierẽ alteri viro adiunctam, non accuſat diuinus ſermo, neque ab Eccleſia & vita excluſum denuntiat ſed tolerat ob infirmitatem: non vt duas ſimul altera adhuc ſuperſtite, habeat vxores, ſed ſi ab vna ſeiunctus ſecunda legitima coniunctus deprehendatur, eum miſeratur ſermo diuinus, & ſancta Dei Eccleſia, præſertim ſi eiuſmodi quiſpiam fuerit alioqui pius, & ſecundum Dei legem ſe gefferit.* Hæc igitur Epiphanius, vt quidem habetur in emendatioribus codicibus: ex quibus etſi apparet iam tum declinatum fuiſſe ab Apoſtolica ſententia de matrimonij etiam repetiti puritate, tamen illud liquet, non fuiſſe indictam ſucceſſiuè renubentibus pœnitentiam, ac proinde Canonas illos aduerſus digamiam, de iis eſſe accipiendos qui plures κατ' ταὐτὸν vxores haberent, quibus opponuntur quos Apoſtolus vnius vxoris

Epiphan. in Catharos.

viros

viros appellat. Sed & Hieronymus ad Oceanum, ſedatiore animo hac de re ſcribens, longius progreditur, vt qui apertè dicat, Apoſtoli de Epiſcopis verba de digamia propriè ſic appellata intelligi. *Ex Iudæis, inquit, erat Apoſtolus prima Chriſti Eccleſia de Iſrael reliquiis congregabatur. ſciebat lege conceſſum, & exemplo Patriarcharum ac Moſis familiare, populo in multis vxoribus liberos ſpargere, cuius etiam licentia ſacerdotibus patebat arbitrium. Præcepit ergo (ne eandem licentiam ſibi Eccleſia vendicent ſacerdotes) ne bina pariter & trina ſortiantur coniugia, ſed vt ſingulas vno tempore vxores habeant.* Hæc igitur Hieronymus, omnium maximè idoneus in hoc argumento aduerſus ſemetipſum teſtis. Placet autem tertium illis duobus adiungere Bernardum, recentiorem quidem ſcriptorem, & quidē infeliciſſimo ſeculo natum, ſed quem ob ſynceritatem & lumē ſpiritus adeò corrupta ætate prorſus admirabile, non dubitem quidem ego multis tum Græcæ tum Latinæ Eccleſiæ doctoribus in multis anteponere. Sic igitur ille de repetitis matrimoniis, *Paulus eſt,* inquit, *qui concedit viduæ vt cui vult nubat: & tu contrà præcipis, nulla præter virginem nubat, & hoc non niſi virgini, vt non cui vult, nubat & ipſa. Quid manum Dei abbreuias? Quid largam benedictionem nuptiarum reſtringis? quid proprium vindicas virgini, quod indultum eſt ſexui? Non concederet hoc Paulus niſi liceret. At parum dico, concedit. Vult quoque. Volo, inquit, adoleſcentiores nubere, nec dubium quin viduas dicat. Quid manifeſtius eſt? Ergo quod concedit quia licet, etiam vult quia expedit. Quod licet & expedit, hæreticus prohibet: nihil hac prohibitione perſuadebit, niſi quòd hæreticus eſt.* Hæc ille, & quidem verè continens, vt arbitror. Sed aduerſarii nimirum excipient, dici iſta aduerſus Tatianorum ſiue Catharorum reliquias, ſe verò minimè damnare nuptias quantumuis repetitas, ſed duntaxat propter incontinentiā arcere digamos à Clero, non ab Eccleſia. Aliqui etiam fortaſſe poſtulabunt, vt quum Bernardum citem, adhæream igitur ipſi in eadem illa concione, purgatorium & preces pro defunctis tuenti. At ego reſpondeo, non hæc à me proferri, vt vel damnandi, vel probandi matrimonii argumentū iſtis baſibus fulciam, vel per omnia his Patribus adhæream, quos ad Verbi diuini normam exigere nobis certum eſt, vt & ipſe Auguſtinus Pelagianis reſpondit: ſed vt iſtorum falſitatem ſuiipſorū teſtibus coarguam. Nam certè ſi vera ſunt trium ſaltem iſtorum teſtimonia, falſum ſcripſit iſte Clemens, trigamiam vocans incontinentiam, & quod vltra trigamiam eſt, manifeſtam ſcortationem: neque rectè ob ſucceſſiuè repetitas nuptias tanquam ob crimen excluſus eſt quiſquam à clericatu. His autem explicatis facile fuerit Veteres de digamis latos Canonas intelligere, quos etiā placuit ſigillatim ad Verbi diuini normam exigere. Hieron. Oceano, tom. 2. In Cant. ſerm. 66.

Ex Synodo Neocæſarienſi.

Canon huius Synodi tertius ſic habet, Περὶ τῶν πλείστοις γάμοις περιπιπτόντων, ὁ μὲν χρόνος σαφὴς ὁ ὡρισμένος, ἡ δὲ ἀναστροφὴ καὶ ἡ πίστις αὐτῶν συντέμνει τὸν χρόνον. id eſt, *De iis qui in plurimas nuptias inciderunt, manifeſtum eſt tempus definitum. Conuerſatio autem ac fides ipſorum, tempus illud contrahit.* Can. Neocæſar. 3. 31. quæſt. 1. De his qui.

Et eiuſdem 7, Πρεσβύτερον εἰς γάμους διγαμούντων μὴ ἑστιᾶσθαι. ἐπεὶ μετάνοιαν αἰτοῦντος τοῦ διγάμου, τίς ἔσται ὁ πρεσβύτερος ὁ διὰ τῆς ἑστιάσεως συγκατατιθέμενος τοῖς γάμοις; Id eſt, *Presbyter in digamorum nuptiis cibum ne capito. Quum enim requirat pœnitentiam digamus, quis presbyter illas nuptias conuiuiy gratia comprobarit?* Can. Neocæſar. 7.

Hunc autem vtrunque Canonem de iis qui poſt Baptiſmum vxore adhuc ſuperſtite, ſiue cum qua adhuc permaneant, ſiue quam deſeruerint, aut aliam ob cauſam quàm ob adulterium repudiarint, alteram ſuperinducebant, intelligi oportere dicimus: cuius exemplum videre eſt apud Hieronymum in Fabiolæ epitaphio. Nam alioqui ſi ad eos digamos trahantur (vt poſtea factum eſt) qui mortua quotacunque vxore aliam ducunt in Domino, vtrunque dicimus, vt Apoſtolicæ doctrinæ repugnantem, planè repudiandum: & hinc ortam illam manifeſtam corruptelam non rectè defenſam ab Ambroſio, qua factū eſt vt huiuſmodi digamiæ in Eccleſia non bene dicerentur. Explicatio Can. 3 & 7. Neocæſ.

Ex Laodicena Synodo.

Canon primus. Περὶ τοῦ δεῖν κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα τοὺς ἐλευθέρως καὶ νομίμως συναφθέντας δευτέροις γάμοις, μὴ λαθρογαμίαν ποιήσαντας, ὀλίγου χρόνου παρελθόντος καὶ σχολασάντων ταῖς προσευχαῖς καὶ νηστείαις, κατὰ συγγνώμην ἀποδίδοσθαι αὐτοῖς τὴν κοινωνίαν ὡρίσαμεν. Id eſt, *Oportere ex Eccleſiaſtico Canone, ſi qui liberè & legitimè ſecundis nuptiis coniuncti fuerint, neque clandeſtinum matrimonium inierint, exiguo tempore elapſo, poſtquam precibus & ieiuniis vacarint, communionem ipſis ex æquitate concedi definimus.* Canon Laodic. 1.

Hunc autem Canonem, vt ſeptimum Neocæſarienſem, quum vterque ad veros digamos de quibus diximus (ad eos videlicet qui plures κατὰ ταὐτὸν vxores haberent) manifeſtè referatur, Eſpēſæus alioqui diligens collector, ad poſterius digamorum genus præpoſtero planè iudicio detorſit. Vult enim additum eſſe νομίμως. id eſt, *legitimè*, vt digami priores ab Eccleſia apertè damnati, ab iſtis diſtinguantur quorum nuptiæ ſecundæ ſimpliciter non damnarentur. Deinde λαθρογαμίαν putat ſignificare ſolennis benedictionis priuationem: vt ſit iſtius Canonis hæc ſententia: iis quoque qui ſecundis nuptiis quantumuis legitimè, id eſt, mortua priore vxore, iunguntur, ſi tamen vſurparunt Eccleſiaſticam benedictionem (quæ illis nimirum eſſet interdicta) pœnitētiam aliquam modicam iniungi. Sed ſi ita eſſet, conſequeretur iuſtos iſtos fuiſſe λαθρογάμους, vt qui διὰ τὸ λαθρογαμίαν μὴ ποιῆσαι mulctarentur, id eſt, quòd Eccleſiaſtica benedictione eſſent abuſi. Ego vero vbique inuenio λαθρογαμίαν ita damnari (quod etiam ipſa vocis notatio declarat) vt prorſus hallucinari mihi quidem videatur, qui reprehenſum, nedum mulctatum, quenquam putet, quòd Eccleſiæ benedictione petita, potius clandeſtinum matrimonium non inierit. Et quo iure, obſecro, qui in Domino nubunt ſiue primò ſiue ſecundò, clàm id facere, id eſt, non conſcia Eccleſia, 2 & abſque presbyteri benedictione, iubeantur? an ne videatur Eccleſia huiuſmodi nuptias approbare? imò Eccleſia Apoſtolica non eſt habenda, iis coniugiis benedicere recuſans, quæ teſtatur, (imò etiam vult) Apoſtolos fieri, ſicut antè ex Bernardo oſtendimus, modò fiant Falſa Eſpenſæi interpretatio Cano. 1. Syn. Laodic. Ratio. 1.

in Domino. An vt vitetur offendiculum? atqui non præbet offendiculum qui à verbo
3 Dei non diſcedens,ſiue primò,ſiue ſecundò,vel vlteriùs coniugium init. Deinde quis non videt
longè maximum eſſe offendiculum,quempiam cernere in Eccleſia maritum,cuius coniugii teſtis
non fuerit Eccleſia? Inepta eſt igitur iſta horum Canonnm explicatio, vt qui de veris poſt Baptiſ-
mũ digamis, ſemper in Eccleſia meritò damnatis,intelligantur. Quum autem ab eis pœnitentia,
& quidem ſeuera flagitaretur,additur quædam in hac Laodicena Synodo iſtius ſeueritatis mode-
ratio erga eos qui alteram quidem vxorem,ſed tamen liberè & legitimè,id eſt,palàm & ritè,neque
clanculum,vt facere ſolent qui malè ſibi ſunt conſcii,matrimonium iſtud iniiſſent.

Ad Can. 26. Sextæ Synodi. De his.

Iubet Canon.26.ſextæ Synodi,circiter annum Domini 682,corruptiſſimis iam Eccleſiis, habi-
tæ,presbyterum per ignorantiam illicitis nuptiis implicitum, Domino deflere, & nefarium eiuſ-
modi coniugium diſſolui,quem locum Gratianus de ſecundis nuptiis exponit. Fateor verò hanc
eſſe Gratiani expoſitionem, ſed longè ineptiſſimam. Qui enim poſſit aliquis ignorare primas an
ſecundas nuptias celebret? Rectè igitur Balſamon non ſecundas,ſed inceſtuoſas ſiue cum cogna-
ta initas interpretatur:& malè Gratianus illud κατ' ἄγνοιαν omiſit.

Ad eiuſdem Synodi Canonem ſextum.

Eiuſdem Synodi Canon ſextus ſacerdotes duobus matrimoniis implicitos, itémque viduarũ
maritos adeò grauiter punit, vt eorum quoque coniugia tanquam nefaria diſſoluat, renouatis e-
tiam Apoſtolicis Canonibus à nobis ſuprà expoſitis. At nos, non quid illi Synodo (cuius etiam
multi Canones prorſus impuri leguntur) ſimpliciter placuerit, ſed quid ex verbo Dei decreuerit,
quærimus. Quæ nam verò ex verbo Dei teſtimonia iſtis planè tyrannicis legibus prætexantur,
ſuo loco expendimus.

Refutatio. auctoritatũ & rationum pro digamis interdicto. Prima ratio. Refutatio 1.

Et hi quidem ſunt veteres Canones in veros digamos, vſque ad Syricii & Innocentii, pontifi-
cum ſanè in hac re impuriſſimorum,tempora ſanciti:quos tamẽ Canonas nullo iure primùm ad-
uerſus plurium ſucceſſiuè vxorum,deinde in viduarum etiam maritos iampridem & Latini & Græ-
ci torſerunt. Placet tamen eorum etiam nonnullas rationes expendere. Primùm igitur digamos
tanquam opprobriũ,à Clero arceri volunt, propter futuræ incõtinentiæ ſuſpicionem. Sanè verò
quaſi qui continentiæ,& quidem perpetuæ,donum non habet, ſacrorum adminiſtratione ſit indi-
a gnus:aut quaſi maritum & incontinentem eſſe idem declarent. Quàm ſit porrò certum continen-
3 tis futuræ vitæ argumentum,vel nunquam,vel ſemel tantùm,idque nõniſi virginia, maritum fuiſ-
ſe,diſcere ſaltem ex ſuorum Heliogabalorum, ac præſertim (ne vetera illa repetam) ex Alexan-
dri ſexti,Leonis decimi,Pauli tertii,Iulii itidem tertii,Pontificum ſcilicet ſancti Spiritus via & iux
ta ſanctos Canonas electorum,inauditis ſpurcitiis, Catholicos noſtros certè nũc tandẽ oportuit.

Secunda. Refutatio.

Proferunt alii excellentem ſacerdotii dignitatem, cur clericis quod laicis non liceat,quaſi ſcili-
cet inquinatæ ſint in ſeſe nuptiæ,ac non potius credendum ſit Apoſtolo, honoratas illas in omni-
bus pronuntianti.

Tertia. Origenes in Luc. Ho. 17. Refutatio.

Origenes omnibus poſt Apoſtolicum Conciliis anterior,ſcribit non ſolùm fornicationem,ſed
etiam nuptias ab Eccleſiaſticis dignitatibus repellere,nempe ſecundas,eáſque poſt viduitatem re-
petitas,vt locus ipſe oſtendit. Ego verò id concedo ſcribere Origenem, qui alia etiam ineptiora
eodem loco ſubiicit. Concedo & illud, iam tum non defuiſſe qui hæc & alia iſtiuſmodi in Eccle-
ſiam inueherent. De digamis tamen illis Canonas à nobia citatos propterea intelligi debere nego:
& alioqui Origenem hic penitus reiiciendum, vt doctrinæ Apoſtolicæ repugnantem dico.

Quarta. Leo Epiſt. 85. Refutatio 1.

Leo primus qui in annum Domini circiter 444. incidit, vir doctus, ſed valde ambitioſus ponti-
fex, quadam ad Africanos Epiſcopo epiſtola ſcribit, *Illam Pauli preceptionem de Epiſcopos vnius vxo-
ris viro, adeò ſanctam* SEMPER *habitam fuiſſe, vt etiam de muliere ſacerdotis eligendi eadem intelligere-
tur ſeruanda conditio: ne fortè illa, prius quàm in eius matrimonium veniret qui aliam non habuiſſet vxorem,
alterius viri eſſet experta coniugium.* Sed cauſa nulla eſt cur in hoc magis Leoni aſſentiamur, quàm in
eo quod alia epiſtola præſcribere auſus eſt Epiſcopis contra Dei verbum & totius purioris Eccle-
ſiæ morem, OPORTERE *videlicet ipſos non dimittere quidem vxores ſed quaſi non habeant ſic habere,*
2 *quò ſalua ſit charitas coniugiorum, & ceſſent opera nuptiarum.* Quomodo verò locus ille Pauli ſit expli
candus ſuo loco abunde eſt expoſitum.

Quinta. Innocent. 1. epiſt. 2. c. 6. Refutatio 1.

Innocentius primus, vt ſucceſſiuè, etiam ante Baptiſmum, factos digamos à ſacerdotio excludat
quaſi videlicet de his in Canonibus Apoſtolicis, quos vocant, fuerit conſtitutum, hoc cauſatur,
quòd etiam poſt Baptiſmum, maneat vxorum numerus. Id verò primùm omnium falſum, deinde
2 etiam ſi verum eſſet, ineptum eſſe dico. Quum enim, vel ipſo teſte Apoſtolo, morte ſoluatur matri
monium, tam eſt vnius vxoris vir qui defunctis aliis vel octauam, quàm qui primam habet: quoniã
3 mortuas vxores tanquam vxores nominare, non alius quàm Montani paracletus docuit. Deinde
etiam ſi ita eſſe daremus, vnde iſte didicit, iſtiuſmodi numerum impedire quominus ſit aliquis ſa-
cræ functioni idoneus? Imò ſi deligatur qui vel octogamus ſucceſſiuè fuerit, ſit autem cœlebs, nõ-
4 ne, ſi Apoſtolo credimus, hic magis fuerit ad vnicè & ſine diſtractione curanda quæ Domini ſunt
idoneus, quàm qui vel primam adhuc teneat? Poſtremò quæ hæc religio eſt, vxores numerare tan-
quam impedimenta, ſcorta verò non item? Nam hoc quoque ſanctiſſimos iſtos Catholicos
facere nihil pudet.

Sexta. De bono coniugali, ca. 18. Ambr. ad Vercell. Epiſt. 82. Refutatio 1.

Auguſtinus hoc etiam æſtu, per Ambroſium fortaſſis abreptus, non valde diſſimilem rationem
affert, quam alii poſtea in ſuam perniciem arripuerunt: *Quoniam,* inquit, *qui exceſſit ſingularem vxo-
rum numerum, non peccatum commiſit, ſed ſacramenti normam amiſit, nõ ad vita bona meritũ, ſed ad ordina
tionis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam.* Hæc ille: in eo quidem, vt in plurimis aliis, ab Hieronymo
rectè diſſentiẽs, quòd nullum ne in repetitis quidem nuptiis peccatum agnoſcit, quod & ipſe Hie-
ronymus

ronymus alibi, à ſeipſo diſſentiens, fateri cogitur. Sed iſta quam affert ſacramenti norma vnde tã- e.debitum,
dem deſumpta eſt? *Quia*, inquit Innocentius tertius, *nec illa vnius vnica, nec ille vnus vnius*. Imò ve- Extra. De
rò (quum vxor eſſe deſierit cuius maritus mortuus eſt, & nemo viciſsim mortuæ ſit vxoris ma- a digamis.
ritus) & illa vnius etiam (ſi voles) centiſimi vnica, & ille vnius quanuis centiſimæ vnus eſt. 3
Quinetiam ſi ſpirituale coniugium ex Apoſtoli ſententia potius quàm ex iſtis vaniſsimis commentis æſtimemus, in repetitis potius quàm in primis nuptiis hæc analogia inuenietur, quandoquidem Chriſtus non niſi vt ſecundus maritus, mortuo priori marito (peccato videlicet) ſuccedit.

Itaque vana etiam eſt illa ratio ab Epiphanio allata, (quod eius pace dixerim) *Non ſuſcipere* Septima.
ſanctam Dei prædicationem poſt Chriſti aduentum, eos qui mortua vxore ſecundis nuptiis iuncti ſint, pro- Epiphan. in
pter excellentem ſacerdotij ordinem ac dignitatem. Nam ſi crimen non eſt, vt ipſimet vel inuiti fatentur, vxorem ducere, quo iure ſacerdotii dignitati detrahere dicetur, quod abſolutè & ſimpliciter pronuntiat per os Apoſtoli Spiritus ſanctus honoratum eſſe in omnibus? Catharos. Refutatio.

At enim, inquit Ambroſius, *quomodo poterit hortator eſſe viduitatis qui coniugia frequentauerit?* Quaſi verò virginitatem aut viduitatem laudare non poſsit etiam qui continentiæ donum non habẽs, honeſtum matrimonium, ſiue vnum, ſiue ſucceſsiuè plura, in Domino inierit. Quid ſi etiam dicã, quomodo ad nuptias hortabitur, qui maritus eſſe detrectat? Hoc nimirum Ambroſio & omnibus illis falſa iſta opinione imbutis, quòd continentia ſit quædam omnium virtutum epitome, non modò abſurdum, ſed etiam ineptum videretur, quoniam nullos arbitrati ſunt iſtiuſmodi exhortatione indigere. Sed aliter ſe rem habere, vt experientiam ipſam omittam, vel ipſe Apoſtolus ſuo exemplo commonſtrauit, qui de viris loquens, expreſsiùs etiam dixit, *Propter ſcortationem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat*: quàm, *Velim omnes eſſe vt meipſum*. & de viduis agens, *Volo*, inquit, *iuniores viduas nubere*. Certè quanto ſatius fuerit omnibus ſecutis, ad caſtũ matrimoniũ quàm ad inanem cœlibatus ſanctimoniam homines hortari, qui nunc ſaltem non videt ſanè nihil videt, quum Dominus ipſe contentus fuerit dixiſſe, *Qui poteſt capere, capiat*. Denique vbi nulla culpa eſt, cur pœna ſtatuitur? Coniugium enim & ſacerdotium ſimul ſtare non poſſe, non Chriſtus, ſed Satan docuit. Octaua. Ambr. offic. lib.1.cap.vlt. Refutatio 1. 2

Idem eodem loco, *In ſecundo coniugio*, inquit, *non culpa, ſed lex eſt*. Hoc illud eſt verò (magne vir Nona.
Ambroſi, cuius virtutum veſtigia vtinam vel procul perſequi multi poſſent) quod te euſque fe- Refutatio.
fellit, vt ſuper bonum fundamentum, hanc paleam extruxeris, quam nunc apparens dies Domini conſumit. vbi enim hanc legem inuenies?

Sed & illud eiuſdem quis excuſare poſsit? *Quid inter populum & ſacerdotem*, inquit, *intereſſet, ſi* Decima.
iiſdem adſtringeretur legibus? Quaſi verò nullæ ſint aliæ leges inter ſacerdotem & populum diſcrimẽ Refutatio 1.
certum conſtituentes, quàm iſtæ quæ ſanctimoniæ prætextu ſacerdotum ordinem nõ ſanè, vt res ipſa in cælum vſque clamat, ſuprà populum extulerunt, ſed infra Sodomam & Gomorrham perfuderunt. Quaſi ſit iſta in Clero, paucisſimis exceptis, imaginaria cœlibatus ſanctimonia, illud a
ipſum quod Logici ſpecificam differentiã appellant. Quaſi denique, ſi hoc ita eſſet, non conſequere- 3
tur & ſacerdotem cœlibem, iis ſaltem ex populo qui & ipſi continentiæ donum haberent, exæquari: & vnius etiam vxoris virum iis ex populo inferiorem eſſe qui virgines manſerint. Itaque hæc quoque doctrina, ſtipula eſt inanis.

Baptiſmus, inquiunt Scholaſtici paulò ſaniores, *& culpam & pœnam delet, ergo & irregularitatem*. Vndecima.
Reſpondent alii, digamiam non eſſe aut culpam, aut culpæ pœnam. Atqui reſpondendum potius Henricus
erat, nec digamiam eſſe culpam, nec irregularitatem eſſe culpæ pœnam. Quæro autem, Si digamia Gandauẽſis,
culpa non eſt, vt ipſi quumlibet fatentur, cuiuſmodi hæc eccleſia eſt, quæ nõ peccantes, vel potius & qui eũ ſequuntur.
ideo nuptias repetentes, ne peccent, eo ipſo ſtatuit irregularitatem incurrere? Denique ſi pœnam Refutatio 2. a
non meretur digamia, quoniam vbi nulla culpa eſt nullus pœnæ locus relinquitur, quo pudore 3
audent Canones veteres de digamorum pœnitentia loquentes, vel ad ſucceſsiuas nuptias torquere, vel, ſi eò ſpectant, tanquam à Spiritu ſancto dictatos defendere? Nam certè nunquam docuit Spiritus ſanctus innocentes mulctare. Aut igitur iſti ſecum manifeſtè confligunt, vt inſani ſolent: aut ſuam illam digamiam cenſent poſt Baptiſma culpam eſſe. Tranſeant igitur apertè ad Montani
caſtra. Et tamen Eſpenſæus nuper (quanuis interdum rectiùs ſentiens) auri nomine dignatus eſt Digreſsio.
quod apud Tertullianum inuenit, *Digamum*, videlicet, *ab eo haberi ſiue plurium ſimul vxorum, ſiue alterius priore mortua virum, ne ſe fortè* inquit, *modernos ſolos Græcè noſſe, veteres neſciſſe arbitrentur*. Acutum ſanè ſcomma: quaſi nos Græcæ alteriúſve linguæ cognitionem vt peculium quoddam nobis vindicemus, quum vſum huius vocabuli proprium ab abuſu diſtinguimus: & eorum falſas interpretationes redarguimus, qui huius diſcriminis vel ignoratione, vel diſsimulatione, alios ſecũ in pernicioſos errores trahunt. Digamum autem à Tertulliano vocari etiam alterius vxoris, priore mortua, maritum, mirum non eſt, quum ne morte quidem diſſolui prius matrimonium ſomniarit. Itaque videat etiam atque etiam modernorum adeò ſeuerus caſtigator, ne hic quoque, vt alibi ſæpe, pro theſauro carbones congeſſerit.

Homicidas, ſcortatores, quorumuis denique criminum ante Baptiſmum reos (digamos autẽ Duodecima.
non item) admiſerunt ætatis illius Epiſcopi, qua cœpit perfectio omnis Chriſtianæ, imò Angelicæ virtutis ex duobus gradibus æſtimari: priore, ſi quis cõtinẽs ſemper habitus fuiſſet, poſteriore ſi quis amiſſa prima vxore, viduitatẽ ſeruaſſet: craſſo ſanè ac toti illi vetuſto ſeculo pudendo errore,

Rom. 14. 17. quaſi hac in re poſitum ſit regnum Dei,ac non potius in iuſtitia,pace,& gaudio per Spiritum ſan-
ctum,id quod multo pluribus maritis quàm virginibus contigiſſe nemo poſsit,niſi ſummè impu-
1 dens,inficiari.Qui verò ſunt ſecuti hũc errorẽ à maioribus acceptum, vix credibile eſt quantopere
illum auxerint,adeò quidem vt primis etiam nuptiis (cui malo fruſtra ſtuduerat Gangrenſis ſyn-
odus , damnato Euſtathio, ſuccurrere) non modò tanquam cauſæ ſuæ ſeruientes (ſicut in Hie-
ronymo præſertim probauimus) ſed etiam ex profeſſo, vt Syritius & Innocentius , maledixerint.
Ita eò tandem res deuenit,vt nulli minus ad ſacras functiones idonei habiti ſint , quàm qui etiam
Scholaſtici. ante Baptiſmum mortua prima vxore aliam duxiſſent. Iſtis autem ſuccedentes Scholaſtici (ge-
nus hominum acutum quidem,& in ſpeciem φιλομαθεῖς, ſed ſummè curioſum, cõtentioſum,& par-
tim linguarum & bonarum literarum cognitione deſtitutum,partim ambitione,ac quouis potius
affectu,quàm ſyncero cognoſcendæ ac tuendæ veritatis ſtudio omnia perſcrutans) conati ſunt
veritatem cum mendacio,lumen cum tenebris,in hoc etiam argumento , vt in pleriſque,concilia-
re.Itaque quum hunc nodum explicare non poſſent,cur ante Baptiſma digamus , irregularis eua-
dat poſt Baptiſma,de homicida verò aliud ſtatuatur, confugiunt ad ſacram ſuam anchoram, vt de-
Refutatio 1. cet pontificum mancipia,nempe ad Eccleſiæ beneplacitum. Egregia ſanè Eccleſia : quaſi ſit caſtæ
ſponſæ aliquid velle præter id quod vult ſponſus.*Oues mea*, inquit ſponſus , *vocem meam audiunt*.
Et Paulus de his rebus diſſerens: *Non quòd*,inquit,*laqueum vobis iniiciam*.

Obiectio. Reſponſio. Cauſantur tamen ſacri Ordinis defectum : quia ſcilicet ſcortationi,adulterio , homicidio, cui-
uis denique ſceleri potius cũ ſacro ipſorum ordine quàm matrimonio,nedum digamiæ,conuenit.
Et quid eſt ,vt quàm modeſtiſſimè loquar, culicem quidem colare , camelum autem deglutire,
ſi hoc non eſt?

Decima ter-tia. Durandus in 4. Sent.diſt. 27 q. 4. *Spirituales*,inquiunt alii,*maximè decet ſpiritualitas,cui quũ maximè repugnet concupiſcentia,vt qua to-
tus homo caro efficiatur, eius permanentis ſignum non debet in ordinandis apparere: quod in digamis apparet
qui vna contenti vxore eſſe noluerint*.

Refutatio 1. In his verò quàm multa perperàm dicuntur? Primùm enim aliud eſt naturaliter appetere quàm
2 vti.nec illud (excepta ἀταξία, quæ in coniugio ignoſcitur)repugnat ſpiritualitati, qualis quidem à
ſeruis Dei in hac vita poſitis requiritur. Deinde ſi ſecundam in Domino ducere ſignum eſt eius
permanentis incontinentiæ quæ totum hominem efficit carnem, quod tandem indicium fiet de futu-
ra ſcortatoris continentia? & tamen hunc iſti admittunt ſine controuerſia , qui videlicet ante Ba-
3 ptiſmum ſcortator fuerit,digamum verò vſque adeò pertinaciter repudiant , vt de ſui etiam Pon-
tificis poteſtate ſuper huius rei diſpenſatione,vt loquuntur,adhuc inter ſe decertent. Quid quòd
adulteros etiam in monaſterium ſuis legibus detrudunt? nempe ad ſui ſimillum cœtus.

D.cima-quarta. Poſtremò duos etiam ex ipſis Scholaſticis coryphæis teſtes ab ipſo Eſpenſæo productos audia-
mus,vt quàm inanes ſint rationes pro digamiæ interdicto allatæ, vel ex ipſis acerrimis eius defen-
Tho.quod lib. 4. art. 13. ſoribus cognoſcamus.Sic igitur Thomas,*Manifeſtum eſt*,inquit , *digamum non promoueri,nec ad na-
turæ legem,nec ad fidei articulos,nec ad ſacramenti neceſſitatem pertinere, quaſi ſi ordinetur, Ordinis ſacra
Durandus vbi ſuprà. mentum recipit*.Sic autem Durandus, *Digamum non ordinari eſt ex iure merè poſitiuo , nec eſt contra vel
naturæ dictamen,vel fidei articulum , vel Ordinis ſacramenti eſſentialia*. Cedò igitur obſecro quònam
illud interdictum referemus? *Ad diuini cultus determinationem*,inquit Thomas , *cuiuſmodi permulta
Refutatio 1. Chriſtus Eccleſiæ prælatis,& populi Chriſtiani principibus determinãda liberè permiſit*.Neq; verò nega
mus , quum in domo Domini omnia ritè & ordine fieri oporteat , & ordo iſte neceſſariò pro cir-
cunſtantiarũ ordine varietur,quin leges de quibuſdã ferri in Eccleſia neceſſe ſit. Verùm hoc præ-
textu leges cõſcientiis ferre,& nouum Dei cultum inſtituere, id verò cuiquam vel Angelo vnquã
2 licuiſſe aut licere nunquam iſti probabunt. Quinetiam hoc addo,quanquam millies iam inculcatũ,
omnes iſtas cœlibatus & digamiæ leges,non modò totidem eſſe ad verbum Dei additamenta, ſed
etiam verbo Dei , & puræ veteris Eccleſiæ moribus ex diametro repugnare : ac proinde non a-
liũde initiò profecta quàm à Satanæ aſtu ſeſe in Angelum lucis transformantis : nec ab alio nunc
Spiritu quàm ab illo verè impuro defendi: quum hæc ſanè ſit eius horrendæ fœditatis origo, quæ
ab apoſtaticæ illius ſedis cloaca in vniuerſum orbem terrarum ſic exundauit , vt vnius iam diui-
ni extremi iudicii flamma purgari poſſe videatur. Et de polygamiæ quidem vtraque ſpecie hacte-
nus dictum eſto.

DE REPVDIIS ET DIVORTIIS.

Sponſalium origo & cauſæ. Deut. 20. 7. Matth. 1. 18. DVO iam olim gradus in matrimonio fuerunt conſtituti, non tantùm in Eccleſia, ſicut
ex Moſe & Matthæo colligi facilè poteſt: verùm etiam inter Græcos,apud quos μνηστεία &
& γάμοι differunt: & iure Romanorum ciuili,in quo de Sponſalibus copioſè cauetur. Vi-
dentur autem eius moris duæ potiſsimùm cauſæ generales fuiſſe: vna, vt tanti momenti obligatio
non protinus, ſed duobus demum diſtinctis gradibus perficeretur: altera , vt medio temporis in-
teruallo, num aliquid fortaſsis eſſet quod matrimonii conſummationem impediret, tempeſtiuè
diſpiceretur , quoniam videlicet conſummato matrimonio res in integrum poſtea reſtitui in
virgine nullo modo poteſt : in vidua, ſine infamia turpique macula non poteſt. Addo quo-
que tertiam , cuius vel maxima habita fuit ratio in Chriſtiana Eccleſia , nempe vt honeſtas in
hac ſancta corporum coniunctione ſeruetur, quod non fieret ſi ſtatim vt facta eſt ſtipulatio,

ad concubitum effræni libidinis impetu coniuges proruerent. Certum autem illius inter ſponſalia & nuptias intercedentis temporis ſpatium ſub Lege vel in prima Eccleſia fuiſſe non lego: ſed rectè videtur poſtea illud definiiſſe Eccleſia veluti trinundina promulgatione, in ſolenni videlicet cœtu facienda, vt ritè & ordine omnia in Domo Dei, ex Apoſtoli doctrina peragantur. Itaque qui hunc morem aſpernantur, ſciant ſe ludibrio habere Eccleſiam Dei, quum planè ridiculum ſit denuntiare futuram matrimonii benedictionem quod clam ſit conſummatum: & num aliquod ſit impedimentum rebus non amplius integris quærere. Qua igitur fronte poſtea pro virgine prodibit quæ iam cum marito concubuit? & benedictio quo pudore ab Eccleſia, quæ ludibrio habita fuerit, flagitabitur? Itaque in hac Geneuenſi Eccleſia rectè illud obſeruatur, vt qui tale quippiam admiſerint, antequam illis benedicatur, culpam coram Eccleſia, præſtante Miniſtro, agnoſcant: nec virginali habitu prodeat quæ virginitatem ante tempus pacto etiam marito prodidit. Quibus verò vt vulgò in Papatu fieri ſolet, precio accepto huiuſmodi promulgationes omittere nulla eſt religio, quod potius quàm ſacrilegorum nomen tribuas? Sed & illa ſolemnis nuptiarum in Eccleſia benedictio vetuſtiſſima eſt, & iuſtis de cauſis ſancita: non modò vt Deo ſicuti par eſt, conſecretur indiuiduæ conſuetudinis viæ initium: verùm etiam vt infinitis alioqui fraudibus occurratur. Chriſtianis certè admodum turpe fuerit, non conſcia Eccleſia matrimoniũ inire vnde naſcantur futuræ Eccleſiæ membra, quum ipſas prophanas gentes conſtet ritibus penè infinitis ſua coniugia iis quos falſò deos arbitrabantur, conſecraſſe. Sed & prima illa coniugii Adami à Deo ipſo Euâ Adamo tradentis, profecta benedictio, hanc futuris omnibus verè ſanctis cõiugibus regulam omninò videtur præſcripſiſſe, vt qui coniugium initurus eſt, teſtibus cum Eccleſia Angelis, vxorem non tam ex parentum quàm ex Dei ipſius, per os miniſtri ſui loquentis, manu traditam accipiat. Duobus igitur gradibus verè ſolemne & legitimum matrimoniũ inter prophanas etiam gentes perficiebatur: ſponſalibus nimirũ & nuptiis, vt vel illud Terẽtianũ declarat:

Benedictio nuptiarum. Tert. lib. 2. ad vxorem. Ambr. epiſt. 70. lib. 9.

Gen. 2. 22.

Placuit, deſpondi, nuptiis dictus eſt dies.

Inde & illud conſequitur, totidem eſſe eius dirimendi vinculi gradus, nempe REPVDIVM, quo ſponſalia, & DIVORTIVM, anguſtiore ſignificatione appellatum, quo matrimonium, iam ipſa interueniente corporum copula conſummatum, dirimitur, vt diſertè declarat Modeſtinus. De vtroque igitur ſigillatim agemus, ac primùm quidem de repudiis, ſiue de ſponſalium diremptione.

Repudiũ & Diuortium quo diff. rat. l. inter ſtuprum. D. de verb. ſign.

Sponſalia propriè dicuntur dirimi quæ rata prius fuerunt ac proinde legitimè contracta: nec enim vbi nullum eſt vinculũ, diremptioni locus eſt. Nihil tamen prohibet quominus de iis quoq; ſponſalibus, & quidem priore loco, diſceptemus, quæ quum ipſo iure nulla ac planè inutilia ſint, impropriè dirimi dicuntur, quum potius vana ab ipſo ſtatim initio, quod ad obligationem attinet, fuiſſe declarentur.

De ſponſalibus ipſo iure nullis ſiue inutilibus.

Eiuſmodi ſunt autem in primis ſponſalia quæ ſolis verbis de futuro, vt loquũtur ſiue purè, ſiue addita conditione concipiuntur, vt ſi quis dicat ACCIPIAM, non autem ACCIPIO. Nam, vt rectè declarat Lombardus, aliud eſt promittere quàm facere. Aliqua tamen in eo ſubeſt difficultas quòd Sponſalia ſui natura in futurum reſpiciant, quum in ipſis demum nuptiis vxor ducatur. Imò etiam verbo [illegible] vtitur Angelus apud Matthæum, de Ioſepho iam deſponſo loquens, vt DESPONDERE nihil aliud ſit quàm SE ACCEPTVRVM SPONDERE. Neque verò dubium eſt quin Sponſalia veteribus nihil aliud fuerint quàm ſponſiones, id eſt, adhibita ſtipulatione ſolemnes de accipienda vxore promiſſiones, ita vt non tunc plena & abſque omni exceptione fieret futuri matrimonii obligatio, ſed libertas quædam relinqueretur recedendi à contractu & Sponſo & Sponſæ, ſi ita placuiſſet: quanuis ex ſpõſo ageretur, & qui in culpa erat QVANTI INTERERAT damnaretur. Chriſtiani verò, quibus meritò ſumma ſemper religio fuit de iſto contractu cuius ſe auctorem Deus ipſe profitetur, quicquam temerè ſtatuere, vt obuiàm irent iſti ſpõſalium diſſolutioni, vulgatas illas de paciſcendo ſiue ſeriò promittendo matrimonio ſponſiones non pro veris ſponſalibus, quæ ex ſolo partium conſenſu mutari non poſſunt, ſed pro ſimplicibus promiſſis habuerunt. Inde diſcrimen illud verborum in præſens vel in futurũ tempus conceptorum, quod ego quidem minimè inane eſſe puto. Quemadmodum enim, exempli gratia, qui ſic loquutus fuerit, *Vẽdam tibi hunc fundum*, nondum vendidit, ſed tantùm venditurum promiſit, ac proinde nulla inde actio neque ex vendito, neque ex empto naſcitur, ſed ex promiſſo duntaxat: qui verò dixit, *Vendo tibi hunc fundum*, etiam ſi addiderit non niſi à certo die ab emptore poſsidendum, eo tamen ipſo momento vendidit: ita etiam diſtinguendum eſt inter *Deſpondeo* & *Deſpondebo*, *Accipio* & *Accipiam*, quoniam iſtis verbis non fit coniugium, ſed promittitur: illis verò contrahuntur ſpõſalia, atque adeò matrimonium ipſum, quanuis non de facto, vt vulgò loquuntur, de iure tamen eo ipſo momento initur. Itaque poſt eiuſmodi ſponſalia de futuro duntaxat, ſi quis aliam ſibi verè deſpondit, rata erit poſterior promiſsio: ac proinde prior, quod ad obligationem attinet, vana fuiſſe declarabitur, quoniam aliud eſt reipſa ſeſe obligare, quàm faciendam obligationem promittere. At enim, inquies, quantumuis ſimplex promiſsio conſcientiam ligat. Neque verò inficior longè rectius facere qui fidem quoquo modo datam præſtet quantum in ſe eſt, præſertim ſi iuſiurandum interpoſitum ſit: ac grauem etiam reprehenſionem in Eccleſia mereri, qui mutatæ voluntatis cauſam idoneam non afferet: imò etiam in foro iuſtè damnari, quanti intererat promiſſionem illam impleri, ſi in culpa fuiſſe deprehendatur. Sed tamen eum qui tantùm futuram obligationem promittat, exiſtimo videri poſſe omninò, quum tacitè ſaltem ſibi ſpatium ad ampliorem deliberationem petat, liberam ſibi facere mutandi conſilij facultatem, quod in iſto præſertim tanti momenti contractu meritò obſeruatur, vt ex

Sponſalia verbis in futurũ conceptis nõ obligas preſe. c. præterea, &c. requiſiui. De ſpoſ. Lombardus lib. 4. diſt. 27. & 28. Matt. 1. 20. Gell. lib. 4. cap. 4.

Lateran. Concil. ſub Alex. 3. parte 6. cap. conſuluit. c. ſicut. De ſponſal. Pſal. 15. c. de illis. &c. ſicut. De ſpõ. Gell. lib. 4. cap. 4. c. requiſiuit. De ſponſal.

eiuſmodi pollicitatione præciſè obligatus videri non poſſit.

De ſponſalibus non purè initis. l. c. Sent. 4. diſtin. 28. queſt. 2.

In ſponſalibus verò per verba (vt aiūt) de præſenti, ſed adiecta conditione conceptis, has diſtinctiones obſeruari volunt Scholaſtici. Primū, vt ſi ponatur res præterita vel præſens: veluti, ſi quis dicat *Accipio te vxorē ſi hoc vel illud poſſides*, vel, *Si pater conſenſit*, & ea conditio iā extet, rata ſiint ſpōſalia: ſin verò nō extet, nihil promiſſum intelligatur. Deinde vt ſi cōditio futurū reſpiciat, ea ruſſus diſtinctio adhibeatur, vt neceſſaria quidem habeatur quaſi completa, ac proinde ſit ea ſponſalibus ratum coniugium vt, *Accipio te vxorem ſi cras ſol ortatur*: ſi impoſsibilis, habeatur pro non adiecta, ac proinde rata quoque ſint ſponſalia: ſi contingens, vt *Accipio te vxorem modò cras hoc vel illud fiat*, idem de ea iudicetur atque de ſimplici promiſſione per verba de futuro, vt paulò ante diximus. Denique vt ſi conditio vel contra matrimonii naturam fuerit, veluti, *Accipio te vxorem ad biennium*, vel etiam turpis, vt *Accipio te vxorem modò quæſtum ex corpore facias*, eiuſmodi ſponſalia vana cenſeantur. Et hæc quidem fateor probabiliter dici, ſed ſepoſitis iſtis diſtinctionibus eorum ſententię per omnia accedo, qui non niſi purè factis ſponſalibus, & quidem per verba de præſenti, coniugiū prorſus ratum eſſe volunt, quo iure vtimur in hac Geneuenſi Eccleſia: quoniam videlicet qui conditionem adiicit, quæcunque tandem illa ſit, in incertum loqui neceſſariò præſumitur, etiam ſi res iam certò eſſe poſtea comperiatur: ac proinde purus ac prorſus liber ipſius conſenſus eſſe non videtur, qualem tamen in huiuſmodi præſertim contractu requiri extra controuerſiam eſt. Itaque appoſita rei præſentis vel præteritæ conditione quæ poſtea extet, concedo quidem actionem ex ſponſo naſci, de qua ſuperiùs diximus: certam verò & inuiolabilem rati matrimonii obligationem, non item. Certè eius appoſitæ conditionis quàm omnibus ſatis conſtet prorſus neceſſariam eſſe, non video quis vſus eſſe poſsit, quoniam nemo illam ſanæ mentis niſi cū ludibrio adhibeat. Quod autem impoſsibilis pro non adiecta cenſetur, vt valeat tanquam purè facta obligatio, ne id quidem facilè probarim, ſi modò fuerit ex earum genere quas prorſus impoſsibiles eſſe palàm conſtiterit, vt ſi dicatur, *Accipio te vxorem ſi digito cælum tetigeris*, vel (cæcam alloquendo) *ſi me videris*. Nam qui ſic loquitur ſeſe non modò in id coniugium non conſentire, ſed etiam cum ludibrio id reiicere palàm, meo quidem iudicio, teſtatur, nedum vt purè videri poſsit conſenſiſſe. Sed quid ſi ſponſalibus appoſita conditione factis, copula ſit ſubſequuta? rectè ſanè reſponſum eſt ab Innocentio tertio, eiuſmodi hominem videri à conditione receſsiſſe.

c. 6 cōditiones, De cōd. appoſ.

c. ſuper eo, De condit. appoſ.

Concil. Lateran. ſub Alex. 3 parte 6. cap. conſuluit, &c. Q cunque.

c. de illis. c. per tuas. De cond. appoſ.

De ſponſalibus inceſtuoſis.

Ipſo quoque iure irrita ſunt ſponſalia contra Dei voluntatem nobis in ipſius verbo patefactam contracta, cuiuſmodi ſunt inceſtuoſa: itemque clandeſtina, id eſt, in quibus auctoritas eorum non interuenit in quorum poteſtate vel alter contrahentium ſit conſtitutus. Inceſtuoſa ſunt, quæ cum cognatis vel affinibus intra gradus prohibitos contrahuntur. Nititur autem iſta prohibitio iure tum diuino tum humano. Etſi enim videri poſſent quæ Dominus hac de re per Moſen ſcripſit ad ſolos Iſraëlitas pertinuiſſe, tamen ita ſe res non habet. Eſt enim vniuerſalis & perpetua iſtarum legum ratio, & legis ipſius naturæ pars, quamuis ipſo mundi initio neceſsitas coegerit quædam non ad vnguem obſeruare in iis qui ex latere coniunguntur, & poſtea quoque non ſine arcano myſterio, ante Legem latam nonnulli ex ſancta progenie intra gradus poſteà expreſſè prohibitos coniugia, exemplo poſteris minimè imitando, contraxerint. Nam alioqui Rubem filium ſuū Iacobus nō rectè primogenituræ gradu deiecisſet: neque Dominus Ægyptios & Cananæos vt inceſtuoſos expreſsis verbis damnaſſet: neque iure dixiſſet Paulus illum Corinthiū coarguens, eiuſmodi flagitium ne inter prophanas quidem gentes tolerari.

Gen. 49. 4. Leuit. 18. 1. Cor. 5. 1.

Iſta porrò graduum deſcriptio quum non vno modo à Iuriſconſultis & à Romanis Pontificibus tradatur, (de quo diſcrimine magna iampridem eſt contentio:) conſtitui ſummam tantùm rerum ita explicare vt de veritate conſtet. Primùm autem quandam vocabulorum ſignificationē tradendam arbitror.

Grad⁹ quid? Deſcendentes & Aſcendentes qui.

Gradus vocant ipſam generationum ſeriem, quòd alii ab aliis quaſi gradibus quibuſdam oriantur. In iis Deſcendiſſe dicuntur, qui ab iis orti ſunt, ad quos ſurſum iiſdem gradibus regrediaris neceſſe eſt, vt & eorum qui genuerunt, & eorum qui geniti ſunt perpetuam ſeriem habeat. Vtrorunque directa, & perpendicularis eſt linea, quam vocant, in qua ſerie Aſcendentes illos, Deſcendentes autem illos vulgò appellant. Latini illos ad ſextum vſque gradum, id eſt, ad Tritauum, Parentes, deinceps verò Maiores generali nomine vocant: iſtos autem itidem ad ſextum gradum, id eſt, ad Trinepotem, Liberos, ac deinceps communi nomine Poſteros nominant, quorum hæc eſt deſcriptio:

Parentes. Maiores. Liberi, Poſteri.

Tritauus, Tritauia.	* *Filius, Filia.*
|	|
Atauus, Atauia.	*Nepos, Neptis,*
|	|
Abauus, Abauia.	*Pronepos, Proneptis.*
|	|
Proauus, Proauia.	*Abnepos, Abneptis.*
|	|
Auus, Auia.	*Atnepos, Atneptis.*
|	|
Pater, Mater. *	*Trinepos, Trineptis.*
|	

Iam

Iam verò quum plures filii ex vno communi patre oriri poſsint, & hi rurſus in ſuas diſtinctas familias propagari, conſtitui oportet aliud conſanguinitatis genos, quod συγγένειαν vocant, id eſt, cognationem, eorum videlicet qui interdum propius, interdum longius repetito genere, ex communi quopiam parente ortum habuiſſe deprehenduntur, qui omnes communi nomine Cognati, magis proprio verò vel Agnati, (putà ſi ex communi parente mare) vel Cognati, anguſtiore tamẽ ſignificatione, ſi ex communi parente fœmina deſcenderint, appellantur: alias autem appellationes maximè proprias, prout propiùs vel longiùs diſtant, ſortiuntur. Itaque quòd ad eos attinet qui parentibus coniunguntur ex latere, dicitur. Cognatio. Agnati, Cognati.

PATRVVS, patris frater. Amita, patris ſoror.

AVVNCVLVS, matris frater. Matertera, matris ſoror.

PATRVVS magnus, aui frater. Amita magna, aui ſoror.

AVVNCVLVS magnus, auiæ frater. Matertera magna. auiæ ſoror.

PROPATRVVS, ſiue Patruus maior, proaui frater. Proamita ſiue Amita maior proaui ſoror.

PROAVVNCVLVS, ſiue Auunculus maior, proauiæ frater. Promatertera, ſiue Matertera maior, proauiæ ſoror.

PATRVVS maximus, abaui frater. Amita maxima, abaui ſoror.

AVVNCVLVS maximus, abauiæ frater. Matertera maxima, abauiæ ſoror.

FRATER, eiuſdem patris & matris, vel alterius illorum filius, qui frater eſt Vterinus.

SOROR, eiuſdem patris & matris, vel alterius illorum filia, quæ dicitur ſoror Vterina.

PATRVELIS, patrui filius vel filia. Itaque Patrueles ſunt minimùm duo, nempe duorũ fratrum filij vel filiæ, vt:

THARE.

NACHOR. — ABRAHAM.

BETHVEL. — ISAAC, patrueles.

AMITINVS, amitæ filius, vt Amitina amitæ filia. Itaque nunquam Amitini inter ſe duo ſunt, quoniam qui eſt alteri Amitinus, ab eo nominatur Conſobrinus, veluti in hac ſpecie:

NACHOR.

LABAN. — REBECCA.

RACHEL. — IACOB.

Iacob eſt Racheli amitinus, Rebeccæ videlicet ipſius amitæ filius. Eandem autem Rachelem Iacob vocabit Conſobrinam, id eſt, Auunculi filiam.

CONSOBRINVS enim propriè eſt Auunculi filius, & Conſobrina Materteræ filia. Nam alioqui ſic quoque promiſcuè vocantur quilibet fratrum vel ſororum liberi, quos vernaculo ſermone Cognatos germanos vocamus.

SOBRINO propior, eſt Patrui vel Auunculi magni, ſeu Amitæ, vel materteræ magnæ filius, quod viciſsim de ea ſtatuendum eſt quæ vocatur Sobrina.

SOBRINVS, eſt patrui vel auunculi magni, amitæ vel materteræ magnæ, nepos: ac proinde Sobrina, patrui vel auunculi magni, ſiue amitæ vel materteræ magnæ, neptis, veluti in hac ſpecie:

THARE.

NACHOR. — ABRAHAM.

BETHVEL. — ISAAC.

LABAN. — IACOB.

Bethuelem vocabit Iacobus propiorem Sobrinum, vtpote magni eius patrui Nachoris filiũ. Iacobus & Laban ſunt ſobrini, quoniam ille quidem Abrahami, iſte verò Nachoris, magni vtriuſque patrui, nepos eſt. At Bethuel Iacobum patruelis filium, ac viciſsim Iſaacus Labanem, dicet: quem volgò, vt & conſobrinorum & amitinorum filios, vocamus, *Couſin remué de germain.*

Quòd autem fratris vel ſororis filiis à nonnullis tribuitur Nepotum nomen, id fit præter Latinæ linguæ morem.

Eſto verò iſtarum συγγενῶν hæc deſcriptio, inſerta quoque illa recta parentum linea, cui ad latus vtrinque tum Agnati tum Cognati adiunguntur.

Tritauus.
Tritauia.

Atauus.
Atauia.

Patruus, — *Abauus,*
Amita, *Abauia.* — *Auunculus,*
MAXIMI. *Matertera,*
MAXIMI.

Propatruus, — *Proauus,*
Proamita, *Proauia.* — *Proauunculus,*
ſiue *Promatertera,*
Patruus, *ſiue*
Amita, *Auunculus,*
MAIORES. *Matertera.*
MAIORES,

Patruus, — *Auus,*
Amita, *Auia.* — *Auunculus,*
MAGNI. *Matertera,*
MAGNI.

Magni vel magna filius, propior Sobrino: filia propior Sobrina.

Magni vel magna nepos, Sobrinus: neptis, Sobrina.

Magni vel magna filius propior Sobrino: filia, propior Sobrina.

Magni vel magna nepos, Sobrinus: neptis, Sobrina.

Patruus, — *Pater,*
Amita. *Mater.* — *Auunculus,*
Matertera.

Patrui filius vel filia Patruelis: Amitæ filius, Amitinus: Amitæ filia, Amitina.

Horum filij & nepotes.

Auunculi vel Materteræ filius, Conſobrinus. Auunculi vel Materteræ, filia, Conſobrina.

Horum filij & nepotes.

Frater. { *Filius.* *Filia.* } *Soror.*

Et hæc quidem eſt humanarũ generationũ diſtributio, ſuis Latinis nominibus explicata. Quòd ſi quæratur quoto quis gradu ab alio diſtet, vno verbo res tota ex iure Romanorum Ciuili perſpicuè cerni poteſt, ſiue de parentum & liberorum, ſiue de agnatorum vel cognatorum gradibus agatur. Numera generationes, & gradus numeraueris.

Itaque in rectis lineis pater & filius vno gradu: auus & nepos duobus: proauus & pronepos tribus gradibus diſtabunt: quæ proportio deinceps eſt ſeruanda.

In tranſuerſa autem linea, numerantur generationes ſerie nonnihil diuerſa à ſuperiore, ídque interdum breuiore, interdum longiore circuitu. Quoniam enim à latere ad latus peruenire non poteſt niſi per eum tranſeas à quo veluti communi limite vtrunque latus deſcendit: neceſſe eſt primùm vt ab eo, de cuius cognatione quæritur, ad communem cognationis iſtius duplicis auctorem ſurſum progrediaris, & inde rurſus deorſum ad alterum de quo & ipſo quæritur, peruenias: vt in hac ſpecie.

THARE.

ABRAHAM. NACHOR.

ISAAC. BETHVEL.

Sí ſcire voles quoto gradu Iſaac à Bethuele diſtet, ab Iſaaco ad Abrahamum patrem, inde ad Thare ſuum aſcendes: tertiò à Thare ad Nachorem alterum eius filium, ac demum à Nachore ad Bethuelem deſcendes, ac ita comperies Iſaacum à Bethuele quatuor gradibus diſtare. Sunt autem perſonæ de quorum inter ſe cognatione quæritur, vel æquidiſtantes à communi parente in quo latera vtrinque coeunt, cuiuſmodi eſt Thare in iſta ſpecie: vel inæquali interuallo diſſiti, vt:

Linea tranſuerſa vna, æqualis, altera inæqualis.

THARE.

ABRAHAM. NACHOR.

ISAAC. BETHVEL.

LABAN.

In hoc enim exemplo Nachor & Abraham vna tantùm generatione, Iſaac duabus, Laban autẽ tribus à Thare communi ſtipite diſtant. Illa igitur cognationis linea tranſuerſa æqualis: iſta verò tranſuerſa inæqualis dicitur. Vtraque verò paucis iſtis regulis planè intelligi poteſt.

In linea tranſuerſa æquali ſiue æquidiſtante à communi parente.

Fratres & ſorores duobus inter ſe gradibus diſtant, vt Abraham & Nachor,

THARE.

ABRAHAM. NACHOR.

Duplex

Duplex enim eſt generatio vnius perſonæ, nempe Thare. 2
Patrueles quatuor inter ſe gradibus diſtant, vt Iſaac & Bethuel:

THARE.

ABRAHAM.——NACHOR.

ISAAC.——BETHVEL.

Et Conſobrini inter ſe, vt in hac hypotheſi Caius & Titius:

SEMPRONIVS.

SEIVS.——CAIA.

CAIVS.——TITIVS.

Et amitinus à conſobrina, vt Iacob à Rachele:

BETHVEL.

REBECCA.——LABAN.

IACOB.——RACHEL.

Sobrini ſex inter ſe gradibus diſtant, vt Iacob & Laban: 3

THARE.

ABRAHAM.——NACHOR.

ISAAC.——BETHVEL.

IACOB.——LABAN.

Eadem deinceps ratio ſeruanda eſt in ſubſequentibus propagationibus.

In linea tranſuerſa inæqualiter diſtante à communi parente.

Patruus à fratris filio vel filia tribus gradibus diſtat, vt Abraham à Bethuele: 1

THARE.

ABRAHAM.——NACHOR.

BETHVEL.

Eadem igitur eſt diſtantia amitæ à fratris filio vel filia: itémque auunculi vel materteræ à ſororis filio vel filia.

Patruus magnus vel amita magna, à fratris nepote vel nepti: itidémque auunculus magnus vel matertera magna, à ſororis nepote vel nepti, quatuor gradibus diſtant, vt Abraham & Laban: 2

THARE.

ABRAHAM. NACHOR.

BETHVEL.

LABAN.

Eadem proportio, in patruis, amitis, auunculis, materteris, maioribus & maximis ſeruanda eſt.

Proprio Sobrino quinque gradibus diſtat, linea videlicet tranſuerſa inæquali, vt à Iacobo Bethuel: à Labane Iſaacus. 3

THARE.

ABRAHAM NACHOR.
ISAAC. BETHVEL.
IACOB.

THARE.

ABRAHAM. NACHOR.
ISAAC. BETHVEL.
LABAN.

Itémque patruelium, vel conſobrinorum, vel amitini filij à propioribus ſobrino, vt in ſuperiori ſpecie, Iacobus à Bethuele, & ab Iſaaco Labanes. Eſt enim Bethuel Iacobo propior ſobrino, & Labani Iſaacus: viciſſim autẽ Iacobus à Bethuele dicitur patruelis filius, vt Laban ab Iſaaco, quæ proportio ſimiliter in reliquis deſcendentibus ſeruanda eſt.

Nihil autem prohibet quominus vnus & idem quiſpiam diuerſo reſpectu, accedente videlicet ad cognationem affinitate, aut repetita cognatione, modò propior, modò remotior diuerſis nominibus cenſeatur, atque adeò ex agnato vel cognato fiat affinitate parens, veluti Iacobus fit ob matrem Rebeccam Labani filius ſororis, tribus ab eo gradibus diſtans:

BETHVEL.

LABAN. REBECCA.
IACOB.

qui ſecundum paternum genus quinque ab eo gradibus diſtabat, vt paulò antè oſtendimus. Sic Abraham patruus magnus Rebeccæ, matrimonio inter Iſaacum & ipſam inito, fit ipſius ſocer, cuiuſmodi exempla plurima paſſim occurrunt.

Hæc eſt igitur germana, perſpicua, ipſiſque naturæ prorſus conſentanea graduum numeratio, vt eſt à ſapientiſſimis Iuriſconſultis tradita: quam tamen Romani neſcio qui pontifices, ſiue quòd eam non intelligerent, ſiue quòd nati ſint diuinis humaniſque rebus omnibus peruertendis, vſq; adeò improbarunt, vt nouam etiam, eámque perabſurdam, auſi fuerint Eccleſiæ obtrudere, regulis iſtis comprehenſam. c. ad ſedem. 35 q. 5.

1 In linea recta, aſcẽdentium videlicet & deſcendentium, tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, vna dẽpta, itaque filius à patre vno gradu, ab auo nepos duobus gradibus, & ſic deinceps diſtabit. Hæc verò regula etſi nihil ſtatuit à veritate alienum, tamen non rectè concepta eſt. Relinquit enim ſuſpenſum animum, cur demenda ſit vna perſona ex hoc numero, & quænam ſit demenda. Itaque multò planiùs & rectiùs loquuntur qui generationes, non perſonas enumerandas dicunt, quum generatio efficiat gradum.

2 In linea tranſuerſa æquali, quo gradu diſtat vna perſona à communi ſtipite, eo etiã inter ſe altera alteri iungitur. Itaque frater quum à patre diſtet vno gradu ex præcedente regula, eodẽ etiam gradu à fratre vel ſorore diſtabit. Sic quoque Patrueles & Conſobrini duobus gradibus inter ſe diſtabunt: & ſic deinceps. Atqui ineptam & falſam eſſe hanc enumerationem vel ipſe communis ſenſus dictare potuit. Natura enim ipſa oſtendit tot eſſe oportere gradus quot ſunt generationes: nec poſſe perueniri à fratre ad fratrem niſi per patrem communem tranſeas. Etſi autem generatio vnius fratris, & generatio itidem alterius fratris, ſint eiuſdem, vt ita loquar, ſpeciei, & paris ſeriei, vnde etiam in tranſuerſa linea æquali frater & frater collocantur: tamen numero, atque adeò quadantenus ſerie duæ ſunt generationes, ſi ordinem numerandi ſpectes, quum ab vno fratre ad patrem communem aſcendere, & ab eodem patre ad alterum fratrem deſcendere neceſſariò oporteat. Itaque vterque frater ſeorſim conſideratus vt filius videlicet, diſtat à ſuo patre in linea recta, vno gradu: alter autem ab altero, vt frater, duobus. Sic patruelis, quum per auum tranſeat, neceſſariò ad alterum patruelem, ab auo quidem communi duobus diſtat gradibus, à patruele verò quatuor. Neque huic malo medentur qui reſpondent duas perſonas à Pontificibus pro vna cenſeri, quoniam in matrimonio duo fiunt vnum: quam matrimoniorum rationem vnicam aiunt à Iuris Canonici auctoribus ſpectari. Nam ſi hoc ita eſſet, conſequeretur in matrimonio ineundo id potiſſimùm ſpectandum vt coniungendi eodem inter ſe gradu à communi ſtipite diſtarent: quod tamen fieri nec poteſt nec debet. Conqueruntur alij duplicari gradus à Iuriſconſultis, quum fratres pari gradu à communi ſtipite diſtantes, dicunt duobus inter ſe gradibus, conſobrinos quatuor, ac ſic deinceps alios pariter deſcendentes, ab aliis inter ſe diſtare. Sed hoc certè apud homines minimè contentioſos ne reſponſione quidem indiget. Nam duo ſemper duo ſunt numero: & qui aliter ſe rem habere contendit, ne numerare quidẽ nouit, ac proinde homo eſſe deſiit, etiam ſi Papa, id eſt, omnium beſtiarum Deus fuerit.

In

In linea tranſuerſa inæquali (inæqualitas autem opponitur aſcenſui & deſcenſui, qui non cadunt in lineam ὀρθίαν) quo gradu diſtat remotior à ſtipite, eo inter ſe alter ab altero diſtat.

Hæc verò regula tam craſſum ac pudendum errorem prodit, vt vel ſola manifeſtè oſtẽdat iſtos Antichriſtos verè fuiſſe vertiginis ſpiritui mancipatos, vt Dominus per eos vlciſceretur in vniuerſo mundo ſuæ veritatis contemptum. Cui enim, obſecro, niſi prorſus mente capto, venire in mentem potuit, vt exiſtimaret data duplici ſerie cognatorum, vna ad dextram, altera ad ſiniſtram, conſpici quidem ex vna parte diſcrimen generationum, in altera non item? quod vt vel ipſis cæcis pateat conſideremus hanc deſcriptionem:

THARE.

ABRAHAM. —— NACHOR.

ISAAC. BETHVEL.

IACOB. LABAN.

IOSEPH.

MANASSE.

Ecce in iſta ſerie, ſi quæratur quoto gradu Laban à Manaſſe diſtet, reſpondebitur ex ſpiritu Papiſtico, quinto gradu diſtare. Quid Bethuel? itidem quinto. quid Nachor? itidem quinto. Atqui res ipſa clamitat etiam ſurdis, quum Nachor, Bethuel, Laban aliquot inter ſe gradibus diſtent, non poſſe ipſos pari gradu à Manaſſe diſtare, niſi naturæ ipſius ordine conuulſo, patrem Nachorem, filium Bethuelem, nepotem Labanum, tranſuerſa æquali linea colloces, vt Nachor patruus maximus ſit Manaſſe fratris ſui Abrahami abnepote, Bethuel patruus maior ab eodem Manaſſe patruelis ſui pronepote, Laban denique patruus magnus ab eodem Iacobi Sobrini ſui nepote, vno eodémque gradu diſtent. Hæc fuit igitur hac in re, vt in plurimis aliis, bonorum Pontificum Romanorum ſapientia: quam ſanè pudendum eſſet homines quoſdam, alioqui Iuriſconſultos pereruditos, noſtra etiam hac ætate, tueri conatos fuiſſe, niſi plus ſatis conſtaret eò iam res euaſiſſe vt veritatis quàm minima ratio à multis habeatur.

Et de graduum quidem numeratione hactenus. Nunc ſupereſt vt de eo ipſo agamus cuius vnius cauſa in hoc argumentum ingreſſi ſumus, intra quos videlicet gradus nuptiæ prohibeantur: qua in re non dubium eſt quin tutiſsimum iter ii demum ingrediantur qui intra Verbi diuini fines conſiſtunt, quatenus perpetua & vniuerſalis eſt legum in eo præſcriptarum ratio, vt paulò antè diximus. Etſi verò certis regulis iſta in verbo Domini non ſunt comprehenſa, tamen ea iis quæ ibi vetantur, difficile nõ eſt certã quandam normam tũ in recta tũ in tranſuerſa linea conſtituere, ad quam ſingulares illæ prohibitiones reuocentur. Neque verò diſsimulandum eſt Ciuiles Romanorum leges adeò cum diuinis hac in re conſentire, vt hinc penè ad verbum deſumptæ videri poſſint. Sic autem ſe res habet.

Inter parentes & liberos, adeóque omnes recta linea aſcendentes, & deſcendentes, perpetua eſt prohibitio, quòd ita iubeat naturæ honeſtas tacito omnium gentium conſenſu, adeò quidem vt ſi qui eiuſmodi quippiam vel per ignorantiam commiſerint, execrabiles omnibus fuerint. Hinc iſtæ tragicæ Oedipodarum calamitates: hinc Nero ob inceſtum non minus quàm ob reliqua omnia facinora deteſtabilis. Afferuntur aliæ quoque rationes minimè aſpernandæ: nempe vt neceſſitudo ad plures emanet, quod fieri intereſt non tantùm Reipublicæ alicuius, verùm etiam totius humani generis, alioqui miſerè diſsipandi, niſi familiæ, quæ quò latiùs à cõmuni ſtipite diffunduntur, eò magis ab vno diſcedunt, inter ſe rurſus coaleſcerent. Præterea & illud obſeruare ipſa natura docuit, non eſſe confundendam, quoad eius fieri poteſt, communem cognationum normam, id quod ſanè neceſſariò conſequeretur iſtam ſanguinis inter parẽtes & liberos commixtionem. Denique affertur & alia ratio quanuis à magno Philoſopho, tamen non ita magni momenti, ne videlicet propter ætatis inſigne diſcrimen, imbecilles fœtus naſcãtur. Sed illa ab honeſtate naturę ſumpta ratio quum præcipua ſit ideóque à Domino apud Moſen ſingulis hac de re latis legibus inculcata, digna videtur quæ in primis expendatur. Quũ enim honoratas eſſe nuptias teſtetur Apoſtolus, vnde iſta violãdæ per nuptias honeſtatis ſuſpicio? & ſi quid in ea re vſque adeò turpe admittitur, vt natura ipſa in eo videatur offendi, cur non ſumma vxoris ratio habetur à marito, quũ propinquior etiam maritus vxori quàm ſuæ ipſius matri videatur? Reſpondeo negari nõ poſſe, in mutuo vſu quantumuis legitimi matrimonii ineſſe cuius merito homines pudeat, quod etſi à Domino ignoſcatur, vſque adeò vt nihilominus honeſtum ſit matrimonium, tamen re vera turpem naturæ noſtræ ἀταξίαν redarguit. Itaque tale quicquam in eos admittere quos ſecundum Deum colimus vt noſtri generis authores, honeſtus quidam pudor prohibet, filio deinceps non reuerituro vt matrem quam ſibi vxorem ſubiecerit: nec patre ius illud ſuum paternum, auguſtæ cuiuſdam maieſtatis plenum, in filiam retenturo, quam vitæ ſociam & comitem acceperit. Hæc igitur naturæ iura qui violant, ſua ipſorum conſcientia redarguantur neceſſe eſt. Leuit.18.

In linea tranſuerſa inæquali nec per omnia ſimilem nec prorſus tamen diſſimilem eſſe rationē facilè demonſtrari poteſt. Nam vt patris & matris, ita etiam amitæ & materteræ nuptiæ à Domino diſertè prohibentur. Dictat autem ipſa ratio, ſicut patris & matris nuptiis interdictis, intelligitur aui quoque & auiæ, ac cæterorum deinceps aſcendentium matrimonium prohibitum, quemadmodum etiam quod de filio & filia dictum eſt, ad nepotem & neptim, cæteróſque deſcendentes porrigitur: ita hîc quoque amitam & materteram tum maiores tum maximas, ſuperioréſque omnes, & viciſſim omnes infra filium fratris ac ſororis comprehēdi. Ex quo efficitur aliud quippiam hîc ſpectari quàm ipſum graduum numerum, quum fratris nepos ab amita magna non pluribus gradibus quàm à patruele, vel amitā, vel conſobrina diſtet: & tamen conceſſæ ſint, vt mox dicemus, inter has perſonas nuptiæ: Imò etiam amitina maior longiùs vno gradu abeſt à fratris pronepote, quàm ipſe pronepos à ſua patrueli, amitina, vel conſobrina, & tamē illæ demùm nuptiæ prohibitæ ſunt. Rectiſſimè igitur Iuriſconſulti aliam iſtius interdicti rationem attulerunt, quoniam videlicet amita, matertera, cæteræque deinceps perſonæ aſcendentes, cum fratrum vel ſororum filiis aliiſque deſcendentibus comparatæ, eorum parentum vicem obtineant quibus æquali linea tranſuerſa adiunguntur, amita videlicet patris, matertera matris: amita magna, aui, matertera magna, auiæ: & ita deinceps: quod in amitinis, patruelibus, conſobrinis locum nullum habet.


Idem autem prorſus ſtatuendum eſſe in patruo, & fratris vel ſororis filia, res ipſa coarguit, quamuis Iudæi (perditum hominum genus, & in explicatione diuini Verbi penitus cæcum) aliter ſentire ſcribantur. Nam (vt illam rationem taceam vtrobique eandem, de qua modò dixi) quum diſertè Dominus fratris filio inhibeat vxoris patrui nuptias, quæ tamē duntaxat ipſi affinis eſt, quis nō animaduertit multo magis vetari nuptias inter patruum & fratris filiam, perſonas conſanguinitate coniunctas? Itaque ne tum quidem quum Imperatores Romani quiduis ſibi licere volebant in ciuitate libidinoſiſſima auſus eſt Claudius patruus Agrippinam fratris filiam ducere, niſi exorto prius ea de re Senatuſc. quoniam etiam ſi nulla ſcripta lege inhibita eſſet iſtiuſmodi coniunctio, tamen perpetuò omnium maiorum conſenſu inceſta haberetur: adeò quidem, vt in tanta perditiſſimorum adulatorum turba, vix tandem ſit inuentus vnus & alter qui quod & Senatuſconſultum & Cæſaris exemplum concederet, ſibi tamen licere exiſtimaret: adeò ſunt altè ab ipſa natura parente, vel ab ipſo Deo potiùs, leges iſtæ cordibus humanis inſculptæ. Iure igitur poſtea Nerua imperator Claudianum illud S.C. abrogauit.

Tacitus. lib. 12. Sueto. in Claud.

Dion. in Nerua.

Romanis verò pontificibus quis non miretur hoc accidiſſe, vt vbi maximè religioſi videri voluerunt, ibi maximè oſtēderint ſeſe multo minùs iis ſapere quibus ipſos acquieſcere potiùs oportuerat? Sic enim ſcribit diſertè Gregorius nonus: *Vir qui à ſtipite quarto gradu, & mulier quæ ex alio latere diſtat quarto, (ſecundum regulam approbatam quæ dicitur, Quoto gradu remotior diſtat à ſtipite, & à quolibet per eandem lineam deſcendentium) licitè poſſunt matrimonio copulari.* Speciem autem hanc ita ibi deſcribit gloſſa, quam ſequitur Iohannes Andreas:

Greg. c. 9. de conſang.



In hac ſpecie, inquit ibi gloſſator, Maria diſtat quinto gradu à Petro, ergo eodē diſtat à Martino, Iohanne, Stephano: & quilibet eorū poteſt eā accipere. Atqui Martinus eſt Mariæ auunculus maximus (cuius ſororis ipſa eſt abneptis) ac proinde eſt ipſi parentis abaui loco. Ex quo conſequitur licere ex Canonico iure, quod neque diuino neque ciuili fas eſſe ſuprà oſtendimus, quoniam cum naturæ honeſtate pugnat, vt cuius filiam ducere non potes, neptem poſſis. Neque ignoro qua ratione Iuriſconſultus alioqui doctiſſimus, ſed non ſatis fortis interdum veritatis defenſor, Franc. Duarenus, conatus ſit hoc excuſare: ſed malā cauſam bene tueri ſanè difficile eſt: & à noſtro Frāc. Hotomano, eruditiſſimo viro, ſic eſt ei reſponſum vt hominibus non contentioſis abundè ſit ſatisfactum.

Stet igitur hæc firma regula, In linea tranſuerſa inæquali nec duci poſſe, nec ducere qui parentum loco habentur, id eſt, qui ſtipiti à quo diffundi incipit cognatio, vel ſuperioribus, à latere adiunguntur. Inter alios verò, veluti inter ſobrino propiorem, & conſobrini vel cōſobrinæ filiam, & ſic deinceps, nuptiæ neque diuino neque ciuili iure interdicuntur, quum inter ipſos fratrum vel ſororum filios: (vti mox dicemus) concedantur. Itaque ruſum hoc in loco ſe produnt Canonicorum ineptiæ, vt in hac ſpecie:

Lucianis. C. de nup. l. ſororis. ff. de ritu nupt.

IOHAN-

IOHANNES.

PETRVS — PAVLVS

IACOBVS — RACHEL

ANDREAS — SVSANNA

IOHANNA

LIA.

Concedunt Canonici Liam fratris abneptim ducere Petro patruo maximo, quæ ab eo, ſi rectam ſupputationem ſequamur, ſex gradibus diſtat: Iacobo verò Iohannam nõ item, quanuis totidem, id eſt, ſex gradibus diſtent. Imò ne Iohannam quidem Andreas accipere ex illorum canonibus poterit, à qua tamen ſeptem diſtat gradibus. Itaque intra ſextum gradum concedunt nuptias etiam cum eo qui parentis loco ſit, vt modò diximus: intra eundem qui parentis loco non ſit, non concedunt, nempe inter Iacobum & Iohannam: imò ne in ſeptimo quidem gradu, vt inter Andream & Iohannam. Vſque adeò procul eos à recto cogit deflectere ſecunda illa regula commentitia de gradibus in tranſuerſa linea inæquali numerãdis. Opponitur tamen ex hiſtoriis ſacris Amram, qui Moſen & Aaronem ex Iocabed amita ſua genuerit. Sed quicquid factum eſt à Patribus, fieri licuiſſe non rectè dici poteſt. Leuit. 18 17.

In linea tranſuerſa æquali, ſolus ſecundus gradus iure diuino & ciuili prohibetur, id eſt, fratrum ac ſororum nuptiæ: à quo flagitio conſtat quantopere abhorreat ipſa natura, quanuis id Ægyptij & alij nonnulli populi licere voluerint, ſuorum nimirum numinum exẽplo, quum Saturnus Opin, Iuppiter Iunonem, Oſiris Iſin duxerit. Itaque quidni hoc facerent, apud quos Semiramis mater etiam Nino nupſit, nec tantùm Philadelphos, verùm etiam Philometoras legimus? Sed illud alicuius eſt momenti quod ex hiſtoria ſacra conſtat, oportuiſſe nimirum à primis illis hominibus ſorores duci quum aliæ mulieres non extarent. *Sed id factum*, vt rectè inquit Auguſt. *quanto eſt antiquius, compellente neceſſitate: tanto poſtea factum eſt damnabilius, religione prohibente.* Sed eget quoque explicatione iſtud Auguſtini dictum. An eſt enim aliquod neceſſitatis genus quo res per ſe & ſimpliciter nefariæ licere incipiant? minimè profectò. Itaque neceſſitatem intellige ex illius temporis circunſtantia. Quum enim iuberet Dominus propagari genus humanum, nec plures ſimul fœminas condidiſſet, ſatis intelligitur hanc fuiſſe ipſius voluntatem, vt fratri ex ſorore ſobolem tollere fas eſſet, quod poſtea docuit ipſa natura nõ licere. Neque enim religionis nomine legem poſtea perſcriptam intelligendam eſſe, (quod falsò alicubi à gloſſatore quodam traditur, quaſi videlicet non cognatio ipſa, ſed Eccleſiæ conſtitutio matrimonium impediat) illud manifeſtè probat quòd Dominus apud Moſen ob iſtiuſmodi flagitia manifeſtè Cananæos ſibi deteſtabiles factos teſtatur, quibus tamen ea de re non alia quàm naturæ & honeſtatis lex fuerat data. L. licet. c. de inceſtuoſis nuptiis. Plato lib. de leg. 8. Augu. de Ciuit. li. 15. c. 16. glo. in c. quũ igitur, 35 q. 8

Affertur & aliud, nempe quòd Abraham duxerit Saram ſororẽ ὁμοπάτριον, quod factum ſic excuſant Iudæi vt velint fuiſſe Lothi ſororem, filiam videlicet Arani, quam Moſes alibi Iiſcham vocarit. Itaque non ſororem, ſed fratris filiam duxerit Abrahamus, quæ tamẽ ſoror ab eo dicta eſt, nomine videlicet apud Hebræos, quamuis cognatam declarãte. Sed ſanè infirmiſſima eſt hæc coniectura, quum potiùs videatur Moſes Aranum iſtum idcirco patrẽ Melchæ & Iiſchæ vocare, vt eum ab altero, qui Abrahami frater erat, diſtingueret. Deinde quum (vt antè diximus, etiam ſi aliter arbitrentur excæcati Iudæi) non minus inceſtuoſæ ſint nuptiæ patrui cum fratris filia, quàm fratris & ſororis, nihil hoc certè Abrahamum ſubleuarit. Sunt igitur qui priuignam Thare fuiſſe velint, vt quæ dicatur ipſius filia, quam tamen ex vxore non genuerit: quod ſi verum eſt, affinis duntaxat Abrahamo fuerit Sara, & quaſi conſobrinæ loco, cuiuſmodi coniunctionem licere extra cõtrouerſiam eſt. Sed ſi ita fuiſſet, non videtur dicturus Abrahamus, Saram eſſe patris quidem ſui filiam, matris verò non item: ſed potius matris eſſe filiam, non patris. Vtcunque ſit, in tanta populorum illorum corruptione, apud quos tum verſabatur Abraham nondum à Deo vocatus, non eſt incredibile repertos etiam qui ſorores communi exemplo ducerent: quod etſi tolerauit, vt & alia multa Dominus, quæ expreſſè poſtea inhibuit, nunquam tamen comprobauit. Certè non neſciuiſſe Abrahamum apud pleroſque populos inſolitam huiuſmodi coniunctionem fuiſſe, ex eo apparet quòd ſe crediderit non habendum Saræ maritum, ſi ſororem ipſam appellaret. Gen. 20. 12. & 11. 9.

Sed & illud afferri ſolet Thamaræ dictum ad Amnonem fratrem ὁμοπάτριον, *Alloquere regem* inquit, *non enim denegabit me tibi.* Reſpondent autem Iudæi non ſine Dauidis cõtumelia, Thamaram fuiſſe ex ipſius matre Maacha adhuc prophana, id eſt, antequàm Iudæa fieret, ſuſceptam, quæ proinde ipſi Amnoni habita fuerit veluti extranea, vtpote ex illegitimo coitu nata. Sed vnde hoc didicerũt? quod etiam ſi concederetur, idem tamen eſſet cognationis vinculum, quoniam quæ ex illegitimo coitu ſuſcipitur, filia tamen eſt ex patris ſemine concepta. Sed ſiue hoc Thamara ſciẽs com- Geneſ. 22. 12.

menta eſt, vt ſe præſenti periculo eriperet, ſiue reuera credidit hoc quoque patri regi licere, non eſt quòd inde colligamus vel hoc fuiſſe Dauidem conceſſurum, vel rectè facturum fuiſſe ſi conceſſiſſet. Eſt itaque Martini quinti ſceleratiſſimum factum, quem non puduiſſe ſcribunt cuiuſdam matrimonium cum ſorore germana (precio videlicet religioſè accepto) relaxare.

Nume. 36. 11.

Conſobrinos autem ſiue patrueles inter ſe coniungi iure diuino non modò non prohibetur, ſed etiam, ſi exempla ius faciunt, expreſſè conceditur. Apud Romanos autem non ſemper id licuiſſe innuit Vitellius adulator apud Tacitum, quo loco Sobrinæ pro conſobrinis accipiendæ ſunt. Illud quidem conſtat, à Theodoſio fuiſſe iſtiuſmodi nuptias inhibitas, ex quo conſequitur antea licuiſſe. Neque firma fuit iſta conſtitutio, mox nimirum ab ipſius filiis, Honorio nimirum & Arcadio, abrogata, *Reuocata*, inquiũt, *priſci iuris auctoritate*: quod ſequutus etiã eſt Iuſtinianus. Iure tamen diuino prohibitas fuiſſe patruelium nuptias affirmauit quidem Ambroſius, ſed profectò, vt & alibi nonnunquam memoria lapſus.

Tacit. li. 12. l. celebrãdis. C. de nup. & l. duorũ. inſti. de nupt. Ambr. lib. 8. epi. 66.

At noſtri Canonici, nimirum vt ſeſe ipſo etiam Deo religioſiores probarent, non modò conſobrinos, quos ſecundo gradu, ſed etiam ſobrinos quos tertio, & ſobrinorum liberos quos quarto numerant (quum tamen illi quarto, iſti ſexto, hi verò octauo inter ſe diſtent) coniungi vetuerunt. De iis loquor qui ab æquitate propiùs abfuerũt. Nam alij ad ſeptimum vſque ſuum gradum, id eſt decimumquartum nuptias ſemel inhibuerunt, *Quoniam*, inquiunt, *ſicut ſex ætatibus finitur mũdi generatio & hominis ſtatus, ita propinquitas generis tot gradibus terminatur*: digna certè ratio quæ à Gratiano in decreti theſaurum referretur: vt & illa Gregorij, cur conſobrinorum nuptiæ prohibeantur, *Quoniam*, inquit, *experimento didicimus ex tali coniugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere*. Cur autem poſtea boni viri prohibitiones iſtas in quarto ſuo gradu, id eſt, octauo incluſiuè (vt loquũtur) deſinere voluerint, operæpretium eſt etiam cognoſcere, vt de ſumma iſtiuſmodi hominum & pietate & ſapientia omnibus conſtare poſſit. Innocentius igitur tertius, quem hiſtorici nocentiſſimum vocant, in illo egregio Lateranenſi Concilio circiter annum Domini 1215. celebrato, *Non debet*, inquit, *reprehenſibile iudicari ſi ſecundum varietatem temporũ ſtatuta quandoq; varientur humana præſertim quum vrgens neceſſitas vel euidẽs vtilitas id expoſcit, quoniã ipſe Deus ex iis quæ in veteri Teſtamẽto ſtatuerat, nonnulla mutauit in nouo*. In his verò paucis verbis inſignis ſeſe prodit vel inſcitia vel impudẽtia. Nam certè variatio in iis nulla eſt quæ perpetua & immota ratione nituntur cuiuſmodi eſſe leges de inceſtuoſis coniunctionibus à Deo ipſo perlatas vel ipſa natura demõſtrat. Deinde quod de veteris Teſtamenti quibuſdam abrogatis adiicitur, quorſum tandem, obſecro, quum leges de inceſtis in vetere Teſtamento expreſſas ne ipſimet quidẽ auſint inter eas quæ abolitæ ſint recenſere? Quòd ſi tandem ipſos neceſſitas coegit illa ſua vincula relaxare, quod iſtud ſcelus eſt, ſuo facto prætexere Dei Opt. Max. exemplum? Deinde hoc quoque ſubiciunt boni patres: *Quaternarius*, inquiunt, *numerus bene congruit prohibitioni cõiugij corporalis, de quo dicit Apoſtolus, quòd vir non habet poteſtatem ſui corporis ſed mulier, neque mulier habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: quia quatuor ſunt humores in corpore, qui conſtant ex quatuor elementis.*

c. de affinitate, c. nullum, c. progeniẽ, c. de conſanguinitate, c. nulli. & c. quædam 35. q. 3. & c. conſanguineos. 35. q. 4. c. ad ſedem. 35. q. 5. c. non debet de conſang. & Conc. Lateran. c. 50.

En qua conſcientia iampridem ſacra illa Apoſtatica & Catholyca ſedes verbo Dei abuſa eſt, vt miſeras conſcientias ſuarũ traditionũ laqueis ſtrangularet, & quomodo viciſſim illos vltus eſt Dominus, quum perpetuum hoc ſummæ ac penè incredibilis ſtultitiæ teſtimoniũ voluit in celeberrimo ipſorum cœtu, cui nimirũ Prælati, quos vocant, 1215. aut etiam plures, interfuerint perſcriptũ extare. Iſtam porrò vaniſſimam graduum numerandorũ rationem, quam Alexander ſecũdus Eccleſiaſticum canonem vocare auſus eſt, melioribus ſeculis ignotam fuiſſe, vel ex vno Ambroſio liquere poteſt, qui patrueles quarto gradu inter ſe diſtare ſcribit: neque ſtatim in Eccleſiam irrepſiſſe tyrannicas iſtas leges ex vetuſtis etiam quibuſdam Synodis apparet. Nam in ea quæ Epaunenſis dicitur, & ad Gelaſij primi tempora, circiter annum Domini 497, refertur, vltra cõſobrinos non progreditur interdictũ, & ea quidem addita exceptione, vt antea contracta matrimonia nõ ſoluantur. In Turonica verò ſecunda ſub Pelagio primo circiter annum Domini 177. idẽ ſtatuitur, repetitis etiã Epaunenſis Synodi canonibus, ſed non bona fide, niſi mẽdoſus eſt codex, adiectis ad conſobrinas, ſobrinis. At in Synodo prima Pariſienſi, quanuis eodẽ pontifice habita, ne cõſobrinarum quidem vlla fit mentio, ſed ſimplici Dei verbo ſtatur: quod vnũ vtinam ſequi nũc quoque malint Chriſtiani omnes Magiſtratus, quàm ſupra Deum ipſum & veteres leges ciuiles ſapere videri. Sicubi tamẽ conſobrinæ duci abſque offendiculo non poſſunt, rectè facere exiſtimo qui regulã Apoſtolicã ſequuti non tantùm eius quod licet, verùm etiã eius quod expedit rationem habent, & ſuæ libertatis vſum ex vſu proximi metiuntur. Neceſſe eſt tamen teneri iſtud diſcrimen inter leges diuinas & humanas, ſiquæ de his rebus extent, vt ſponſalia contra illas inita, irrita ſine vlla prorſus exceptione habeantur, nedum vt matrimonia tolerentur: ſi quis verò contra ſtatutum aliquod humanum fecerit, pœna quidem ciuili afficiatur, matrimonium tamen conſummatum propterea minimè ſoluatur: qua de re plura alio loco dicemus.

Ambroſ. lib. 8. epi. 66. Tomo Cõc. 2. Epaun. Conc. c. 30. Eodem tomo, Toron. Conc. 2. can. 21. Eod. tomo, Pariſ. Conc. 1 can. 4. Rom. 14. 21

Conſanguinitatis ſimulachrum quoddam eſt Affinitas, cuius ea etiam vis eſt, vt quoſuis affines quibuſuis coniungi naturæ honeſtas non patiatur. Affines autem dicuntur, qui non quòd eiuſdem ſint ſanguinis, ſed quoniam alter ad alterius cognationis fines acceſſit, inter ſe ſunt coniuncti. Acceſſio autem iſta vnius cognationis ad alteram, eò fit, quòd quum duobus inter ſe matrimonio iunctis, duo fiant vnum, neceſſe ſit vinculo etiam iſto vtrioque cum iis connecti ipſorum conſanguineos: vt in hac ſpecie: Dauid filius Iſai, ducit Michol Sauli filiã. Itaque quum Dauid & Michol facti ſint vnum, conſequitur conſanguineos Dauidis factos eſſe quodammodo conſanguineos Michol: & contrà. Affinium igitur nõnulli quidem alios attrahunt, ij videlicet quorum matrimonio

De gradibus affinitatis prohibitis. Affines qui.

nio interueniente coit affinitas,ſiue qui cauſam affinitati præbent:nonnulli verò attrahuntur, reliqui nimirum,qui cùm eſſent duntaxat vnius conſanguinei natura,poſtea, propter nuptias interuenientes,alteri quoque affinitate ſunt coniuncti. Mirum autem hîc quiddam accidit, nempe vt per quos alij fiunt affines,ipſi inter ſe non affines,ſed vnum quiddam potius fiant, quum neque maritus vxori,nec vxor marito propriè affinis dicatur,& tamen alter ad alteram ſuos trahat. Non habent autem omnes affines peculiaria ſua nomina,vt ne conſanguinei quidem,ſed Latinè ſic vocantur præcipui:

SOCER,mariti vel vxoris pater. Socrus,mariti vel vxoris mater.

VITRICVS,maritus matris ex alio viro natis. Nouerca,patris vxor ex alia matre natis.

PROSOCER,ſoceri pater. Proſocrus,ſocrus mater.

GENER,filiæ maritus. Nurus,filij vxor.

PROGENER,neptis maritus. Pronurus,nepotis vxor.

PRIVIGNVS,vxoris ex alio viro,vel mariti ex alia vxore, filius. Priuigna,vxoris ex alio viro, vel mariti ex alia vxore,filia.

PROPRIVIGNVS,priuigni filius. Propriuigna,priuigni filia.

LEVIR,mariti frater.

GLOS,mariti ſoror.

SORORIVS,ſororis meæ maritus.

FRATRIA,fratris meæ vxor.

Cõferuntur antẽ iſta inter ſe hoc modo: Socer & Socrus,cum Genero & Nuru. Vitricus & Nouerca,cum Priuigno & Priuigna. Leuir & Glos cum Sororio & Fratria.

Hæc ſunt igitur affinium nomina à Latinis præſertim Iuriſconſultis edita,quibus & alios adiicere nihil vetat,nempe ſurſum verſus, Abſocerum, Abſocrum: Atſocerum, Atſocrum: Triſocerum, Triſocrum: Quatriſocerum, Quatriſocrum. Itidẽ deorſum dicere licebit, Abpriuignum, Abpriuignam: Atpriuignum, Atpriuignam: Tripriuignum, Tripriuignam: Quatripriuignum, Quatripriuignam. Ad latus verò circunlocutio adhibenda eſt neceſſariò, vt ſocero vtrinque apponatur,ſoceri ſoror vel frater,ſocrus frater vel ſoror:& horum deinceps filij & nepotes:quæ ratio in proſocero, abſocero,& cæteris quoq; ſeruãda eſt. Alias porrò affinitates neq; diuinæ neque ciuiles leges commemorant. Soli Canonici,vt ſuo more pergerent, alia duo affinitatum genera excogitarunt,quorum tamen quum ipſos authores tandem puduerit, non eſt quod in eis deſcribendis tempus conſumamus.

C. de propinquis,&c. cõtrad. cimus, & c. porrò, 35. q. 3. &c. non debet. Extra. de cõſangui. vbi vide gloſ.

Etſi autem inter affines propriè nulli gradus ſunt, vt ait Modeſtinus,quoniam videlicet affines ab affinibus non generantur: tamen nihil vetat quaſi quoſdam affinium quoque gradus numerare,quum ſic etiam Paulus Iuriſconſultus loquatur. Itaque vt paucis omnia dicamus,duæ iſtæ regulæ obſeruandæ ſunt.

l. 4. ff. de grad. affi. §. 4.

Quo gradu quiſpiam eſt conſanguineus vxori,eo gradu fit marito affinis, & quaſi conſanguineus:& cõtrà. Ergo ſurſũ verſus,quia vxor mea vno gradu à patre ſuo diſtat, ab auo,duobus:ego quoque,vtpote gener,à ſocero,gradu vno:à proſocero,duobus diſtabo:quod de nuru quoque & cæteris tum aſcendentibus,tum deſcendentibus,conſtituendum eſt.

l. 10. ff. eod. §

Eadem quoque ratione in linea tranſuerſa inæquali,quoniam vxor mea à ſuo patruo vel auunculo tribus gradibus diſſidet,ego quoque à ſoceri fratre vel ſorore totidem gradibus diſſidebo,& ſic deinceps. Similiter in linea tranſuerſa æquali, quum maritus à fratre ſuo diſtet duobus gradibus,vxor à leuiro totidem gradibus diſtabit:quod ipſum quoque dicendum eſt de glore,ſororio, & fratria,eorúmque liberis, non inter ſe (obſtat enim altera regula quam mox trademus,) ſed ad eos relatis per quorum nuptias coiit affinitas. Ex his autem efficitur mutuam eſſe comparationem graduum cognationis & affinitatis,quæ vt legentium oculis veluti ſubiiciatur,libuit hanc deſcriptionem ſubiicere,in qua ſuperiore loco Cognati,inferiore Affines illis, vt ita loquar,correſpondentes ponuntur,initio tantùm à proſocero ducto,quoniam ſuperiores facilè intelliguntur, vt & qui infra generum ſunt.



Nepos,& Neptis. | *Nepos,& Neptis.*
Progener, neptis maritus. | *Pronurus, nepotis vxor.*

Et ſic deinceps.

Alio autem reſpectu hi quoque affines inter ſe comparantur:

Pater, Vitricus, | *Mater. Nouerca.*

Filius,& Filia. Priuignus, & Priuigna. | *Filius,& Filia. Priuignus, & Priuigna.*

Nepos,& Neptis. Propriuignus,& Propriuigna.

Item & iſto reſpectu hi quoque affines inter ſe comparantur:

Leuir, Glos, } *Mariti* { *Frater, Soror,* } *Maritus,Vxor,* { *Leuir, Glos,* } *Vxoris* { *Frater. Soror.*

Et ſic quoque:

Fratria,fratris vxor. ——— *Frater,* *Soror,* ——— *Sororius, ſororis maritus.*

2 Affinitas inter conſanguineos ſeu conſanguineas earum perſonarum,quarum interuentu coiit affinitas,nulla eſt : ideóque multò anguſtioribus finibus continetur quàm conſanguinitas. Ratio huius diſcriminis hæc eſt,quoniam inter rem ipſam & rei ſimulachrum multum intereſt:eſt autem affinitas quoddam duntaxat eius coniunctionis,quæ naturali ſanguinis deriuatione coiit, ſimulachrum. Itaque conſanguinitas non conſtitit in communibus parentibus, ſed etiam liberorum filij tum eos qui ſunt vice parentum,in lineæ tranſuerſa inæquali,tum etiã alios,ipſíque adeò ſeſe mutuò eonſanguineos in linea tranſuerſa æquali vocant. Affinitas verò intra eos manet qui affinitati cauſam præbuerunt,vt ex iis quæ ſubiiciemus ſpparebit.

Es iſtis perſpicuè colligi poteſt,quínam affinitatis gradus prohibiti ſint, iidem videlicet qui & cognationis,quòd attinet ad eas perſonas,quarum cõiunctio affinitatem illam effecit, quod rurſus,perſpicuitatis cauſa,in has regulas ſic diſtribuo:

3 Inter aſcendentes & deſcendentes,id eſt,in linea recta perpendiculari, prohibitio eſt in affinitate,vt in cognatione. Itaque ſocer,nurum:ſocrum,gener: proſocer,pronurum:progener,proſocrum:vitricus priuignam:priuignus nouercam: vitricipater,propriuignam:propriuignus,matrem nouercæ,& ſic deinceps, ducere non magis poteſt quàm pater filiam, filius matrem, auus neptim, nepos auiam : ídque vſque adeò verum eſt, vt etiam eam quæ ex repudiatæ vxore & alio viro nata eſt,pro priuigna prioris viri habendam eſſe reſponderit Scæuola.

l.14.& 40. ff. de ritu nup. & alibi ſæpe. & l.4. de gradib.

4 In linea tranſuerſa inæquali neque patruus vxorem filiæ fratris,à qua vocatur ſoceri frater: aut auunculus vxorem filij ſororis, à qua vocatur ſocrus frater: neque maritus amitam vxoris ſuæ quam ipſe vocat ſoceri ſororem, aut materteram vxoris, quam vocat ſocrus ſororem ducere poteſt. Idem de proſoceri & proſocrus tum fratre, tum ſorore, & nepotis vxore, neptíſque marito, & ſic deinceps, ſentiendum eſt. Quoniam illi quidem parentum, iſti verò liberorum locum obtinent. Sed de alio tranſuerſæ affinitatis genere ambigitur, putà an poſſit quiſpiam gloris filiam ducere, cui nimirum ſit auunculi vel patrui inſtar: quoniam amita, ſiue matertera, & eius maritus vna perſona cenſentur, & quum vxoris conſanguinei ſint marito pro conſanguineis, effici omnino videtur non magis poſſe maritum materteræ ducere ſororis vxoris, id eſt, gloris filiam, quàm matertera poſſet ſororis filio nubere.

l.vlt. c. de inceſt.

l.4.§. Hoc itaque. De gradibus.

Sed

Sed hoc Romæ etiam non penitus inuſitatum fuiſſe apparet ex eo quod Connanus vir doctiſſimus ex Cicerone citat de Cæcilia Metelli, qua defuncta ipſius maritus filiam ſororia eius duxerit, quod tamen neque ipſe Cicero, neque poſt eum Valerius Maximus vt nouum aliquod factum recenſent.

Itaque in hac ſpecie dicendum eſt fuiſſe morte Cæciliæ ſoluta affinitatis iura, quod tamen neque in linea recta locum habet, neque etiam fortaſſis in tranſuerſa, ſi vel patruus vxorem filij fratris, vel auunculus vxorem filij ſororis: aut contrà, fratris filius vxorem defuncti patrui, aut ſororis filius vxorem defuncti auunculi, ducere voluiſſet; de quibus poſterioribus ſpeciebus duabus cauit expreſſè Dominus apud Moſen, de prioribus autem à conſequenti. At in tranſuerſa linea inæquali vbi perſona ſuperior non obtinet parentis locum, veluti mariti eius quæ propior eſt Sobrina, cum ſui conſobrini aut conſobrinæ ſuæ ſiue vxoris filia; & vxoris eius qui eſt propior Sobrino cum conſobrini ſui aut conſobrinæ ſuæ vel mariti filio (quum ne cognatio quidem iſtiuſmodi coniunctionem impediat) dubium non eſt licitas eſſe nuptias, vt Iulius Cæſar Pompeio Magno antea genero ſuo, mortua Iulia, ſororis ſuæ neptim deſtinabat, cuius hypotheſis hæc eſt deſcriptio, Suet. in D. Iulio.

I. CAESAR.

IVL. CAESAR. — IVLIA.

IVLIA, *Pompeio nupta.* — ACCIA.

OCTAVIA, *Pompeio, poſt mortem Iuliæ, deſtinata.*

In linea tranſuerſa æquali neque frater vxorem fratris aut ſororis ducere, nec viciſſim ſoror marito fratris aut ſororis nubere magis poteſt, quàm frater ſororem ducere, aut ſoror fratri nubere. Neque etiam maritus cum ſorore vxoris, neque vxor cum fratre mariti, id eſt, leuir & glos coniungi poſſunt, quoniam ſunt inter ſe affinitate fratres & ſorores. Hic tamen non deſunt quæ in contrariam partem opponātur. Primùm manifeſtè dicit Plutarchus, minimè tamen id tanquam nouum & præter morem factum commemorans, M. illum Craſſum cognomēto Diuitem, defuncti fratris viduam duxiſſe. Reſpondeo me non meminiſſe quicquam tale vnquam Romæ præterea factum legere: vna autem hirundo certè non facit ver. Eſto tamen, vt hoc ſit ab aliis etiam factitatum, quoniam hìc quoque affinitatem iudicarent cum morte fuiſſe extinctam quæ cauſam ipſi præbuerat: nego tamen id rectè factum, quum nihil ad germanam ſororem propiùs accedat, quàm fratris etiam demortui vxor, & honeſtas ipſa doceat non ſecus viro, à cognatis vxoris, & cōtrà, quàm à ſuis abſtinendum, quoniam videlicet maritus & vxor vnum quiddam cenſeantur. Sed obiiciuntur alia maioris momenti. Primùm enim apud Moſen non prohibetur ſimpliciter quiſpiam glorem ducere, id eſt, vxoris ſuæ ſororem, ſed his demum verbis: *Vxorem cum eius ſorore non accipies ad æmulationem, vt videlicet reueles eius turpitudinem, dum ipſa adhuc viuit:* ex quo conſequi videtur, aut vanam eſſe illam adiectionem, aut vxore mortua, ſororem eius ducere licere. l. 5. 8. & 9. C. de inceſt. nupt. Can. Apoſt. 19. Plutarch. in Craſſo. Leuit. 18. 16.

Reſpondeo, manifeſtè liquere leges de inceſtis nuptiis ita ſcriptas eſſe apud Moſen vt ſingula non ſint expreſſa, ſed quibuſdam poſitis, quæ paria ſunt pro expreſſis habeantur, quum hoc flagitet ipſa ratio, vt de ſimilibus ſimiliter ſtatuatur. Itaque quum prohibentur nuptiæ inter fratris filium & patrui vxorem, intelliguntur etiam inter ſororis filium & vxorem auunculi, itémque inter auunculum & filij ſororis vxorem interdictæ. Ex hoc autem & illud conſequi neceſſariò videtur, vt quum frater expreſſis verbis vetatur vxoris fratris ſui pudenda retegere, inhibita quoque cenſeatur ſororis cum marito ſororis ſuæ coniunctio, quia paria ſunt duobus fratribus, eandem, & duabus ſororibus eundem coniungi. Paria autem hæc eſſe non tantùm demonſtrat ipſa graduum affinitatis, & in numero, & in ipſo ſeriei ordine paritas: verùm etiam aliæ quoque rationes palàm videntur demonſtrare. Cur enim duobus fratribus eandem ducere non licet? nempe quoniā, quæ priori fratri nupſit, in vnum corpus cum eo coaluit, ac proinde non quidem conſanguinitate, ſed tamen affinitate facta eſt fratris mariti ſui ſoror, ſororem autem ducere fratri non licet. Itaque eâdem prorſus ratione, ducere cuipiam non licebit vxoris ſororem, vtpote cui factus ſit frater. Deinde ſpectanda eſt ratio quam affert Moſes, cur illud non liceat, *Quia*, inquit, *fratris tui pudenda ſunt.* An non verò eâdem prorſus ratione prohibetur ſororius glorem ducere? Minimè vero, inquiunt nonnulli, quum diſſimilis ſit ratio. Nam vxoris pudenda dicuntur eſſe mariti, non contrà, ideóque ſororius fratriam ducens, nullius pudenda detegere dicitur. Atqui obiectio iſta, vt parum ſanè pudoris, ita nihil rationis habet. Nam ſi ita eſſet, nihil etiam prohiberet vitrico priuignam, & amitæ marito fratris eius filiam, & marito materteræ ſimiliter eius filiam ducere, quod quum expreſſè inhibeatur, apparet eandem eſſe vtrinque rationem, & propinquitatis, & honeſtatis: & illud, *Quia pudenda fratris tui ſunt*, nihil aliud declarare, quàm, *quia vxor fratris tui eſt.* Sicut autem illa eſt fratris vxor, ita & ille eſt ſororis maritus. Leuit. 18. 14. Leuit. 18. 16.

Baſilius in epiſtola ad Diodorum. ac proinde par fieret defuncto & defunctæ iniuria. Rectè igitur Baſilius hac ipſa de re ad quendã
ſcribens in hæc etiam verba erupit: *Illud*, inqoit, *Neu ingrederis ad vllum conſanguineum carnis tuæ,*
ad detegenda eius pudenda, hoc quoque conſanguinitatis genus (illud videlicet de quo nunc quæri-
mus) *comprehendit. Quid enim eſſe poſſit homini ſua vxore, vel potius ſua ipſius carne magis propinquum?*
non ſunt enim amplius duo, ſed vna care. Quare per vxorem ſoror eius tranſiit ad conſanguinitatem. Quē-
admodum enim vxoris matrem non accipiet, nec eius filiam, quoniam, nec ſuam matrem, nec ſuam filiam:
ſic nec ſororem vxoris, quoniam nec ſuam ſororem. Sunt enim in vtriſque communia cognationis iura. Iſtia
verò quo iure contradici poſsit ego quidem non video, ac proinde contendo, ea iure diuino non
magis licere fratris vxorem, quàm vxoris ſororem ducere. Cur igitur, inquies, in alia lege additur
hæc exceptio, ILLA VIVENTE, niſi vt intelligamus vna demùm ſorore mortua, alteram
ducere fas eſſe? Reſpondet Baſilius eadem illa epiſtola, non temerè ex eo quod ſcriptum eſt
colligendum eſſe quod ſcriptum non eſt. Et ſanè ita eſt, quoties ſaltem, id quod conſequi videtur,
Matt. 28. 20. vel abſurdum eſt, vel alio loco, ſiue expreſſè, ſiue tacitè damnatum. Promittit Dominus ſe Eccle-
ſiæ ſuæ affuturum, quandiu ſeculum hoc perſtiterit: an inde colliges, vel deſinente mundo abſutu
Matt. 1. 25. rum illum à ſuis, vel illud fruſtrà adiectum eſſe? Non cognouit Ioſephus Mariam quandiu præ-
gnans fuit, an ideò efficitur, vel illam poſtea fuiſſe à viro cognitã, vel illud fruſtrà expreſſum fuiſ-
ſe ab Euangeliſta? Cur ergo illud adiectum eſt? inquies. Nempe, mortuo fratre, abſtinendum eſ-
ſe alteri fratri ab ipſius vidua, ac viciſsim ex conſequenti mortua ſorore abſtinendum eſſe
alteri ſorori ab ipſius marito, in ſuperiore lege cautum erat; poſtea verò de alia quoque ſpecie,
nẽpe an ſuperſtiti vxori, ſororem ſuperinducere liceret, dicendum quoque putauit legiſlator. Et-
ſi enim tacitè colligi poſſe videbatur, ſi ne mortua quidẽ vxore, fas erat ſororem eius ducere, quã
uis abrupta per mortem omnis affinitas videri poſſet, multò minùs ipſa adhuc ſuperſtite id licere,
tamen quum & magna per ſe eſſet illius populi in ducendis ſimul pluribus vxoribus licentia, &
in hac ſpecie periculum eſſe videretur, ne quis expreſſo Iacobi exemplo abuteretur, expreſſè quo-
Matth. 19. 3. que id cauẽdũ Moſes iudicauit. Sed & quàm effrænis fuerit Iudæorum in repudiandis vxoribus li
Rabbi Solomon in Leuitic. 19. bido, vel ex illa quæſtione Ieſu Chriſto à Phariſæis propoſita plus ſatis liquet. Ideo ipſe Rabbi So
lomon, licet minimè ignarus à Iudæis aliter hanc legem intelligi & vſurpari, tamen arbitratus
eſt ſic demùm accipiendam eſſe, vt prohibeat Moſes vna ſorore ſuperſtite & repudiata, alteram
Auguſt. in Leuit. 61. ſuperinducere, quoniam videlicet repudiatę dolor hoc modo duplicaretur. Neque ab hac ſenten-
tia alienus eſt Auguſtinus, quæ tamen non ſatis firma mihi quidem certè videtur, quũ in ipſa lege
nulla prorſus fiat repudii mentio. Alia verò etiam fuit ſummi illius maximíque memoria noſtra
theologi D. Iohannis Caluini ſententia, nempe hanc legem ad inceſtuoſas nuptias, ac præſertim
ad germanę ſororis matrimonium nihil ſpectare, quum & de illis omnibus, & pręſertim de fratris
vxore & vxoris ſorore ſatis ſuperioribus legibus ſit cautum: ſed de vna Polygamia hîc agi, quæ ſic
vtcunque toleretur ob populi iſtius duritiem, vt tamẽ prohibeatur quiſpiam viuenti vxori ſuper-
inducere ſororem, id eſt, ex more loquendi Hebræis familiari, ipſius conſanguineam (quam ni-
mirũ alioqui ducere fas eſſet) ne hoc modo duplici animi ægritudine prior vxor afficiatur. Sic igi-
tur ad hanc legẽ reſponſum eſto, quam tamẽ à Iudęis ſic corrumpi, vt etiamnum hodie nulla ſit
ipſis religio duas ſorores viciſsim ducere, non eſt quod quiſquam miretur, cùm apud illos ne pa-
truus quidem à fratris, neque auunculus à ſororis filia dicatur abſtinere. Sed alia rurſum occur-
Deut. 25. rit, magis etiam, vt videtur, obſcura difficultas in hoc argumento de glore à ſororio non ducenda:
Lex illa nimirum Deuteronomii, qua frater non modò non prohibetur, ſed etiam iubetur fratris
abſque filio defuncti ſemẽ accepta ipſius vxore, ſuſcitare. Hanc igitur Deuteronomii legem cum
altera illa Leuitici, prorſus alioqui repugnante, ſic nonnulli conciliant (quorum etiam ſententiã
idem D. Ioh. Caluinus in locum illum Leuitici ſcribens, amplectitur) vt fratris nomine negent
Gen. 38. fratres germanos, ſed duntaxat conſanguineos (ex more Hebræorum) intelligi, & quidem eos
quorum nuptiæ non ſint interdictæ, quoniã alioqui inceſtus pręcipi videretur. Quòd ſi obiiciatur
Iudę exemplum, reſpondetur hac in re peccatum fuiſſe à Iuda, qui ea lege ſit abuſus: quæ etſi non
erat ſcripta, tamen veluti à naturæ ipſius æquitate dictata, iam in vſu erat, quoniam (opinor)
quæ in cuiuſpiam familiam tranſiiſſet, in aliã abnoberet, non niſi cũ prioris dedecore, vel ſui ipſius
ignominia poterat. Neque ſanè ambigi poteſt, quin lege illa excitandi fraterni ſeminis, quod alio-
qui extinctum iacebat, comprehenderetur quiſque vt proximus erat agnatus, ita vt eo id facere re-
cuſante, alius à proximo propior, & ſic deinceps alius alii ſuccederet, ſicut ex Ruthæ hiſtoria li-
quet. Verùm huic ſententiæ obſtant alia quædam maximi momenti. Primùm enim omnes He-
brææ linguæ periti affirmant, & exemplis quoque manifeſtis confirmant verbum, יבם, propriè de
leuiro vel glore, ſororio vel fratria dici, quod eleganter etiam expreſſum eſt apud Matthæum ver
bo ἐπιγαμβρεύειν. Itaque etiam ſi quod de illis propriè conſtitutum erat ad alios quoque propin-
quos accommodatur, non videtur tamen ſatis commoda eorum interpretatio qui eos excludunt
de quibus propriè lex ſit intelligenda.

Matt. 22. 23. Deinde, vt illam Iudæ & Thamaris hiſtoriam omittamus, durum ſanè videtur quæſtionem il-
lam Chriſto à Sadducæis propoſitam, de ſeptem fratribus, ſic explicare quaſi cognati duntaxat
Ruth 1. 12. inter ſe fuerint, & quidem iis gradibus intra quos ex legibus liceret vnam eandémque mulierem
ducere. Præterea verba illa Noemi ad nurus ſuas, *An adhuc intra me in vtero meo ſunt filij qui ſiant*
mariti veſtri? Reuertimini filiæ meæ, & abite: quoniam ſenior ſum, quàm vt virum habere queam: &
ſi dicere poſſem, eſt mihi ſpes, & potero hac nocte cum viro eſſe, pareremque filios, num expectabitis donec
creuerint? num expectabitis in eorum gratiam, vt maritum non habeatis? illa inquam, verba manifeſtè vi

dentur euincere germanos fratres illa lege propriè ſignificari: cæteros autem propinquos dũtaxat ex conſequenti. Quid ergo? nempe hãc legem oportet alterius illius generalis exceptionẽ eſſe (quod etiam exiſtimauit Auguſtinus) ſed quæ peculiari quadam ratione nitatur: ac proinde in exemplum trahi nec poſſit nec debeat. Diſtribuerat enim Dominus populũ illum non in tribus duntaxat, ſed etiam in familiarum capita, in quibus quum primogeniti dominarentur, familiæ ex illis cenſebantur, ne in infinitum excreſceret earum numerus. Itaque ſtatuerat Dominus, vt ſi primogenitus cò vſque vixiſſet vt, ducta vxore, caput familiæ eſſet, & habitantibus ſimul fratribus, id eſt (vt ego interpretor) adhuc expertibus cõiugij, abſque maſcula ſobole decederet, tum frater ab eo proximus, vt in primogenituram, ſic etiam in fratris demortui vxorem hæres eſſet, & ita quidem, vt liberi ex eo matrimonio ſuſcepti, de fratris illius mortui nomine cẽſerentur, vt ſic tegeretur illa inceſtuoſæ alioqui coniunctionis ignominia, quoniam frater ipſemmet quodammodo induebat extincti abſque virili ſobole fratris perſonam, ipſius etiam torum ingrediens.

Hoc tamen poſtremum ſæpe fuit ſpretum, naturalis patris nomine ſeruato, præſertim ſi, vel quòd alij fratres deeſſent, vel quòd ſibi quàm fratri liberos gignere nonnulli mallent, ad cognatos alioqui remotiores deuentum eſſet, vt vel ex vnius Ruthæ hiſtoria ſatis liquet, cuius filius Obed non Elimelechi, ſed ipſius Boozi filius nominatur: vnde etiam multæ in genealogiis texendis, ac præſertim Matthæo cum Luca, in genealogia Chriſti, cõciliando, difficultates ſunt obortæ. Hæc igitur fuit ratio (vt ad inſtitutum reuertar) cur quod alioqui inceſtuoſum fuiſſet, tamen à Domino ſit mandatum: quod certe nulla cauſa eſt cur hodie nonnulli ſuis prorſus damnandis libidinibus prætexant, quum neque iam valeat hæc ratio, diruta illa macerie quæ populum Dei certis finibus diſtinctum à reliquis ſeparabat: neque Dei Verbum illi habeant, ex quo nunc quoque valere iſtam ſingularem exceptionem colligere poſſimus. Stat igitur illa concluſio, neque leuiro fratriam (excepta tantùm olim ſpecie cuius modò mentionem fecimus) neque ſororio glorem ex iure diuino ducere fas eſſe. Itaque veteres hac de re Canonas, non vt ius humanũ, ſed vt ius diuinum prorſus amplector, ex verbo Dei nimirum deſcriptos.

Can. Apoſt. 19 Synod. Neocæſar. can. 2. Baſil. epiſt. ad Diodor.

Quòd ſi leges humanæ quæruntur, idem multò magis etiam liquebit. Nam quod ad ius Pontificium attinet, tantum abeſt vt hanc coniunctionem permittat, vt etiam ad ſeptimũ vſque gradum initiò, deinde verò ad quartum vſque, affines non minùs quàm cõſanguineos coniungi prohibuerit, ſed ita vt iſti ſuo more (ſicuti ſuo loco diximus, & porrò dicemus) culicem quidem excolarint, camelum autem, quoties libuit, deglutierint. Apud Romanos autem, quanuis ex illo Craſſi exemplo, & quadam Conſtantini conſtitutione colligi poſſit non inuſitatum fuiſſe, vt apud illos quoque frater duceret defuncti fratris viduam, tamen conſtat hoc fuiſſe poſtea expreſſis legibus prohibitum. Sic quoque Caius Iuriſcõſultus celebris docuit: & poſt Romani imperij inclinationem, hoc etiam iure vſi ſunt Alemani, Baioarij, & Franci, vt planè mirari ſubeat quoſdam hodie inueniri poſſe qui eiuſmodi flagitium, vt iure conceſſum, tueantur. Et de his quidem hactenus, ſi vnũ hoc addidero, quod non prætermiſit etiam Baſilius: conceſſo nimirum, vt duæ viciſſim ſorores ab eodem ducantur, magnopere perturbatum iri præcipuos cognationum gradus, quum idem futurus ſit pater, & materteræ maritus, id eſt, auunculus: eadem verò ex ſorore natis matertera & nouerca: aliis autem ex ſe natis, mater & amita: vtriſque denique fratres, & conſobrini: quæ ἀταξία vel vnica tanti eſt momenti, vt omnes ſani iudicij homines meritò ad damnandam eiuſmodi coniunctionem ſemper commouerit.

c. de propinquis, & c. progeniem, & c. In ſequenti. Luc. 15. q. 2. c. vlt. Extr. de Diuortiis. l. fratris. & l. vlt. C. de inceſt. nupt. Cod. Theod. libr. 3. tit. 12. Caius libr. Inſt. 1. tit. 4. §. Sed nec. Leg. Alem. tit. 40 §. 1. Leg. Baioar. tit. 5. Leg. Francor. lib. 9 tit. 4.

Et de his quidem hactenus, quorum hæc ſumma eſt: conſanguineos vxoris, eſſe marito pro conſanguineis, & contrà: ac proinde vt inter cognatos, ſic etiã alteri cum alterius conſanguineis, ſiue in recta linea, vel deſcẽdentibus, vel aſcẽdentibus, ſiue in tranſuerſa vel inæquali, vel æquali iiſdẽ prorſus regulis, nuptias prohiberi. Itaque legem illam Athenienſium cuius meminit Terentius in Phormione, & apud Demoſthenem expreſſam in oratione πρὸς μακάρτατον, qua videlicet cautum erat, vt orbam puellam duceret, aut dotaret qui genere proximus erat, aut interpretari de iis oportet quorum non eſſet inceſtuoſa coniunctio, aut potiùs, vt ipſi naturæ honeſtati repugnantem, reiicere.

Sed an affines vxoris ſunt marito ipſius affines, & contrà? vt, exempli cauſa, ſi mei quondam ſoceri vxor, non tamen vxoris meæ mater, ſed nouerca, fuerit & ſocero & meæ vxori ſuperſtes, an ego quondã gener illam poterit ducere vtpute quæ vxori meæ affinis duntaxat fuerit? Reſpõdeo, non videri quidẽ vllam hic eſſe propriè affinitatem, ſed tamẽ, quoniam ea quæ fuit vxori meæ nouerca, mihi fuit inſtar ſocrus, vtpote ſoceri mei vxor, prohibere honeſtatem quominus hoc matrimonium liceat. Itaque rectè de his ſtatuiſſe videtur Papinianus, his verbis: *Vxorem*, inquit, *quondam priuigni coniungi matrimonio vitrici non oportet: nec in matrimonium nouercam eius conuenire, qui priuignæ maritus fuit.* Vnde rectè colligit noſter Hotomanus, nec vxoris quondam ſoceri cum genero; nec mariti defunctæ nurus cum ſocru coniunctionem probari poſſe: quod etiam de vxore quondam ſororij & leuiri, fratriæ denique gloriſve mariti ſit conſtituendum. Eſt enim hæc regula vniuerſaliter vera, Cuius non licet inire nuptias, eius nec coniugis licet: quoniã videlicet vxor pars quædam mariti eſſe videtur: eſtque hoc de quo agimus longè diuerſum & à ſecundo & à tertio affinitatis genere, quod Canonici temerè excogitatum meritò poſtea abrogarunt.

l. 15 D. de ritu nupt.

Conſanguinei perſonarum quarum interuentu & copula contracta eſt affinitas, inter ſe coniugium contrahere non prohibentur, quoniam, vt antè diximus, ſubſiſtit graduum affinitatis prohibitio in iis qui ſunt ipſa affinitatis cauſa, ne in hoc conſanguinitatis ſimulachro, effectum cauſæ 4

c. quod ſuper his. de conſang. & aff.

latiùs quàm ipſa cauſa pateat. Itaque pater & filius matrem & filiam, & duo fratres duas ſorores ducere non prohibentur. Quia tamen in iſta permixtione ordo ipſe cognationis, cuius imago eſt affinitas, perturbari poſſet multis modis, vt ſi pater filiam, filius eiuſdem filiæ matrem duceret: ſi pater & filius duas ſorores: frater vitrici, priuignam fratris: filius ſororem ſuæ nouercæ: frater filiã vxoris fratris: fratris filius, matrem vxoris patrui: filius ſororis, matrem vxoris auunculi ducat, cuiuſmodi ſpecies etiã aliæ recenſeri poſſent: idcirco rectè quoque de his olim cautum eſt multis canonibus. Neque dubito quin, ceſſantibus Imperatoribus, & penè ruente cum Romano imperio orbe terrarum, Synodos ſæpe oportuerit his rebus multùm eſſe intentas, quarum multa decreta meritò fuerunt à piis Imperatoribus poſtea confirmata. Sed audacia illa quæ multos impulit vt quod verbum Dei generali perpetuáque regula laxauit, adſtringerent, quod reſtrinxit, laxarent: & manifeſta illa ambitio ad ſuam iuriſdictionem traducendi quod eſt Magiſtratuum proprium, ſanè eſt piis omnibus non minùs intolerabilis, quàm Magiſtratuum in his curandis ſegnities. Eiuſmodi tamen iam conſummata matrimonia temerè dirimenda, ego quidem pronuntiare nõ auſim.

Vide Can 54. Synodi ſextæ in Trullo.

An nudis ſponſalibus contrahatur affinitas.

Sed quæritur, An nudis ſponſalibus contrahatur affinitas: quod non vno modo cadere in controuerſiam poteſt. Quum enim (exempli gratia) matrem & filiam, aut duas viciſſim ſorores ducere prohibear, mortua ante nuptias ſponſa, ambigi meritò poteſt, num eius matri vel ſorori coniungi poſſim. Item, quum eam quæ fratris, vel patrui, vel filii vxor fuit, non poſſim vxorẽ habere, non temerè quæritur, an mortuo ante nuptias fratre, vel patruo, vel filio, aut alio quouis mihi intra prohibitos gradus cognato, ab eius ſponſa mihi ſit abſtinendũ. Reſpondent Iuriſconſulti non propriè ſic contrahi affinitatẽ, ſed tamẽ rectiùs & iure facere qui ab huiuſmodi nuptiis abſtineant: quod vt concedam, nihilominus tamen diſtinctione vtendum arbitror, ne ſummum ius hîc quoque ſumma eſſe iniuria deprehendatur. Sponſalia quippe certum eſt Iuriſconſultis nihil aliud declarare, quàm promiſſionem ſimplicem in tempus futurum conceptam, à qua vni recedere etiam abſque alterius conſenſu liceret. Quæ igitur hæc ſeueritas fuerit, obſecro, vt quum ne firma quidem coniugii obligatio inter aliquos extiterit, nedum vt re ipſa cõiugium initum ſit, ſtatim idem ius ſtatuatur, ac ſi verum ratúmque matrimonium inter quoſpiam interueniſſet? Velim igitur magnam quidem haberi honeſtatis rationem: ac proinde, ſi vel minima ſit ſuſpicio attentatum quippiam à ſponſo in ſponſa fuiſſe, cenſuerim non aliter quàm vt reipſa contracta affinitate ſtatuendũ eſſe: ſin minus, vt eos rectiùs facere cenſuerim qui non tantùm eius quod licet, verùm etiam eius quod expedit, rationem habent, ita minimè ſanè velim eiuſmodi ſponſalia vt inceſtuoſa, vel per ſe illicita, infringere. Sed quid ſi ſponſalia firma fuerint, id eſt, purè, & verbis in tempus præſens conceptis inita? Hîc verò demum aſſentiuntur plerunque Canonici Iuriſconſultis, propter publicæ honeſtatis iuſtitiam, vt ipſi loquuntur. Sed iidem quum libet, à ſeipſis diſſentiunt, vt qui ſponſalia de præſenti cum impubere facta habeant pro ſponſalibus de futuro, & tamẽ tradant, ſi quis à ſponſalibus eius receſſerit quam ſeptennis deſponderit, quod licet, non poſſe eius matrem ducere. Ego verò Auguſtini ſententiam ſequutus ab ipſo etiam Gratiano prolatam, arbitror illam mulierem non pertinere ad matrimonium cum qua commixtio ſexus non docetur fuiſſe. Nec obſtat quòd ſponſa in quibuſdam pro vxore cenſetur, quoniam videlicet etſi non re ipſa, at iure tamen vxor eſt, ideóque non magis ſponſam quàm vxorem cuiuſpiam ducere licet, quoniam duos ſimul maritos vna mulier habere non poteſt, & tanquam adulter punitur qui ſponſam alterius corrupit. Sed ea in re de qua nunc quærimus, quum ipſa ſanguinis commixtio potiſſimùm reſpiciatur, quam Moſes honeſte ſignificat detectionis nomine, non video quî eſſe debeat eadem nudorum ſponſalium, quæ conſummati matrimonii, ratio. Conſummatum autem matrimonium voco, quum ducta eſt vxor: neque bonos illos cœlibes Canonicos nobis ſequendos arbitror in iis arcanis peruestigandis, quæ tecta permanere multò præſtat, quàm curioſe atque adeò turpiter, vt ipſi faciunt, ea ſcrutari.

l. ſi qua. D. de rit. nupt. l. Seruius. D. de grad. adfi. & §. ſi vxor. Inſtitut. de nupt.

c. 11. 12. & 13. 27. q. 2. & c. 2. ſpõſalibus. Extra. de ſpõſalib. Vide c. literas, & c. duo. Extra, de deſpõſ. impub.

Leuit. 18. & 20.

c. extraordinaria. 35. q. 2. & ibi gloſſa ſanè turpis.

An quouis coitu contrahatur affinitas

Sed an ex alio quàm legitimo coitu, iuſto videlicet matrimonio, contrahitur affinitas? Reſpondeo, primùm ſi inceſtuoſo adulterio ſe polluat quiſpiam, vel iam coniux, vel verè ſponſus, nõ eam eſſe vim huius illegitimæ coniunctionis, vt propterea firma ſpõſalia dirimantur, aut verum matrimonium præcedens ſoluatur, (niſi pars offenſa ſeparationẽ poſtularit) vt ſi, exempli gratia, ſponſus vel maritus quiſpiam, matrem aut ſororem ſponſæ vel vxoris ſuæ corruperit, non propterea vel ſpõſalia dirimentur, vel matrimonium, quaſi affinitas cum matre aut ſorore vxoris per inceſtum ſit contracta. Sed quid ſi ſolutus quiſpiam (vt loquũtur) vel maritus, aut cum ſoluta quapiam ſit ſcortatus, aut cum aliena vxore, abſque inceſtu tamen, adulterium commiſerit? an propterea alteri ab alterius conſanguineis, vt in affinitate vero matrimonio contracta, fuerit abſtinendum? Mihi quidem ita omnino videtur, vt hîc quoque valeat quod de ſeruilibus cognationibus & affinitatibus Paulus Iuriſconſultus reſpondit: nempe in contrahendis matrimoniis naturale ius & pudorem inſpiciendum eſſe. Multò magis verò id intelligendũ eſt vbi de cognatione ipſa quæritur, quã certum eſt quouis quãtumuis illegitimo coitu contrahi. Hîc autem etiam operæpretium eſt conſiderare quàm rectè & ſapienter omnia noſtri Canonici.

c. 10. & 11. Extra, de eo qui cog. cõſ. vxor.

l. 14. D. de rit. nupt.

Affinitas, inquiunt, *poſt matrimonium iniquè contracta, putà ſi quis cum ſorore legitimæ coniugis ſit fornicatus, illi nocere non debet, quæ iniquitatis particeps non extiterit.* Rectè id quidem, vt & illud quod ex eo conſequitur, vt videlicet fides poſtulanti legitimæ vxori ſeruetur. Verùm quo iure tandem conſtituunt, vt ipſi inceſtuoſi abſque vlla ſpe vnquam ineundi coniugii permaneant, ſed ſemper continentiam ſeruare teneantur? an enim quia inceſtuoſi, idcirco continentiæ donum habent?

c. 10. De eo q. cog. cõſ. vxor.

c. 1. & 4. & 5. & 9. & 10. ibidem.

habent? Itaque illos potiùs decuit Magiſtratum ſeriò commonefacere, vt eiuſmodi homines iuſtis pœnis afficeret, & ſiquidem ille ceſſaret, matrimonio vel ſoluto, vel, ſi reconciliari pars offenſa malet, poſt legitimam pœnitentiam redintegrato, ad vitam meliorem miſeros peccatores cohortari, quàm vltrò animas ipſas Satanæ & carni vſtulandas tradere: quamobrem etiam paulò æquiores Canonici iſtam aliorum iniquam ſeueritatem improbarunt.

Iſtud verò longè abſurdiſsimum profectò videtur quod eſt ab Alexandro tertio reſponſum, vt ſi quis ſponſæ ſuæ non cognitæ matrem cognouerit, neutram habeat, ſed tamen cum alia poſsit contrahere: quòd ſi ſponſam vel ante, vel poſt matrem cognouit, non modò neutram habeat, ſed etiam ab omni ſpe vllius coniugii arceatur. Nam certè, vel illum pœnas luere oportuit, vel ceſſante Magiſtratu, aut cum ſponſa reconciliari, aut vbi Eccleſiæ ſatisfactum eſſet, illi non adimere quod omnibus dicit Apoſtolus, vt qui non poteſt continere, nubat in Domino.

c. ſi quis cum duab. 32. q. 2. c. 2. Ibidem.

Sed quid prætexent iſtis ſuis iniquiſsimis ſimul & ineptiſsimis decretis? fortaſſe Dauidis exemplum, qui decem ſuas concubinas ab Abſalomo conſtupratas quandiu vixit vinctas detinuit, neque vnquam attigit. Verùm in hoc exemplo quàm multa ſunt diſsimilia? Quòd ab illis poſtea Dauid abſtinuit, rectè ſanè fecit, & vix aliud ſuaderemus ei cuius vxor ſeſe inceſtu pollui ſiuiſſet: ſin minùs, ne ipſi quidem Canonici negabunt adulteram videri non poſſe cui vis eſt allata. De Abſalomo verò, ſi ſuperuixiſſet, quid conſtituturus fuerit Dauid, coniici poteſt ex hiſtoria. Nēpe ipſi peperciſſet indulgentiſsimus pater: quin tamen capitali ſupplicio dignus fuerit Abſalomus, ambigi non poteſt, quod etiam iuſto Dei iudicio luit. Hoc igitur Abſalomi inceſtuoſi exemplum nihil ad continentiæ votum ſpectat. Superſunt in hoc exemplo decem illæ concubinæ quæ propter inceſtum vinctæ manſerunt abſque vlla ſpe coniugii. Atqui præterquam quòd pro regulæ ſumi non debent quæuis, quantumuis laudatorum Patrum, exempla, de hoc Dauidis facto in vtranque partem iure diſceptari poteſt. Si in inceſtum conſenſerant, non rectè facit Dauid quòd in eas ex lege non animaduertat. Error autem alter ex hoc errore naſcitur, quòd ita parcit eorum vitæ, vt eas niſi continentiæ donum habebant, vſtionis periculo exponat. Sin verò non conſenſerant, cur eas ſaltē non plane repudiat, ſi retinere non placet propter facti in eas quantumuis inuitas admiſſi turpitudinem? an quoniam regiæ concubinæ fuerant, non ſatis tutum erat eas cuipiam elocari? atqui politica hæc ratio conſcientiam non potuit, aut certè non debuit pacare.

2. Sam. 20. 3.

32. q. 1.

Quid ſi igitur dicamus id factum ex earum conſenſu? nempe obſtabit quod narrat hiſtoria, vinctas fuiſſe, & in cuſtodia retentas. Itaque meo iudicio, in hoc facto conſtituendum eſt Deum, qui ſi hac ignominia vltus eſſet perpetratum aduerſus Vriam ſcelus, voluiſſe memoriam eius rei, quandiu illæ vixerunt, extare: ac proinde particulare hoc factum non eſſe ad imitationem trahendum. Neque verò dicitur Dauid eas perpetuæ cuſtodiæ pœna ſemel multaſſe, nedum vt ad votum continentiæ induxerit, vt iſti fieri volunt: ſed duntaxat eas tenuiſſe vinctas & ab eis abſtinuiſſe ad mortem quidem earum vſque, ſed proculdubio rationem ipſarum conſcientiæ, ſi neceſſe fuiſſet, habiturus. Deinde in tanta vxorum & concubinarum turba, probabile eſt conſueuiſſe euenire, vt illud vix poſſet locum in ſingulis habere, quod tamen eſt iuſti matrimonii proprium, nempe, vt vir non habeat ſui corporis poteſtatem. Quomodo enim vir vnus, vel libidinoſſimus tam multis ſufficere potuiſſet? Subiectas igitur & viro prorſus obnoxias eſſe oportuit pleraſque, præſertim concubinas, quas vir fortaſsis aliquot annis non attingeret: & quibus etiam niſi quum prorſus liberet, vti non teneretur. Hæc igitur incommoda neceſſariò cum Polygamia cohærentia iſtis, poſt tantum admiſſum ſcelus non prorſus noua, vel iniqua videri potuerunt. Idem autem certè in inceſtuoſos, alioqui monogamos, qui tamen non habeant cōtinentiæ donū, ex hoc Dauidis exēplo prorſus impari conſtitui nec poteſt, nec debet: etiāſi factum, iſtud vitio nō carere concederemus.

Sed an alterius ſponſi, vel coniugis morte tollitur affinitas ſuperſtitis cum defunctæ perſonæ conſanguineis? Iuriſconſulti reſpondent ſublatam quidem affinitatem videri, ſed manere tamen eandem prohibitionem propter publicam honeſtatem: quibus eò vſque aſſentior, vt etiam repudio vel diuortio interueniente, idem ſtatuendum exiſtimem. Soluto quippe vinculo quod plures familias copulabat, neceſſe quidē eſt ſeparatas fateri quæ prius erant coniunctæ, ſed ita vt coniunctionis memoriā adhuc vigere publica honeſtas iubeat. Sed & alio argumento ſolutā eſſe affinitatem liquet. Nam ſi verbi gratia, ſuperſtes gener meus aliam ducat, ea quanuis filiæ meæ ſucceſſerit, tamen eſt mihi extranea, ac proinde illam, ſi vidua fuerit, ducere non prohibeor: quanuis religioſi noſtri Canonici alterum hoc affinitatis genus eſſe voluerint, cui & tertium adiunxerunt, puta ſi vidua illa, mortuo illo qui gener meus fuit, alteri nupſerit. Sed bene eſt quòd ipſimet iſtius commenti authores poſtea fictitia hæc impedimenta ſuſtulerunt.

An ſponſi vel coniugis morte tollatur affinitas. l. 15. D. de rit. nupt. §. affinitatis, & §. ſocru. Inſtit. de nupt. c. de propinquis. 35. q. 3. c. porrò, ibidem.

Cæterùm quæ tum ante legem, tum ſub lege fuerit inceſtus pœna, ab ipſa videlicet naturæ honeſtate dictata, ex ſacris literis apparet: capitalis nimirum, qualis etiam initiò fuit apud Romanos, vt qui adulterium quoque capitis pœna ſæpe punierint. Sed inclinante paulatim hominū iudicio ad deteriorem partem, excogitatæ ſunt exceptiones, quæ iuſtiſsimas illas leges antiquas, inutiles redderent. Inde eò ventum eſt, vt capitalis pœna penitus ſublata ſit, nulla certè ratione, & magno cum totius Romani imperii dedecore, quum multò rectius eſſet illud quod apud Ciceronem ex antiquo iure refert Atticus, INCESTVM PONTIFICES SVPREMO SVPPLICIO SANCIVNTO. Sed de his viderint Magiſtratus quibus eſt gladii poteſtas commiſſa. Nos ea perſequimur quæ ſunt Eccleſiaſticæ iuriſdictionis propria, id eſt, quæ ad eorum munus ſpectant qui ex verbo Dei conſcientias ſibi commiſſas regunt.

De pœna inceſtus ante legem & ſub lege. Gen. 38. 24. Leui. 18. & 20.

Pœna inceſtus ſub poſterioribus Imperatoribus. l. ſi adulterium. D. ad l. Iul. de adult. l. ſi quis ince. C. de inceſt. nup. Ex auth. de inceſt. coll. 2. Coſtit. vlt. §. 1. Cic. de leg. 2.

In veteribus igitur Canonibus illud laudabile eſt, (videlicet ex Verbo Dei conſtitutum) quòd

Veteres Ca-

nones qua pœna inceſtuoſos afficerint.

inceſtuoſa ſiue ſponſalia,ſiue coniugia , (de his enim ſimul iam pridem in hoc argumento compendii cauſa diſſerimus) omnino dirimenda iudicarint , quod tamen indiget ea interpretatione cuius antea mentionem fecimus. Neque enim propriè dirimi dicitur quod nunquam ritè coniunctum fuit. Itaque & ſponſalia & coniugia huiuſmodi potiùs pronuntianda ſunt ipſo iure inutilia,& irrita eſſe, vt quæ ſponſalium & coniugii ſpeciem duntaxat habuerint. Sed & illud ex verbo Dei rectè conſtitutum & obſeruatum fuit,vt eiuſmodi flagitiorum rei (reos autem appello, qui ſcientes prudentes tale quippiam admiſiſſe legitimè conuicti fuerint) ex Eccleſia eiicerentur. Verùm quòd certum illorum pœnitentiæ tempus tam præciſè & tam diuturnum conſtitutum eſt,id ego verò neque in hoc flagitio neque in aliis probo. Nam ſi ne rum quidem reſipuerint quo iure illos receperis ? Sin verò citiùs quàm ſperari poſſet reſipuerint, cur diutius illos afflixeris? Deinde quum iſtiuſmodi temporum pręſcriptiones certum ſit aditum pateſeciſſe ductrioe ſatisfactionum & indulgeotiarum (ad quæ remedia neceſſariò deuenire multos coegit iſta veterum Canonum non ſatis profectò conſideratè inſtituta diſciplina) cauſa nulla eſt (opinor) cur iſta in vſum reuocentur. Quis enim eſt,obſecro, qui intra quod tempus Dominus ſit cuipiam daturus vt reſipiſcat,definire poſsit? reſipiſcētis verò peccata quo iure retinueris, quæ iam eſſe in cælis remiſſa meritò videantur? an vt publico Eccleſiæ offendiculo ſatisfiat? atqui optimè ſatisfactum eſt Eccleſiæ,vbi conſtiterit peccatorē reſipuiſſe, quod vnum præcipuè in iſto pœnæ genere ſpectatur: an verò potiùs,vt an ſatis ſeria ſit pœniteotia temporis ſpatio probetur? id verū etſi minimè negligendum eſt propter hypocritas,tamen quî poſsit præciſè certū temporis curriculo definiri, ego quidem non perſpicio. Itaque hoc tandem extorſit ipſa neceſsitas,vt arbitrariæ eſſent pœnitē-

c.tempora. 27.q.7. c. hoc ipſum 33.q.2.

tiæ quas vocant. Neque his obſtat quod ex Iſidoro refert Gratianus, de Aaronis & Mariæ pœnitentia ſeptem dierum. Cur enim ipſi ſeptem dies in ſeptem annos transmutarunt? & vix potuit ad deflendum peccatum illis præſcribi breuius temporis ſpatium : quomodo etiam accipienda ſunt ſpatia legalis impuritatis diuerſis temporibus definita,ſed admodum breuibus,vt conqueri nemo

1.Cor 5.5.& 2.Cor.2.7.

de ſeueritate potuerit? Itaque ſtandum potiùs fuiſſe iudico Apoſtoli doctrinæ & exemplo,qui quū de inceſtuoſo illo Satanæ tradendo præciperet , non vt periret (ſicut nonnulli perperam admodū interpretantur) ſed potiùs vt erudiretur : neque tempus vllum neque continentiæ perpetuæ votum præſcripſit (qui enim id faceret ?) verùm ſimulatque intellexit quantopere ipſum ſceleris admiſsi pœniteret , nihil antiquius habuit , quàm vt primo quoque tempore rurſus receptus ille triſtitia non abſorberetur.

De pœna inceſtus ſub Pontificio iure.

Noſtri verò boni Pontifices,ſeueri ſcilicet veterum Conciliorum & Canonum vindices, quid hîc tandem? Primùm quidem,ſicut ſuprà demonſtrauimus, vt ipſo numine religioſiores viderentur,in tranſuerſa cognationis & affinitatis linea, ad ſeptimum vſque gradum , prohibitionem nuptiarum protraxerunt, nouam etiam eámque ineptiſſimam & falſiſsimam graduum numerationem commenti. Deinde triplex affinitatis genus excogitarunt , & iis quidem additis rationibus

Vide c. fraternitas.35. q.10.

quæ vel ipſos lapides ridere cogant,nedum vt peccantibus lachrymas excutiant. Poſtea verò tandē coacti ſunt intra quartum ſuum gradum,ipſorum modo numeratum , id eſt , octauum, ſubſiſtere. Quorſum id verò? certè ſicut ipſe exitus oſtendit , vt quò arctiora vincula nexuiſſent,eò lucroſior eſſet eorundem relaxatio,vt,quemadmodum de ipſorum ſacris Sannazarius ſcripſit,

Vendere iure poteſt,emerat ipſe prius: ſic quoque ſcribere de iſtis Papæ interdictis planè liceat:

Nexuit ipſe prius.ſoluere iure poteſt. Quòd ſi fortè ſibi iniuriam à me fieri Cacolyci noſtri conquerentur, ſaltem mihi concedent (opinor) vt ad ſummos illos ipſorum Doctores mihi liceat prouocare. Legantur ergo quæ illi quàm copioſiſsimè de iſtiuſmodi,quas vocāt, diſpenſationibus ob-

Vide Caietanum in ſecundam ſecūdę, Thomę, q 154 artic 9

ſeruant,in 4. Sentent.diſtinct.34. Eorum autem doctrinæ,cuius vel Satanam ipſum pudere poſsit, hæc ſumma eſt: prohibitionem quidem inter aſcendentes & deſcendentes eſſe moralem ac perpetuam: alios autem gradus omnes,tranſuerſos videlicet,lege tantùm iudiciali prohiberi: hac, quum vnis Iſraelitis ſit perlata,nos minimè obligari niſi quatenus Eccleſia eos admiſit,cuius caput quum ſit Papa Romanus,fas illi eſſe iuſtis de cauſis (quaſi verò iuſtum quicquam eſſe poſsit quo diuinū ius violatur) leges illas relaxare. Hæc illi , additis etiam quibus id confirment exemplis , nimirum quòd fratres & ſorores initiò generis humani vnà ſeſe coniunxerint , quòd Abrahamus Saram ſororem ὁμοπάτριον, Iacobus duas ſorores, Amramus Iochæbetam amitam duxerit , fratres denique fratrum ſemen iuſsi ſint excitare. Mirum ſanè iſtos præterire potuiſſe vel quod Catullus & Ouidius de Magorum apud Perſas ortu, Lucanus de Arſacidis , & ipſe Tertullianus noſter de Perſis, vel Æmilius Probus de fratrum & ſororum apud Athenienſes nuptiis commemorant , & quæ ſunt à Ptolemæis in Ægypto palàm factitata. En quæ ſit iſtorum in ſeruanda matrimonii honeſtate ſeueritas,quorum ſpurcitiem quid attinet pluribus refutare? Certè quāuis inter inceſtuoſos cōcubitus alius ſit alio deteſtabilior,tamen ſi verum eſſet quod illi impudentiſſimè comminiſcuntur, prohiberi gradus illos iure quodam Iudæorum ciuili , non iure ipſo gentium ſiue naturæ, feciſſet iniuriam Cananæis Dominus, quum eos vſque adeò argueret omnium iſtorum ſcelerum , vt eos propterea mox extirpandos ac penitus delendos prædiceret, hac etiam addita comminatione, fore vt ſi Iſraelitæ illos imitarentur,eos quoque ſolum ipſum euomeret.

l. ſi adulterium.§.ſtuprum D. ad leg.Iul.de adult. Plato de legibus 8.

Quid quod prophani ipſi Iuriſconſulti hoc ius gentium eſſe apertè dixerunt, & Plato, iſtis certè,Chriſti ſcilicet vicariis,diuinior,palàm de his ita ſenſit? Libet enim totum locum ſubiicere, vt iſtos Cynædos Romanos quibus Philoſophi ſæpius quàm vlli Prophetæ vel Apoſtoli ſapiunt,tātò apertiùs coarguamus: ſic igitur ille,

Ὅτι περὶ ἀδελφῶν ἢ ἀδελφὰς τῳ φύονται καλοί, ἐγγ αἰεὶ υἱὸς ἢ θυγατρὸς ὁ αὐτὸς νόμος ἄγραφος, ὡς οἷον τε ἱκανώτατα φυλάττει, μήτε φανερῶς, μήτε λάθρα συγκαθεύδοντα, ἤ τινα ἄλλως ἀσπαζόμενον, ἅπτεσθαι τούτων. ἀλλ' οὐδ' ἐπιθυμία

τούτων

ταύτης τῆς συνουσίας τὸ παράπαν εἰσέρχεται τοῖς πολλοῖς. Id eſt, *Si cui ſoror aut frater formoſi fuerint, itémque de filio vel filia, eadem lex eſt non ſcripta. quàm maximè fieri poteſt cauendum ne quis vel palàm vel clàm, vnà dormiens, aut alia quacúnque occaſione illos ſalutans contrectet. Imò pleroſque ne vlla quidem iſtiuſmodi congreſſus cupiditas ſubit.* Excepiſſet Plato, ſi noſtris temporibus vixiſſet, Romanos ſaltem Pontifices, Alexandrum Borgiam, & Paulum Farneſium, ſi illos noſſet, vel certè potiùs inter homines non numeraſſet. Et mox. Οὐκοῦν σμικρὸν ῥῆμα κατασβέννυσι πάσας τὰς τοιαύτας ἡδονάς, τὸ ταῦτα εἶναι πάντως μηδαμῶς ὅσια, θεομισῆ δὲ καὶ αἰσχρῶν αἴσχιστα. τὸ δ' αἴτιον ἆρ' οὐ τοῦτ' ἐστί, τὸ μηδένα ἄλλως λέγειν αὐτά, ἀλλ' ἕκαστον ἡμῶν ἐκ γενετῆς ἀκούειν τε λεγόντων ἀεὶ καὶ πανταχοῦ ταῦτα, ἐν γελοίοις τε ἅμα, ἐν πάσῃ τε σπουδῇ τραγικῇ λεγομένῃ πολλάκις, ὅταν ἢ Θυέστας, ἤ τινας Οἰδίποδας εἰσάγωσιν, ἢ Μακαρέας τινὰς ἀδελφαῖς μιχθέντας λαθραίως, ὀφθέντας δὲ ἑτοίμως θάνατον ἑαυτοῖς ἐπιθέντας, δίκην τῆς ἁμαρτίας. Id eſt, *Vno igitur verbo omnes iſtiuſmodi voluptates reſtinguuntur, nempe ſi nefaria hæc eſſe dixerimus, & numini exoſa, atque adeò turpium turpiſſima. Huius autem certè vel hæc probatio fuerit, quòd nemo aliter de his loquatur, ſed noſtrũ vnuſquiſque à primo exortu ita ſemper & vbique de his rebus loquentes homines audiuerimus, tum in illis ludicris, tum ſæpenumero in illis magis ſeriis tragicis quæ vocant, quum Thyeſtas aut Œdipodas inducerent, aut Macareas aliquos ſororum conſuetudine clàm abuſos, mox ſibiipſis viſos mortem, quæ ninirum eſſet ſceleris ſui pœna, conſciſcere.* Hæc ille: quæ ſi quis cõparet cum illis Pontificiorum doctorum ſcriptis, quis tandem ſani iudicii vir non malit Platoni, quàm Romano illi fœdiſsimo ſcorto aſſentiri? De illis autem omnibus exemplis, quod ſit illorum pondus ſuo loco declarauimus. Iacobi verò factum ſi tantopere ipſis placet, age, quid tandem obſtat quominus Polygamiam apertè quoque concedant, & ita quidem vt duas etiam ſorores ſimul habere liceat, ſi modò pecuniam D. Sataniſsimo Papæ perſolueris? Sed hæc ſunt ſcripta fortaſsis à quibuſdam Paparum adulatoribus, ab ipſis autem Pontificibus minimè vſurpata. Imò verò quis ignorat illuſtriſsimas Europæ familias illis autoribus iam pridem fuiſſe iſtiuſmodi Romanis ſpurcitiis contaminatas? Sic Philippus eius nominis ſecundus Burgundiæ dux, patrum memoria, viduam ſui patrui duxit: ſic Ferdinandus Rex Neapolitanus amitam ſuam: ſic Emanuel Portugalliæ Rex, duas ſorores: ſic Catharina Angliæ regina, noſtra memoria duobus viciſsim fratribus nupſit, vt de noſtris temporibus nihil dicam.

Noui ego tres in Gallia nobiles, quorum vnus ſorores duas, alter fratris, tertius patrui viduam etiam num hodie apud ſe ex Pontificis Romani conſenſu retinet, ad quem refugerunt miſeri quũ in Gallicarum Eccleſiarum Synodo à noſtris nõ potuiſſent iſtiuſmodi flagitii approbationem obtinere. Quid plura? Martinus quintus, in præclaro illo Conſtantienſi Concilio electus, fratris cuiuſdam cum ſorore germana matrimonium ſcribitur comprobaſſe, quod an iure ſit factum adhuc inter noſtros Canonicos ambigitur. Itaque vt hæc omnia vno verbo concludamus, quæcunque anathemata iſti hypocritæ aduerſus inceſtuoſos crepant, mera ſunt ludibria, adiecta illa exceptione, niſi aliter Romano Põtifici, qui eſt ſupra omnes, videatur. Et quid eſt attollere ſe ſupra ipſum numen, ſi hoc non eſt? Itaque dictum illud Pauli de doctrina dæmoniorum, iſti filio perditionis quadrare comperietur, non modò quum prohibet, verùm etiam quum concedit matrimonia, vt omnibus modis ſit antichriſtus. At vos Reges & Principes Chriſtiani, quouſque tandem ab iſta fœdiſsima meretrice ſeptem montibus inſidente vos patiemini dementari?

Vide Concilium Romanum ſub Greg. ſecundo.
1. Tim. 4.

Iam verò nobis dicendum eſt de ſponſalibus clandeſtinis, id eſt, abſque eorum conſenſu factis, in quorum poteſtate ſunt contrahentes. Illa igitur quum Dei voluntati ac mandato, ipſíque adeò naturali æquitati ex diametro repugnent, Deo auctore conciliata videri non poſſunt, ideóque inutilia, & ipſo (vt loquuntur) iure nulla ſunt. Dicamus autem primùm de iure diuino. Honorem qui parentibus à liberis debetũr, æſtimandum eſſe ex parentum in liberos poteſtate nemo (vt opinor) inficiabitur. Liberos autem numeratos fuiſſe inter patrisfamiliâs bona ſeu fortunas, liquet ſaltem ex antiquiſsima Iobi hiſtoria, quum Satan, facta ſibi poteſtate omnes Iobi facultates perdendi, liberos quoque ipſius inuadat. Liberis igitur, ſeſe aliis mancipare, non magis quàm ſeruis licuit, niſi ex parentũ conſenſu: idque æquũ & honeſtum eſſe res ipſa clamat, quum liberi ſeipſos parentibus ſecundùm Deum debeant, ac proinde multò etiam meliore ratione in parẽtũ bonis habeantur, quàm vlli ſerui ſiue dominati, ſiue pretio cõparati. Quod autẽ ſub Lege nũ correxit Dominus, nempe vt patribus liceret, cogente nimirum egeſtate, liberos ſuos ad ſeruiendum diuendere, etſi eſt fortaſsis ex eorum numero quæ propter illius populi duritiem tolerauit potiùs quàm approbauit: arguit nihilominus ſummam ſemper fuiſſe parentum in liberorum corpora poteſtatẽ: vt & illud quod diu apud Romanos viguit, nẽpe vt patres in filios ius vitæ & necis haberent. Quòd ſi quæritur quippiã magis peculiare, & ad liberorum matrimonia propriè ſpectans, quid obſtat quin pro expreſſa lege habeatur, quod perpetuo in vſu fuiſſe liquet? Rebecca ſanè non niſi ex Bethuelis manu petitur & accipitur. Iacobus à Labane ſuas vxores ſumit. Eandem patriam poteſtatem inculcat Moſes, de virginis ſtupratore diſſerens, itémque de generis ac nuribus ex prophanis populis non accipiendis. Idem liquet ex Iſraelitarum aduerſus Beniamitas iureiurando. Sampſon quoque licet amore peregrinæ inflammatus, requirit tamen patris conſenſum. Thamar ex fratris ſtupratoris manibus euadere ſic conatur. Paulus agens de virgine vel elocanda, vel aſſeruanda, quod ius patrum eſſe voluerit in liberos manifeſtè oſtendit. Huic autem verbo Dei ſic aſſentiuntur veteres Patres, tum Græci, tum Latini, vt ne vnus quidem diſſenſiſſe comperiatur. Quid plura? Ipſi quoque Pontifices Euariſtus, Leo primus, Pelagius, Vrbanus, Nicolaus, non aliter iudicãt: Synodi quoque veteres eò vſque damnans clandeſtina coniugia, (inter quæ vel præcipua ſunt de quibus agimus) vt etiam ſcientes, præſentes, auxiliantes, excommunicationis ſententiæ ipſo (vt loquuntur) facto ſubiiciant. Leges autem ciuiles his de rebus & à veteribus Iuriſconſultis, & ab

De ſponſalibus abſque parentũ, vel eorum qui parentum loco ſunt, conſenſu factis.
Iob 1. 12 & 18
Exod. 21. 7.
Geneſ 24. & 27 & 28.
Exo. 22. 15. & 34. 12. 13.
Deut 24
Iud. 14. & 21.
2 Sam. 13. 13.
1. Cor 7. 38.
Euar. epiſt. 1. tomo Concil. 1.
Leo epiſt. 92 cap. 4. c. aliter legitimum, &c. no ſtrates, 30. q. 5 c. ſi verũ. 32 q. 2. Ambroſ. de Abrah. l. 1 c. 9.
Tertul. v. xor. libr. 2.
Baſil. ad Amphilo. epiſt. 2. c. 18. 40. 42.

Conc. Lateran. ub. In noc.3.ca.31. & alibi paſſim.cap tris legitima, 36. q.2.Syn Senon.c.37.

Imperatoribus ſummo conſenſu ſcriptæ, adeò vt ne vidua quidem, licet emancipationis libertate gaudeat, intra viceſimumquintum annum excipiatur, notiores ſunt quàm vt ignorari, clariores quàm vt obſcurari, ſanctiores quã vt iure aboleri poſsint. Quid obſtat igitur quominus eiuſmodi ſponſalia prorſus inutilia irritáque ſemel pronuntiemus? Imò etiã viduarum quæ iam ſui ſunt iuris ſponſalia clam parentibus inita, vt inutilia non ſint, tamen iuſtiſſima reprehẽſione nõ carẽt.

Sed quid ſi eiuſmodi ſponſalia coniugium ſit reipſa conſequutum? Certè ſi cauſa ſpectetur, cur prorſus irrita ſint huiuſmodi ſponſalia, (quoniam videlicet conſentire in ſui ipſius traditionem non poteſt qui ſui iuris non eſt) efficietur multo minus valere ipſum coniugium, vtpote in quo expreſsior etiam ac certior conſenſus requiratur. Diluenda ſunt tamen quæ in contrariam partẽ afferuntur. Sed hæc age in eum locum reiiciamos in quo de diuortiis diſſeremus.

An cogi poſſit cõſentire. Gen.24.57. Ambroſ. in 1.Cor.7. Vide 31 q.2. & c. honorari 1.32.q.2, & c. quum locũ. Extrà de ſponſ.l. 12. & 14. C. de nup. l. non cogitur D. de rit. nupt. l. 6. & 12. & 13 D. de ſpõſali us.

Oboriuntur autem hoc loco nonnullæ maximi momenti quæſtiones. An enim liberi coguntur iis in quorum ſunt poteſtate neceſſariò conſentire? Reſpondeo non cogi quidem; quoniam liber in primis, ac penitus voluntarius conſenſus in matrimonio requiritur: ſed tamen reuerentiam quæ parentibus debetur, & iis qui parẽtũ loco ſunt, hoc poſtulare vt ſine maxima cauſa ab iis nõ diſſentiant. Viciſſim autem æquum eſt vt parentes cum liberis ſuis agant moderatè, nec eos inuitos ad hoc vel illud matrimonium cogant. Quid ſi verò vel nõ ſatis inter parentes & liberos poſſit conuenire, vel parentes officium non faciant? Nempe tẽtanda hîc ſunt mitiora omnia remedia, expugnanda eſt patrum ſeueritas omni officii genere, cauendum viciſsim patribus ne abutantur poteſtate ſibi à Deo attributa. Quòd ſi nihil æqui potuerit alia ratione obtineri, tum ſanè adeantur Magiſtratus oportet? quorum etiam munus eſt, partim leges de his rebus quàm æquiſſimas ponere, partim veluti ſeſe medios interponere, vt neque violetur patria poteſtas, neque ab iniquis & tam dulci nomine indignis patribus liberi opprimantur.

l 19. D. de rit. nup. l 2 & 20 C. de nupt. An qui tacuit cõſenſit. l. 7 & 13 D. de ſpõſ. l 22. D. de ritu nup. Vide 31. q.2. c.6. & 13. & 14. & 21. & 28 Extrà, de ſpõſal. & c. 11. Extrà, de deſpõ. impube.

Sed an conſenſiſſe iudicandus eſt qui non diſſenſit? Nempe videtur æquitas hoc poſtulare, vt parentes, vel qui parentum loco ſunt, niſi expreſſè diſſenſerint, cõſenſiſſe videantur, quoniam nulla neque vis neque metus violenta ſuſpicio in ipſos cadit. De liberis autem, & in aliena poteſtate poſitis, etſi videntur idem ſentire Iuriſconſulti, tamen non poſſum idem ſtatuere, ſed hoc potiùs ſeruandum puto, vt, quoniam & patria auctoritas & ætatis imbecillitas facilè poteſt plenam voluntatis libertatem impedire, ipſa conſenſus expreſsio loco minimè ſuſpecto requiratur. Addo & illud, etiam ſi expreſſus fuerit conſenſus, tamen ſi pertinaciter negata fuerit copula, dignam tẽ videri de qua diligenter inquiratur, vt nulli niſi planè libero & voluntario conſenſu coniuges habeantur. Vbi autem interuenit copula, fruſtrà certè coactio à ſponſo prætexitur: neque de ſponſa aliter ſtatuendum videtur niſi fortè vim ſibi allatam, cui neque tunc neque poſtea vnquam conſenſerit, liquidò probarit.

De ſponſal. impuberum. 30. q.2. & c.7. & 8 & 9. Extrà, de deſpõſ. impub. Later. Concil. ſub Alex. 3, parte 6 Cano. 3. & 7 & 10. & 26. & 29 l 14. D. de ſponſal. Leo nouell. 109. c 4 & 5. Extra, de deſpon impub. c 7. & 13. Extra, eod. c. 1. & 10. Extrà, eod.

Verùm quid ſi ex parentum quidem conſenſu, aut etiam iuſſu, inita ſunt ſponſalia, ſed inter vtranque vel alteram ſaltem impuberem perſonam? Reſponſeo hæc ſponſalia nullius eſſe momẽti niſi poſtea nouo puberis facti conſenſu confirmentur, aut malitia ætatem ſupplente, concubitus interuenerit. Nec enim videri poſſunt conſenſiſſe qui qua de re agatur intelligere per ætatem nequeunt. Quia tamen inter infantiam & pubertatem, tanquam inter duo extrema, media quædam eſt ætas in qua nec prorſus expertes intelligentiæ, nec tamẽ ſatis intelligentes ſunt homines, ideo inter cõſenſum eorum qui planè intelligunt quid ab iis agatur in quorum ſunt poteſtate, & eorũ conſenſum qui ad res iſtas intelligendas penitus ſunt inepti, media quædam quaſi cõſenſionis ſpecies conſtitui poteſt. Hinc illa trium hominis ſtatuum diſtinctio, quam ſequutus Modeſtinus non vult inter minores quam ſeptennes fieri ſponſalia, quod etiam Leo Imperator cauit, & Alexander tertius reſpondit. Sed vtcunque ſit, iſtiuſmodi ſponſalia, quum, quibuſcunque tandem verbis vtaris, non poſsint niſi in futurum tempus fieri, plenè non obligant impuberem, niſi vbi pubes factus fuerit, alius conſenſus, vel tacitus, vel expreſſus, conſequatur. Interea verò dum pubertas expectatur, fateor non poſſe puberem à ſponſalibus cum impubere factis diſcedere, & affinitatem veluti iam pro contracta haberi, tantiſper dum quis ſit rei futurus exitus, tempus ipſum patefaciat. Probo & illud, vt intra pubertatis annos diſſentire non poſsit impubes, ſed pubertas expectetur. Verùm id quod reſpondit Honorius, puberem factũ omnino teneri adimplere quod ipſo impubere pater promiſerit, minimè probo: vt nec illud Vrbani reſponſum, attentationis nullum eſſe momẽtum, etiam circiter duodecimum annum factæ. Vt tamen ingenuè dicam quod ſentio, nõ ſatis prudenter facere mihi videntur qui eiuſmodi matrimonia tanto ante tempore præmeditantur, quorum quàm infelix plerunque ſit exitus, quodcunque tandem bonum publicæ pacis prætexatur, vtinam non poſſet tam multis & tam illuſtribus exemplis demonſtrari. Certe non minimam partem earum calamitatum quibus iactata eſt Europa abhinc annos octogiota (ne vetuſtiora commemorem) eiuſmodi intempeſtiuis coniugiis non minùs temere diſſolutis quàm callide conciliata fuerant, acceptam ferre oportet. Cæterùm patri licuiſſe ea iure Ciuili nuntium ſponſo remittere, manente in poteſtate filio, mirandum non eſt: quum ſponſalia in futurum tempus concepta, cuiuſmodi tunc erant omnia, præciſè neminem obligarent, nec magna tum eſſet religio ipſa quoque coniugia diſſoluere.

l in poteſtate, D. de ſpõ.

De ſponſalibus vi aut metu extortis. Ambroſ. in 1. Cor. 7.

Sponſalia quoque facta per vim vel metum qui in conſtantẽ virũ cadat, (qua de re paulò antè aliquid diximus) niſi ſubſequente altero libero cõſenſu rata habeantur, nullius momenti cenſentur. Etſi enim eiuſmodi promiſsio non eſt abſque aliqua cõſenſus ſpecie, & præſertim ſi iuſiurãdũ acceſſerit, etiam cum damno noſtro præſtanda videtur fides: tamen quia rectè iudicant ſapientes in hoc præſertim contractu, vt qui ſpopondit, cogi ad rem præſtandam poſsit, liberrimum conſenſum re-

ſum re-

ſum requiri:eiuſmodi promiſſiones,ſi de vi aut eiuſmodi metu bene cõſtiterit, inutiles eſſe ſtatuũtur. Grauiter tamẽ monẽdus eſt qui fidẽ dedit, videat etiã atq; etiã quo animi affectu id fecerit, ne in cõſcientiã peccet. Sed & illud obſeruandum eſt quod paulò ante dixi, nempe ſi ſequuta ſit copula, vel etiam attentatio, cui non reſtiterit mulier, fruſtrà vim aut metum poſtea prætendi. Itaque quod Ludouicus eius nominis x i i. Galliæ Rex filiam Ludouici x i. etiam poſt coitum repudiauit, ſoceri metum cauſatus, Iniquè à Pontifice conceſſum eſt, nec feliciter ipſi Regi ceſſit, ſine maſcula prole mortuo.

31.q.2. Si verũ, & de ſponſ. & Lothario. Pſal.15 c.2 & 14.& 15.& 17.& 20 Extrà,de ſpõſal. c 3 & 21. Extra, de ſpon.

In errore verò meritò ambigitur quid ſit conſtituendũ, quũ in errore nõ ſit cõſenſus, qui tamẽ liberrimus ac pleniſſimus, velut anima quædam eſt huius de quo loquimur contractus. Et hîc nõ ineptè Scholaſtici quatuor erroris ſpecies conſtituunt: vnum perſonæ, vt quum Lia pro Rachele ſuppoſita eſt: alterum conditionis deterioris, vt ſi ſerua comperiatur quam credideris liberam eſſe: tertium fortunæ, quum pauper eſt quæ dicebatur diues: quartum qualitatis, vt ſi capitoſa eſt quã morigeram eſſe aiebant. Deinde iidem diſtinguunt inter ea quæ in coniugio ſuſtinent rationem vel materiæ vel formæ, & quæ ſunt eiuſdem συμβεβηκότα. Materiam vocant ipſas perſonas, formam verò obligationem ipſam matrimonii: cætera intelligunt accidentium nomine. Poſtremò concludunt errorem in perſona vitiare ipſam materiã coniugii, nedum vt rata ſint eiuſmodi ſpõſalia. Errorem autẽ deterioris conditionis repugnare eiuſdem formæ, quum in matrimonio alter alteri ſuum corpus vtendum tradat, quod facere non poteſt ſeruus aut ancilla, qui corpus in poteſtate non habent: ac proinde quoties id eueniat, nulla eſſe ſponſalia, imò ne conſummata quidẽ matrimonia, ſi modò pars læſa reſcindi cõiugiũ poſtulet, & præſertim ſi dominus non conſentiat in manumiſſionem. In errore verò fortunæ, vel qualitatis, quoniã ea vel adeſſe vel abeſſe poſſint ſaluo matrimonio, rata eſſe volunt ſponſalia, quũ in re ipſa fuerit iuſtus conſenſus. Et hæc quidẽ quanuis mihi in genere rectè videntur conſtituta, tamen habeo quod hîc dicam. Nam in errore perſonæ, etſi non videtur vllus fuiſſe conſenſus, ac proinde irrita eſſe ſponſalia, tamen, ſi ſubſequuta fuerit copula, rectè facere ſentio qui Iacobi exemplum ea quidem in re ſequuti, ſummo iure non vtuntur. Quòd ſi tamen prorſus malæ conſcientiæ fraus interuenerit, ne magnopere quidem vrgendum ſpõſum vel ſponſam arbitror vt de iure ſuo quicquam remittat: quòd ſi etiam vltrò id faciat, dignam tamen arbitror nocentem perſonam quæ ſeuerè caſtigetur. Sed num alieni nominis ſuppoſitio errorem in perſona includit neceſſariò & ſponſalia vitiat? minimè profectò ſi de corpore conſtiterit. Sumamus autem pro exemplo illam ipſam ſpeciem de qua perperam prorſus meo iudicio, Innocen.3. reſpondit. Quidam omnia prius expertus vt honeſtam mulierem ad turpia pelliceret, tandem hac fraude vſus eſt, vt Ioannis nomen ementitus, his verbis eam priuatim deſponſaret, Iohannes te deſponſat: quo dolo illecta mulier imprudens, quum in illum quaſi ſponſum conſenſiſſet, ei copiam ſui fecit. Ille poſtea voluptate expleta, teſtatus ſibi nunquam animum fuiſſe illam ducendi, eam ſcilicet ludibrio habuit: iſta verò fidem ſibi datam petit præſtari. Reſpondet Pontifex non debere ea eo facto coniugium iudicari, quòd in eo nec ſubſtantia coniugalis contractus, nec forma contrahendi coniugium valeat inueniri, quoniam ex altera parte nihil præter dolum adfuit, & defuit omnino conſenſus ſine quo cætera nequeunt fœdus coniugale perficere. Ego verò ſi Magiſtratus eſſem, hunc nodum alio nodo expedirem, quo videlicet impurus huiuſmodi ſacri coniugii temerator, & honeſtæ mulieris corruptor ſtrangularetur. Quòd ſi, ceſſante magiſtratu, iudicandum fuerit de coniugio, non dubitarim firma eſſe ſponſalia pronuntiare. Primùm enim quod ad ſubſtantiam ipſam contractus attinet, quum verba ex communi intelligentia accipienda ſint, & mulierem illam conſtet non alium ſtipulatam quàm eum ipſum quem alloquebatur, is certè quodcunque nomen ſumpſerit, de ſeipſo reſpondiſſe meritò exiſtimabitur, etiam ſi quaſi de tertia perſona ſit loquutus, quod interdum fieri ex vſu ſolet. Conſtat igitur de corpore, ac proinde error nominis, præſertim quum non temerè, ſed dolo euenerit, ſtipulationem non vitiat: & æquitas ipſa docet magis ad mentem ſtipulantis, quàm ad mentem promittentis reſpiciendum, vt quid in re ſit æſtimari debeat, non quid ſenſerit promiſſor, præſertim quũ promittens ſeſe in dolo fuiſſe poſtea vltro fateatur. Deinde quod ad formam ſiue conſenſum attinet, quum mulier quidem bona fide in eum ipſum quem præſentem ſtipulata fuerat vt in ſponſum conſenſerit: ipſe verò quanuis falſum nomen ementitus, perſuaſum tamen eſſe mulieri voluerit ſe tanquam ſponſum ad eam accedere, non video cur non conſenſus vtrinque fuiſſe meritò dicatur, nempe ſimplex & rectus quod ad ſtipulantem mulierem, fraudulentus verò quod ad virum promittentem attinet. Hæc verò ſimulatio minimè certè debet reo deceptori prodeſſe quominus iudicium in inuitum etiam reddatur, & actori potius, id eſt, deceptæ mulieri ſit credendum. Denique illud rectiſsimè iudicatum eſt, vt quum reus dolũ adhibet, ex eo, quod actor intellexit iudicetur: & quoties in ſtipulationibus ambigua eſt oratio, id quo res de qua agitur in tuto ſit accipiatur. Et de errore quidem perſonæ hactenus.

Error perſonæ. Nominis ſuppoſitio. c.tua nos, Extrà,de ſpõſalibus. c.ex litteris, Extrà, de ſponſ. l.22 & 32.D. de verb.oblig. l.3.§ Si in nomine D. de cõtrah.emp. l. Si mihi & Titio § ſi ſtipulatus,D. eod. l.15. §.6 Stichum D.eod. c 9 & 13 §.ex his.22 q 5. l 80. D de verb.oblig.

Quod autem ad conditionis ſiue ſtatus errorem attinet, vt ſi ancilla erat quam ingenuam putabam, ſublatis, Dei beneficio, iſtiuſmodi inter nos ſeruitutibus, non eſt quod de hac re amplius laboremus.

Error conditionis.

Errore verò fortunæ, quam vocant, putà ſi pauper fuerit quam diuitem eſſe aiebant, etſi fateor ſponſalia in præſens tempus concepta non vitiari, vt neque ob dotem non ſolutam, neque ob alia eiuſmodi quæ ipſam ſponſalium ſubſtantiam vel formam, putà conſenſum, non reſpiciunt: tamẽ æquum eſſe dico vt eiuſmodi dolus & eccleſiaſtica & ciuili pœna caſtigetur: & ei qui deceptus eſt, actio in deceptores detur. Sin verò ſponſalia quidem in futurum tempus duntaxat & ſub cõditione facta ſint, ne in cõſcientiæ quidẽ foro videtur obligatus qui ſpopondit, niſi conditio impleatur.

Error in fortuna,& aliis qualitatibus. l.11 C. de repudiis. c 1 Extrà,de ſponſ. l. 22. D. de verb.oblig. c.3. Extrà.de cond.appoſ.

Si corrupta pro virgine deſpōſa fuerit, aut etiam ducta. 29. q. 1. Melanch. in tractatione De coniug. Deut. 22. 21.

Poſtremò in errore qualitatis excipio, ſi corrupta inneniatur quæ pro virgine fuit per errorem deſponſa. Tum enim ſponſum ad ducendam ſponſam cogi non poſſe arbitror. Scio tamen aliter Scholaſtieis videri, & alirer quoque pleriſque locis iudicari: ſed ius cōtrarium quo vtimur in hac Geneuenſi Eccleſia, auctoritate verbi Dei & rationibus, meo quidem iudicio, iuſtiſſimis, nititur: nec aliter etiam D. Philippus Melanchthon iudicauit. Primùm enim expreſſum eſt Dei verbum, eiuſmodi mulierem corruptam, ſeſe venditantem pro virgine, eadem lapidationis pœna poſt copulam puniens atque adulteram, ac proinde diuortium ante copulam multò magis concedens: idque fuiſſe in Iſraele ita vſitatum, vt probis & honeſtis hominibus religioni etiam eſſet, patefacto dolo, ad copulam ipſam progredi, manifeſtè liquet ea iis quæ de Ioſepho refert Matthæus, *Qui*, inquit, *quòd vir iuſtus eſſet, volebat clāculum Mariam dimittere*, quum alioqui iudicio poſſet cum ea, nō ſine ipſius infamia & periculo, experiri. Deinde ita expreſſè cautum eſt à Leone Imperatore, maximis de cauſis. Et certè huc trahi in argumentum poſſe exiſtimo quod in non diſſimili contractu emptionis reſpondit Vlpianus, nempe Valere quidem emptionem ſi ego me virginem emere putarem, quum eſſet iam mulier, ita tamen vt teneatur venditor, quanti intereſt. Statui enim hoc caſu valere emptionem propterea quòd damnum à venditore præſtari poteſt, res ipſa ſatis oſtendit. Quid fiet igitur vbi damnum neque æſtimari, neque ſolui poteſt, vt in hac de qua agimus ſpecie? Quis enim quid interſit inter caſtæ virginis & ſcortatricis mulieris coniunctionem vnquam æſtimauerit? nempe æquiſsimum eſt contraria ratione contractum irritum pronuntiari, & qui in tanto dolo eſt grauiſsimè puniri. Itaque in ipſa etiam emptione alibi idem Vlpianus apertè pronuntiat, ſi quis virginem ſe emere putaſſet quum mulier veniiſſet, & ſciens errare eum venditor paſſus ſit, redhibitionem quidem ea ea cauſa non eſſe, veruntamen ex empto competere actionem ad reſoluendam emptionem, vt reſtituto pretio mulier reddatur. Itaque ſi nec ſponte nec craſſa negligentia deceptum ſponſum conſtiterit, nec ſubſequutum ſit quippiam ex quo meritò præſumatur ſponſus cognitæ poſtea rei acquieuiſſe, neque perſuaderi poterit ſponſo vt iuri ſuo renuntiet, iudicare ſolemus in hac Eccleſia, cogi ſponſum ad conſummandum matrimonium non poſſe, quoniam in virginem duntaxat conſenſerit.

Mat. 1. 19.

Leo cōſt. 93.

l. alioqui. D. de contrah. emp. l. ſi ſterilis. §. quanuis. D. de act. emp.

l. 11 empto. §. ſi quis virginem. D. de act. empt.

Si prægnans fuerit pro virgine deſpōſ.

Quòd ſi etiam prægnans ex alio comperiatur, non modò non cogimus ſponſum ad eam ducendam, verùm etiam vel ducere parantem, ad tempus ſaltem, impedimus, quoniam ex alio prægnantem ducere, turpe ſanè, & in Chriſtiana Eccleſia intolerabile videtur: quum ne apud prophanos quidem id fuiſſe honeſtum vel ex eo liqueat quòd apud Terentium recuſat Pamphilus eam recipere quam ex alio grauidam putabat: & apud Euripidem, Creuſa, quæ grauida nupſerat, ab illa Pallade fingitur ſupplicio eripi. Et Suetonius duplex hoc Augusti facinus tanquam Romanis inuſitatum refert, quòd videlicet Liuiam à Tiberio Nerone marito, & quidem prægnantem abduxerit.

De furore ſpōſalia antecedēte vel ſubſequente.

Poſtulat quoque ratio, vt quum furentis nullus ſit conſenſus, inutilia ſint ſponſalia inter iam furioſas perſonas, aut vnam ſanæ mentis, alteram furioſam contracta: idque de perpetuo furore ſine exceptione verum eſt: in eo verò qui dilucida habet internalla, tum demum valet, ſi tum inſaniuiſſe conſtiterit quum ſponſio fieret: niſi, intermittente furore, antegreſſa promiſsio nouo conſenſu fuerit cōfirmata. Sed quid ſi ſponſalibus ſuperuenerit furor perpetuus? Reſpōdent Iuriſcōſulti non dirimi ſponſalia, ac proindè multò minus ſolui iam conſummatū matrimonium, niſi furor ſit prorſus intractabilis. Sed contrarium ſtatuit Leo Imperator, tum in ſponſalibus tum in cōiugio reipſa iam inito, addita tamen hac exceptione, vt maritus quidem furente vxore triennium vxor verò furente marito quinquennium expectet. Canonici inter ſe non ſatis conſentiunt. Ego de ſolis ſponſalibus nunc diſſero, in quorū diremptione Leoni prorſus aſſentior. Videtur enim æquitas, ratióque ipſa omnino flagitare, vt quum à perpetuò furente perſona neque ſacra benedictio peti, neque matrimonium ritè & honeſtè conſummari poſsit, rebus adhuc, quod ad corporū coniunctionem attinet, integris, eiuſmodi ſponſalia quæ ſortiri exitum numquam poſſent, velut auctore ipſo Deo perpetuum illud impedimentum obiiciente, dirimantur: & tamen tum vt de voluntate Dei liquidò conſtet, tum vt fidei datæ ſumma ratio habeatur, tentandis omnibus remediis commodum temporis ſpatium ſtatuatur.

l. 8. D. de ſpōſalib. l. 16. D. de ritu. nup. l. 22. § 8i maritus. D. ſol. matrimo. Leo conſt. 111 & 112. c. 25, & 26 32. q. 7. c. dilectus, Extrā. de ſponſ.

De paralyſi, frigiditate, exectione, & aliis corporis vitiis copulam impedientibus.

Quæ de furore diximus, valent ſimili prorſus ratione in iis omnibus impedimentis quæ alterā perſonam ad ſponſalium promiſſionem implendam prorſus inhabilem reddiderunt, cuiuſmodi ſunt paralyſis immedicabilis & quæ corpus prorſus eneruarit: frigiditas inſanabilis: genitalium partium vel priuatio, vel adeò inſignis læſio, vt perpetua coitus impotentia neceſſariò cōſequatur. Itaque ſponſalia cum perſonis eiuſmodi quopiam morbo iam affectis contracta, prorſus inutilia ſunt, quum ad matrimonium à Deo vocati videri non poſsint qui fidem in ſponſalibus datam præſtare, naturali obiecto vitio, nequeunt. Quòd ſi ſponſalibus factis, coniugio tamen nondum re ipſa conſummato, eiuſmodi malum ſuperuenerit, idem quod de furore ſentio, nempe vt eiuſmodi ſpōſalia, veluti Deo ipſo ſic iubente, dirimantur, vt qui obiecto perpetuo impedimento palàm demōſtret ſibi eiuſmodi ſponſalia non placere.

Canonicorū inconſtantia. Extrā, toto titulo, De frigidis c. quod autem, 27 q. 2. c. quòd autem. 33. q. 1. Later. Conc. ſub Alex. 3. parte 6. c. 24.

Ita quoque ſaniores Canonici cenſuerunt. Nam quod reſpondit ſiue Alexander tertius in Lateranenſi Concilio, ſiue Lucius tertius, vt apud Gratianum ſcribitur: Romanam Eccleſiam videlicet conſueuiſſe iudicare, vt quæ tanquam vxor haberi non poteſt, habeatur tanquam ſoror, iniquiſſimè fuit conſtitutum. Itaque rectiùs iam tum iudicabat hac de re Gallica Eccleſia, cui etiā idem Pontifex Alexander eodem concilio eſt aſſenſus. *Sicut enim* (inquit) *puer qui non poteſt reddere debitum, non eſt aptus ad coniugium, ſic quoque qui impotentes ſunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur.* Gregorius autem multis ante ſeculis iſtum Romanum abuſum paulò rectiùs

eſt inter-

eſt interpretatus, referente Gratiano, cuius decretum placet ſigillatim expendere. Primùm igitur conſtituit, *Vt qui frigida natura præditus, vxore vti non poteſt pro vxore, eam habeat pro ſorore*, id eſt, matrimonij nomine manente cum ea nihilominus viuat. Eſt autem hoc ſiue præceptum, (vtitur enim Alexander ſiue Lucius iudicandi verbo) ſiue, vt alij Pontificiorum erratorum belli excuſatores volunt, conſilium ex ea ineptiſſima & falſiſſima fabula ortum, quòd Apoſtoli ſuas quidem coniuges circunduxerint, ſed ab earum conſuetudine (re ſcilicet, vt iſti Cynædi volunt, impura,) abſtinuerint, neque aliter quàm ſorores germanas habuerint. Hinc ortus ille mos prætextu caſtitatis cuiuſdam angelicæ, ſecum habendi mulieres *ſyneiſaktous*, in quas multa decernere coactæ tandem ſunt veteres Synodi, & nominatim ſcripſit Chryſoſtomus. Et quid præterea iam tum inter iſtas ſorores ſanctimoniales & ſuos fraterculos, nonnullis etiam Eunuchorum opera ad vitandam ſuſpicionem abutentibus, ageretur, tum ex Cypriano, tum ex Baſilio magno apparet: tanti eſt momenti quicquam abſque Dei verbo in Eccleſiam inuehere. Sed vt ad rem redeam, ſi fortè placet vtrique continentia, quorſum tandem falſam iſtam matrimonii imaginem? Scilicet dabunt iſti nobis nouos Ioſephos, & nouas Marias, aut aliquos magno illo Auguſtino potiores, qui ne cũ ſorore quidem ſua ſibi putauit habitandum: quod idem ille Gregorius obſeruauit, *Quod ſi*, inquit, *retinaculum coniugale voluerint reſcindere, maneant vtrique innupti*. Id verò ſanè vtrique liceat, modò continentiæ votum excludatur. Quis enim veram continentiam damnet? Verùm quid ſi non placeat illis continentia? Hic verò prorſus æquum eſt quod decreuit Gregorius, nempe vt ei quidem qui ad matrimonium prorſus eſt ineptus (qua de re ex ſolenni iureiurando decernebatur) omne coniugium interdicatur, alteri verò ſi ita voluerit, alterius ineundi matrimonij fiat poteſtas. *Sed quod ſi poſtea frigidus etiam ille* (inquit Gregorius) *aliam copulam acceperit? tunc qui iurauerunt, crimine periurij teneantur, & pœnitentia peracta, priora cogantur recipere coniugia.* Id verò rurſus merè Papiſticum, id eſt, iniquiſſimum eſſe dico, niſi certæ & idoneæ diſtinctiones adhibeantur. Primùm enim, ſi frigidus iſte aliam rurſus mulierem fefellerit, qua ratione, quæſo, ſiue ipſum ſiue priorem vxorem ſpectes, prius matrimonium redintegrabitur, & quidem maxima cum eius viri iniuria qui vxorem illam iuſto repudio à priore viro ſeparatam duxerit? Deinde ſi verè ille frigidus erat, quorſum iſta periurii mulcta? Quòd ſi vel frigidum ſeſe ita ſimulabat vt & inſpectores & iudices fefellerit: vel poſtea contra omnem medicorum expectationem conualuit, quorſum iſta periurii pœna alii innocui comprehendentur, niſi eos quoque in culpa eſſe conſtiterit? Relinquitur ergo vt tum demum hoc valere videatur, quum iſtum qui frigidus putabatur, vel id ſimulaſſe, vel poſtea conualuiſſe probatum erit. Verùm ne tum quidem illa iure videntur decerni. Fuerit enim iſte adulter, ac proinde diſſolutum prius matrimonium, ſiue reuera non frigidus, ſiue poſtea ſanatus ad aliud matrimonium tranſierit. Nam ſi frigidus verè non erat, ſed odio vxoris, vel alterius amore id ſimulabat, adulter eſt manifeſtus, ad aliam tranſiens, & propriæ vxoris proſtitutor. Sin verò poſtea conualuit, repetere priorem vxorem, errore videlicet ſeparatam, oportuit, etiam ſi alteri poſtea eſſet coniuncta. Itaque ne iſtud quidem Gregorii decretum tolerabile in pleriſque videtur. Sed illud rectè omnino in iſtiuſmodi controuerſiis conſtitutum eſt, ne quid videlicet temere fieret quod mutari poſtea ſine magno offendiculo non poſſet, vt triennium ſaltem ab ipſo copulationis, id eſt, ductæ vxoris die expectaretur, priuſquam iſti morbi inſanabiles eſſe, & ſponſalia coniugiáue, vel inutilia, vel dirimenda pronuntiarentur. Hoc autem omnino de iis vitiis accipiendum eſt quæ per ſe non patent. Nam alioqui, vt in exectione, vel ſi quis naturæ vitio teſtibus, aut genitali membro careat, quorſum vllum temporis interuallum? Eiuſmodi verò Eunuchorum connubia probare non modò abſurdiſſimum, ſed turpiſſimum etiam fuerit, vt rectè & ſanctè ſcripſit Leo Imperator.

Verùm quid ſi altera pars corpore quidem ſana, mente verò imprudens, vel ſciens contraxerit eiuſmodi ſponſalia, vel, vitio poſtea deprehenſo, ius tamen ſuum non modò non perſequatur, verùm etiam ad nuptias vſque progredi velit? Reſpondeo, etſi non ſunt iſta, ſi lateant, nimiùm curioſè peruestiganda, tamen ſi de re eiuſmodi conſtiterit, intereſſe Eccleſiæ vt eiuſmodi ſponſalia primo quoque tempore vel inutilia, vel dirimenda pronuntientur, nedum vt nuptiarum benedictio petentibus etiam partibus concedatur. Primùm enim manifeſtum ſacri coniugii, adeóque totius Eccleſiæ ludibrium conſequi neceſſe eſſet. Deinde eiuſmodi vanæ coniũctionis ſpecie, quid aliud quàm turpitudinis velamen quæri poteſt? At enim, inquies, conſentiunt partes. quaſi vero violanda ſit ipſa coniugalis contractus, vt ita loquar, natura, quoniam priuati in id conſentiunt: aut quaſi non ſit veliis maximè ſuccurrendum qui decipi vltro volunt. Quid ſi verò præterea qui ſe cõfidebat altero carere poſſe, nimium ſerò ſentiat ſibi non conceſſum perpetuæ cõtinentiæ donum? Cæterùm ſi hæc mala matrimonio iam reipſa conſummato ſuperuenerint, quid ſit conſtituendum in tractatione de Diuortiis explicabimus.

Quid ſi verò vel ante vel poſt ſponſalia, matrimonio tamen nondum re ipſa cõſummato, morbus quiſpiam in altero deprehendatur, minimè quidem talis vt vſum corporis prorſus adimat, ſed qui tamen ſit inſanabiliter contagioſus, & ita turpis, vt alter merito ad alterius congreſſum exhorreſcat? Reſpondeo, vbi probè conſtiterit de morbo manifeſtè contagioſo & inſanabili, cuiuſmodi eſt elephantiaſis, ſponſalia prorſus, etiam recuſantibus id partibus, veluti Deo ipſo auctore, & eiuſmodi promiſſis intercedente, dirimenda. Hoc enim matrimonium quis tandem ea bona conſcientia impleuerit, quo vti non poſſit, quin & ſeipſum, & ciues cæteros perdat? quin denique liberos ad perpetuam miſeriam, & commune Reipublicæ detrimentum gignat? Itaque hoc non eſt dirimere quod Deus coniunxerat, ſed potiùs impedire quominus quod non ritè neque ex

c. Conſultationi. Extrà, De frigidis. Euſdem Lucii Cõc parte 50. c. 28. c. requiſiſti. 33. q. 1.

Cypr. libr. 1. epiſt. 11 Baſilius in libello de virginitate.

Greg. lib. 7. epiſt. 14.

c. laudabile, Extra, de frigidis.

c. fraternitatis, Extrà, de frigidis.

L. 10. C. de diuortiis. & nouella 22. § per cauſam & Auth. de nupt. § per occaſionem coll. 4. conſti. 1. & c. laudabilem, Extrà. de frigidis.

Leo pulcherrima conſtit. 98.

An expediendum vt pars ipſa de alterius vitio immedicabili conqueratur.

De morbis inſanabiliter contagioſis.

Dei voluntate coniūgi cœperat, vlterius progrediatur. Sed interea, inquies, quid ipſi fiet? nempe, ſanæ perſonæ fiet alterius matrimonii poteſtas: ægrotanti vero mandabit quidem Magiſtratus, vt ab omni coniugio abſtineat, ſimúlque prouidebit vt extra aliorum hominum cœtum commodè quod ſupereſt vitæ transigat. Eundem autem conſolabitur fidus paſtor, & hortabitur vt continentiæ donum ex fide poſtulet, quoniam certum ſit eum vocari ad cœlibatum cui Dominus ademerit matrimonii ex bona conſcientia exercendi poteſtatem. Sic autem fuiſſe diu factitatum etiam quum elephantiaſis, quam lepram vocant, conſummato iam coniugio, ſuperuenerat, colligi poteſt ex quodam Alexandr. III. reſcripto. Nam ſi ſana perſona non ſequebatur ægrotantem, multò minùs ſponſalia tenebatur implere. Sed hoc poſtea Pontifices, egregios ſcilicet ſeruandæ coniugalis fidei vindices, immutaſſe nemo mirabitur, qui Diabolico ſpiritu impulſos, atq; adeò humani generis hoſtes, in plériſque fuiſſe cognouerit, vt qui iam etiam leproſis ad matrimonium conuolandi poteſtatem faciant. Hoc tamen Cæleſtino III. minimè placuiſſe colligendum eſt omnino ex quodam ipſius reſponſo, quamuis incerta quadam & titubanti forma ſcripto. Quid ſit autē conſtituendū de elephātiaſi, aut alio eius generis morbo, coniugali copulæ ſuperueniente, ſuo loco dicemus.

Canonicorū inconſtātia. c. 1. Extrà, de coniugio leproſorum. Later. conc. ſub Alexan. 3. parte 38. cap. 2. Extrà, toto tit. de coniugio leproſorum.

Verùm quid ſi morbus contagioſus quidem non fuerit, ſed tamen inſanabilis, & ita turpis, vt alter alterius congreſſum meritò abhorreat? Hîc quidem ego (eiuſmodi videlicet vitio ſponſalibus ſuperueniente, (quoniam vix probabile eſt cognito priùs tali morbo inuentum iri qui ea conditione vti velit) cenſuerim vtrique conſulendum, vt iuri ſuo renuntiare vltro malint, quàm vlteriùs ad eam coniunctionē progredi, in qua vix ſit ſperandum illos commodè victuros. Huic autem conſilio ſi aſſentiantur, vel altera ſaltem perſona liberationem flagitet, non dubitarim ſponſalia veluti Deo quoque ipſo auctore, dirimenda, quoniam veriſimile eſt Deum iſtiuſmodi quoque coniunctioni intercedere: in quam ſententiam omnino interpretandum videtur Celeſtini tertii reſponſum, cuius ſuprà meminimus. Sin verò pergere vterque malit, tum ſanè, modò contagionis abſit ſuſpicio, minimè impediendos arbitror quominus coniugium etiam ipſum ineant.

c. 3. Extrà, eodem. Emſſē conc. parte 38. c. 1. c. quēadmodum, Extrà, de iureiurando. De morbis turpiſſimis.

Ob morbum autem quamuis diuturnum, tamen ſanabilem, vel ſuperueniens aliud incommodū, vt ſi claudus, ſurdus, mutus aliquis efficiatur, ſolui ſponſalia poſſe non videntur.

De morbis ſanabilib. & aliis corporis defectib.

Quid ſi verò qui vnam deſpondit, ad aliam vltro tranſeat? nempe res ipſa docet, quandiu rata fuerunt priora ſponſalia: non magis poſſe quempiam eſſe duarum ſponſarum ſponſum, quàm duarum vxorum maritum, quum eiuſmodi ſponſam, etſi non re ipſa, attamen obligatione eſſe coniugem, vel illud manifeſtè declaret, quòd in eum qui alteri deſponſam violarit, eadem ex Dei verbo, quæ in adulterum, pœna ſtatuitur: & ex illo quoque quòd Adamus traditam ſibi à Deo fœminam pronuntiauit, etiam ante copulam, eſſe os ex oſſibus ſuis, & carnem ex carne ſua, idque non modò communis naturæ & creationis fœminæ habita ratione, verùm etiam vel maximè propter coniugii vinculum, vt apparet ex iis quæ ibi ſtatim ſubiicit de matrimonii conditione. Itaque huc ſpectant quæ in Polygamiam ſuperiore tractatu diximus. Leges autem Ciuiles aliter de hac re ſtatuiſſe, niſi quum honeſtas prohibebat, ſicut in tractatione de affinitate diximus, nihil mirum eſt, quū ſponſalia apud illos neceſſariam obligationem non parerent. Canonici verò rectè quoque ſponſalia de futuro, quæ vocant, niſi ſubſequuta eſſet copula à ſponſalibus de præſenti, de quibus vnis hîc ago, diſtinxerunt: vt illa iſtis infringantur, addita nihilominus, ob irritam factam priorem fidem Eccleſiaſtica pœna.

c. ſi vxorem. 32. q. 5. De ſponſo vel ſponſa duorum. Deut. 22. 23. Gen. 2. 20.

Toto tit. Extrà, de ſponſa duorum. c. 2. & 22. Extrà, de ſponſ.

Agitatur & illud iampridem, An rata ſint fidelis cum infideli ſponſalia, quod duobus modis poteſt in controuerſiam incidere: vno, quum vtraque perſona ſponſalium tempore infidelis erat, poſtea vero altera ad veram religionem ſeſe conuertit: altero, quum ex duobus tempore ſponſaliū veram religionem profitentibus, alter ad hæreſim, ſiue manifeſtam impietatem eſt prolapſus. Reſpondeo, ſiue ante, ſiue poſt ſponſalia eiuſmodi imparitas inciderit, dirimi ſponſalia (ſi nihil aliud cauſæ obſtiterit) non licere, quandiu conſentit infidelis cum fideli habitare. Quoniam tamen & ex Patribus nonnulli, à quibus temerè diſcedendū non eſt, & Canonici aliter cenſent, etiam conſummato iam matrimonio: primum omnium confirmanda nobis eſt hæc ſentētia ex Dei Verbo, deinde illorum ſententiæ & rationes expendendæ: Dico igitur, quamuis magno næuo non careāt infidelium inter ſe coniugia, quoniam videlicet non fiunt in veri Dei timore ac reuerentia, tamē quum Dominus humani generis conſeruator hoc in animis hominum diſcrimen turpis & honeſti non aboleuerit, quo vagæ & ſpurcæ libidines à coniugali coniunctione diſcernuntur, vera etiam eſſe inter infideles ſponſalia, de quibus agimus, id eſt, inita verbis in preſens tempus conceptis. Si vera ſunt autem, conſequitur bona conſcientia dirimi multò minus poſſe ob alterius infidelitatem, ac proinde rata ac firma eſſe oportere. Hoc autem manifeſtè etiam patet ex Dei Verbo. Nam ſi ſcortatio vel ſtuprum hoc eſſet, vt [illegible] ſcribit Tertullianus, nunquam ſuaſiſſet Paulus vt fidelis vel tantillum cum infideli permaneret. Atenim, inquiunt, loquitur ibi Paulus de iā contractis matrimoniis quæ expedit non dirimi. Id ego verò concedo: ſed quis oſtendet Apoſtolum agere de iis duntaxat coniugiis quæ inter vtranque initiò infidelem perſonam fuerant contracta, ac non etiam de iis quæ iam fidelis quiſpiam cum infideli iniuiſſet? Quòd ſi iſta quoque cenſent adeò firma eſſe vt à fideli diſſolui non poſſint, efficitur certè valida quoque habenda ſponſalia, à quibus vinculum illud cœpit. Neque tamen nego quædam iam conſummata valere quorum alioqui irrita erant initia. Sed hoc dico obtinere tum demum, quum quod vero plenóque conſenſui deerat, per ſubſequentē copulam purgatur, veluti ſi quiſpiam impubes vel coactus vel per errorem ſponſalia cōtraxit, pubes autē factus, vel vltro cognito er-

De ſponſalibus imparibus, ſiue inter fidelem & infidelem initis.

1. Cor. 7. 13. & 14.

gnito errore poſtea deſponſam cognoſcat: id quod certè in hac quam tractamus ſpecie locum
non habet. Quòd ſi quis excipiat eundem Paulum prohibere ne quis iugum ducat cum infideli- 2.Cor.6.14. Vide 28.q.1.
bus, id quoque concedo, & quæ aduerſus eiuſmodi coniugia Patres paſſim detonant vehementer
probo, modò quidem emolliantur eorum hyperbolæ. Nego enim hinc effici vana eſſe ſponſalia,
quanuis inconſultò nec ſatis recta conſcientia fuerint contracta: ſiquidem multa optimo iure diſ-
ſuadentur, quæ tamen ſemel facta, diſſolui non poſſunt. Hæc igitur in genere noſtra ſententia eſt,
Verbo Dei planè, vt arbitror, conſentiens. Addidi autem exceptionem, NISI INFIDELIS
DISCESSERIT, quoniam ſi ne conſummato quidem matrimonio manet obligatio ſiue ſer-
uitus fratris aut ſororis, vt loquitur Apoſtolus, liquet multò magis id conſtituendum eſſe, quum
ſponſalia ſola interuenerunt. Sed tamen arbitror hîc eſſe multiplici diſtinctioni locum. Primùm
enim magnum eſt diſcrimen ponendum inter eum qui hæreticus ſit duntaxat, id eſt, qui ex Chri-
ſti quidem Eccleſia ſe eſſe profiteatur, ſed à vera Eccleſia in aliquibus dogmatibus diſſideat, &
eum qui Chriſtianam religionem ex profeſſo oppugnet, quales ſunt hodie Iudæi & Mahumetani.
Deinde quum non omnes ſectæ ſint eiuſdem momenti, inter ipſos quoque non tantùm aberran-
tes (quis enim eſt extra omne erroris periculum?) etiam errorem ſuum pertinaciùs tuentes, &
alios in ſuam ſectam pertrahentes, aut aliis eiuſdem ſectæ ſeſe adiungentes (cuiuſmodi ſunt hæ-
retici vocati) ſeruandum eſt hoc diſcrimen, vt non omnes eodem loco habeamus, quum non o-
mnes hæreſes eiuſdem ſint momenti. Præterea & illud tenendum eſt, pari periculo ſeſe non ex-
ponere qui nurus, quàm qui ſibi generos quærunt, quoniam vxores demum in familiam ac pote-
ſtatem maritorum tranſeunt, ac proinde illi quàm illi meritò videntur longiùs aberrare. Poſtre-
mò illud quoque obſeruandum arbitror, non habendam eam perſonam pro infideli quæ ſeſe ad
veram religionem tranſituram ita ſpondeat, vt ei meritò fides habenda videatur. His poſitis, con-
cludo ſequendam eſſe nobis Apoſtoli doctrinam, ac proinde tamen Eccleſiaſtica pœna dignos
videri (pro ratione tamen circunſtantiarum moderanda) qui cum aliis quærant coniugia, quàm
cum iis de quorum vera in primis religione ſatis conſtet: prudenter autem ac etiam Chriſtianè
prorſus facere Magiſtratus qui eiuſmodi ſponſalia facienda inhibeant. Addo etiam meritò pu-
niendos capitali pœna videri tanquam manifeſtos apoſtatas, qui iam plus ſatis patefacta Euange-
lij veritate, cum apertis eius hoſtibus, veluti cum Mahumetanis ac Iudæis, connubia contrahant:
qui Magiſtratus ſi officium fecerint, ſupernacanea videri poſſit de iſtiuſmodi ſponſalium vel ma-
trimoniorum vinculo quæſtio. Quominus autem ſimpliciter audeam pronuntiare ſponſalia eiuſ-
modi diſſoluenda, facit Apoſtolus, apertè præcipiens fideli ne ab infideli, quandiu in matrimonij 1.Cor.7.13. & 14.
officium (quod cohabitationem vocat) conſenſerit, diſcedat.

Nunc autem age contrarias rationes expendamus. Sunt enim qui nullo modo tolerandam hu- Obiectio 1.
iuſmodi coniunctionem arbitrentur: iique potiſſimùm nituntur lege illa toties inculcata, qua Iſ- Augu. de adul. coniug.
raelitis interdicitur connubium cum extraneis populis, tam ſeuerè quoque vindicata, vt Eſdras lib. 1. & De
iampridem etiam conſummata eiuſmodi matrimonia penitus diſſoluerit. Hîc igitur duo ſunt in ſermone Domini in mõ-
primis nobis conſideranda: Vnum, an interdictum illud ad omnes exteras gentes pertinuerit: al- te, lib. 1.
terum, an idem ſit hodie nobis ſine exceptione obſeruandum. Ac mihi quidem, quod ad priorem Exod. 24.11, & 18.
quæſtionem attinet, dicendum videtur, certos tantùm populos fuiſſe illa lege comprehenſos, eos Deut. 7.1, &
videlicet in primis quos Dominus exitio deuouerat, ac præterea Ammonitas & Moabitas pecu- 3.& 4, & 27.
liaribus de cauſis. Nec obſtat quòd videtur generalis cauſa interdicti, nempe ne viri à mulieribus, 1.4.& 1. Eſd 9.
aut mulieres à viris ad idololatriam abducerentur. Nam præter illam cauſam vniuerſalem ſunt Refutatio 1.
particulares à Domino expreſſæ, & remedium aliquod aduerſus illud malum afferri aliter etiam
potuit, nempe ſi priuſquam matrimonium contraheretur, perſona infidelis certum, quoad eius
fieri poteſt, teſtimonium edidiſſet ſe veram religionem amplecti velle. Habuit certe lex illa exce- Deut 21.
ptionem de muliere captiua quam ducere licuit. Cauſa verò cur captiuam potius quàm liberam
accipere licuerit, hæc videtur fuiſſe, quòd captiua iam quodammodo peregrina eſſe deſiiſſet, quum
inter victoris Iſraelitæ bona numeraretur. Præterea cautum erat, vt vngues reſecaret, comam ra-
deret, patrem & matrem per integrum menſem quaſi mortuos lugeret: quæ omnia dum fiebant
licuit & ipſi hero & ancillæ captiuæ deliberare de futuris nuptiis, ne quid eiuſmodi temerè fieret.
Deinde illa omnia huc ſpectabant, vt mulier eiuſmodi non niſi certiſſimo cum teſtimonio, quòd
& patriam & parentes velut prorſus oblita eſſet, admitteretur. Deinde ſunt qui negent legem il-
lam fuiſſe præciſè obſeruandam. Proferuntur enim exempla Salmonis principis Iuda, qui Rahab
ex Iericho duxit: & Boazi, qui Rutham Moabitidem cognationis iure accepit: itémque Sampſo-
nis, Dauidis, Solomonis, & aliorum. Sed huic ſententiæ non accedo. Nam quod ad Rahab atti-
net, non dubium eſt quin accenſa fuerit populo Iſraelitico ex Dei voluntate, propter beneficium
collatum in exploratores, & ratam eius fidem. De Boazo verò, etſi potuit prætexere Ruthã factã
eſſe quodammodo ciuem Iſraeliticam per prius matrimonium, nihilominus tamen reſpondere
malo aliquid etiam næui fuiſſe in illo connubio, quum ſatis conſtet, multas etiam alias Domini
leges conniuentia Magiſtratuum negligenter admodum fuiſſe ab illo populo obſeruatas. Sam-
pſonis autem & aliorum quantumuis excellentium hominum facta, abſit vt pro regula ſequamur,
nedum vt aliis vulgarium aliquot hominum commemoratis exemplis moueamur. Concedo igi-
tur eiuſmodi ſponſalia, imò etiam matrimonia iam conſummata poſt ſuſceptos quoque liberos,
fuiſſe ex Dei ordinatione non quidem repudio propriè dirimenda (diuortium enim ibi nul-
lum eſt, vbi nullum matrimonium fuit) ſed ipſo iure nulla pronuntianda: meritò denique (vt
ſcitè ſcribit Auguſtinus) quæ Domino prohibente ductæ eſſent, Domino iubente fuiſſe dimiſſas.

Refutatio 2. Sed, vt hoc demus, adhuc tamen ambigitur, an idem hodie nobis ſit in coniugiis imparibus conſtituendum, id eſt, quoties fidelis cum infideli ſponſalia contraxit, aut alter euaſit infidelis. Cur autem idem ſtatuendum videatur, ex eo colligitur quòd vniuerſalis & perpetua eſſe videtur ipſius legis ratio, nimirum ne infidelis fidelem à vero Dei cultu abducat, quod etiam videtur Paulus di-
2.Cor 6.14. ſertè confirmare, quum inquit, *Nolite iugum ducere cum infidelibus*, quibus verbis certum eſt includi etiam matrimonium. Reſpondeo hactenus eſſe nobis ſpectandam vniuerſalem illam cauſam huius prohibitionis, vt ex eo concludamus maximis periculis vltro ſeſe obiicere qui eiuſmodi coniugia ineunt, quod vnum Paulus illic reſpexit: ſed præcipuè obſeruandas eſſe peculiares cauſas quas hodie ceſſare res ipſa conuincit. Eam autem eſſe ſententiam Apoſtoli ipſemet declarat, quum ſi quid eiuſmodi factum ſit, iubet nos propter ſublatum illud diſcrimen populorum potius bene ſperare de lucrifaciendo infideli, quàm de fideli amittendo metuere.

Obiectio 2. Secundo loco profertur argumentum magni quidem in ſpeciẽ momenti, ſed reuera ἀργὸς λόγος, quamuis torrentis inſtar Auguſtinum extra viam abripuerit, nempe quòd deteſtabilius ſit crimen ἀσεβείας quàm adulterii: ac proinde æquum ſit exiſtimare multò etiam æquius eſſe, vt illa potius
Refutatio. quàm illo matrimonii nedũ ſponſalium, vinculũ diſſolui poſsit. Reſponſio verò facilis eſt, nẽpe non comparari inter ſe hæc crimina, vt vtrum ſit grauius coram Deo, diſpiciatur, ſed vt quod magis repugnat matrimonii naturæ, id longè grauiſsimum habeatur. Idololatra porrò atque adeò impius quiſpiam eſſe poteſt, & tamen maritus, quum matrimonium à ſcortatione inter ipſos etiam impios plurimum differat: adulter autem ſimul & maritus eſſe nemo poteſt. Itaque matrimonium adulterio, non autem impietate, diſſolui mirum videri non debet: & ratio illa planè vana deprehẽditur, quòd ad ſponſalium, nedum coniugii conſummati, diſſolutionem attinet, quum alioqui ad
Obiectio 3 huiuſmodi ſponſalia & coniugia diſſuadenda maximum pondus habeat. Huc enim feruntur illi ve-
Cypr. de lapſis. terum Patrum clamores, *Proſtituunt templa idolis. Quæ conſenſio lucis ad tenebras? Christi cum Belial?*
Hierony. in Iouinianum. *Redduntur illorum membra, quorum ſunt oſſa. Christiani hominis non eſt ab infidelibus coniugia petere:* &
Ambr. lib. 9. ſimilia huiuſmodi, commoda tamen interpretatione mollienda. Neque enim neceſſe eſt à Deo vel
epiſt. 70. mente vel corpore diſiunctum eſſe, cui vel, caſu, vel ἐκ πειράσεως etiam, contigerit cum infideli co-
Auguſt. de fide & oper. c. 18. pulari: cuius rei plurima paſsim extant in ſacris literis & ante Legem, & ſub Lege, exempla. Promulgato autem Euangelio quin eiuſmodi penè infinita acciderint dubitari non poteſt. Certè ſi
Refutatio 1. ſimpliciter illas Patrum ſententias accipiamus, falſum fuerit quod dicit Apoſtolus, permanendũ
2 eſſe fideli, quandiu conſentit eum ipſo habitare infidelis. Quis enim Spiritu Dei præditus ſuaſerit
3 cuipiam vt vel tantillum extra Chriſti conſortium maneat? Falſum etiam illud eſſet, ſanctos eſſe liberos ex impari quoque coniugio prognatos, niſi alter, licet infideli, quòd ad coniugalem copulã
4 attinet, coniunctus, tamen Chriſti membrum eſſet. Deinde ne illud quidem rectè diceret Apoſtolus, ſanctificari infidelem fideli, id eſt, legitimè & ex bona conſcientia licere fideli marito vti infideli vxore, & contrà: quoniam videlicet vnuſquiſque nõ ex alterius (niſi ſit criminis alieni ſocius)
5 ſed ex ſua ipſius conſcientia polluitur. Poſtremò, ſi membrum Satanæ fieret quiſquis infidelem habet ſiue ſponſam ſiue vxorem, quod diſcrimen eſſet inter ſcortationis & legitimi matrimonii ſponſionem?

Obiectio 3. Tertio loco, vrget illa Pauli verba Auguſtinus, *Reliquis dico ego, non Dominus*, ac ſi Apoſtolus ita ſignificaret nihil hac de re mandatũ eſſe, ſed liberũ eſſe fideli vel diſcedere vel non diſcedere: ſe tamen ſuadere, ac veluti conſilium, non autem præceptũ dare, vt fidelis ſpectet potiùs quid ex-
Refutatio. pediat, quàm quid liceat. Reſpondeo cum tanti viri pace, nulla protſus ratione, imò ne iuſta quidem coniectura niti iſtiuſmodi collectionem. Nam vbi tandem inueniemus in Verbo Dei, licuiſſe ob aliam quàm adulterii cauſam matrimonium diſſoluere? Spectare verò nos oportere non tantùm quid liceat, verùm etiam in primis quid expediat: imò verò nihil nobis in foro conſcientiæ, vt loquuntur, licet, niſi quo Dei gloria amplificari, & proximus ædificari poſsit: an eſt medium neſcio quod conſilium à probo & prudente quopiam profectum, quod vel ſequi vel repudiare fas ſit, ſe non potiùs Dei ipſius præceptum? Fefellit autem Auguſtinum fortaſsis illud quoque inter cætera, quòd hæc Apoſtoli verba: *Si infidelis diſcedit, diſcedat*, perinde accepit ac ſi verbum illud, *diſcedat*, ad fidelem pertineret, vt ſit hæc ſententia huius loci: Si diſcedit infidelis, fas eſſe fideli vt viciſſim diſcedat. Atqui res ipſa, adeóque grammatica σύνταξις poſtulat, vt ὁ ἄπιστος repetatur ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, & ſit hic ſenſus, Si diſcedere vult infidelis, ſiue (vt antea dixit Apoſtolus) ſi cohabitare recuſat, ſanè diſcedat ipſe, & ſua inſania fruatur: eiuſmodi autem perſonæ deſertrici maritus vel vxor fidelis nõ ampliùs adſtringitur.

Obiectio. 4. Itaque illud Auguſtini dilemma, quo videtur Pollentium, ad quem de hac re ſcribit, irretire plenè concidit. *Iubet fideli Dominus*, inquit Auguſtinus, *ne infidelẽ dimittat, an non iubet? Si dixeris, iubet,*
Refutatio. *reclamat Apoſtolus, Ego dico non Dominus. Si dixeris, non iubet, cauſam requiro.* At ego planè reſpondeo, iubere: & nego reclamare Apoſtolum. Nam ſi quid loquatur Apoſtolus, quod non loquatur Dominus, iam non eſt ei credendum, quia non Apoſtolus. Minimè igitur voluit Paulus aliquid de ſuo extra Dei mandata depromere, quod facere ipſe nec voluit, nec potuit, nec debuit: ſed ea
1.Cor. 7.10. quæ diſertè & ſpecialiter à Domino expreſſa fuerant, (ſicut illud, *Vxor à viro non diſcedito*) ab iis diſtinguere quæ per ipſum demum Dominus ſignificabat. Quorſum autem hoc? inquies. minimè profectò quaſi hæc minùs eſſent à Deo quàm illa: ſed primùm quidem vt calumniatoribus anſam præcideret, qui obiicere alioqui potuerant ipſum aliquid Chriſti verbis affingere: deinde verò, vt auctoritatem ſui Apoſtolatus aſſereret, ac ſi diceret, De reliquis fateor quidem non extare Domini mandatum totidem verbis expreſſum, ſed ego, vt ipſius Spiritu præditus Apoſtolus, hoc dicere non du-

non dubito, *Si quis frater vxorem habeat, &c. ne dimittat eam.* 1. Cor. 7. 12.

Alias præterea duas cauſas affert Ambroſius, nempe quòd non commodè nec ritè poſsit eiuſmodi impari coniugio benedici, neque communes preces inter iſtiuſmodi coniuges haberi: quòd vtrunque ita eſſe concedo, ac propterea peſsimè ſibi conſulere qui talia coniugia ineant. Nego tamen inde conſequi licere iſta ſponſalia dirimere, niſi fidelis ab infideli deſeratur, quod etiam Ambroſius non videtur ſenſiſſe. Et hæ quidem præcipuę ſunt eorum Patrum, ac præſertim Auguſtini, rationes, quibus adducti ſunt vt fideli ab infideli diſcedere liceret. Sed non eſt, opinor, cur eis hac in re aſſentiamur. Obiectio 3. Refutatio.

Nunc verò Synodorum etiam hac de re ſententiam ad Verbi Dei normam exigamus. Veteres igitur Synodos maximè probo, vt quæ ſeparationis non meminerint, ſed duntaxat eiuſmodi coniunctionem condemnent, vt quæ abſque Eccleſiæ iuſto offendiculo, atque adeò abſque alterius partis inſigni periculo non contrahatur, quod ſanè non modò rationi, verùm etiam ipſi Apoſtolicæ doctrinæ conſentaneum eſt. Imo & illa moderatio quam adiiciunt, æquiſsima eſt: nempe, vt liberos dare quidē nuptum non liceat, ſed accipere potiùs ſi futuros ſeſe Chriſtianos profiteātur. Synodorum ſententia. Laod. cano. 10. & 31. Chal. 14. Carthag. 24.

Recentior autem Synodus ſexta Conſtantinopolitana, circiter annum Domini 680 duo conſtituit. Vnum, vt ſi orthodoxus hæreticam duxerit, vel hæretica orthodoxo nupſerit, irritæ ſint nuptiæ, & nefarium coniugium diſſoluatur, atque adeò qui tale quippiam commiſerit, ſegregetur: alterum, vt ſi ex duobus infidelibus (legitimè tamen coniunctis) vnus quidem fiat orthodoxus, alter verò in errore permaneat, modò fideli placeat cum infideli cohabitare, non ſeparentur. Quid ſi verò fideli coniunctio non placeat? nempe fiet ſeparatio ex hoc canone, vt disertè ſcribit Balſamon, prolato etiam cuiuſdam Baſilii Buccinatoris exēplo, qui ex Patriarchali decreto fuerit poſt baptiſmum à ſua infideli vxore ſeparatus. At ego non poſſum huic Synodo aſſentiri, quum ſine diſtinctione loquatur Apoſtolus prohibens fideli diſcedere ab infideli, & fidelem fratrem aut ſororem tum demum liberans quū prior diſceſſit infidelis. Itaque verbo Dei repugnat hoc decretū, 2 in eo etiā Apoſtoli verba manifeſtè deprauans, quòd quum ſcripſerit Paulus, *Si infidelis conſentiat habitare cū fideli,* iſti ſcribūt, *Si fideli placeat cum infideli cohabitare:* ac proinde falſarii hac in re deprehenduntur, quum iſta duo ſint prorſus diuerſa, cōtrà quàm Balſamon credidit, interpres certe nec acutus, nec in pleriſque diligēs. At ecce recens illud, & adhuc calens cōcilisbulum Oecumenicum Tridentinum fortaſſe controuerſiā iſtam dirimet. Sic enim decernit: *Si quis dixerit propter hæreſim diſſolui poſſe matrimonij vinculum, anathema ſit.* Fulmen certè terrificū, niſi plus ſatis notus eſſet Tarpeius ille Iuppiter: placet enim παρέργως nonnihil commemorare, quod nō eſt ab hoc noſtro inſtituto prorſus alienū. Vibratum fuit fuliginoſum hoc fulmen Tridentinum anno Domini 1563. illis ipſis Bacchanalibus quæ Martinalia vocāt, bonis Patribus nimirum edicto illo de pace, quo ciuile bellū Gallicum aliquot antè mēſibus ſopitū erat, non minùs quàm vallis Tellinæ vino inflammatis, ac proinde cū illa ſua ſplendida bile temerè in ſeipſos anathemata iaculantibus. Seipſos enim profectò feriunt, ebriorum inſtar, quum ſic loquuntur. Sed ne quis fallatur, fiunt iſta per ludum & iocum. Etenim anno vno & altero præcedente Sataniſſimus ille ipſe Pater, Pius IIII. miſſo in Galliam legato Ferrarienſi Cardinali qui præclara Turnonii cœpta perficeret, hoc vnum agebat in primis deſtruendo Eccleſiarum Gallicarum ædificio, vt primum à Gallorum Rege ipſiúſque fratribus pueris principem, partim quidem commentitii Sardiniæ regni propoſita imagine, ludificaretur, partim verò promiſſo cum præſtantiſſima heroina ac regina, ſed parum illi grata coniuge, diuortio, vnà cum regni alterius omniúmque ipſius bonorum, quaſi hæretica eſſet, in ipſum transferendo dominio, addita etiam alterius ſtatim ducendæ reginæ pactione, ad ſuas partes traduceret. Hæc enim fuerunt tria illa retia quibus princeps ille, alioqui minimè malus, quorundam fraude ita miſerè fuit circumuētus, ſummo cum bonorum omnium luctu, & maximo Gallici regni detrimento, vt tandem pro tribus regnis imaginariis ſtipendium illud vnum nimis verè ſit nactus quod ſolet Romana meretrix amaſiis ſuis perſoluere, mortem nimirum quæ & ipſa eſt peccati merces. Itaque vno fere eodémque tempore Papa quidem ipſe, ob hæreſim ſcilicet, reginam illam à ſuo marito dirimere iniquiſſimo diuortio tentabat, ipſius autem emiſſarii anathemata in eos ipſos crepabant qui tale quicquam fieri poſſe dicerēt: fortaſsis vt par pari referrent ſextę illi eidem Synodo quæ Romanam eccleſiam alio canone non minùs iuſtè quàm ſeuerè reprehendit. Sed ad rem redeo. Tridentina hæc anathemata temerè in omnes de re quauis diſſentientes vibrata, non eſt quòd quenquam magnopere cōmoueant. Verùm, quod ad rem ipſam attinet, fateor mihi probari illorum ſententiam, vt cum Verbo Dei congruentem, nempe propter hæreſim dirimi ſponſalia, nedum coniugia, non debere. Quidni enim inter tot errorum portenta, hoc rectè dictum bonis illis Patribus exciderit, quum & ipſa dæmonia Ieſum eſſe Chriſtum Dei (ita vt erat) verè pronuntiarint? Sed tamen ſic quoque fortaſſe pluſculum ipſis tribuo quàm deceat. Quid ſi enim nouā aliquam hæreſeos definitionem excogitent? quid ſi vinculum matrimonii à iure thori diſtinguant, vt ſe non aliud ſentire quàm ſuos maiores doceant? Age igitur illos mittamus, donec ſuam ſententiam, ſi videbitur, plenius explicent. 8 sextę Synodi can. 72. Obiectio. 4. Refutatio 1. Tridentini concilii ſententia capeſſa. Tridentin. conc. ſeſſ. 24. can. 5. Sextę Synodi can. 35.

Nunc ad Canonicos noſtros Rhapſodos venio. Gratianus hac de re diſputans citat Eutychiani Papæ decretum, quo conſtituitur, *vt ſi quis gentilis gentilem vxorem dimiſerit ante baptiſmum, poſt baptiſmum ſit in ipſius poteſtate eam habere vel non habere.* Hoc verò decretum gloſſator de certa tantùm ſpecie intelligit, nempe ſi propter adulterium ſit factum diuortium: idque rectè. Nam alioqui vniuerſaliter de quouis diuortio intellectum, iniquiſſimum eſſet: ſi quidē hominis eſt ad Chriſtianiſmum accedentis, veram reſipiſcentiā teſtari, ac proinde non rectè facta, ſiquidem adhuc eſt Vxor infidelis ab infideli repudiata, an ab eodē poſt baptiſmum repetenda. c. 2. 28. q. 2.

integiú,corrigere. Ergo ſi iure poli(vt loquuntur)nõ potuit qui tũ gentilis erat,ſiue ſpõſam ſiue
vxorẽ ſuã reiicere,eõque poſtea Chriſtiano facto res adhuc eſt integra: certè non minùs tenetur
quantum in ſe eſt eam quam iniuſtè eiecit recipere,quàm aliquid furto ablatum reſtituere: nec ali
ter ad Chriſtianiſmi profeſſionem admitti debet,quàm vel id fecerit,vel ſe facturum ſeriò ſpopõ-
derit. Res autem tunc eſt integra quum neque illa aliteri nupſit, neque ipſe aliam duxit. Tunc
Ierem.3 1. enim quod factum eſt infectum fieri non poteſt,vt cautum eſt Dei verbo.Quòd ſi vxor adhuc gẽ-
tilis maritum à quo reuocatur,audire noluerit,vel contrà, tunc ſanè ſtatuendum erit quod ait A-
poſtolus,nempe deſertam perſonam ei à quo deſerta eſt amplius non adſtringi,quod idem Euty-
chianus rectè ſequente canone ex Apoſtoli ſententia decernit.

Obiectio 7. c.4.5.6.&.9. Ibidem. Deſcribit eodem loco Gratianus (ſed non ſatis bona fide omnia, vt apparet ex eo quod de-
promit ex libro de fide & operibus)aliquot ex Auguſtino deſumpta teſtimonia quorũ hæc ſum-
ma eſt,licere fideli deſcedere ab infideli, quamuis qui ſpe lucrifaciendi infidelis non diſcedit, re-
Refutatio 1. ctiùs faciat.Sed hanc ſententiam modò mitigat,modò duriſſimè pronuntiat Auguſtinus,non ſatis
profectò ſibi hac in re conſtans,vt qui interdum addat conditionem,putà ſi fidelis cogatur ab in-
fideli ad idololatriam: interdum verò in genere, & quidem adhibita graui comminatione, iubeat
maritum diſcedere ab ea quæ ſimulachrum facit:& admonita pœnitentiam non agit:*Sin minùs*,in-
quit,*& tu particeps eris peccati illius*:nonnunquam autem longiùs etiam excurrat, adeò vt eo Chri-
ſti verbo ex quo propter fornicationem diuortium conceditur,velit præter adulterium, non mo-
dò idololatriam,verùm etiam auaritiam.atque adeò quaſlibet concupiſcentias intelligi,*quæ animã*
2 *corpore malè vtentem*,inquit,*à lege Dei aberrare faciunt*. Atqui nihil tale dicit Apoſtolus, nec vſquã
concedit fideli ab infideli diſcedere, ſed tantùm dicit fidelem deſertione infidelis à ſeruitute ſiue
3 obligatione matrimonii abſolui.Imò in genere pronuntians Dominus,non licere marito vxorem
extra fornicationis cauſam dimittere, nullum dubitationi locum relinquit. At enim fornicatio-
4 nis crimen etiam idololatriam comprehendit, auaritia verò vocatur idololatria. Concedo ſanè
hoc vtrunque,ſed quàm latè nomen ſcortationis & idololatriæ accipiatur,nunc non quæritur. Il-
lud potiùs quæritur,an illo Chriſti dicto ſpiritualis quoque ſcortatio, id eſt, idololatria compre-
hendatur: quod ne veriſimile quidem eſt, quum ibi non agatur de vero Dei cultu cum adulterino
comparando,ſed de coniugio carnis vel ſoluendo vel non diſſoluendo, vt planè nullus ibi ſit lo-
cus metaphorico adulterio,ac multò minus de auaritia & eiuſmodi cupiditatibus diſputandi.

Obiectio 8. c.10.28.q.1. Refutatio. Citat idem Gratianus ex Concilio Toletano 1 1 s t.Canonem 62. quo dirimitur Iudæi cũ Chri
ſtiana muliere connubium, niſi & ipſe velit Chriſtianus effici: quod etſi conatur excuſare gloſſa-
tor,tamen quum ex diametro repugnet Apoſtoli ſententiæ,ne refutatione quidem eget.

c.17.28.q.1. Sed quod idem ex Concilio neſcio quo Vrbanenſi profert,nempe vt ſiue Chriſtiana Iudæo,ſiue
Chriſtiano Iudæa miſceatur,à communione Eccleſiæ ſegregetur,id verò æquiſſimũ cenſeo.Quòd
ſi præterea ciuilis Magiſtratus in eiuſmodi apoſtatas ita vt æquũ eſt animaduerterit, expeditiſſi-
mus hic modus fuerit eiuſmodi controuerſias ſemel definiendi.

Obiectio 9. c.2.28 q.2. Ambroſ. in 1.Cor.7. Refutatio 1. Profert idem Gratianus locum,non ex Gregorio vt habent impreſſi codices,ſed ex Ambroſio,
quẽ ſuis diſtinctionibus peſſimè,vt & multa alia,deprauat. Tradit enim apertè & ſimpliciter ac ſi-
ne diſtinctione Ambroſius cum Apoſtolo, fidelem deſertum ab infideli non peccare ſi ſeſe alii
coniunxerit, *Quoniam*,inquit,*contumelia creatoris ſoluit ius matrimonii circa eum qui relinquitur, infi-
delis autem diſcedens,& in Deum peccat & in matrimonium*.Quid autem Gratianus? primùm quidem
non vult hoc valere niſi in coniugio inter vtranque adhuc infidelem perſonã inito. Deinde vtitur
iſtis diſtinctionibus: Altero ad fidẽ cõuerſo, ſi vult diſcedere infidelis,tũc fidelis à vinculo matri-
monii ſolutus aliã quoq; poteſt ducere: ſin verò infidelis nihilominus permanet in cõiugio,fideli
quidẽ relinquere infidelẽ etiam permanentem licet,at ei non licet viuente infideli,aliam ſuperin-
ducere. Poſtea deſcendit Gratianus ad aliam ſpeciem. Quid ſi enim vel inter vtrunque fidelem cõ
tracto matrimonio,vel vtroque aut altero poſt contractum matrimonium ad fidem conuerſo, al-
ter poſtea à fide diſcedat,& fidei odio fidelem deſerat? *Tum verò*,inquit, *derelictus diſcedentem non*
Reſpon.1. *ſequetur,illa tamen viuẽte alteram ducere non poterit*. Fundamentum autem omnium iſtorum,quæ &
falſò & ineptè dicuntur,boni Pontifices Romani iecerunt, quod cuiuſmodi ſit age etiam videa-
c.quanto Extra. de Diuortiis. mus. Etſi enim iſta non tam ad repudia quàm ad diuortia ſpectant, tamen placet in ea iam nunc
inquirere,vt alteram tractationem eò paucioribus abſoluamus. Conſtituunt quædam eſſe matri-
monia legitima & non rata: quædam rata & legitima: quædam denique rata, nec tamen legitima.
Legitima vocant,quæ ex legum præſcripto vel prouinciæ moribus contrahuntur: quorum vincu
lum ſolui nullo modo niſi morte poteſt. Itaque legitima nec tamen rata eſſe volunt, quæ inter in-
fideles ineuntur,quoniam videlicet inter eos nõ ſunt firma & fixa, vtpote quæ repudio vel diuor-
tio facilè diſſoluantur: legitima verò & rata,quæ inter fideles ita vt in Eccleſia decet contrahuntur:
rata denique, id eſt,fixa & immutabilia, nec tamen legitima, quæ ſolo coniugum affectu contra-
huntur,neglecto Eccleſiæ ordine. Ad hæc verò primùm reſpondeo, ſiue rem ipſam, ſiue iſtorũ vo
cabulorum vſum legitimum & ratum ſpectemus, ineptum eſſe iſtud tam magnum inter legitimũ
& ratum diſcrimen,quoniam iniquiſſimum eſt vel id ratum non habere quod ſit legitimum,vel ra
tum id habere quod ſit illegitimum. Quòd ſi excipiãt hoc diſcrimen idcirco poni quòd legibus hu-
manis quædam liceant quæ tamen Verbum Dei prohibeat: ac proinde iure poli (vt ipſi loquun-
tur) rata non ſint: reſpondeo ita quidem eſſe,ſed hoc nihil ad rem pertinere, quoniam de ſolo iu-
re poli quæri ab iis oportet qui conſcientias regunt: ex quo efficitur vocanda potiùs ab ipſis fuiſ-
ſe illegitima (etſi alia aliis minùs legitima ſint) quæcunque contra Verbum Dei fierent. Sed ne

videamur

videamur λογομαχεῖν, age de re ipſa dicamus. Coniugium inter infideles ex legibus etiam iuſtiſſimis contractum, aiunt legitimum quidem eſſe, ratum verò non itē. Sed quorſum id, quum vel ipſis confitentibus, iudicium de extraneis non ad nos, ſed ad ipſum Dominum ſpectet? Aperiamus ergo μυστικῶς. Volunt hucuſque hoc extendi, vt etiam ſi alter poſtea ad veram religionem conuertatur, tamen quod ad infidelem attinet, de matrimonio iudicetur ex eius temporis circunſtantia quo contractum fuit, quum videlicet vterque erat infidelis, & hanc cauſam eſſe arbitrantur cur diſcedente infideli poſſit fidelis aliam etiam ducere, quia videlicet matrimonium inter infideles non ſit ratum. Sed ſi ita eſt, cur non itidem volūt licere aliam etiam ducere, ſi, qui fidelis factus eſt, infidelem volentem cohabitare dimittat, quum ipſi ſua hoc eſſe arbitrentur, illud verò non item? Semper enim inter infideles fuerit contractum non ratum matrimonium, ſiue infideles māſerint, ſiue alter poſtea fidelis fiat. Reſpondebunt nimirum, quanuis quum contraheretur inter vtrunque infidelem matrimonium, neutrius reſpectu ratum eſſet, tamen poſt eaquam alter factus eſt fidelis, ratum hoc eſſe incipere, quod ad ipſum fidelem attinet. Sed ſi hoc verè ſentiunt, qui fit vt fidelis cum infideli matrimonium dirimendum pronuntient? Nam ſi matrimonium infidelis cum infideli ratum eſſe incipit, ea quo qui infidelis erat, ad fidem conuerſus eſt, ideóque ſi prior diſcedat aliam tamen ducere non poteſt: multò ſanè magis dicendum fuerit, ſi iam fidelis aliquis infidelem ducat, ratam & indiſſolubilem eſſe iſtam coniunctionem oportere, quod ad fidelem attinet. At ipſi non modò non ratam, ſed prorſus etiam intolerabilem eam coniunctionem eſſe volunt, vt ſuprà diximus: quam ſanè ipſis aſſentior, vt ſuo loco dixi, & bona conſcientia contrahi non poſſe, & pœnam tum Eccleſiaſticam tum ciuilem vel grauiſſimam mereri, ſed dirimēdam eſſe niſi prior diſceſſerit infidelis, multò minùs etiam arbitror quàm ſi vterque adhuc infidelis hoc coniugium contraxiſſet. Non ſunt igitur inter ſe ſatis conſentanea quæ iſti conſtituunt, neque fidelis ab infideli deſertus idcirco liber eſt, vt ad aliud coniugium tranſire poſſit, quòd ſuapte natura non eſſet ratum matrimonium: ſed potiùs quoniam infideli datam fidem frangente, iniquum eſt fidelem luere alieni criminis pœnam, vt pleniùs in tractatione de Diuortiis (Deo fauente) explicabimus, ad ea quoq; reſpōſuri quæ in contrariam ſententiam hac de re ab Innocentio III. ſcribuntur. Ex eo verò quòd rata matrimonia vſque adeò rata eſſe volunt vt eorum vinculum ſola morte ſolui poſſit (quanuis ne morte quidem ſolui ſomniarūt repetitarum nuptiarum ſugillatores) hic etiam error natus eſt, quòd fideli ad infidelitatem deſciſcente, & alteram fidelem perſonam deſerente, plenè liberatum fidelem non putant, manente videlicet coniugij vinculo, quod impediat quominus fidelis ab apoſtata deſertus aliam poſſit ducere, quod tamen ipſi liceret ſi à ſimpliciter infideli deſereretur. Hoc verò quàm ſit iniquum nemo non videt, opinor, quum par & in hac & in illa ſpecie ſit deſertio: & apoſtatæ deſertori minus etiam quàm cuipiam veram religionem nūquam amplexo ſit indulgendum. Certè Paulus, cuius auctoritati ſtandum nobis eſt, etſi de matrimoniis iam contractis agit, tamen in genere loquitur de fideli quem infidelis deſeruerit, nullo facto diſcrimine, ecóne tempore quo initum fuit coniugium vterq; eſſet infidelis, an verò alter tantùm: neq; etiam eum qui nunquam alius quàm infidelis fuerit ab apoſtata diſcernens. Præterea verba illa, *Quoniam videlicet ad* 4 *pacem vocauit nos Dominus*, quoquo modo explicentur, magis etiam videntur in apoſtatā dici quàm in quempiam qui veram religionem nunquam ſit profeſſus. Sed de his plus ſatis hoc quidem loco, in quo coacti etiā ſumus quædam admiſcere quæ ad coniugia conſummata potiùs quàm ad ſponſalia ſpectant. Horum autem omnium hæc ſumma eſt. Fidelis cum infideli ſponſalia prorſus quidē eſſe diſſuadenda & legibus etiam ciuilibus interdicenda, ac grauiter vindicanda: ſed ſi fortè cōtracta fuerint, ſiue ab initio vterque fuerit infidelis, ſiue alter tantùm: ſiue quum vterque eſſet infidelis, alter poſtea factus ſit fidelis, ſiue quum vterq; fidelis eſſet, alter poſtea factus ſit infidelis, putà Iudæus aut Mahumetanus, aut ex eorū hæreticorū genere qui fundamentū pietatis abnegāt: eiuſmodi, inquā, ſponſalia, ſi nihil aliud obſtet, omnino firma & immutabilia permanere, quandiu infidelis conſentit in coniugis officiū. Quòd ſi infidelis fidelē deſerat, tunc penitus liberum eſſe fratrē aut ſororē à ſponſaliū obligatione. Quando verò deſertus fidelis dici poſſit, & an ipſo iure, an autem iudicio priùs interueniente ſolutum ſit vinculum, in altera tractatione de diuortiis explicabitur.

c. quanto §. Nec obſtat, Extra, de Diuortiis.

Fideli ad infidelitatem deſciſcente, & fidelem deſerente an ſolutus ſit fidelis.

Refutatio. 1 Cor 7. 12. & 13.

Concluſio diſputationis de impari coniugio.

Quid ſi verò abſentia alterius impediat quominus re ipſa compleri poſſit coniugiū? Reſpōdeo quærendū eſſe de abſentia, quoniā aut inuitus abeſt aliquis, aut volēs. Si volens abeſt, quærendum rurſus quo animo diſceſſerit, quandiu abfuerit, & ſi quas nō reuertendi cauſas habeat. Vtimur ergo in hac Eccleſia hoc iure quod mihi quidē æquiſſimū videtur. Si ſponſus conſcia ſponſa, & honeſtā ob cauſam ante conſummatū matrimonium peregrè profectus, annum integrū, quanuis officij admonitus, volēs abfuerit, petenti ſpōſæ, trina per ſeſquimenſem præeunte publica denūtiatione tū in Eccleſiaſtico cœtu tum corā ordinario Magiſtratu, fas eſt diréptis ſponſalibus aliū maritū accipere: niſi fortè cōparuerit, tum enim auditur, & niſi iuſtā repudij cauſam probarit, ad præſtandā fidem auctoritate Magiſtratus cōpellitur. Sin verò ſponſa, cōſcio itidē ſpōſo, peregrè profecta fuerit, idē ius ſeruatur, eo dūtaxat excepto, quòd vir annū integrū expectare non cogitur, niſi fortè ex eius volūtate id genus negotij gerēdū illa ſuſceperit quod illā diutius abeſſe cogat. Quòd ſi ſpōſus vel ſponſa malo animo, & fallendi cauſa diſceſſiſſe cōperiatur, datur in primis opera modis omnibus vt officij admoneatur. Quod vbi ritè factū, aut ſaltē (quoad eius fieri potuit) tētatum fuiſſe conſtiterit, nec tamen is in quem agitur, comparuerit, poſt trinam, vt antea, denūtiationem, idem in abſentem vt deſertorem decernitur. Quinetiā illud cautū eſt, vt ſi cuius fraude aliò ablegatum ſponſum aut ſponſam conſtiterit, is grauiter alioqui mulctandus abſentem quærere & ſiſtere teneatur: quod onus etiam tutoribus & curatoribus imponitur, in quorum fuerint poteſtate.

De abſentia ſponſi vel ſpōſæ interuenientia.

At verò quid ſi alter abfuerit inuitus & nullo ſuo dolo, putà vel quòd ſit captiuus, aut alioqui vi aut morbo detentus, aut exilio ſiue deportatione mulctatus, aut iuſto metu deterritus? Tum ſanè vel eò, quoad eius fieri poteſt, proficiſci tenetur qui ſpõſalium impletionem deſiderat, vel ſaltem eius reditum quantumuis diuturnum tolerare, aut certum de morte nuncium patienter expectare. Nec enim cenſeri poteſt deſertor qui inuitus abeſt: & ita rectè iam olim decretum eſt, adeò vt ſi quæ arbitrata maritum in captiuitate mortuum, alteri nupſerit, marito poſtea reuerſo ſit reſtituenda. Imò & in ſponſalibus in futurum tempus conceptis (cuiuſmodi ſunt illa de quibus in Iure Ciuili cauetur) id ſeruabatur, vt peregrinante ſponſo, triennium priùs expectaretur quàm ſponſa nouas nuptias iniret, quanquã Canonici poſtea nullum tẽpus videntur præfixiſſe: in eo certè multò minus religioſi quàm Caius Iuriſcõſultus, cuius hæc verba ſunt: *Sæpe iuſtæ & neceſſariæ cauſæ non ſolum annum vel biennium, ſed etiam triennium & quadriennium & vlterius trahunt ſponſalia, veluti valetudo ſponſi, ſponſæve, vel mortes parentũ, aut capitalia crimina, aut lõgiores peregrinationes quæ ex neceſſitate fiunt.* Sed de captiuitate aliiſque abſentiæ ſpeciebus aliquid etiam in altero tractatu dicemus.

c. 1. 2. & 4. 14. q. 1.
l. 7. C. de repud.
c. de illis Extrà. de ſponſal.

Alia inutilium apud Iuriſconſultos nuptiarũ ſpecies.

Cæterùm quædam alia inutilium apud Iuriſconſultos nuptiarum, ac proinde ſpõſalium genera libens prætermitto, veluti ſponſalia ſiue nuptiæ cum peregrinis, cum ancillis, inter tutorem & pupillam, inter curatorem & adultã, inter maſculos & fœminas maiores vel minores ſexagenariis vel quinquagenariis, inter ingenuum & libertinam, inter patricium & plebeiã, inter quacunq; poteſtate præditos & eorundem iuriſdictioni ſubiectos, quæ partim ipſis Imperatorum legibus poſtea ſublata ſunt, partim contrariis moribus ipſóque temporis ſucceſſu exoleuerunt, partim etiã à Canonicis ſunt abrogata: quorum tamẽ audaciam in eo improbo, quòd intra ſuæ iuriſdictionis fines non permanſerint, quum eorum munus duntaxat fuerit quid in conſcientiæ foro fas aut nefas eſſet pronuntiare. Neque id verò deterrere debet pios & æquos Magiſtratus, quin ea in vſum reuocent quæ optimis & perpetuis rationibus ſunt conſtituta, veluti interdictum nuptiarum inter tutorem & pupillam, inter curatorem & adultam, denique inter nimiùm inæqualis ætatis ciues, & ſi quæ ſunt eiuſmodi: contra quæ tamen interdicta ſi fortè ſponſalia contrahantur, & rogitet aliquis an exiſtimem dirimenda, reſpondeo mihi non videri dirimenda, ſed vel alias potiùs pœnas ciuiles imponendas, quibus etiam Eccleſiaſticam cenſuram ob violatam legum ciuilium auctoritatẽ adiungi par eſt: vel qui hoc admittant dignos eſſe qui aliò ablegentur ne ſaltem exemplo peccent. Cur autem ita ſentiam, pleniùs (fauente Deo) diſſeremus in altera tractatione, quum de Magiſtratuum in ferendis connubialibus legibus auctoritate diſſeremus.

De voto continentiæ.

Solent autem præter illas cauſas, etiam alias duas recenſere, nempe votum continentiæ, & ſpiritualem affinitatem, de quibus etiam aliquid nobis dicendum videtur. Ac de voto quidem etſi à nobis abundè dictum eſt ſuperiore tractatione de Polygamia, iterum tamẽ reſpondeo, etiãſi concederem nobis nunc quoque, vt olim ſub Lege, integrum eſſe quippiam Deo vouere, non tamen conſequi licere quiduis vouere, aut neceſſariam eſſe cuiuſuis voti præſtationem, quũ (vt Ambroſius ſcribit) officium ſit interdum à iureiurando ipſo recedere. Iſtud autem continentiæ votum ſic demonſtro nec iure poſſe concipi, nec ſi conceperis neceſſariò præſtari, nempe quoniam & illicitum eſt, & ἀδύνατον: nemo autem vel ad illicita vel ad ea quæ fieri non poſſunt obligatur. Illicitorũ enim duas ſpecies conſtituo: vnam, eorum quibus res per ſe nefariæ vouentur, cuiuſmodi fuit votum aduerſus Paulum factum, ac etiam quod vouit Iephte: cuiuſmodi quoque ſunt idololatrarum vota, ac ſuperſtitioſorum etiã pleraque: alteram, eorum quæ nõ ἁπλῶς, ſed κατά τι, id eſt, certã quandam ob cauſam non licent, veluti quòd vouẽtis vocationi repugnent. Eſt autem vocatio quædam vniuerſalis, ad quam ſtatuere debent omnes fideles ſe vocatos eſſe, nempe ad vitam æternam, ad fidẽ & omnes fructus Spiritus: & hanc vocationem oportet ſingulos perpetuis precibus fouere, quæ irritæ eſſe non poſſunt, quoniam à certo teſtimonio Dei nos vocantis proficiſcũtur. Sed quędam præterea ſunt vocationes particulares, de quibus temerè nobis conſtituendum non eſt, niſi ſponte decipi volumus. Pro vocationis autem ratione dona diſtribuuntur ad illam obeũdam neceſſaria, quoniam alioqui nobis Deus illuderet. Continentiæ verò donum particulare eſſe liquet ex ipſa experientia, & iſtis Chriſti verbis, *Non omnibus datum eſt: qui poteſt capere, capiat*: & ex hoc Apoſtoli dicto, *Velim vos omnes eſſe vt ego ſum, Vnuſquiſque autem proprium donum habet à Deo.* Sic igitur colligo. Quum donum continentiæ ſit particulare, nõ poſſumus licitè vouere continẽtiam, niſi ſciamus eam nobis eſſe datam: imò etiam, ſi data nobis eſſet, aliud præterea etiam requireretur, nempe, vt ſi votum iſtud continentiæ perpetuum eſſe velimus, etiam in perpetuum eam nobis datam eſſe ſciamus. Vocatio autem iſta particularis ad continentiam intelligitur ex interrogatione tentationis (vt loquitur Auguſtinus) putà ſi nõ vrimur, id eſt, ſi nõ ita premimur vt ſuccumbamus, & conſcientia noſtra turbetur. Itẽ ſi ad eum vitæ ſtatum vocauerit nos Dominus, qui coniugium nullo modo ferat: vel ſi coniugio implicitis ea impedimenta obiiciat, quæ quominus illo vti poſſimus prorſus impediant. Ex iſtis, inquam, colligere poteſt aliquis ſe ad continentiã vocari, ideóq; ex fide Deũ precari poteſt ac debet, vt in cõtinentiæ dono cõfirmetur: perpetuum tamen fore illud donũ, ne tunc quidẽ conſtituere poteſt. Itaq; eiuſmodi perpetuæ, imò ad certũ tempus præſtitutæ cõtinentiæ votũ quum fieri non poſſit ex fide, (vbi enim verbũ nõ eſt, ne fides quidem eſt) peccatũ ſit oportet. Nam quod nonnulli excipiunt, eos qui ad Eccleſiaſticos ordines vocãtur, ad continẽtiam vocari, falſum eſt, ſicut ex Apoſtolorum & totius veteris Eccleſiæ, ipſiúſque adeò Nicænæ Synodi auctoritate ſuo loco declarauimus. Sed & alia ratione eiuſmodi votum illicitum eſſe ex eo conſequitur, quòd qui vritur habet contrahendi coniugij præceptum, ac proinde vouendo fecit contra Legem: id quod ex ipſa experientia ſerò intelligit qui antè vſtionem temerè

Votum continẽtiæ quib. & quatenus illicitum.
Act. 23. 12.
Mat. 19. 12.
1. Cor. 7. 7.
August. de sancta virginitate c. 44.

vouit: quum non niſi tranſgrediendo Dei Legem poſsit à coniugio poſtea abſtinere. Qui verò cœlibatum vouit ſeſe iam incontinentem expertus, magis etiam eſt reprehēdēdus, vt qui ſe ad matrimonium vocari ex vſtione noſſe debuerit. Poſtremò ſi illicitè vouet filia quæ de parētum, vxor quæ de mariti voluntate prius non eſt certior facta (vt diſertè declarat Moſes, nec ipſi ſaniores votorum defenſores, ſaltem quod ad maritum & vxorem attinet, audent infitiari) quanto magis irritum eſt eius votum qui priuſquam cognouerit an hæc ſit Dei voluntas, vt perpetuò viuat ἄγαμος, eiuſmodi neceſsitatem ſibi imponit? Ex his autem omnibus non illud effici volo, illicitum eſſe perpetuò continere, ſed illicitum eſſe perpetuæ continentiæ votum. Iam vero, etiam ἀδύνατον eſſe abſque peculiari dono Dei, quod ſibi nemo in perpetuum poſsit polliceri, ex eo probo, quod cōmuni ordini naturæ penitus repugnet, quē vnus Deus extra ordinem agens, prout libuit, immutat. Nā certè appetitio mutuæ coniunctionis non eſt voluntaria, ſed naturalis. Itaque ſi naturā ipſam, non dico quatenus corrupta, ſed quatenus natura eſt, ſpectemus, (ſicut hîc nobis omnino faciendū eſt) nō magis eſt in quoquā poſitū vt illa appetitione careat, (niſi aliũde ipſa natura impediatur: veluti ſi impedierit ætas, ſi valetudo vires naturæ infregerit, aut aliquid eiuſmodi inciderit) quā vt nō eſuriat vel non ſitiat. Quod ſi quis excipiat, etiā ſi appetitio iſta non ſit in noſtra poteſtate, tamen illam poſſe intra modum contineri, rurſum (excepta peculiari gratia de qua qui certus non eſt, meritò præſumitur τὸ ἀδύνατον vouere) tam falſum hoc eſſe affirmo quàm ſi quis diceret in nobis ſitum eſſe, intra modum eſurire vel ſitire. Neque tamē nego ſobrietate, ieiunio, precibus, & iis quæ cum illis cohærent iſtam ἀκρασίαν aliquatenus coerceri, (ne quis fortè arbitretur iſtam σωματικὴν γυμνασίαν, quam poſtea maluerunt ἄσκησιν vocare, a nobis vt inutilem repudiari, quam Apoſtolus ipſe vſurparit, & nemo Chriſtianus pro ſuo modulo negligit, nedum vt in quædam clauſtra ſcilicet relegetur) ſed hoc dico quod vel experientia ipſa comprobat, naturam ipſam videlicet vt furca expellatur, tamen recurrere, & quidem multò ardentiùs: & quicunque non habēt perpetuæ continentiæ donum (quinam autem habeant, magis poſt vltimam victoriam quàm inter certandum cognoſcitur) cœlibatum perpetuum vouendo planè θεομαχεῖν, & nihil aliud quàm ſuā ipſorum perniciem vouere. Quòd ſi quis præterea excipiat, in noſtra ſaltem poteſtate ſitum eſſe, cupiditatem hanc immoderatam (nam de vſtione, id eſt, superāte appetitione loquimur) re ipſa non explere: reſpondeo Pelagiana eſſe hæc dogmata non Chriſtiana. Certè, vt hoc concederem, minimè tamen conſequeretur præſtari ab eiuſmodi hominibus continentiæ votum, quia qui animo incontinens eſt (cuiuſmodi ſunt quicunque vruntur) etiam ſi re ipſa non exequatur quod concupiſcit, cōtinens tamē corā Deo dici nec poteſt, nec debet. Supereſt ergo vt ad peculiare donum confugiatur, & pro eius modo quiſque liberè, nō ex voto, continentiæ ſe dedat: quod & ipſe Gelaſius Papa faciendum in viduis etiam profeſsis monuit. Nec ſanè aliter iudicarunt (huc eos adigente ipſa veritate) vel maximi aſſertores iſtius votiui cœlibatus, in eo tamen ab iſtis diſſentientes qui cœlibatum ita mordicus defenderunt vt nihil aliud quàm coniugii vinculum exoſum ſibi fuiſſe plus ſatis oſtenderint, & totum orbem in Sodomam & Gomorrhā transformarint. Sic enim Athanaſius ad Dracontium, *Multi ex Epiſcopis matrimonia non inierunt, monachi contrà parentes liberorum facti ſunt: quemadmodum viciſſim Epiſcopos filiorum patres, & monachos generis poteſtatem non quæſiſſe animaduertas: & clericos bibiſſe, & monachos ieiunaſſe. Sic enim licet & ad eum modum non prohibebitur, ſed quiſque vbi volet decertet.* Et Hieronymus ipſe ad Demetriadem, quum de impudicis virginibus ageret (agit autem de ſacris, & procuidubio velatis ipſius Demetriadis comitibus, vt candidè fatetur ipſe Eſpenſæus.) *Quibus*, inquit, *apertè dicendum eſt, vt aut nubant, ſi ſe non poſſunt continere, aut contineant ſi nolunt nubere.* Et ad Euſtochium, *Si qua*, inquit, *ſimulat, fugiens ſeruitutem, hunc apertè Apoſtolum lege, Melius eſt nubere quā vri.* Et Epiphanius, *Melius*, inquit, *nubere quàm vri . . . ſubire.* Et mox, *Melius vnū peccatū habere nō plura: melius à curſu lapſum palàm ſibi vxorē ſumere iuxta Legem, à virginitate diu pœnitentiā agere, & ſic rurſus ad Eccleſiā induci, veluti malè operatum, lapſum, fractum, obligatione indigentem, & non quotidie occultis iaculis ſauciari ab improbitate quam infert Diabolus.* Et Cyprianus illis antiquior, *Si ſe*, inquit, *ex fide Chriſto dicauerunt*, (quàm autem hac in re ſanctus alioqui martyr hallucinetur paulò antè oſtendimus) *pudicæ & caſtæ ſine vlla fabula perſeuerent: ſi autem perſeuerare* NOLVNT VEL NON POSSVNT, *melius eſt vt nubant quàm in ignem ſuis delictis cadant.*

Nume. 30.

Votum continentiæ eſſe ἀδύνατον.

Patrum ſententia de ipſo continentiæ voto reſcindendo in caſu neceſsitatis.

Decret. Gelaſius c. 23. Gelaſius. Athanaſius. Hieronym.

Epiphanius.

Cyprianus.

Habemus igitur quæ horum etiam fuerit de voti vinculo ſententia, quam tamen paucis placet explicare quomodo conentur nonnulli eludere. Plurima, inquiunt, fas eſt per publicam authoritatem admittere quæ priuato iudicio ſuſcipi abſque nefario ſcelere nequeant. Sed quorſum hoc, obſecro? Neque enim quomodo, ſed an ſit hoc agendum quæritur. Quod ſi, vt iſti volunt, illicita ſunt eiuſmodi coniugia, neque duntaxat pro adulteriis, verùm etiam pro ſacrilegiis habenda, quî tandem illa poterit Epiſcopus concedere? an ſicut Moſes libellum diuortii cōceſsit? atqui eiuſmodi diuortium nunquam in foro conſcientiæ licuit. Agunt autem illi certè de conſcientia, quorum verba citauimus. Sed iſta, inquiunt, de non velatis virginibus intelligenda ſunt. Imò verò vnde hoc colligunt, quum Cyprianum conſtet de ipſo virginum cœtu loqui quæ ſe fide data Deo dicauerant: quod eſt etiam in Hieronymo & Epiphanio apertius? Quid plura? Synodus Chalcedonenſis, quamuis & ipſa iam faſcinata iſtius voti opinione, excommunicationis dūtaxat meminit, nō autem ſeparandi matrimonii, cuius moris interpretatio ex citato Epiphanii loco petenda eſt. Spōſalia igitur propter præcedens votum irrita non eſſe concludimus. Quòd ſi votum ſubſequatur, aut etiam matrimonium conſummetur, quid tum ſtatuendum ſit, ſuo loco dicemus.

Obiectio 1.

Refutatio 1. 2

Obiectio 2. Refutatio 1. 2

Conc. Chalced. can. 16.

Supereſt affinitas ſeu cognatio illa ſpiritualis, quam vocant, cuius etiam vinculum alii aliis for-

De ſpirituali affinitate.

tiùs adſtrinxerunt. Iſtum autem morem adhibendi ſponſores ſiue ſuſceptores, apparet ex Tertulliano perantiquum eſſe, ſic nimirum vocatos, quòd fidem & piam educationem eius infantis qui baptizabatur in ſe reciperet, ſicut ex Auguſtini quoque ad Bonifaciũ epiſtola licet colligere. Higinus porrò Pontifex qui ſub Antonio Pio vixit, non tantùm in Baptiſmo, ſed etiam in Catechiſmo & Confirmatione adhibitum fuiſſe teſtatur patrinum quem vocat. Sed valde mihi ſuſpectum eſt iſtud Higini nomẽ, vel ob eam cauſam quòd Iuſtinus illi ipſi σύγχρονος, accuratè Chriſtianorum in Baptiſmo ritus in Apologetico recenſens, eius moris non meminit. Morem iſtum igitur ſponſoris cuiuſpiam in Baptiſmo adhibendi, qui & de natalibus baptizãdi teſtetur, & ſanctam eiuſdem educationem promittat, non modò non improbo, verùm etiam vt laudabilem ſtudioſe retinẽdum arbitror. Sed quòd inde quæpiam contrahatur affinitatis ſpecies, & ea quidem matrimonium veluti inceſtuoſum & in poſterum impediens, & iam conſummatum dirimens, nõ modò abſurdum, verumetiam ſuperſtitioſum eſt commentum, quod via poſſit meliùs quàm ea ea ratione intelligi qua potiſſimùm nituntur.

Tertul. de Baptiſmo. Auguſt. epiſt. 23. De conſecrat. diſt. 4. In catechiſmo.

Sicut, inquiunt, *homo accipit eſſe natura per generationem carnalem, ſic accipit eſſe gratia per regenerationem ſpiritualem. Vt igitur ex illa contrahitur cognatio carnalis, ita & ex iſta naſcitur cognatio ſpiritualis, quæ quum ſit multò dignior quàm illa, multò fortiùs etiam impedit contrahendum matrimonium, & contractum dirimit.* Egregia certè ratio, & iſtis beſtiis planè conueniens quæ carnem à ſpiritu diſtinguere non poſſunt. Nec enim tam ineptum argumentum arbitror alia refutatione indigere. Excogitant autem aliam quoque huiuſmodi rationem. *Secundarius finis matrimonij*, inquiunt, *eſt dilatatio amicitiæ, ſed ſufficiens eſt amicitia vis inter quos ſpiritualis eſt cognatio: ergo inter eos non debet eſſe matrimonium.* Atqui, boni viri, ſi ſpiritualis cognatio per matrimoniũ polluitur, aut eò vſque ſufficit, vt nuptias reddat ſuperuacaneas, quis nubet in Domino, quum fideles omnes ſint in Chriſto fratres & ſorores? Quis verò tales belluas vnquam exiſtimarit ius conſcientiis etiam ipſis dixiſſe? Et tamen bonus Iuſtinianus ſiue Tribonianus hac etiã de re legem tulit. Et ſexta quoque Synodus alioqui in dogmate monothelitarum cõfutando orthodoxa, iſtis ineptiis, vt & aliis aliquot, ſuos canonas aſperſit. Quæ verò ſint poſtea ſuper compaternitatis & confraternitatis cognatione exortæ controuerſiæ, legat apud Gratianum, Scholaſticos, & alios Canonicos, qui bonas horas peſſimè volet collocare. Adſcribam tãtùm hac de re Canonem vnum, qui Papæ Deus dedit (per antiphraſin, opinor, ſic appellato) tribuitur, vt vel ex hoc vno omnibus liqueat quæ ſit iampridem iſtius perditiſſimæ meretricis, cui Reges ipſi ſeruiunt, impudẽtia. Vixit enim ille circiter annũ Domini, vt aiunt, 613. Sic autem reſcribit Gordiano cuidam, quem etiam nonè appellat Hiſpaniarum Eccleſiæ coepiſcopum: *Peruenit ad nos Diaconus veſter, veſtræ ſanctitatis epiſtolam ferens, quòd quidam viri etiam & mulieres præterito ſabbato Paſchalis die*, (num ergo Paſcha ſabbatho celebrabatur?) *præ magno populorum incurſu* (nam extra Paſchæ & Pentecoſtes feſta non temerè licuit quẽquam baptizare) *neſcientes* (ergo etiam ſi maximè ſtatuendum eſſet compaternitate affinitatem cõtrahi, debuerunt iſti ſaltem excuſari, quum teſte Auguſtino, & ipſiſmet conſentientibus Pontificibus, ignorantes & ab adulterio & ab ipſo inceſtu excuſentur) *proprios filios ſuos ſuſcepiſſent ex ſancto lauacro.* (horrendum ſcelus ſcilicet quo matrimonium dirimatur: vel vſque adeò ſanctum & ſpirituale opus, vt ferre nõ poſſit nuptialis thori ſordes.) *Cupis ergo ſcire, ſi pro tali accidẽte ratione debeãt viri & mulieres ad ſuum proprium vſum redire an non.* (digna nimirum quæſtio quæ totum Occidentem & Orientem perturbaret: & miramur, ſedentibus iſtis beſtiis, omnia in Eccleſiis peſſundata?) *Nos enim ex hoc triſtitia mæſti* (quis verò nõ hìc miſereatur optimi Pontificis de ſuo grege tãtopere ſolliciti? Fuit iſte ſcilicet illius ſucceſſor, qui olim exclamauit, *Quis veſtrũ offenditur, & ego non vror?*) *inquiſiuimus priorum Patrum noſtrorum dicta.* (hypocrita: cur non ad Legem potiùs & teſtimonium?) *Inuenimus autem in archiuis huius Apoſtolicæ* (imò iamtum apoſtaticæ) *ſedis, iam talia contigiſſe in Eccleſia Iſauriæ, & Epheſiorum, ſimúlque Hieroſolymæ, & aliarum etiam Eccleſiarum.* (Sic Epiſcopi conſulebant alij alios: neque etiam dubitandum eſt quin Eccleſia Romana propter vrbis auctoritatem, & eius Eccleſiæ vetuſtatem ſæpiſſimè adiretur. At boni Pontifices, vt ex Iulij præſertim, qui mox nominatur, epiſtolis apparet, ita ſibi ad Tyrannidem Antichriſtianam iter aperuerunt. Sed tam ineptos iam tum epiſcopos fuiſſe qui de iſtis putidiſſimis ineptiis laborarent, ſane prodigioſum eſt.) *Epiſcopis etiam earum ciuitatum volentibus ſcire, ſi viri & mulieres redirent ad proprium thorum*, (quaſi non dixerit Chriſtus apertè non dimittendam niſi ob adulterium vxorem) *beatæ memoriæ ſanctiſſimi Patres, Iulius, Innocentius, & Cæleſtinus*, (nihil tamen hac de re in ipſorum decretis legitur, quibus alioqui aſperſa ſunt nonnulla non minùs inepta) *cum Epiſcoporum & ſacerdotum conuentu* (tum nimirum nondum exortum erat ſacrum illud Cardinalium conſiſtorium) *in Eccleſia beati Apoſtolorum principis* (inata illud Chriſti dictum videlicet, *Reges gentium dominantur eis, vos autem non ſic*: & illud ipſius Petri, *μηδ᾽ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων*) *prohibentes talia, perſcripſerunt & confirmauerunt vt nullo modo iam in coniugio ſe reciperent mulieres aut viri, qui quacunque ratione ſuos ſuſceperint natos.* (atqui ſub Lege parentes ipſi primogenitos ſuos Domino offerebant, vt conſtare poteſt ex Ioſephi & Mariæ exemplo) *ſed ſeparent ſe, ne ſuadente Diabolo, tale vitium peccati moleſtat per mundum, & vniuerſorum error accreſcat.* (Quid eſt verò cœlum ipſum conſpuere? verbum Chriſti, ore ſuo diuortia extra crimen adulterij diſertè prohibentis, apertè refigere, Diabolum denique in Filij Dei tribunali collocare, ſi hoc non eſt? & tamen hoc idem ſcelus non tantùm concedunt, verùm etiam præcipiunt alij filij perditionis, veſtigia nimirum iſtius ſequentes, vt & iſte aliorum. Quid plura? Puduit tãdem ipſum Satanam tanti flagitij, adeò vt & Nicolaus alius Papa neſcio quotus, & duæ Synodi, Cabilonenſis videlicet & Maguntina, (ſi Gratiano potiùs quàm Coloniæ excuſis Conciliorum tomis credendum

Vide libr. ſent. 4. diſt. 41. quæſt. 2. & ibi Dureand. Ratio 1. eorum qui volũt ſpirituali cognatione impediri atque adeò diſſolui coniugia. Refutatio. Ratio 2. Refutatio. l. ſi quis alumnam C. de nup. Synodi ſextæ, can 53. & ibi Balſ. Ratio 3. cum refutatione. c. peruenit, 30. q. 1. c. 10. 11. 12. & deinceps. De conſecr. diſt. 4. c. 5. & 6 35. q. 2. c. 4. 5. 6. 7. 8. Extrà, de cogna. ſpirit. c. 2. 30. q. 2. & q. 4. 5. 8. 30. q. 4.

dum eſt) ac multò etiam apertiùs Alexander tertius, iſtud decretum, citato etiam Dei Verbo, reſiacrint. En igitur quomodo Papa & Synodi errare nõ poſſint. Sit autem benedictus dominus qui filij ſui iuratos hoſtes, vt olim Madianitas, inter ſe committit. Sed age, audiamus egregium iſtius Apollinis, ſeu potiùs ἐγγαστριμύθου oraculum.) *Scitis quia quemadmodum ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti* (vetus error abſurdiſſimus) *ita ſunt ſeptem dona Baptiſmi à primo pabulo ſacrati ſalis*, (oppoſito nimirum dulciſſimæ illi prægustationi lactis & mellis, cuius ſuperſtitionis meminit Tertullianus) *& ingreſſus ſancta Eccleſia, vſque ad confirmationem Spiritus ſancti per Chriſma.* (quis verò vos iſtam arithmeticen docuit, hypocritæ? nempe & auaritiæ & erroris ſpiritus, quum nihil ne iſtorum quidem niſi accepta pecunia largiamini, & ſeptem iſtis donis nihil magis ridiculum fingi poſſit. Cedo enim quænam illa ſunt?) *Primum eſt*, vobis ipſis teſtibus, *collatio ſacrati ſalis: ſecundum, aurium & narium linitio cum ſputo: tertium in fronte & in pectore crucis ſignatio: quartum, olei ſacri perunctio: quintum, ablutio Baptiſmi: ſextum, in vertice chriſmatis perunctio à ſacerdote: ſeptimum, confirmatio chriſmatis in fronte per Epiſcopum.* (In his verò, excepto Baptiſmi lauacro, cuius auctor eſt Chriſtus, quid tãdem agnoſcas præter impuriſſimas ſordes? In Baptiſmo abluuntur peccata: egregium ſcilicet ſymbolum eſt eius rei fœdum impuriſſimi ſacrificuli ſputum. Adiungitur ſemel & iterum & tertiò crucis ſignaculum in fronte, pectore, vertice. Mallem ſcapulis imponi, vt quod etiam eſt Verbo Dei, in quo de cruce in humeros tollenda præcipitur, magis conſentaneum: ſed facilis eſt ſane iſtiuſmodi crucis geſtatio iis quibus imponitur, nec minùs lucroſa iis à quibus imponitur. Adijcitur vetus oleum iis exorciſmis incantatum, quorum ſanè mirum eſt ni ipſos etiam dæmonas pudeat. Hæc denique omnia infatuato ſale condiuntur. Et iſta ſunt ſcilicet vſque adeò μυστικὰ, (quorum tamen quæ ſit vtilitas ne nunc quidem inter bonos Canonicos poſt tot ſecula potuit conuenire) vt cohærere cum his non poſſit thorus legitimus & inculpatus: imò etiam non minùs ſæuo anathemate feriantur qui poſtea redire ad cõiugium auſi fuerint, quàm ſi Deo ipſi æterno maledixiſſent. Nam hæc poſtea ſubiiciuntur:) *Ab hoc primo Spiritus ſancti dono vſque ad ſeptimum, nullus Chriſtianus commatrem in coniugio recipere debet: & qui præſumpſerit, anathematis vinculo religetur in perpetuum,* (Quid amplius ſupereſt quo vel atrociſſimum omnium ſcelerum vindicari poſſit, hypocritæ? Sed bene eſt quòd iam ipſi etiam Satanæ fœtent veſtra anathemata) *niſi pœnitentiam egerit dignè.* (hanc etiam appendicem retinuerunt qui alioqui hunc canonem, vt Verbo Dei repugnantem, reſixerunt. Sed prius oſtendere oportuit peccatum, quàm pœnam præſcribere.) *Mulieres verò, quæ ſeparatæ fuerint pro hac illicita re* (ex quo iure illicita?) *à propriis viris totam præcipimus percipere dotem, quam in die nuptiali receperunt.* (nempe vt maritis ereptæ, nõ ſine dote ad vos transeant. Quis enim non animaduertit quid hîc capiant? Sed vt cætera omittam, quo iure Domine Apoſtatice, auſus es de iure dotium leges ferre? Quis enim hac in re te conſtituit iudicem?) *& poſt expletum annum recipiant alium virum, ſimiliter & vir vxorem.* Hanc particulam, vt & illam proximè præcedentem, omiſit Gratianus, nimirum vt tantum dedecus occultaret. Illud enim, obſecro, quomodo tandem excuſabunt, quòd inceſtuoſis quidem omni coniugio interdicant, in adulterio verò nullo modo pati poſſint matrimonij vinculum ſolui: in hac autem cognatione ſpirituali, quæ merum eſt figmentum, nouas poſt annum elapſum nuptias & viro & vxori concedant? nempe ne diutiùs cogatur ipſi retinere, quas à ſuis maritis hoc prætextu abduxerint.

Caballin. Synodo ſub Carolo Magno, can. 55. c. 5. Extrà, de cognat. ſpiritual. Magunt. Syn. can. 55. prorſus repugnans Cabiloneſi, quæ iis iiſdem temporibus habita. Apoc. 9. 17. gloſſ. in c. 30. q. 1. & in c. 5. Extrà, de cogn. ſpirit.

Et de ſponſalibus quidem hactenus. Nam de legali ſiue per adoptionem contracta cognatione, non eſt, opinor, cur dicamus, quum magna iam ex parte exoleuerit. Eorum autem quæ diximus hæc ſumma eſt: vera iuſtáque ſponſalia non magis quàm conſummata coniugia diſſolui poſſe, vt hîc quoque valeat illud Domini dictum, *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*, nedum vt vel mutuo vtriuſque conſenſu, vel alterius voluntate rumpantur, ſicut olim apud Romanos: quod et ſi Moſes in Iudæis propter eorum duritiem tolerauit. Quædam autem ſunt nominetenus ſpõſalia, quæ quum obligationem non pariant, inutilia, ipſóque iure nulla ſunt: quorum duæ ſunt ſpecies. Nam alia valere nunquam poſſunt, vt inceſtuoſa ſiue propter cognationis ſiue propter affinitatis vinculum quod nuptias prohibet: itémque cum alterius ſponſo vel ſponſa, vel cum eunucho, vel eo morbi inſanabilis genere laborante inita, qui omnem coniugij re ipſa conſummandi ſpem tollat. Alia verò etſi initiò non valent, tamen poſtea confirmari poſſunt, veluti vel inter impuberes, vel abſque parentum, aut eorum qui parentum loco ſunt auctoritate, vel errore perſonæ, vel in futurum tempus duntaxat, vel adiecta conditione, vel per vim aut metum contracta. Quædam denique quum initiò valerent, poſtea non iam ab hominibus quàm à Deo ipſo diſſoluuntur, vt ſi adulterium ſponſus vel ſponſa commiſerit, ſi fidelem deſeruerit infidelis, ſi virgo non erat quæ pro virgine fuit deſponſata, ſi furor aut alius morbus perpetuus & inſanabilis, omnémque re ipſa implendi matrimonij ſpem adimens, morbus denique contagioſus, itémque & inſanabilis, ſponſalibus ſuperuenerit: quæ ſunt à nobis ſigillatim explicata. Iam ergo ad Diuortia veniamus.

Concluſio ſuperioris tractationis. Epitome totius tractationis.

DE DIVORTIIS.

MATRIMONII iam conſummati diremptionem Romani ἀφορμὴν [illegible] molliſſimo nomine diuortium à diuertendo vocarunt, quòd alter ab altero deflectat: qua de re non tantùm Verbo Dei, ſed etiam legibus tum Ciuilibus tum Eccleſiaſticis cautum eſt, quas hîc quoque cum Dei Verbo comparabimus, quatenus quidem ad rem nobis propoſitam faciunt. Hoc enim vnum quærere nunc conſtituimus, quænam diuortia poſſint bona conſcientia inter Chri-

ſtianos vſurpari, & quæ ſit illorum vis, vt nihil niſi ex bona fide, in re præſertim tanti momenti, à quoquam agatur. Hinc autem potiſſimùm exordiemur.

Quod de ſponſalibus dictum eſt, quædam videlicet non propriè repudio diſſolui, quoniam ipſo iure nulla ſint, id quoque de coniugiis exiſtimandum eſt, nempe tum demum eſſe locum diuortio, quum vera & rata coniugia dirimuntur. Itaque impropriè dicitur diuortium inter eos fieri inter quos nunquam verum coniugium fuit. Nos igitur itidem priore loco dicemus de coniugiis quæ ſpecie tenus coniugia ſunt, ſiue ipſo iure nulla: quoniam videlicet ea coniunctione alter in alterius corpus nullum ſibi ius acquiſiuit. Videtur autem res tota vno verbo poſſe tranſigi, nempe ſi dicamus, quoties vel inutilia fuerunt ſponſalia, vel legitimo repudio dirempta, inutilia quoque eſſe coniugia, ex inutili principio videlicet profecta: ſed illud perpetuum non eſt, quoniam (vt in extremo ſuperiore tractatu diximus) quædam ſponſalia ita ſunt ipſo iure nulla vt tamé ſubſequentibus nonnullis validari poſſint.

Sic ergo potiùs hanc regulam conſtituamus. Quoties ſponſalia vel vſque adeò ſunt ipſo iure nulla, vt confirmari nulla ratione poſſint, vel legitimo repudio diſſoluta ſunt, inutilia quoque ſunt coniugia, etiam ſi benedictio Eccleſiæ, atque adeò copulatio corporum, ſit conſequuta, veluti ſi inceſtuoſa ſit coniunctio ſiue propter cognationem, ſiue propter affinitatem: item ſi cum vero eunucho, aut eo qui alio eiuſmodi perpetuo & inſanabili morbo laborabat, aut cum alterius ſponſa vel vxore, ſiue dolo ſiue errore, contractum coniugium fuiſſe deprehendatur. Et hæc quidem plana ſunt.

Verùm quid iuris conſtituendum eſt, iis ſponſalibus præcedentibus quæ quum initiò inutilia eſſent, poſtea tamen confirmari potuerunt? nempe ſi quid incidit quo ſublatum ſit vitium ſponſalium, ratum erit coniugium, veluti,

Si ſponſalia in futurum tempus, vel ſub conditione tantùm, contracta, concubitus ſequatur:

Si deſponſi ex parentum conſenſu impuberes, ætatis defectum ſupplente malitia, coierint:

Si ſponſalibus quamuis per vim aut metum, aut abſque parentum conſenſu initis, poſtea de voluntario conſenſu apparuerit:

Si errore perſonæ vel qualitatis cognito, de vlla conſenſionis ſpecie conſtiterit:

Si cum furente ſponſo vel ſponſa coitum ſit.

Quorum omnium hæc ratio eſt, quòd ſubſequente copula vel conſenſu, pars alioqui læſa iuri ſuo manifeſtè, ſciens prudens, renuntiarit. Et ita quidem tranſactum videri poſſet de cõiugiis ipſo iure nullis, niſi quædam oborirentur difficultates, ſigillatim nobis explicandæ.

An parentes matrimonio iam conſummato poſſint intercedere. Primùm enim, ſi fortè ſpõſalibus abſque parentum conſenſu factis, benedictio per fraudem aut malis artibus impetrata, ac multò magis ſi copula ſubſequuta ſit, quæritur, an parentibus, aut qui parentum loco ſunt, iſtiuſmodi coniugium ipſo iure nullum eſſe contendentibus, ſecundum eos ſit iudicandum. Reſpondeo, ſi parentes neque vltro (quod videtur in Eſau matrimonio factum) neque rogati, ſubſequente conſenſu rem alioqui non ritè factam confirmarint, & iuſtam ſuæ recuſationis cauſam habuerint, nullum contractum matrimonium videri, cui videlicet deſit quod præcipuum eſt, nempe Dei auctoritas, (quoniam videri non poteſt Deus cõiunxiſſe quos, neglecto ipſius æquiſſimo mandato, intemperans & effrænis cupiditas conciliauit) ac etiam legitimus conſenſus, quum ij qui ſui iuris non ſunt, conſenſiſſe videri non poſſint.

Obiectio 1. Diluendæ ſunt tamen contrariæ rationes, quarum vna hæc eſt. Dixit Dominus, *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Refutatio. Concedo ita id eſſe: ſed nego auctorem eſſe Deum eius coniunctionis quæ non niſi violatis ipſius legibus coiit: quanquam ſi poſtea ſubſequatur parentum tacitus vel expreſſus conſenſus, videtur & ipſe Dominus peccatum præcedens pro ſua miſericordia condonaſſe.

Obiect. 2. Altera ratio hæc eſt. Scriptum eſt, *Homo relinquet patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Ergo non videtur eò vſque protendi patria poteſtas, vt re ipſa perfectum coniugium dirimat. Refut. Reſpondeo, id non eſſe dictum niſi de veris & legitimis matrimoniis, quorum videlicet tam arctum eſt vinculum, vt ſi fortè vel parentes ſint relinquendi, vel vxor deſerenda, potiùs ſit adhærendũ vxori. In coniunctione verò nefaria quî poſſet videri Dominus à patriæ poteſtatis iure, cuius ipſe aſſertor eſt & vindex, liberos manifeſtè rebelles & contumaces abſoluiſſe?

Obiect. 3. Conc. Later. ſub Innoc. 3. can. 51. & alibi paſſim in canonibus & decretis. Tertio loco opponitur Eccleſiaſticæ benedictionis auctoritas. Reſpondeo, inhibitam eſſe iam olim iuſtiſſimis de cauſis iſtiuſmodi clandeſtinorum matrimoniorum benedictionem: quæ ſi fraude, vel aliis malis artibus extórta fuerit, non modò non imminuitur, verùm etiam aſſeritur Eccleſiæ auctoritas, quum irritum cenſetur quod vel fraude & dolo malo eſt ab ea impetratum, vel cum ipſius detrimento à corruptis eiuſdem miniſtris conceſſum.

Obiect. 4. Refut. 1. Sed & illud obiicitur à quibuſdam, conſenſum facere nuptias: ſed hoc prorſus ineptè profertur hoc loco, quum certum ſit, (vt paulò antè dixi,) conſenſum ei non tribui qui ſui iuris non ſit.
2 Eſto tamen ſanè conſenſus aliquis, quoniam nihil ab inuitis factum eſt: conſtat tamen de ſolo legitimo conſenſu dictum illud eſſe intelligendum. Conſenſiſſe verò in clandeſtinum eiuſmodi matrimonium, quid aliud eſt quàm in Legem Dei, ipſámque naturæ honeſtatem, & æquitatem conſpiraſſe?

Obiect. 5. Refut. 1. Præterea & illud opponitur, ſic fieri iniuriam perſonæ quæ ſeparatur. Reſpondeo, etiam ſi ita eſſet, iniquum tamen eſſe vt irriſi parentes peiore loco ſint ea perſona quã altius habuerit ludibrio. Neque enim hìc inter ſe comparandæ ſunt iniuriæ, vt potior ſit eius conditio cui maior facta eſt iniuria:

Iniuria:ſed illud potiùs diſpiciendum eſt,vt vterque ius ſuum aduerſus nocentem obtineat. At enim,inquies,quomodo tandem in integrum reſtituetur cui reddi pudicitia ſemel amiſſa non poteſt? a Reſpondeo,niſi quid meliùs poſſit à parentibus obtineri, habendam eſſe potiſſimùm eorum rationem quorum culpa nulla eſt: & quum meritò eſſe in culpa cenſeatur qui ius gentium omni æquitati & honeſtati repugnando,in re præſertim tanti momẽti,tranſgreſſus eſt: meritò ſecundũ parentes potiùs quàm ſecundum eam perſonam, quæ ſi decepta eſt, rectè præſumitur volens decepta,iudicandum videri. Quoniam tamen multæ hìc inſidiæ incautis & imprudentibus fieri ſo- 3 lent,neque iſta facilè iure publico offendiculo reſcindi poſſunt,Chriſtiani Magiſtratus officiũ eſt, potiùs æquis legibus ne quid eiuſmodi eueniat occurrere, & ſi fortè euenerit, ſic omnia temperare,vt neque nocentibus proſit dolus malus,neque priuatæ iniuriæ maior ratio quàm Eccleſiæ totius habeatur. Quid igitur de illo Tridentini conciliabuli canone cenſebimus? *Tametſi*, inquiunt, *dubitandum non eſt clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera matrimonia eſſe,quandiu Eccleſia ea irrita non fecit,& proinde iure damnandi ſunt illi,vt eos ſancta Synodus anathemate damnat,qui ea vera & rata eſſe negant: quique falsò affirmant matrimonia à filiis familiâs ſine conſenſu parentum contracta,irrita eſſe,& parentes ea rata vel irrita facere poſſe:nihilominus ſancta Dei Eccleſia, ex iuſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt,atque prohibuit.* Rectè quidem in eo Synodus quòd eiuſmodi coniugia deteſtatur & prohibet,(quanquam quorſum hæc tendant nemo ignorat, quum vel minimo accepto pretio iſta omnia interdicta redimantur)ſed quod nihilominus ſi contracta fuerint, rata illa & vera eſſe,adiecto etiam anathemate,pronunciat, quis eam meritò non execretur, quæ leges omnes diuinas & humanas execratur,quæ ius ipſum gentium palàm violat,quæ deniq; conſenſum,& quidem liberum,tribuit perſonis in aliena poteſtate poſitis? Quòd ſi ex Patrum ſenten- 2 tia malunt rem decidi,age quid cenſet Euariſtus & ipſe Romanus Epiſcopus? *Aliter*, inquit,*præſumpta coniugia*(dixerat autem petendam vxorem ab iis in quorum eſt poteſtate,& à quibus cuſtoditur) *non coniugia,ſed adulteria,vel ſtupra,aut fornicationes potius quàm legitima coniugia eſſe non dubitatur.* At iſte porcorum grex,teſte ipſorum Paſquillo, Tridenti nuper congregatus,non dubitat vera & rata eſſe coniugia. Vtris credemus? Certè non diſſidet à ſeipſo Spiritus ſanctus,quẽ illi ferunt ſuæ illi cathedræ ſic deuinctum,vt qui in ea ſedet,errare non poſſit. Negant etiam errare poſſe Concilia. Mentitum tamẽ eſſe vel Euariſtum vel Tridentinos Patres neceſſe eſt. Ego neque illi neque illis addictam fidem noſtram arbitror. Quia tamen probandi ſunt ſpiritus, quis Euariſtum in ea re ex Dei verbo loquutum non videt, Tridentinos autem Patres à patre mendacij afflatos? Quid verò Baſilius? ſi modò ipſius eſt ad Amphilochium epiſtola: *Eorum qui ſunt in alterius poteſtate,pacta conuenta firmi nihil habent.* Et rurſum, *Quæ ſine iis qui habent poteſtatem fiunt matrimonia, ſunt fornicationes. Nec ergo viuente patre,nec domino,ij qui conueniunt*, (id eſt,qui eiuſmodi coniugij obtentu vnà viuunt)*ſunt ab accuſatione liberi, donec domini*,(id eſt,in quorum poteſtate ſunt) *coniugio annuerint. Tunc enim accipit firmitatem coniugium.* Quomodo igitur, boni Patres,rata ſunt coniugia abſque parentum conſenſu contracta, ſi Baſilio credimus conſentanea verbo Dei, hæc quidem in re,ſcribenti? Nempe aliter vobis libet,qui à nemine ſcilicet iudicandi eſtis. Ita igitur miſer Euariſte,ita iam infœlix Baſili,vt cæteros taceam,expuncti eſtis ex beatorum albo, imò ad inferos vſque Neptuni Romani tridente deturbati. Quis autem hic furor eſt,Reges & principes, in illius tam præfractæ lupæ gratiam, vt iſta egregia decreta omnibus obtrudatis, cœlum & terram vltro commouere? At ego Pauli non illa commentitia, ſed vera ac rata auctoritate fretus, non dubitem contrarium,ipſis è cœlo ſanctis Angelis conſentientibus,his verbis concipere: *Qui tum porcorum grege à legione Dæmoniorum obſeſſo, & Tridenti ad opprimendam veritatem coacto, dixerit contra Dei Verbum & ius gentium, ac veterum Patrum ſententiam, ſeu ſponſalia, ſeu coniugia à perſonis quæ ſui iuris non ſunt contracta, abſque eorum conſenſu in quorum ſunt poteſtate, vera & rata eſſe, execrabilis eſto, Amen.*

Obiect. 6 Tridentini cõc. ſeſ. 24. decr. c. 1.

Refut. 1.

Euariſt. epiſt. 1.

Euariſtus.

Baſil. epiſt. 1. ad Amphil. can 40. & 42.

Baſilius.

Sed & illud non temerè quæritur,ſitne ſtatuendum inutile matrimonium,& ipſo iure nullum, ſi poſt nuptiarum benedictionem & thorum communẽ morbus perpetuus & inſanabilis,qui mutuum corporum vſum penitus tollat,veluti manifeſtiſſima frigiditas,genitalium priuatio,muliebrium partium coarctatio quæ nullum remedium patiatur,aut vitium denique aliquod eius generis apparuerit. Reſpondeo in hac ſpecie,magna & exacta circunſpectione opus eſſe,quoniam ſi quid re ipſa,vel ex nuda præſumptione attentatum eſt,contracta ſaltem videtur affinitas,& tutius eſt pro eiuſmodi matrimonio quàm contra matrimonium iudicare, quum præſertim ad communem vſque thorum peruentum eſt. Si tamen eiuſmodi vitium eſſe conſtiterit vt nullam fuiſſe commixtionem neceſſariò conſequatur,æquum eſſe videtur,vt, quemadmodum de ſponſalibus diximus,nullum fuiſſe coniugium ſtatuatur:& grauiter pro facti circunſtantia in eum animaduertatur qui ſciens deprehenſus fuerit Eccleſiam & proximum, ipſámque adeò matrimonij puritatem ludibrio habuiſſe. Quid ſit verò ſtatuendum ſi quid eiuſmodi ſuperuenerit matrimonio iam re ipſa conſummato,ſuo loco dicemus.

De morbo inſanabili, & vſum matrimonii impediente.

Vim autem vel metũ poſt copulam non poſſe prætexi, vt nullum fuiſſe cõiugium iudicetur, niſi fortaſſe raptam potiùs puellam fuiſſe quàm in amplexus viri veniſſe prorſus conſtiterit, iam antea diximus. Cæterùm, quum inter Eccleſiaſticam benedictionem & thori communicationẽ aliquid interdum ſpatij interſit,præſertim quum vel inter abſentes cõtrahitur coniugium,vel quanuis altera perſona adhuc ſit immatura, tamen ad benedictionem vſque coniugij & imaginariam thori communicationem properatur,ſi nihil vlteriùs ſit conſequutum, adhuc liberum eſſe cenſeo, vim aut iuſtum metum probare, & modò circunſpectè & conſiderate omnia expendantur, quicquid

De vi & metu. c. 15 & 21. & 28 Extra. de ſpõſ. & c. 4. Extra. Qui matrim. accuſ. poſſ.

actum ſuit irritũ pronuntiare: ſicuti in coniugio Iohánæ Reginæ Nauarrenæ, palàm alioqui & ſolenni ritu, ſolo tamen imaginario concubitu cum duce Cliuenſi coniunctæ, ante aliquot annos factum omnes norunt.

De errore perſonæ. Illud quæritur denique, Si cum errore perſonæ, non modò facta ſint ſponſalia, verùm etiã concubitus ſit conſequutus, an nullum ſit iudicandum coniugium. Reſpondeo, id eſſe poſitum in perſonæ deceptæ arbitrio, vt vel iure ſuo vtens eam in quam nunquam conſenſit habeat pro extranea: vel vltro ſubſequente conſenſu, quod per ſe alioquin irritum eſt confirmet, ſicut à Iacobo factum videmus quum Leam apud ſe retineret. Et de coniugiis quidem inutilibus hactenus. Quid enim mihi de iis videatur quæ ſolo iure Ciuili nituntur, partim antea diximus, partim etiam infrà (Deo fauente) dicemus.

De ratis coniugiis, an vlla ratione, ac præſertim morte dirimantur. Nunc verò nobis de veris & ratis coniugiis dicendum eſt, num ea videlicet dirimi fas ſit: & ſi fas eſt, quibus iuſtis rationibus id fieri liceat. Mirus enim hac in re fuit artifex Satan, humani generis hoſtis, modò quidẽ, (quod difficile non fuit à pleriſque Impetrare, qui, quò ſunt ad libidinem ſponte naturæ propenſiores, eò magis optant coniugiorum vinculum relaxari) perſuadens quod mutuo quorundam conſenſu deuincitur, ab iiſdem quoque, vt cæteros contractus, mutua ſaltem diſſenſione, ac proinde publica ex certis cauſis auctoritate, diſſolui poſſe: modò verò apud homines religioſiores vſque adeò arctè matrimoniorũ nodum adſtringẽs vt ſeruandæ fidei obtẽtu conſcientias miſerè torſerit timore, vbi nullus erat iuſtus timor: donec tandem vtraque via graſſatus omnia fœdis libidinibus contaminauit. Cogit ergo nos ipſa neceſſitas duo quærere, & in primis quidem, illud quod alioquin optimo iure poſſet ſuperuacaneum videri, num videlicet vlla ratione quod ſemel ratum fuit matrimonium diſſolui poſſit: deinde quibus de cauſſis iuſtè diſſoluatur.

Saltem igitur morte diſſolui matrimonium, quis non miretur iam olim fuiſſe dubitatum, & adhuc à quibuſdam ambigi? Nam de quibuſdam cauſis meritò dubitari potuiſſe fateor: morte verò, termino humanæ vitæ, neceſſariò finiri quoque nuptias prodigioſum eſt negari à quoquam potuiſſe. Eſt autem de hoc dubitatũ partim inter eos qui portentoſis & impiis illis fictitiorum omnis ſexus Deorum coniugiis, ac etiam inceſtis & adulteriis, omne vitæ præſentis & futuræ diſcrimen ſuſtulerunt: partim ab illis etiam qui σαρκὸς ψυχαῖς nimium indulgentes, (quòd meliorem in his ducem non haberent quàm naturam, tum quoque à recta via plurimum aberrãtem, quum rectum iter ſibi videtur inſiſtere) opiniones quaſdam ſub pietatis ſpecie blandientes tanquam κενὰς λέξεις ſunt amplexi. Confirmarunt hæc deliria poſtea nonnulli, qui horum & illorum errores animaduerterunt quidem, ſed ita vt non multò magis ſaperent. Et illis igitur & iſtis qui ſibi perſuaſerant inſtituta in præſente vita coniugia morte interrumpi potiùs quàm finiri, fuit quædam religio coniugia repetere, iis mortuis quos viuos tantopere dilexerant: quod tamẽ fœminis potiùs quàm viris vſuuenit, vnde illa apud Poetam,

Ille meos primus qui me ſibi iunxit amores
Abſtulit, ille habeat ſecum, ſeruétque ſepulchro.

Cui contrà ſic reſpondet ſoror minus ſuperſtitioſa,

Id cinerem aut manes credis curare ſepultos?

Huius autem non minùs ambitioſæ quàm ſtultæ ſuperſtitionis exempla mirum eſt repetere voluiſſe maximos viros Tertullianum & Hieronymum, quibus etiam addat quiſpiam, ſi volet, nõnullos recẽtiores rhapſodos, vt his veluti fulcimẽtis corruens alioqui ſuæ monogamiæ dogma ſuſtentarent. Qui verò iſtis poſtea ſucceſſerunt perinde mihi videntur feciſſe, vt ſi quis cum alio in eodem mari nauigans, ita eſſet in ſociũ periclitantem intentus, vt incautus interea in nihilo minùs periculoſos ſcopulos nauẽ impingeret. Dãnant igitur iſti Sadducæos, vt qui errarẽt & Scripturas neſcirẽt: dãnant quoq; Mõtaniſtas & Catharos. Interea tamen benedici nolunt ſecundis nuptiis, idque quaſi prior non ſit obliterata benedictio: & digamos vocãt, qui tamẽ, modò ſint vnius ſine ſecundæ, ſiue tertiæ, ſiue quotæcunque vxoris legitimi mariti, verè ſunt monogami: eóque prætextu à ſacris tractandis quaſi quadã adulterij ſpecie pollutos illos arcẽt. Hæc verò quibuſcunq; tãdem coloribus à nõnullis illiniantur, manifeſtæ ſunt veterũ illorũ deliriorũ reliquiæ, quas ſani omnes homines meritò deteſtãtur. An igitur, dicet fortaſſe quiſpiã, eos dãnas qui matrimoniũ non repetunt? minimè verò, ſi modò cõtinẽtiæ donũ habuerint, quod quàm rarũ ſemper fuerit vel illa Pauli ad Timotheũ de nõnullis viduis querela declarat. Itaque malim cum Apoſtolo iunioribus ſuadere nuptias, quàm cũ Hieronymo ad cœlibatũ, ſuperſtitioſiſſimæ neſcio cuius ſanctimoniæ prætextu, allicere. Sed hîc à nobis non alia ratione de ſecundis nuptiis quæritur, quàm vt matrimonij vinculũ liqueat aliquo modo verè diſſolui, quod alij quidẽ apertè, vt dixi, negant: alij ſic fatentur, vt tamen alio circuitu ad eundẽ ſcopulum impingant. Nos verò ex Verbo Dei potiùs ſapiamus: & quum Polygamiã ſciamus diuinis legibus aduerſari (qua de re ſuperiore tractatione diximus) &

1 cor 7.39. 1.Tim.5.14. tamen ſecundas nuptias expreſſis verbis ab Apoſtolo non concedi tantùm, verùm etiam ſuaderi, & quibus expedit præcipi: ſtatuimus quod inde manifeſtè conſequitur, morte videlicet matrimonia verè diſſolui: quoniam alioqui cuius maritus mortuus eſt, in Domino nubere non poſſet: neque rectè ſcripſiſſet Apoſtolus, mortuo viro vxorem liberã eſſe, vt ſi alteri nupſerit, adultera non

Rom. 7.3. habeatur. Hoc verò ſi non re ipſa, verbo tamen nobis ipſi quoque legis cœlibatus defenſores, ſat ſcio, cõcedent: ſed hoc adiiciẽt, alia nulla ratione quàm morte matrimonia ſemel rata diſſolui, quoniam videlicet quod Deus cõiunxit homo disiungere non poſſit. Atqui ſæpe homines hominibus

c 18.33.q 1. mortem infligunt. Nempe, excipient illi, quoniam hoc ordinat, vel, vt ipſi loquuntur permittit

Deus

Deus: qui proinde videtur, quoties id euenit, matrimonij nodum ipſemet non tam dirimere quàm ſecare. Ergo, boni viri, illud inter nos iam conueniat, tot modis, ſiue is vnus ſit ac ſingularis, ſiue multiplex, coniugia quantúuis rata diſſolui, quot ſunt à Deo ſiue ordinati, ſiue (vt vos mauultis) conceſſi: & an aliis etiam modis coniugia etiam maximè rata dirimantur, age diſceptemus.

Duo ſunt autem quæ hîc affirmo: vnũ, duobus præterea modis cõiugia ex Dei verbo, ac proinde auctore Deo, dirempta cenſeri, nempe adulterio & deſertione, quãuis non eadem ſit adulterij quàm deſertionis ratio. alterum, nullã hîc eſſe hominum, imò ne Angelorum quidẽ auctoritatem ad nouas leges de plenis ac veris diuortiis ferendas, ſed hac in re penitus acquieſcendum eſſe in vno Dei verbo. De vtroque ſigillatim dicemus, ac de illo quidem priore loco.

Adulterio igitur coniugium rectè & bona conſcientia dirimi poſſe affirmo expreſſis hac de re Christi verbis. Quum enim videret Chriſtus legem de lapidandis adulteris latam (vt & alias pleraſque) contẽni, cauere tamen conſcientiis voluit: ideóque interrogatus an, vt facere plurimi ſolebant, quauis ex cauſa diuortij libellum tradere liceret, ſic reſpondit vt non tantùm negaret id fas eſſe quauis ex cauſa, verùm etiam exprimeret, nulla id ex cauſa niſi ob adulteriũ licere: quibus verbis nihil planius aut magis perſpicuum dici poteſt. Itaq; nullus adhuc eſt, quod ſciam, inter Chriſtianos ſeu veteres ſeu recentiores inuentus qui non conceſſerit, probato adulterio, fas eſſe innocenti nocentem dimittere: ſed plerique excogitata diſtinctione inter ſeparationem à thoro & diſſolutionem ipſius coniugalis vinculi, quod rectè prius conſtituerant mox euertunt, quum noui coniugij poteſtatem ſeparatis non concedunt: cuius ſententiæ quum etiã Auguſtinus ipſe fuerit, neceſſe eſt in primis oſtendere quàm firmis rationibus omnia contraria argumenta doctiſſimi Theologi noſtra memoria diluerint.

Adulterio penitus diſſolui matrimonii vinculum. Matt.5.32. & 19.9.

Primùm opponunt illi iſtud Chriſti dictum, *Qui repudiatam duxerit, mœchatur.* Nam certè ſi penitus ſolutum eſſet vinculũ, mœchari vir eiuſmodi non diceretur. Reſpondeo, exceptionem priori membro additam, in poſteriori quoque eſſe repetendam. Nam ſi qui dimittit vxorem extra cauſam fornicationis facit vt ea mœchetur, cõſequitur eum qui vxore propter adulteriũ repudiata aliã duxerit, nõ facere vt ea mœchetur. Ex quo rurſum colligitur, id quod ſubiicitur apud Matthæum de repudiata, non niſi repetita ex priore membro exceptione intelligendũ, quoniã Dominus alioqui ſibi ipſi contradixiſſet. At enim obiiciẽt illam exceptionem adulterij apud Marcum & Lucam non adſcribi. Reſpondeo, nouum hoc non eſſe vt apud vnum Euangeliſtã illud exprimatur quod alij reticuerunt, & tunc locos magis conciſos eſſe ex plenioribus explicandos. Præterea illud quoque obſeruandum eſt, etiam ſi apud Matthæum illa exceptio addita non eſſet, ne hoc quidem contra nos facturum. Nam de diuortiis propter adulterium neque Phariſæi quæſiuerunt, neque propriè reſpondendum fuit Chriſto: applicanda enim eſt reſponſio ad interrogationem. Rogatus autem fuit Chriſtus non an aliquam ob cauſam, veluti ob adulterium, liceret diuortium, ſed an ob quamuis cauſam diuortium in foro conſcientiæ concedatur. Itaque neque apud Marcum, neque apud Lucam longiùs trahendum eſt Chriſti reſponſum, niſi exceptionem ex Matthæo ſuppleas.

1 Obiect.1. Matt.5.32. & 19.9. Reſut.1. 2 3

Secundum illorum argumentum nititur hoc Chriſto dicto, *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Deus autem virum & mulierem coniunxit: ergo homini nullo modo licet illud vinculum ſeparare. Concedo totum illud argumentum, ideóque non aſſentior iis qui putant Magiſtratibus licere nouas diuortiorum leges concedere: ſed nego diuortij propter adulterium auctores eſſe homines, quum Dominus iam olim adeò expreſſè voluerit adulterio matrimonia diſſolui, vt etiã adulteros morte punierit: & poſtea rurſum Chriſtus conſulens conſcientiis, propter Magiſtratuum negligentiam adulterium exceperit, quum de diuortio non licito diſſereret.

Obiect.2. Matt 19. Refutatio. c.11. q.2.

Tertium eorundẽ argumentũ petitum eſt ex his Pauli verbis: *Mulier ὕπανδρος viuenti viro deuincta eſt per Legem.* Item, *Mulier, viuente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit alterius viri.* Manet ergo vinculum etiã poſt diuortium. Atqui Apoſtolus ibi non agit de cauſis diuortij, ſed arripit ex cõiugio ſimilitudinem, quatenus id argumento propoſito conueniebat. Præterea nego huius argumenti 2 conſecutionem. Nec enim intelligitur antecedens de matrimonio per adulterium ſoluto, ſed de 3 matrimonio conſtante. Nego quoque vxorem adulterij damnatam eſſe ὕπανδρον. Etſi enim adhuc is eſt ſuperſtes qui vir ipſius fuit, non eſt tamen amplius vir ipſius, nec ipſa poteſt eſſe ſimul mariti & adulteri caro. Idem autem viciſſim de marito adultero conſtituendum eſt.

Obiect.3. Rom.7.2. & 3. Reſut.1.

Quartum argumentum torquent ex illa eiuſdem Apoſtoli ſententia, *Vxor eſt obſtricta lege, quãdiu vir eius viuit.* Reſpondeo, Apoſtolum ibi nõ agere de diuortij cauſis, ſed tãtùm docere viduas, ſoluto per mortem matrimonio, poſſe bona conſcientia ad ſecundas nuptias conuolare: & reſpondiſſe quod ordinarium eſt, & ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ accidit, quaſi præſupponentem inter fideles quibus ſcribebat, vix alia ratione quàm morte matrimonia diſſoluenda.

Obiect.4. 1.Cor.7.39. Reſut.

Quinto loco obiiciunt & illud, *Vxor à viro ne diſcedito: quòd ſi diſceſſerit, maneat innupta, aut viro reconciliator: & vir vxorem ne dimittito.* Reſpondeo, Paulum hîc non agere de diuortio, ſed de diſſidiis quæ propter ſimultates inter coniuges interdum oriuntur: adeò vt interdum vna pars ab altera ſecedat. Quod ſi euenerit, non vult Apoſtolus eiuſmodi diſceſſione ſolui matrimoniũ. Hoc autem ita eſſe manifeſtè indicant Apoſtoli verba qui inquit in genere: *Vir vxorem ne dimittito, & vxor à viro ne diſcedito.* Quid ſi enim adulterio peccarit altera pars, an non innocenti licebit ſaltem à nocente diſcedere? Relinquitur ergo verum eſſe quod diximus, nempe Apoſtolum de ſimultatibus & rixis, non de vero diuortio loqui: quod mirum eſt Auguſtino in mentem non veniſſe.

Obiect.5. Reſut.

Obiectio 6. c 3 32 q 2. Sextum argumentum eſt eiuſmodi, Si concedantur poſt diuortium ſecundæ nuptiæ, periculum
Refutatio. eſt ne qui nouum matrimonium affectat, facilè falſam criminis accuſationem intendat. Reſpondeo, nullum inter homines negotium eſſe in quo vitari poſſint omnia pericula: ſed prudentis eſſe iudicis de accuſatione rectè ſtatuere: quòd ſi præterea Magiſtratus ſuo officio fungatur, id eſt, adulteria ſicuti par eſt vindicet, minimè timendum erit ne coniugis tædio quiſpiam adulter fiat.

Obiectio 7. Septimum argumentum, Si poſt diuortium conceſſæ eſſent alteræ nuptiæ, hoc fieri oporteret in fauorem perſonæ innocentis: quòd ſi nocenti perſonæ concedantur, grauabitur Innocens, no-
Refutatio 1. cens verò ſui ſceleris præmium feret. Vtinam verò magiſtratus officio ſuo fungeretur: tum enim nullus eſſet iſtiuſmodi quæſtionibus locus. Verùm vtcunque ſit, quum ſecundas nuptias poſt diuortium ita concedamus, vt tamen eas nocenti perſonæ non niſi maximis de cauſis permittamus,
2 ſic facilè huic incommodo occurretur. Deinde ſic iſtud argumentum retorqueo, Niſi nocenti perſonæ liceat poſt diuortium ſecundò nubere, lueret pœnas alieni ſceleris: quod indignum eſſet.

Obiectio 8. Refutatio. Præterea ſic etiam colligunt, Vni viro plures vxores habere non licet. Reſpondeo in hoc argumento eſſe petitionem principij. Præſupponit enim idipſum de quo quæritur, manere nẽpe vinculum matrimonii etiam poſt diuortium. Concedo igitur vni viro non licere plures vxores habere: ſed addo, vxorem eſſe deſiiſſe quæ propter adulterium à viro ſe ſeparauit.

Obiectio 9. Nonum eorum argumentum eſt huiuſmodi, Matrimonium eſt ſacramentum cuius manet cha-
Refutatio 1. racter: itaque diuortio non penitus deletur. Reſpondeo primùm, ineptiſſimè matrimonium inter ſacramenta numerari, id eſt, inter inuiſibilis gratiæ ſigna, ſicut etiam à veteribus nunquam fuit inter ſacramenta numeratum, niſi nomine ſacramenti latiſſima ſignificatione accepto: qua de re nũc
2 diſceptare noſtri non eſt inſtituti. Deinde, etiam ſi daremus matrimonium ex ipſorum ſententia ſacramentum eſſe, cur obſecro perpetuum eſſe ſtatuitur? Nam hoc quoque alia ratione probandum ſupereſſet.

Obiectio 10. Denique hoc etiam obiiciunt: Eccleſia vetus impoſuit aliquam pœnitentiam eiuſmodi ſecundis nuptiis, vt apparet ea Canone ſeptimo Synodi Neocæſarienſis: id quod etiam cõfirmatur ver-
Refutatio 1. bis Hieronymi in Epitaphio Fabiolæ. Reſpondeo, multos etiam in veteribus Canonibus nzuos eſſe, quibus omnibus ſemel opponendum eſt illud dictum Apoſtoli, *Qui non poteſt continere, nubat.* Nam certè ſi quod in ea re peccatum eſſet, nunquam id ſuaſiſſet Apoſtolus: vbi autem pecca-
2 tum non eſt, nullus eſt pœnitentiæ locus. Deinde apparet hanc ſeueritatem non omnibus placuiſ-
Orig. hom 7. in Matth. ſe. Nam Origenes excuſat eiuſmodi nuptias. Ambroſius manifeſtè concedit marito, quod teſti-
Ambroſ. in 1. Cor. 7. monium facetus eſt Gratianus ſic eludens, vt dicat à falſatoribus inſertum eſſe Ambroſij operi-
Hieron. ad Amandũ, & in Epitaph. Fabiolæ. bus. Hieronymus quoque, quamuis alibi ἀκριβολογῶν eiuſmodi coniugium vituperet, & mentionem faciat pœnitentiæ, quæ hoc nomine fuerat Fabiolæ iniuncta, tamen hucuſque non progreditur, vt dirimendum dicat coniugium, quod ipſemet excuſat ac tuetur. Imò Auguſtinus ipſe, quo nullus
Auguſt. de fide & op. lib. c. 19 alioqui acriùs contrariam ſententiam defendit, tamen alicubi ſic ſcribit: *In ipſis diuinis ſententijs,* inquit, *ita obſcurum eſt vtrum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur ſi alteram duxerit, vt, quantum exiſtimo, venialiter ibi quiſque fallatur.* Epiphanius verò aduerſus
Epiphanius. Catharos hæc ſcribit: Ἕνεκεν τινὸς προφάσεως, πορνείας, ἢ μοιχείας, ἢ κακῆς αἰτίας χωρισμοῦ γενομένου, συναφθέντα δευτέρᾳ γυναικὶ, ἢ γυναῖκα δευτέρῳ ἀνδρὶ, οὐκ αἰτιᾶται ὁ θεῖος λόγος, οὔτε ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς ζωῆς ἀποκηρύττει, ἀλλὰ διαβαστάζει τὸ ἀσθενές, οὐχ ἵνα δύο γυναῖκας ἐπὶ τὸ αὐτὸ σχῇ, ἔτι περιούσης τῆς μιᾶς, ἀλλ' ἀπὸ μιᾶς ἀποσχεθεὶς δευτέρᾳ εἰ τύχοι κατὰ νόμον συναφθῆναι, ἐλεεῖ τοῦτον ὁ ἅγιος λόγος, καὶ ἡ ἁγία θεοῦ ἐκκλησία, μάλιστα εἰ τυγχάνει ὁ τοιοῦτος τ' ἄλλα εὐλαβὴς, καὶ κατὰ θεοῦ νόμον πολιτευόμενος. Sic enim locus ille emendandus eſt, qui in codicibus excuſis deprauatè legitur. Id eſt, *Separatione facta alicuius occaſionis gratia, putà ſcortationis, ſiue adulterij, aut malæ alicuius cauſæ, diuinus ſermo non accuſat, neque ab Eccleſia & vita excludit eum qui alteri vxori fuerit coniunctus, aut vxorem alteri viro nuptam, ſed eius imbecillitatem tolerat: non ita tamen vt duas vxores, altera adhuc ſuperſtite, retineat: ſed ſi ab vna ſeiunctus cum alia legitima fuerit coniunctus, miſeratur eum ſanctus ſermo, & ſancta Dei Eccleſia præſertim ſi eiuſmodi quiſpiam alioqui fuerit Dei timens & ex lege diuina in Ec-*
Conc. Arelat. 1. c. 10. *cleſia verſatus.* Sed & Arelatenſis prima Synodus, quæ & ipſa ad Nicænæ Synodi tempora refertur, cohortationis tantùm ſiue conſilii meminit: tantum abeſt vt ſeparari ſic coniunctos iubeat. Vtitur enim his verbis: *De ijs qui coniuges ſuas in adulterio deprehendunt, & ſunt adoleſcentes fideles, & prohibentur nubere, placuit vt in quantum poteſt conſilium eis detur, ne viuentibus vxoribus ſuis licet adulteris,*
c 19 20. 21. 22. 23. 24. 32. q 7. *alias accipiant.* Sed & Canonici, quantumuis hac in re rigidi, tamen ſi inceſtuoſum fuerit adulterium, alteras nuptias innocenti concedunt, vt hanc ſaltem ſpeciem excipi oportuerit: quamuis peculiaris iſtius diſcriminis ratio ab ipſis afferatur, quoniam videlicet à conſanguineo polluta, ne ſi velit quidem fas eſſe videtur ad priorem maritum reuerti, cuius tamen mariti conſcientiæ quum ſit conſulendum, idcirco alteræ nuptiæ ipſi neceſſitate quadam conceduntur, ſi continere nõ po-
c. 18. § Sed & illud, ibid. c. 26. 32. q. 2. teſt. Hanc enim rationem Gratianus, ipſis fortaſſe Canonum iſtorum auctoribus ingenioſior videri volens, expreſſit: & tamen illi ne hac quidem in re ſibi conſtant, quum ipſi inceſtuoſo alicubi faciant noui cõiugii poteſtatem. At ego in primis dico nefas fuiſſe, quod Chriſtus generaliter edixit ad inceſtuoſa adulteria reſtringere. Deinde hoc etiam addo, quum Eccleſiæ Paſtores non in hac tantùm ſpecie, verùm etiam quibuſcunque de cauſis in periculum vſtionis inciderint ouiculæ, oporteat, ex Apoſtoli exemplo ac etiam norma prouidere, ne in Satanæ laqueos ſiue illius Leonis rabidas fauces incidant: nec ſatis prudentes, nec vt oportuit ſollicitos hac de re fuiſſe, qui hoc vno excepto incommodo, cætera neglexerunt, quum innocentem vel ad nocentem perſonam iterum non tam voluntate quàm neceſſitate recipiendam, vel ad ea quæ maiora viribus eſſent experienda ſuis illis iniquiſſimis canonibus cogerent.

Sed

Sed excipiet fortaſſe quiſpiam, non ex iſtis, quibus nihil minùs curæ eſt quàm vt cõiugia ſanctè Obiect. ΙΙ.
& pudicè colantur, ſed ex eorum numero quibus propter inueteratum morem ita ſunt inſolentes
iſtæ poſt diuortium nuptiæ, quãdiu ſuperſtes eſt quæ fuit repudiata, vt ex præiudicio potiùs quàm
legitimo iudicio damnent noſtrarũ Eccleſiarum morem: excipiet, inquã, fortaſſis iſtorũ quiſpiam,
vetitis alteris nuptiis, ſic optimè ad reconciliationem, quam ipſa charitas imperet, non tantùm al-
lici, verùm etiam trahi, quos Reipublicæ Chriſtianæ maximè intereſt reconciliari, potiùs quàm vt,
nouo inito coniugio, omnis ſpes reconciliationis tollatur. Ego verò (vt nunc omittam quod à Reſpon. I.
quibuſdam in contrariam partem diſceptatur, quaſi videlicet dimittere potiùs innocens perſona
nocentem quàm illi reconciliari teneatur, quibus certè nõ aſſentior) probo quidem eorum volun-
tatem qui reconciliandis potiùs quàm, ſublata omni ſpe inſtaurationis, ſeparandis cõiugibus ſtu-
dent: tamen veluti altero oculo captos eſſe dico qui in hoc vnum ſunt ita intenti vt nocentem in-
nocenti reconcilient, vt interim perexiguam habeant innocentis rationem. Nam certè paſtor ille
quem pro exemplo proponit Chriſtus, ita ſollicitus eſt de vnica oue quæ aberrauit recipienda, vt
tamẽ alias nonaginta nouem non lupis expoſitas, ſed in tuto potiùs collocatas veluti ad tempus
relinquat. Adhibeantur ergo tempeſtiuæ exhortationes: inculcentur quæ charitati mutuæ conue-
niunt: ne innocenti quidem liceat, incõſulta Eccleſia nouum cõiugium inire, nedũ vt hoc nocenti
concedatur: quæ omnia, per Dei gratiam, teſtari poſſum ſedulò in hac Geneuenſi Eccleſia fuiſſe
adhuc obſeruata, quoties aliquod eiuſmodi offendiculum incidit priuſquàm iuſtiſſima illa lex de
capitali adulterorum pœna, communi ciuium ſuffragio ferretur. Iſta, inquam, accuratè obſeruen-
tur: ſed interea quibuſuis non contentioſis æſtimandũ relinquo quàm iniquum ſit, innocentẽ vel
ad recipiendam adulteram perſonam cogi, vel in eam neceſſitatem detrudi quæ ipſum quoq; pe-
riclitari cogat. Certè Gregorius ille Papa qui contra ius & æquum, ipſúmque Dei verbum (vt ſuo 2
loco dicemus) nouas ei nuptias concedi poſſe cenſuit qui vxorẽ haberet ea infirmitate correptam c. 18. 32. q. 7.
propter quam non valeret viro debitum reddere, multò magis fortaſſis id conceſſiſſet marito cu-
ius vxor in adulterij crimine deprehenſa, ipſo vxoris honeſtiſſimo nomine ſeſe indignam oſtende-
rit. Et Honorius tertius, rectè iudicans adulteram priuandam eſſe omnibus viri bonis, (quod ta- 3
men decernere Pontificiæ iuriſdictionis nõ fuit) nimirũ vt maritus pro arbitrio illis tanquam ſuis c. ex parte.
vti poſſit, an non, obſecro, multò magis iudicaſſet eãdem ſic priuari ſuo viro vt ſui ſit iuris factus? Extra. de Conſuet.
Magis enim in ipſum virum quàm in eius bona peccatum fuiſſe cõſtat. Itaque nemo ſanæ mentis
aſſentietur Alexandro tertio, qui (ſi modò rectè explicatũ eſt eius reſcriptũ) dirẽpto propter adul- c. 5 Extrà. de Diuortus.
terium coniugio, innocentem, ſi alteram duxerit, non modò à poſteriore vxore ſeparandum cen-
ſet, verùm etiam ad priorem vxorem redire compellendum. Sic igitur ad illorum argumenta re- Probationes diſſolui penitus coniugiũ adulterio.
ſponſum eſto. Nunc ad probandam noſtram ſententiam accedamus.

Illud certè vix poteſt in dubium reuocari, interrogatum fuiſſe Chriſtum à Phariſæis de eo di-
uortio quod inter Iudæos vſurpabatur, quo videlicet ipſum thori vinculum abrumpebatur, ac 1. Arg.
proinde non eſſe de alio diuortij genere intelligendam Chriſti reſponſionem.

Huc accedit quòd iniquiſſimum fuerit innocentem luere nocentis culpam: quod ſanè fiet ſi co- 2. Arg.
gatur innocens vel adulteram recipere, (quod ſæpe fuerit honeſto viro ipſa morte acerbius) vel
ſcortationis periculum incurrere. Innocentius tamen de deſertione loquens, hanc rationem diluit Obiectio.
hac exceptione, quòd in multis caſibus contingat aliquẽ iure ſuo ſine ſua culpa priuari, vt ſi alter c. quanto. Extrà. de Diuort.
coniugum incidatur. Sed facilis eſt reſponſio, longè aliud eſſe vitiũ corporis ex Dei voluntate ſu-
perueniens cõiugio, quàm crimen adulterij quo ſeſe quiſpiam ſponte & mala voluntate contami- Reſponſio.
nauit. Itaque etiam ſi eiuſmodi fuerit illud vitiũ vt alter alteri debitum amplius reddere non poſ-
ſit, tamen (vt ſuo loco dicemus) non propterea ſit diuortium, tum quia potiùs oporteat coniuges
in eiuſmodi calamitate mutuo ſibi auxilio eſſe: tum etiã quia qui propter eiuſmodi calamitatẽ non
poteſt ampliùs reddere debitũ, tamen cum alio non factus eſt vna caro: ex quo conſequitur adhuc
manere matrimonij vinculum. At in adulterio, digna eſt ſupplicio nocẽs perſona, non cõmiſera-
tione: & præterea cõiugij vinculũ abrupit quiſquis factus eſt ſcortatricis membrũ. Præterea quum 3
iidem Canonici quibuſdã, & quidẽ meritò, præcipiãt adulteram vxorẽ dimittere, ac proinde illam
repetere prohibeãt, quid illis fiet, obſecro, ſi non habuerint continentiæ donum? Petant illud, in-
quies. Verùm qua promiſſione freti particulare donum illud petent? Abſurdum enim eſt ſtatuere
quẽpiam, ſeſe per vxoris adulteriũ ad cõtinentiam vocari. Deinde etiã ſi cõcederemus prorſus te- 4
neri innocentẽ nocenti reſipiſcenti veniam dare eò vſque vt etiã illam ſibi rurſum adiungat (quam
Auguſtini opinionẽ ſuo loco expẽdemus) quid fiet, obſecro, ſi qua perfrictæ frontis mulier vel ſce-
lus addat ſceleri, vel ſimulatè reſipiſcat? quid ſi etiã adulterij repetiti conuicta ſæpius repudietur?
quid fuerit iniquius, obſecro, quàm innocentis qui vratur ne tum quidem rationem habere? Imò 5
quia non videat iſta noui ineundi coniugij prohibitione tum committẽdis eò audacius adulteriis,
tum etiam ſi commiſſa fuerint, tolerandis & diſſimulandis, aditum patefieri?

Concludo igitur adulterio abrumpi coniugij nõ tantùm vſum, ſed vinculum, quod niſi volun- Concluſio.
tate innocentis rurſum coaleſcat, integrum eſſe eidẽ innocenti, ſi continere non poteſt, nouas nu-
ptias inire: quod tamen laudabile eſt, abſque Eccleſiæ, ac etiam pij Magiſtratus venia nõ facere, vt
infirmorum offendiculis occurratur. Verùm quid de nocente ſtatuendum erit? Vtinam verò Chri-
ſtiani ſaltem Magiſtratus, ita vt diuinæ & humanæ leges ſanciunt, adulterij crimen vindicarent,
ne quis iſtis quæſtionibus locus relinquatur. Interea reſpondeo, primùm omnium iniquum eſ-
ſe vt nocenti perſonæ fiat nouarum nuptiarum poteſtas tantiſper dum innocente in cœlibatu
permanente pendet reconciliatio. Deinde oportere vt de ſyncera ipſius reſipiſcentia conſtet.

Tertiò,nec ſtatim uec temerè hoc illi concedendum,ſed multum diúque admonendam vt,ſi fieri poteſt,lugere & cœlebs manere malit quàm coniugium repetere in quo tam turpiter ſe geſſerit. Quòd ſi res ipſa oſtenderit periclitari ipſius conſcientiam niſi ei proſpiciatur, nubat ſanè cui vult,modò id fiat iu Domiuo. Canonas enim illos quibus omnis ſpes coniugij, etiam innocente defuncto,nocenti quantuunis reſipiſcenti adimitur, aut etiam votum illud Satanicum perpetuæ continentiæ præcipitur,vt Apoſtolicæ doctrinæ repugnantes, atque adeò à Satana,ſeſe in angelum lucis transformante, ſuggeſtos,planè repudio. Quoniam autem variæ practicea incidunt iu

Mulieri an eſſe in maritum agere.

hac controuerſia quæſtiones, age illas quoque ſeorſim explicemus.

Obiectio.

Quæritur ergo,Sitne in petendo diuortio idem ius vxori aduerſus maritum, atque marito aduerſus vxorem. Non eſſe verò ex his argumentis colligitur. Primùm,quòd iu lege dandi libelli diuortij, maritus duntaxat nominatur:idque fuiſſe in Iſrael ita obſeruatum conſtare poteſt ex Mala-

Malach.2.15.

chia,apud quem monentur mariti,vt potiùs quàm iuſtas ſuas vxores ſuperinductis aliis adeò crudeliter affligant,dent illis diuortij libellum:ex quo conſequitur ipſas ſponte diuortium facere nõ

Refutatio.

potuiſſe,alioqui nimirũ id vltro facturas. Sed huic rationi facilè occurri poteſt. Nec enim ibi agitur de adulterio quod erat ex Lege capitale:ſed de voluntario diuortio, quod quum ob duritiem huius populi toleraretur, ſolis tamen viris conceſſum fuit, quos videlicet meritò exiſtimauit legiſlator tardiores hac in re & circunſpectiores futuros. Nihil autem hoc ad id de quo nũc agimus, in quo nihil fit ex partium arbitrio, ſed iudicio ex allegatis & probatis decernitur.

Obiect.2.
Refutatio.

Deinde obiicitur illud quoque,quòd vir ſit mulieris caput,ac proinde mariti potior eſſe conditio videatur. Reſpondeo,caput quidem eſſe maritum,ac proinde in mutuo coniugij conſortio eminere procul dubio ipſius auctoritatẽ,cuius imperio videlicet res familiaris adminiſtretur. Verùm ſi ius ipſum ſpectes quod alter habet in alterius corpus, (agitur autem propriè de hoc iure iu cauſa adulterij) dico æqualem eſſe vtrinque obligationem,quod expreſſis verbis declarat Apoſto-

1.Cor 7.4.

lus, *Vxor*,inquit,*ſuum corpus non habet in poteſtate, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſuum corpus non habet in poteſtate, ſed vxor*: ex quibus verbis omnino efficitur, vtrinque in pari obligatione idem ius alteri in alterum (ea tamen modeſtia ſeruata quæ mulierem præcipuè in virum agentem decet) concedi

3 oportere:quod rectè defendit Auguſtinus,alioqui in concedendis nouis nuptiis durior. Idẽ etiam

Auguſt. de adult. con. lib.2.c.8.
Hieron in epit.Fab.
c.19.30.22. & 23.32 q. 5.
lib. Sent.4. diſt.35.l.1.C. ad l Iul. de adult.
Magiſtratui celari bona conſcientia vix poſſe adulterium.

cenſet Hieronymus,ipſique adeò Papæ,Nicolaus & Innocentius,referente Gratiano,quanuis lege Iulia aliter ſit cautum.

Quæritur & illud à nonnullis, An teneatur innocens perſona nocentẽ deferre. Sunt enim nonnulli vſque adeò in neſcio quam charitatẽ propenſi, vt quiduis diſſimulare ſummæ laudi tribuant. Sunt contrà quidã vſque adeò rigidi vt niſi omnia palàm fiant,atque adeò ad Magiſtratũ referantur, nimiùm indulgeri vitiis arbitrentur. Ego neutris aſſentior,qua de re uobis uõ placet hoc loco [illegible] diſputare. Tantùm dico in adulterij crimine,quod ita graue eſt vt publicum meritò cẽſeatur,rectè mihi facere videri,qui,ſi modò probè conſtet,minimè ad illud conniuent, ſed Magiſtratui in primis indicaut. Hoc autem facere maritum vel vxorem præcipuè decet,ne,dum præpoſtera charitate alienum peccatum fouent,iuſtam lenocinij ſuſpicionem iucurrant.

Obiect.1.
Refut.

Ergo,inquies,non licebit priuatam iniuriã condonare? Reſpondeo,non modò id licere,verùm etiam faciendũ præcipi. Sed præterquàm quòd in eiuſmodi criminibus maior eſt Reip. quàm noſtri ipſius habenda ratio,errat meo quidem iudicio vehemẽter,nec procul abeſt ab Anabaptiſmo, quiſquis cum Sebaſtiano Caſtalione putat non poſſe nos abſque odio vel malo iniuriæ vindicandæ affectu Magiſtratui ſontes indicare,aut ius etiam noſtrum apud iudicem perſequi. Itaque nihil ad rem ſpectant quæ de Chriſtiana in condonandis iniuriis facilitate hoc loco à nonnullis inculcantur. Nam certe Chriſtiana charitas malis non fauet.

Obiect.2.
Mat.1.19.
Refutatio.

Obiicitur tamen Ioſephi exemplũ,qui clàm voluerit Mariam ſponſam,quam grauidã deprehẽderat,dimittere,eóque nomine vt δίκαιος,id eſt,vir probus,neque ſui iuris tenax,cõmendetur. Reſpõdeo Ioſephum feciſſe quod probum virum decebat,quum in re dubia quàm moderatiſſimum conſilium eſt ſequutus. Ea enim erat procul dubio Mariæ ſanctimonia,vt adulterã eſſe Ioſephus ſibi perſuadere non poſſet. Eminens tamen vterus prægnantem eſſe demonſtrabat, vt omnino ab aliquo grauidatam eſſe exiſtimaret,eius videlicet rei quæ extra ordinem contigerat ignarus. Quid igitur faceret? nempe quum grauidam eſſe conſtaret,conſtituit ſibi nulla ratione retinendam, nec tamen temerè accuſandam eſſe vt adulteram, quæ extra tanti ſceleris ſuſpicionem eſſet: ideóque, re tota Domino commiſſa,dimittere quidem illam,ſed clàm,voluit,ne ius ſuum rigidè perſequẽdo in eam peccaret. Itaque tum in eo iuſtus fuit quòd ſponſam,quam ab alio ſtupratã vterus oſtendebat,ducere noluit,tum in eo fuit ἐπιεικὴς, quòd in re incerta,num videlicet ὑπὸ μοιχείας,(quod crimẽ publicum fuiſſet & capitale) aut potius ὑπὸ πορνείας, ante ſpõſalia nimirum,ab alio ſtuprata fuiſſet,(quod ſi ita eſſet,priuata erat iniuria,& illa ex parentum conſenſu nubere ſtupratori,nõ tamen ſine aliquo ſuo dedecore,tenebatur) id demum conſilij cepit quod & ſuæ conſcientiæ tutiſſimũ,& eiuſmodi ſponſæ quam merito reuerebatur,quàm minimè ignominioſum erat. Nos autẽ de certo demum & comperto adulterio loquimur,quod taciturum fuiſſe Ioſephum ego quidẽ vix arbitror. Ergo,vt ad rem redeam, rectè & prudenter mihi facere videntur qui compertum adulterium ad Magiſtratum referunt.

Obiect.3.

Nec ignoro alios eſſe in ea ſententia, vt in hoc etiam crimine primùm velint priuatam admonitionem ſaltem inter amicos præcedere:deinde tum quoque quum palàm facta res eſt,aut etiam fœtus eſt conceptus,vel adeundam potiùs Eccleſiam quàm Magiſtratum, vel certis perſonis factũ

Refut.1.

indicandum, vt ſuppoſitium puerum liceat abdicare. Sed ego quidem videre non poſſum quî

non hoc ſit ad tantum crimen plus æquo conniuere, quod etiam ſi facias quid inde conſequetur? Certè ſi adulteram perſonam nihilominus retineas, non video qui poſsis lenocinii ſuſpicionem euadere (quod etiam rectè Chryſoſtomus monet) quancunque charitatem prætexas: ſin verò dimittas non conuictam, Canones ipſi pœnam tibi imponunt, & officium eſt Magiſtratus ſi quid eiuſmodi euenit, cauſas iſtiuſmodi diſceſsionum ex quibus maximi tumultus oriuntur, inquirere. Itaque eòdem tandem, quamuis alio circuitu, relabaris oportet. Præterea, etſi aliud ſpectat Eccleſiæ quàm Ciuile iudicium, qua tandem conſcientia Seniores Magiſtratum celabunt quod ex legibus puniri Republicæ maximè intereſt? & qui hoc fecerit Verbi miniſter qua fronte Magiſtratus in officio ceſſantes reprehenderit? Dixi quid hîc mihi videatur. Suum cuique iudicium liberũ eſto, modò ex verbo Dei vnuſquiſque ſapiat.

c. 1 & 4. 32. q. 1. c. 1 & 2. 33. q. Vide l. 11. C. ad l. gẽ Iul. de adulterijs. 2

Huic quæſtioni altera affinis eſt, An in conſcientiæ foro (de hoc enim vno diſſerimus) nocentem perſonam conuictam teneatur innocens ablegare, an verò pœnitentem rurſum recipere: qua de re neque inter veteres, neque inter recentiores multos, grauiſſimos alioqui Theologos, conuenit. Liceat verò mihi, quandoquidem hoc mihi munus incumbit, non vt leges cuiquam præſcribã, ſed ne vos incertos dimittam, ſententiam quoque meam indicare. Dico igitur ingenuè, illos quidem mihi nimiùm aduerſus nocentem rigidos, iſtos verò nimiùm faciles videri: ac proinde me neutris aſſentiri. Expendamus tamen vtriuſque partis argumenta. Qui nolunt retineri, has rationes afferunt:

An innocens perſona dimittere, an verò recipere nocentem teneatur.

Primùm obiicit Hieronymus, virum quoque ſic fieri ſub maledictione, putà ſi adulteram retineat. Reſpondeo, non fieri peccati vxoris participem maritum, quo inſcio neque occaſionem præbente, fuerit adultera, & modò poſt peccatum compertum officium fecerit in illa coarguenda, & ad pœnitentiam adducenda, etiam ſi illam poſtea in gratiam recipiat.

1. Argum. eorum qui adulteram non poſſe retineri cẽſent. Hieron in Matth. 19. Reſponſio.

Obiicit etiam illud Solomonis, *Qui tenet adulteram ſtultus eſt & impius.* (Nam in Græcis codicibus legitur ἄφρων, quum Latini codices habeant *inſipiens.*) Atqui præterquàm quòd hoc dictum non eſt in codicibus Hebræis, neceſſariò accipiendum eſt de eo qui ad vxoris adulteria conniuet, quam ſocordiam leges quoque Ciuiles vt lenocinii ſpeciem damnant: nos autem de eo loquimur qui fecerit quod honeſtum virum decet, & de adultera muliere reſipiſcentiam teſtante.

2. Argum. Prou. 18. Reſponſio. Vide c. 10. 32. q. 1 & c. 3. Extra, de adulte.

D. Bucerus autem (piæ memoriæ vir, ſed à quo in hoc quidem argumento cogor in multis diſſentire) duobus aliis multò in ſpeciem vehementioribus argumentis nititur. Citat enim in primis locum illum Moſis, in quo prohibetur maritus eam quam dimiſerit rurſum ducere alii poſtea nuptam, à quo vel morte vel alia ratione fuerit liberata: & additur ratio, *Quoniam ipſa polluta eſt.* Sic autem ex hoc loco argumentatur D. Bucerus. Si polluta dicitur quæ poſt diuortium alteri nupſit, (quod tamen ei concedebatur) ideóque à priore marito duci non poteſt: multò magis cẽſenda eſt polluta quæ adulterium commiſit, ac proinde à marito retineri vel repeti nõ poteſt. Reſpondeo, hæc verba Moſis, אשר הטמאה, non rectè conuerti, *quia polluta eſt*, quum potiùs oportuerit interpretari verbum è verbo, *quia facta eſt polluere ſe*, id eſt, quia in cauſa eſt iſte prior maritus cur illa ſeſe polluerit. Eſt enim illud verbum ex duplici coniugatione compoſitum, nempe Hophal & Hithpael. Rectè autem dicitur iſtiuſmodi mulier ſeſe polluiſſe, quoniam eiuſmodi diuortia etſi lege ciuili tolerabantur, tamen in foro conſcientiæ nunquam licuerunt, ſed culpa penes deteriorem ſiue penes eum reſidebat qui diuortii libellum dabat. Eſt igitur huius legis ratio peculiaris, quoniam videlicet qui vxores dimittebant, eas quodammodo aliis proſtituebant, facta ipſis ad alium virum tranſeundi poteſtate, idcóque planè quædam videri potuiſſet vxorum commodatio, (quod turpe ac nefarium ſcelus fuiſſet) ſi ſoluto altero matrimonio prius illud licuiſſet redintegrare. Catonis enim illud factum ſuam Martiam Hortenſio commodantis, nullus vnquam ſatis honeſtus vir, opinor, ex animo probauit.

3. Argum. Bucer. de regno Chriſti, lib. 2. c. 32. & 91. Deut. 24. 3. Reſponſio.

Altera D. Buceri ratio hæc eſt: Quum voluerit Dominus adulteros lapidari, conſequitur noluiſſe à maritis retineri. Reſpondeo, rectè omnino facere Magiſtratus qui capitali pœna adulteros puniant: ſed hinc minimè conſequi nefas eſſe maritis (ſi ceſſent Magiſtratus) vxores reſipiſcentes ex charitatis Chriſtianæ norma recipere. Lex enim illa quid facere Magiſtratus, non quid facere priuatos oporteat, præſcribit. Itaque ne his quidem argumentis moueor.

4. Argum. Reſponſio.

Qui verò alterum extremum amplectuntur, (quorũ præcipuus eſt Auguſtinus) & omnino teneri maritum exiſtimant reſipiſcentem vxorem recipere, his rationibus ducuntur. Aiunt velle Apoſtolum vt vxor viro reconcilietur: ergo idem quoque à viro flagitare. Atqui iam antea reſpondi, Paulum, ibi non de vero diuortio quod fit ob adulterium cauſa cognita, ſed de ſimultatibus ac rixis agere, quæ faciunt interdum vt alter ab altero ſecedat.

1 Argumenta eorum qui reſipiſcentem perſonã nocentem neceſſariò in thorum rurſus recipiendam putant. Reſponſio. 1. Cor. 7. 11.

Volunt præterea nos imitari Chriſti factum, qui adulteræ ignouit. Neque verò damnandum cenſeo qui vxorem reſipiſcentem recipiat, ſed hoc quæro, an vir omnino id facere teneatur: quod non arbitror, quum multæ aliæ iuſtæ cauſæ eſſe poſsint cur adulteram quantumuis reſipiſcentem in thorum rurſus non admittat, qui tamen alioqui illatam ſibi iniuriam ex animo cõdonauit. Illud certè ex hoc loco elici non poteſt, quum nihil tale declarent Chriſti verba.

2. Argum. Ioh. 8. 11. Reſponſio.

Non eſt maioris momenti alterum illud quod obiiciunt, oportere nos videlicet Dei imitatores eſſe, qui ſæpe ſcortatam Eccleſiam recepit, imò etiam fugientem blandiſsimè reuocauit, ſicut nominatim per os Ieremiæ teſtatur. Nam præter illud quod modò dicebam, ſi hæc reconciliatio vſque ad thori repetitionem eſſet neceſſaria, conſequeretur illos peccaſſe qui legem illam Moſis ſeruarunt cuius ibi facit mentionem Ieremias: quod abſurdum eſt dicere, quum eam è contrario ſeruari oportuerit.

3. Argum. Iere. 3. 1. Reſponſio.

4. Argum. Proferunt quoque Dauidis exēplum qui Michol quanuis alteri nupſiſſet, repetiit. nempe quo-
1.Sam.25.44. niam neque ipſe eam dimiſerat, neque illa ex ſua voluntate, ſed patris metu adacta, nonas nuptias
2 Sam 3 4. Reſponſio 1. inierat. Nam alioqui Dauid illam repetens contra legem feciſſet, vt quæ alteri nupſiſſet. Quorſum
a hoc autem ad coniugium vero ratóque diuortio diremptum? Deinde, vt modò dixi, nō nego poſ-
ſe iterum admitti adulteram reſipiſcentem, ſed hoc quæro, an ad hoc quiſpiam in foro conſcien-
tiæ ſimpliciter teneatur: quod non puto: ſed poſt modeſtam Eccleſiæ adhortationem adhibitam,
vnumquenque ſuæ conſcientiæ relinquendum, quo iure in hac Eccleſia Geneuenſi vtimur.

5. Argum. c.1. & 2. & 4. 32.q 1. Itaque contrarios canonas vel de eo intelligendos dico, qui aut compertum ſcelus prorſus diſ-
ſimulet, aut ante reſipiſcentiæ teſtimonium, quod fieri non poteſt quin ſceleri faueatur, nocentem
Refutatio 1. vltro admittat: vel prorſus reiiciendos. Illud verò probo quod alicubi ex Arelatenſi quodam con-
2 cilio decernitur, nempe vt *vir non debeat* (id eſt, non teneatur: eſt enim Galliciſmus quem gloſſa-
tor non intellexit) *ſæpe recipere peccatricem*. Nam ita illa ſeueritas, cuius paulò antè meminimus,
Syno. Neocæſar. can 13. temperatur. Cæterùm & illud expendendum nobis eſt quod de eo cauetur cuius vel ante vel poſt
6. Argumen. ordinationem vxor adulterii conuicta fuerit, nempe *vt, ſi ante ordinationem id contigerit, eiuſmodi
quiſpiam ad Miniſterium non accedat: ſin verò poſt ordinationem, debeat*, (id eſt, teneatur) *eam dimit-
Reſponſio. tere: quòd ſi cohabitet, non poſſit Miniſterium ſuum exequi*. Hoc, inquam, eſt peculiariter nobis con-
ſiderandum. Videtur enim tum eo fundamento niti quòd diſertè iubet Apoſtolus inquiri in fa-
miliam quoque epiſcopi vel Diaconi eligendi, an videlicet ei bene præfuerit, quod is meritò præ-
ſumitur non feciſſe cuius domus eſt adulterio contaminata: tum etiam eò pertinere quòd idem
Apoſtolus velit miniſtrum Eccleſiæ deligi ἀνέγκλητον. Videtur enim in ipſum virum quodammodo
iſtius flagitij dedecus redundare. Itaque cenſuerim ego non temerè deligendos eſſe quibus tale
quippiam quantumuis innocentibus exprobrari poſſit. Sed quum optimis etiam viris non rarò
nulla ſua culpa tale quippiam obtigerit, quorum virtute & induſtria optimè poſſet alioqui Eccle-
ſia gubernari niſi ſummum hoc ius aliqua ἐπιεικείᾳ temperetur, vereor vt in ſummam iniuriam eua-
dat. Deinde quum ita occaſio vel maxima nunquam recipiendæ quantumuis reſipiſcentis adulte-
ræ iis manifeſtè præbeatur quos tamen charitatis & manſuetudinis Chriſtianæ exemplo præire
cæteris oportuit, miror quid Auguſtinus, tantopere iſtam coniugii redintegrationem vrgens, ad
hæc fuerit reſponſurus.

7. Argum. Poſtremò libet quoque hìc inquirere in quendam iniquiſſimum canonem Baſilio attributum,
Epiſt. ad Amphil.1. can.9. & 21. in quo diſertè dicitur retinendos eſſe a mulieribus maritos etiam adulteros, & cum ſcortis ſeſe
volutantes: adeò vt ea quidem quæ marito ob eam cauſam dimiſſo ad alium virum tranſierit, a-
dultera ſit, quæ verò cum viro quopiam ſic ab vxore dimiſſo cohabitet, non itidem adultera cen-
ſeatur. Huius verò tam iniqui canonis quis tandem approbatorem fuiſſe tantum virum vel ſuſpi-
cari poſſit? Sed age, quicunque tandem ſit illius auctor, rationes quibus vtitur expendamus. Pri-
Reſponſio 1. mùm manifeſtè fatetur ex Domini verbo licere ex æquo tum viris tum vxoribus ob adulterium
à coniugio recedere: ſed dicit contrariam, quod ad mulieres attinet, conſuetudinem inoleuiſſe.
Quaſi verò audienda ſit, ac non potiùs millies deteſtanda conſuetudo verbo Dei repugnans.
Quum igitur iſte, quiſquis eſt, (Baſilium enim eſſe via quiſquam vnquam mihi perſuaſerit) pau-
lò pòſt ex conſuetudine contra verbum Dei iudicat, quis tandem ſani iudicii vir illi aſſentiatur?
2 Sed hoc etiam intolerabilius eſt, quòd iſtum morem non contentus Eccleſiaſticam conſtitutio-
nem vocare, quaſi Eccleſia ſit habenda quæ contraria verbo Dei decernit, audet etiam aliis Scri-
pturæ teſtimoniis eam confirmare, ac ſi videlicet Spiritus ſanctus à ſeipſo diſſentiat. Quænam au-
tem illa ſunt? *Qui adhæret meretrici, fit cum ea vnum corpus. Ergo vir ab vxore adultera tenetur diſcede-
re*. Cur verò non itidem quoque in alteram partem conſtituas, Quæ cum adultero coit, in vnam
etiam carnem cum eo coaleſcere? Sed Ieremias ait, *mulierem quæ cum alio viro fuerit, non reuerſuram
ad virum, quoniam pollutione ſit polluta*. Concedo: ſed vt ea omittam quæ de hac lege paulò antè di-
ximus, ſi ita libet pro viro aduerſus mulierem argumentari, cedò cur non eadem ratio in vxore ad-
uerſus maritum obtineat? Sed ſcribit Solomon, *eum qui retineat adulteram ſtultum eſſe & impium*.
Eſto. At cur non itidem ſtulta & impia dicatur quæ virum adulterum ferat? *Sed qui ſcis, mulier, an
virum ſis ſeruatura*? Atqui conſtat hæc Apoſtoli verba ſcribi de coniugio fidelis cum infideli, ſiue
3 Chriſtianæ cum propbano, ac proinde manifeſtè torqueri quum aliò trahuntur. Demus tamen
4 appoſitè citari. Cur non rurſus idem in alteram partem ex eodem Apoſtoli loco ſtatuamus? Sed &
Hier. in epitap. Fab. Euſeb. Eccleſ. hiſtor. lib.4. c.16 ex Apolog. Iuſtini priori initio, c.23. 32. q.1. contrà quàm hic canon dicat, non inuſitatum fuiſſe in Eccleſia vt ſanctæ fœminæ à maritis adul-
teris ſepararentur, tum ex Hieronymo, tum ex Euſebio liquet, quanuis, vt Innocentius ſcribit, non
ita facilè mulieres viros ſuos accuſarent: & meritò quidem, tum propter ſexus pudorem, tū pro-
pter reuerentiam quæ marito ab vxore debetur donec conuictus adulterii maritus eſſe deſierit. I-
taque vt paucis dicam, iſto Canone, quantum quidem ad hoc attinet, nihil certè ineptius, & vix
quicquam aduerſus Dei verbum contumelioſius in hoc argumento dici potuiſſe credo: vt vel ex
hoc vno ſatis conſtet qua fide iam olim ita ſcripta ſint, & quàm malè conſulant Eccleſiæ qui non
ex Dei verbo, ſed ex iſtiuſmodi neſcio quibus Canonibus dirimendas Eccleſiæ cōtrouerſias ſom-
niant. Merito igitur iſtam peſſimam conſuetudinem, admonet interpres Zonaras, emendauit Iu-
ſtinianus ſtatuens licere vxori diuortium facere ab eo marito qui in eadem domo vel vrbe cum
Adulterum aduerſus adulteram audiendum nō eſſe. altera conſueſcat, quanuis ne hæc quidem eiuſdem domus aut vrbis circunſtantia ſatis rectè vi-
deatur à Iuſtiniano adiecta.

32 q.6. Quæritur hoc quoque, An quum vtrinque incidit adulterium, audiendus ſit qui diuortium
petit. Reſpondeo, me iis aſſentiri qui accuſatoris impudentiam coercendam putant, nedum vt
audiatur,

audiatur, vel auditus obtineat quod petit. Neque id duntaxat nititur æquitate, verùm etiam argumento quod ex verbo Dei expreſſo peti poteſt. Nam ſi cogitur vxorem ſuam perpetuò retinere (dandi videlicet libelli diuortii facultate priuatus, quæ alioqui Iſraelitis ob cordis duritiem erat conceſſa) qui vxorem ſuam violatæ pudicitiæ immeritò accuſauit: ſanè pelus facere videtur qui hoc ipſum adulterii crimen ei audeat exprobrare, quod ipſemet in eam commiſiſſe coarguatur. Verùm quum & Reipublicæ maximè interſit adulteria puniri, & Eccleſia ferre iſta dedecora minimè debeat, etiam ſi reciproco adulterii crimine probato, diuortium non concedatur, ſed ad mutuam reconciliationem coniuges quodammodo ſint adigendi, tenentur tamen & Magiſtratus & πρεσβυτέριον officio ſuo defungi.

Deut. 22. 19.

Dubitatur etiam an perpetua ſit adulterii accuſatio, ſiue an innocenti ſemper ſit integrum nocentem accuſare. Hic verò dictat ipſa ratio, eũ videri iuri ſuo renuntiaſſe, ſiue iniuriam ſibi factam condonaſſe, qui comperto adulterio vel manifeſtè ſemel in gratiam cum nocente redierit, vel diſſimulata iniuria ab eius vſu coniugali non abſtinuerit. Verùm ne tum quidem eſſe vel Magiſtratui vel Presbyterio conniuendum res ipſa demonſtrat.

Perpetuam adulterii accuſationem non eſſe.

Poſtremò dicendum aliquid videtur de Canonicis, quas vocant, ſiue Eccleſiaſticis adulterii pœnis. Baſilio inſcriptus canon quindecim annos adulterii pœnitentiæ ſtatuit. Septennium ad pœnitentiam olim fuit adulteris laicis indictũm: poſtea quinquennium. Ei qui peracta pœnitentia relapſus eſſet, ne in fine quidem dari vult communionem concilium Eliberinum. Quid porrò mihi de illis definitis pœnitentiæ ſpatiis videatur iam antea dixi, & conſtat moderatis hominibus nunquam iſtam determinationem præciſè placuiſſe, quod non tãtùm liquet ex illa inſigni Cypriani ad Antonianum epiſtola, verùm etiã ex iis quæ ex Hieronymo & Auguſtino citat Gratianus. Sed in genere quod quibuſdam ne in fine quidem pacem dari volũt, arbitror prorſus intolerabile, niſi de iis accipias qui peccatum nunquam agnoſcunt: & aſſentior potiùs Chryſoſtomo qui perpetui in perſonas anathematis vſum ex Eccleſia tollendum rectè, meo iudicio, exiſtimauit. Quòd autem in Eccleſiaſtico munere conſtitutos, & poſtea adulterii conuictos ſemel à Miniſterio excludunt, rectè omnino conſtitutum videtur: ac proinde grauiter omnino peccare qui eiuſmodi homines poſtea ſummo cum Eccleſiaſtici Miniſterii dedecore rurſum admittunt. Sed aliud eſt ab Eccleſiaſtica functione, quàm ab Eccleſiæ ſinu in perpetuum arcere. Illud omnino faciendum arbitror, Iſtud vt charitati Chriſtianæ planè repugnans deteſtor. Quòd autem eum non admittunt ad Miniſteriũ cuius vxor fuit adultera, itémque à Miniſterio excludunt eũ qui adulteram non reiecerit, quatenus temperandum arbitrer paulò antè dixi. Quod verò Clericis conceſſum eſt Tolet. concil. I, vxores adulterii conuictas domi vinctas tenere, & ieiuniis, non tamen mortiferis, macerare, non tantùm vt iniquum, verũ etiam vt cum manifeſta iuriſdictionis Ciuilis violatione conſtitutum repudio. Quid enim iniquius eſt quàm eius arbitrio qui iniuriam accepit, nocentem permitti? & quorſum hanc Clericis in delinquentium corpora poteſtatem? Sed iam tum nimirum incauti Principes ab ambitioſis Epiſcopis decipi ſe patiebantur, ornandæ ſcilicet & amplificandæ Eccleſiæ obtentu. Sed & illud cuiuſmodi tandem eſt quòd poſtquam publicæ ſeptenni pœnitẽtiæ adulteros adſtrinxerunt, idque ridicula prorſus allata ratione, id etiam amplius decernunt, vt poſt ſolennem iſtam pœnitentiam matrimonium contrahere non liceat: adeò quidem vt Syritium Papam non pudeat eos qui ſecus faciant, vocare canes & ſues ad vomitus priſtinos & volutabra redeuntes, ipſe potius canis & porcus impuriſſimus appellandus? *Quia*, inquiunt belli canonum interpretes, *ſolenniter pœnitentes intelliguntur vouiſſe.* Itaque Leo Papa meritò poſtea decretum iſtud iniquiſſimum abrogauit, quum neque pœnitentia ſolui contractum coniugium, neque poſtea contrahendum impediri disertè ſcriberet, in eo tamen Papiſſani, quòd id nonniſi ex veniali indulgentia concedi adoleſcentibus putat, quod Apoſtolus expreſſis verbis præcepit omnibus qui continere non poſſunt: ex quorum ſanè numero vel ii maximè fuerint qui in ſcortationem vel adulterium incidiſſe ipſius pœnitentiæ publicæ teſtimonio plus ſatis probantur. Itaque quod ibi garriunt interpretes de publicæ & priuatæ pœnitentiæ, itémque contracti vel contrahendi coniugii diſcrimine, futile & inane eſt commentum, quum plana ſint Leonis verba blaſphemiis Syritii ex diametro repugnantia. Ridiculum autem eſt vel maximè quod VIII. Toletano cõcilio tribuitur, nempe vt ſi adoleſcens adulterii conuictus poſt publicam pœnitentiam timuerit incontinentiæ lapſum, liceat quidem ei ad priſtinum coniugium redire, *ſed quouſque*, inquit, *poſſit adipiſci temporis maturitate continentiæ ſtatum: quod nos vt de viris, ita & de fœminis æquo modo cenſemus.* Imò verò, boni Patres, iniquiſſimo vtrinque modo. Vnde enim, obſecro, iſta temporaria coniunctio, & quod tandem eius exemplum inter honeſtas perſonas inuenietis? Quid ſi verò innocens hanc conditionem recuſet? quis etiam iſtud maturitatis tempus definiet? ſacerdos ſcilicet ſuo arbitrio facies continentes quos & quãdiu libuerit. En quò recidere oporteat à verbo Dei diſcedẽtes. Omitto quòd & Iuſtinianus & Leo Imperator in gratiã videlicet Epiſcoporũ quibus iam tũ ſummæ curæ fuit adulteria excuſare, detrudi iubent adulteram mulierem in monaſterium, ſic nimirum ipſi erepta omni coniugii ſpe, niſi à viro intra biennium repetatur. Hoc, inquam, omitto, quoniam hoc loco non eſt nobis propoſitum de ciuilibus adulterii pœnis diſputare. Tantum dico, longè præſtitiſſe ſemel necare adulteram, ſicut iure diuino & ciuili verè legitimo cauetur, quàm præpoſteræ clemẽtiæ prætextu vitam illi ad corporis ſimul & animæ æternum exitium prorogare. Quid enim aliud eſt ad perpetuã continentiam aliquem vel inuitum cogere, vel imprudentem allicere, quàm certiſſimo mortis æternæ periculo ipſum exponere? Itaque nihilo rectius fecerunt qui de Clerico adultero idem ſtatuerunt. Verùm quorſum hoc interdictum, niſi vt eius obtentu boni pontifices pecuniam à ſuis clericis emungãt?

De Canonicis pœnis adulteri. — Baſil. epiſto. ad Amphi. canon. 58. — Conc. Ancyr. c. 20. — Eliber. cõc. c. 69. & 7. — Suprà pagina 82. — Cypr. lib. epiſt. 2. — c. 84. & 86. de pœn. di. 1. — Neoc. Syn. c. 1. — c. Apoſto. 61. — Neoc. c. 1. & 8. & 10. c. 12. & 13. & 14. & 25. diſt. 81. — c. placuit. 33. q. 2. — c. 11. 33. q. 2. — c. 12. Ibidem & ibi gloſ. — c. 13. & 14. Ibidem, & ibi gloſſ. — c. 19. Ibidem — Iuſtin. Nou. 34. & Leo, Nouel. 32. — c. 10. & 11. diſt. 81.

c. at clerici. De iudic. Sic enim non puduit ſcribere Alexandrum tertium vt ipſi volunt perpetua ſanè cacolycæ illius ſedis ignominia, *Epiſcopi*, inquit, *poſſunt cum presbyteris ſuis diſpenſare de adulteriis* (etiã igitur pluribus) *& aliis* LEVIORIBVS CRIMINIBVS. En quo ſpiritu iam pridem ſedes illa regatur. de diuortiis quidem propter adulterium hactenus.

Deſertione ſolui matrimonium. 1.Cor.7.15. Ibidem 12. Nunc de deſertione nobis dicendum eſt, qua videlicet diſſolui quoque rata & iam conſummata matrimonia ex Dei verbo eouſque affirmauimus, vt qui deſertus eſt ſeruituti non ſit obnoxius. In primis autem dicendum videtur quis ſit deſertor vocandus. Deſertorem igitur eum appello, cui vt loquitur Apoſtolus, non placet cohabitatio, id eſt, qui indiuiduã illam vitæ conſuetudinem penitus abrupit. Nec enim cohabitationis ſiue ὀφειλομένης εὐνοίας, id eſt, debitæ beneuolentiæ nomine intelligitur duntaxat corporum copulatio, quam barbarè vulgò vocãt *debiti redditionem*, ſed mutuus

c.7. Extrà. de diuor. §. de cetero. ille conuictus, atque adeò ſumma in omni ſancto vſu vitæ coniũctio. Addo autem illud *ſancto*, vt ſciamus eum quoque deſertorem eſſe habendum qui cohabitationẽ quidem non deneget, verùm impias conditiones pertinaciter requirat. Præterea quum variæ ſimultates & rixæ ob religionis diuerſitatem incidant, eo vſque interdum efferueſcentes vt ſeceſſio conſequatur, adiiciendum eſt & illud, non priùs videri deſertorem quempiam, quàm de eius qui religionis odio conſuetudinem vitæ abrupit, penitus obſtirmata voluntate conſtiterit. Quoties ergo tale quippiam inciderit in coniugio impari, id eſt, quoties infidelis quiſpiam odio veræ religionis, penitus abruperit ſanctum illũ indiuiduæ vitæ coniugalis vſum, matrimonium quantumuis antea ratum diſſoluitur: nullo prorſus facto diſcrimine, an quum matrimonium contraheretur, vtraque perſona eſſet infidelis, an altera duntaxat: an verò vtraque fidelis, quarum altera poſtea ad hæreſim aut impietatem defecerit.

1.Cor.7.15. Apoſtolus enim in genere pronuntiat, *Si diſcedit infidelis, diſcedat: non eſt ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiuſmodi*, id eſt, quum quippiam huiuſmodi incidit. Seruitutis enim nomine nihil aliud quàm coniugii obligationem commodè poſsis intelligere.

1 Argumentũ in contrariã partem. Quædam tamen ſuperioribus opponuntur, ac primùm quidem illud: Si matrimonium ſic diſſolutum dicamus, videri irritum fieri verbum Chriſti quo ſtatuitur coniugium vnico adulterio dirimi.

Reſponſio 1. Reſpondent nõnulli, Apoſtolo ſpiritu Dei prædito licuiſſe aliquid adiicere illi Chriſti ſentẽtiæ, id quod nõ tã Apoſtolus quàm ipſemet Chriſtus per os Pauli loquẽs facere videatur.

2 Ego verò etſi veriſſimũ eſſe agnoſco quod de Apoſtolica auctoritate in hoc reſpõſo dicitur, tamẽ reſpõdere malo, nihil prorſus à Paulo adiectũ fuiſſe Chriſti ſentẽtiæ. Quid igitur reſpõdit Chriſtus? Solo adul-

1.Cor.7.10. & 11. terio diſſolui coniugiũ. Quid Paulus fideles alloquens? *Vxor à viro ne diſcedito: Vir vxorẽ ne dimittito*. Loquitur autẽ (vt ſuo loco diximus) de diuortiis quæ ob quaſuis cauſas Iudæorũ peruicaciæ cõ-

1 Cor.7.12. & 13. cedebantur: nec adulterii meminit, veluti bene ominans Chriſtianorum coniugiis. Quid verò idẽ Paulus de impari matrimonio? *Fidelis infidelem conſentientẽ cohabitare ne deſerito*. Ergo ne hîc quidem Paulus aliud quàm Chriſtus. Sed quid ſi diſcedat infidelis? Hîc verò non dicit Paulus rectè illum facere: (ita enim videri poſſet euertere Chriſti dictum, & plus iuris infideli quàm fideli tribuere:) ſed, *diſcedat*, inquit, id eſt, quandoquidem non vult in officio permanere, maneat ſanè in ſuo peccato, & hoc illi imputetur. Nõ dicit etiã Apoſtolus licere viciſſim fideli diſcedere. Fuiſſet enim hoc abſurdum, quia ſatis intelligitur deſertã perſonã quam recipere nolit infidelis, cogi extra conſortium eius permanere à quo eſt deſerta. Itaque ne in his quidem Paulus quicquam adiecerit Chriſti ſententiæ. Supereſt vnum illud, quòd quum dicat Chriſtus eum qui extra cauſam adulterii vxorem dimittit facere vt ipſa mœchetur, & viciſsim eum qui alia de cauſa dimiſſam ducat mœchari, ſatis oſtendit eiuſmodi diuortia nunquam in foro conſcientiæ licuiſſe, ac proinde ſic dimiſſam mulierẽ nõ potuiſſe abſque peccato alteri nubere: at Paulus negat fidelem fratrem aut ſororem obnoxius eſſe perſonæ infideli deſertrici. Hoc verò ſi ita accipiendum eſſet, non tam deprehenderetur Apoſtolus aliquid adiecisse Chriſti dicto, quàm contrarium prorſus decernere: id quod vel ſuſpicari de Paulo nefas eſt. Quid ergo? nempe rogatus Chriſtus de coniugiis Iudæorum, id eſt, inter fidelem vtranque perſonam contractis, (omnes enim circuncisi cẽſentur fideles ex profeſſione externa) de iiſdem reſpondit, neque ipſius reſponſo Apoſtolus quicquam addidit: de impari verò coniugio neque interrogatus eſt, neque quicquam profectò reſpondit. Ideò Paulus de hac quoque quæſtione à Corinthiis interrogatus, primùm vtitur præfatione, *Reliquis dico ego, non Dominus*: deinde ex Spiritu Dei reſpondet. Quî verò poſsit meritò videri Apoſtolus quicquam adiecisse Chriſti reſponſo, quum de vna ſpecie interrogatus fuerit Chriſtus, nempe de pari

3 coniugio: de altera verò, id eſt, de impari coniugio Paulus reſponderit? Cur autem in hoc genere diuortii, cuius meminit Paulus, quum videlicet infidelis fidelem odio religionis deſerit, aliud ſtatuatur quàm in eo de quo diſſerit Chriſtus, quum nimirum ob faſtidium alterius, aut aliam eiuſmodi occaſionem diuortii libellus datus fuerat, cauſæ facilè coniici poſſunt. Nam certè qui veræ re-

4 ligionis odio mẽbrũ Chriſti à ſe abiicit, digniſſimus eſt qui eo priuetur. Deinde in aliis illis diuortiis præſumptum meritò fuit aliquid eſſe vitii in ea perſona quæ dimittitur, quoniam vix fieri poteſt vt temerè prorſus quiſpiam vxorem repudiet: in ea verò quæ ob vnum veræ religionis odium dimittitur, quid tandem culpæ eſſe poſsit? Itaque dimiſſam perſonã planè iniquum eſſet luere impii deſertoris culpam, quod fieret tamen ſi impii deſertoris arbitrio maneret obſtricta.

Argum. Obiicitur & illud, quòd nomine ſeruitutis intelligi poſsint varia vel vxoris vel mariti officia, quæ præſtare perſona fidelis deſerta non teneatur, imò ne maritum quidem deſertũ teneri deſertricẽ infidelem ſequi, quod alioqui facere vxor eius teneatur: inde verò nõ effici diſſolutum eſſe ipſum

Reſponſio 1. coniugium. Reſpondeo, merum hoc eſſe commentum, quum generali nomine ſeruitutis vſus ſit Apoſtolus, id velle excipi quod penè vnum meretur ſeruitutis nomen, nempe quòd qui eſt in

coniugio

coniugio, non ſit corporis ſui dominus. Deinde quum hoc ita explicatur ac ſi diceretur fidelem 2
nõ teneri ſequi diſcedentem infidelem, ineptè hoc tribuitur marito fideli, quoniam maritum non
teneri ad ſequendam vxorem certum eſt, quum potiùs illam fugientem repetere ac reuocare poſ-
ſit. Itaque omnibus non contentioſis conſtare puto, quum dicatur à Paulo frater vel ſoror ſerui-
tuti non ſubiici, intelligi abruptum eſſe omne coniugalis obligationis vinculum.

Ex his autem arbitror liquere quid ſtatuendum ſit de cohærente alia quæſtione, An videlicet
ſoluto deſertione matrimonio, fas ſit deſertæ perſonæ, ſuperſtite adhuc deſertrice, aliud matri-
monium inire. Nam ſi (teſte Apoſtolo) deſertus non eſt ſeruituti obnoxius, conſequitur à lege al-
terius (vt idem Paulus ibidem loquitur,) id eſt, ab omni eo iure quo perſona deſertria eũ obſtri-
ctum tenebat, liberatum eſſe. Quòd ſi liber eſt, ergo ſolutum eſt vinculũ. Cur igitur ſi continere
non poteſt, matrimonii remediũ, contra doctrinã Apoſtoli, priuabitur, modò nubat in Domino?
Itaque ne Canonici quidem noſtri matrimoniũ denegant deſertæ perſonæ, in eo tantùm peccãtes
quòd doctrinam Apoſtolicam, quæ vniuerſalis eſt, ad certã ſpeciem falſis diſtinctionibus reſtrin-
gunt, vt in ſuperiore tractatu diximus. Age tamen contrarias rationes expendamus.

Licere, ſoluto deſertione matrimonio, aliud inire.
1. Cor. 7. 39.
c. quãto. Extra, de diuortiis.
Suprà pag. 170.

Primùm obiiciuntur pleraque ex iis quæ ſuprà diluimus aduerſus eos qui matrimonii vincu- 1
lum adulterio diſſolui negant. Superuacanea autem eſſet eorundem repetitio.

Contraria argumẽta.

Secundo loco ſic colligunt, Infidelis deſerens putare poteſt ſe non peccare, quod in adulterio
locũ non habet. Quid ſi igitur poſtea reſipiſcat, & velit ad fidelem reuerti, quare hoc illi integrum
non erit? Videtur autem illi præcludi omnis ſpes reditus, quum nouum matrimonium deſertæ
perſonæ conceditur. Reſpondeo, euenire quidem poſſe vt ſuperſtitione quadam deſerat infidelis
fidelem: ſed excipio inexcuſabilem eſſe eiuſmodi ſuperſtitionem, quoniã conſtat ea cõmuni gen-
tium iure rata & firma eſſe oportere matrimonia etiam cum infidelibus contracta, ſicut ſuo loco
declarauimus. Quòd ſi eò vſque tolerandi eſſent eiuſmodi ſuperſtitioſi, vt quoties aliquis ab
eis iniuriam accepit teneretur ipſius reſipiſcentiam tam diu expectare, vt interea iure ſuo vti nun-
quam poſſet, infinita certè incommoda cõſequerentur. Ergo toleretur quidem ſuperſtitioſus de-
ſertor quantum & quandiu fieri poteſt, atque adeò tententur omnia vt in viam redeat: fidelem ta-
men iniquum eſt ab eo ſemel excludi, à quo pendet ipſius conſcientiæ tranquillitas.

2. Argumen.
Refutatio.

At enim (inquiunt illi) ſic malè audiet Euangelium. A quibus obſecro? Nam infideles infi-
delem conuerſum ad fidem damnabunt omni modo propter conuerſionem, ac proinde vitari il-
lud offendiculum non poteſt, nec euitari etiam magnopere debet. Infidelem autem permanentem
in infidelitate, vel confirmabunt in propoſito deſertionis, ac proinde non offendentur quòd
non redeat: vel ad tempeſtiuè redeundum hortabuntur, ac proinde non redeuntem accuſa-
bunt: nulli autem fideles nouo eiuſmodi matrimonio meritò offendentur, ſi priùs illa quæ dixi
obſeruentur.

3. Argumen.
Reſponſio.

Quartò, ſi toleretur deſertrix perſona quandiu fieri poteſt, excipiunt nonnulli præſcribi hoc
pacto tempus & terminum miſericordiæ Dei: quod nefas eſſe videtur, & diſertè reprehendit Iu-
dith in ciuibus Bethulienſibus. Reſpondeo aliud eſſe miſericordiam Dei excludere, & terminum
aliquem certum Dei miſericordiæ præfigere, quàm certam rationem conſtituere ea qua poſſis iu-
re tuo vti. Alioqui quid tandem firmi conſtitui poſſit in negotiis humanis, ſi exſpectandæ gratiæ
Dei prætextu, nunquam nobis liceret ius noſtrum perſequi? Illud ergo *Quandiu*, non definio cer-
to aliquo temporis ſpatio, ſed vnumquenque dico bona conſcientia & æquitate vti hìc debere, vt
ſuperſtite deſerente matrimonium non repetat, niſi ita vratur vt neceſſarium eſſe ſibi matrimonij
remedium meritò ſtatuatur, omnibus videlicet priùs tẽtatis quæ bona fide fieri & tentari poſſunt.
Et quod ad Iudithæ exemplum attinet, dico iſta planè inter ſe eſſe diſſimilia. Cur enim fideles ex- 2
preſſam Dei promiſſionem habentes, ſicut olim habebant Iudæi de poſſeſſione terræ Chanaan, &
auxilio aduerſus omnes hoſtes, ſeſe infidelibus dederent, niſi iubente Domino? Ita enim ſub Ie-
remia contigit, cui credere Sedechiam oportuerat. In hac verò ſpecie de qua diſſerimus, quum iu-
beatur Dei verbo vxorem ducere qui liber eſt & vritur, & agatur de eo qui omnia expertus eſt vt
deſerentem reuocaret in viam, quis non videt hìc nihil abſque Dei verbo tentari? Præterea con-
ſtat in Dei Eccleſiis dogmata doctrinæ, ſiue quæ oportet eſſe conſcientiæ noſtræ regulas, non eſſe
ex Apocryphis libris ſtatuenda.

4. Argumen.
Iudith. 8. 10. & 11.
Reſponſio 1.

Quintò, quoniam Apoſtolus præfatur non Dominum, ſed ſeipſum hoc dicere, audent nonnul-
li ſcribere Paulum proferre hanc ſententiam humanitus, non diuinitus, ac proinde nos non obli-
gati ad illam Pauli ſententiam ſequendam: neque aliam fuiſſe Apoſtoli mentem quum illa præfa-
tione vteretur. Reſpondeo hanc obiectionem non carere blaſphemia. Niſi enim hoc mordicus te-
neamus, quicquid Eccleſiis tradiderunt Apoſtoli, traditum eſſe à Spiritu ſancto, neceſſe fuerit to-
tam Apoſtolicam doctrinam labaſcere. Dico autem quicquid tradiderunt. Nam alioqui Apoſto-
los conſtituere prorſus *ἀναμαρτήτους* nemo poteſt quin ab ipſiſmet redarguatur. Dico igitur Apo-
ſtolum eo ipſo ſpiritu præditum fuiſſe quum hæc diceret quæ ad deſertionem ſpectant, quo fuit
præditus Ieſus Chriſtus (à quo miſſus fuit) quum ea diceret quæ paulò antè eo loco commemora-
uit Apoſtolus: ac proinde vtranque ſententiam cæleſtem & planè diuinam eſſe. Cur ergo, inquies, 2
ſcripſit Apoſtolus, *Dico ego, non Dominus*? nempe quoniam hac de re neque rogatus vnquam fuit
neque reſpondit vnquam ipſemet ore ſuo Chriſtus, vt paulò antè oſtendimus. Itaque vnus & idẽ
ſententiæ vtriuſque auctor eſt, videlicet ſpiritus Chriſti, ſed illius quidem *αὐτοπροσώπως*, iſtius verò
per os Apoſtoli.

5. Argumen.
Reſpons.

Sextò illud opponũt, Dicit Apoſtolus, *Puto me ſpiritum Dei habere*, quod videtur eſſe ambigẽtis

6. Argumen.

Reſponſio. & dubitantis potiùs quàm aſſeuerantis. Reſpondeo, ita cordatum fuiſſe Paulum & fidum ſeruum Domini, vt neque de vocatione neque de doctrina, quam Eccleſiis tradebat, vnquam vel tãtillum dubitarit. Eſt ergo in hoc genere loquendi non aliquod hæſitantis animi ſignum, ſed grauis & acris [illegible] quo reprehendit omnes de ipſius vocatione & doctrina dubitantes.

7. Argumen. Septimò ſic argumentantur, Apoſtolus dicit, *diſcedat*, non autem, *nouum matrimonium contrahat.*
Reſponſio 1. Reſpondeo, non eſſe citanda teſtimonia mutila & manca. Neque nos verò quum docemus in caſu deſertionis repeti poſſe matrimonium, vno illo verbo *diſcedat*, innitimur, ſed iis ipſis quæ ſequuntur, nempe in eiuſmodi facto non eſſe obnoxium ſeruituri fratrem aut ſororem. Quia autem aliud illic vocarit ſeruitutem Apoſtolus quàm matrimonij obligationem? Nam (vt paulò antè diximus, cogimur autem nonnulla inculcare) ſi dicamus ita ſignificare Apoſtolũ non teneri deſertam perſonam cum deſertrice habitare, quid fingi poteſt magis ridiculum? Quomodo enim habitaret, e-
2 tiam ſi vellet, deſerta pars cum deſertrice? Nam ſi ruſus conueniant ceſſat deſertio. Præterea notandũ eſt hoc verbo, *Diſcedat*, nihil præcipi ab Apoſtolo, neque etiam approbari deſertionem: ſed perinde hoc eſſe accipiendum ac ſi diceret Apoſtolus, Si diſcedit infidelis, illi imputetur: quem modum loquendi Grammatici vocant permiſſiuum, vt in alia Pauli ſententia, *Qui ſordeſcat, ſordeſcat adhuc.*

8. Argumen. Octauo loco negant addendum eſſe quicquam ad verbũ Domini: Dominum verò diſertis ver-
Reſponſio 1. bis diuortia extra fornicationis cauſam damnaſſe. Ego verò concedo nihil verbo Domini adiciẽ-
2 dum eſſe, ſed præterquàm quòd Pauli verba ſunt Domini verba, quum Paulus hæc ſcribens ſpiritum Dei habuerit, nec ſanè noſtra defenſione egeat: ad ea quæ iã antea pluribus reſpõdi hoc quoque adiicio, quod magnopere videtur in hoc argumẽto conſiderãdum, nempe Apoſtolum nullam nouam diuortij cauſam verbis illis ſignificare, ex qua liceat matrimonium dirimere, ac proinde Chriſti verbis nihil adiicere. Quærentibus enim Corinthiis, an propter infidelitatem liceat diuortium facere, reſpondet non licere. Itaque in eo quod ſubiicitur de deſertione, non eſt quæſtio de diuortio faciẽdo, ſed illud quæritur, an poſt diuortium illegitimè factum ab infideli, liceat conſulere fidelis conſcientiæ. Tantum abeſt igitur vt in hac ſpecie agatur de repudianda vxore, vel dimittendo marito, ſicut in cauſa adulterij: vt contrà deſerta perſona ſe deſeri cõqueratur, & deſertricem repetat quãtum in ſe eſt. Itaque ſi corã Magiſtratu Chriſtiano eiuſmodi cauſa ageretur, nullus eſſet diuortio locus, quoniã ſecundum deſertam perſonã iudicaretur, & iuſta vi adigeretur deſertrix perſona debitum reddere. Quòd ſi deſertrix perſona nulla ratione poſſit ad mutuam coniunctionem repetendam adduci, negat Apoſtolus oportere innocentẽ luere nocentis culpam. Dicam apertiùs. Ob ſolam adulterii cauſam (ſicut expreſſè teſtatus eſt filius Dei) licet diuortiũ petere & facere. Quid ſi igitur infidelis fidelẽ deſerat? imputetur infideli, (inquit Apoſtolus) qui ſanè adulter eſt ſi cũ alia perſona conſueſcat, nedũ vt legitimè diuertat. Interea verò æquum eſt vt fideli innocenti conſulatur, quò poſſit vitã tranquilla conſcientia trãſigere. Ex his efficitur Apoſtolũ non facere ius dirimendi propter infidelitatẽ matrimonii, ſed hoc tantùm dicere, deſertionis culpam totam reſidere penes deſerentem, & eſſe interea innocenti deſertæ perſonæ conſulendum.

Noſtra verò ſententia tam multos offendi poſſe demiror, quum nec ipſi Canonici, vt modò di-
Ambroſius in 1. Cor. 7. ximus, præciſè in omni deſertione nouas nuptias prohibeant: Ambroſius verò apertè concedat, & in nonnullis multo minore vel potius nulla occaſione, iidem Canonici non tam difficiles ſe præ-
Leo nouel. 11 ſtent. Si proferam Leonis conſtitutionẽ qua vxoris furioſæ marito nouas nuptias poſt triennium concedit, obiicient nimirum, & rectè quidem, opinor, aliud eſſe Cæſaris quàm Chriſti leges. Verùm quid reſponderint ad illud ſanctiſſimi ſcilicet Papæ reſcriptum, cuius antea memini, ſolenni
c. peru nit 30. q. 1. totius Romanæ curiæ iudicio in Hiſpanias vſque tranſmiſſi, in quo, ſuperueniente, etiã per ignorantiam, ſpiritualis (quam vocant) affinitatis vinculo, non modo diſſoluitur quantumlibet ratum prius coniugium, (contrà quàm ipſi alibi docent) verùm etiam & viro & vxori poſt annum contrahendi noui matrimonij poteſtas conceditur? Quæ quum ita ſe habeant, modò priùs legitimis omnibus modis & officiis tentarit deſerta perſona deſertricem Deo & ſibi reconciliare: modò ipſa in culpa non ſit: modò patienter quantum in ſe eſt reſipiſcentiam infidelis expectarit: modò cauſæ cognitio legitima, de qua ſuo loco dicemus, præierit: modò denique in Domino nouas nuptias meditetur, cur dubitem quin ex Dei per Apoſtolum loquentis verbo, liceat deſertæ perſonæ matrimonium inire.

An fidelis poſſit infidelẽ deſerere. Sed quæritur an viciſſim poſſit fidelis infidelem deſerere. Reſpondi in ſuperiore tractatione, refutatis etiam contrariis argumentis, nullo modo id licere: in qua ſententia permaneo, quoniam apertè dicit Apoſtolus, infidelem eſſe ſanctificatum fideli, id eſt, fidelis conſcientiam non pollui alterius infidelitate in vſu coniugii mutuo: quo vel vnico Apoſtoli dicto concidunt præcipua cõ-
c. 4. 28. q. 1. trariæ ſententiæ argumenta. Sed repeto quod paulo antè dixi, nempe deſertorem videri non eum duntaxat qui præciſè mutuum conuictum denegat, verùm etiam qui à fideli conditiones intolerabiles exigit, vt ſi fidelem ad audienda abominandæ Miſſæ ſacra, denique ad facienda vel contra omne pietatis officium patienda quædam prorſus cogat infidelis. Hinc ergo alia incidit quæſtio, quid ſit fideli faciendum quum non denegatur quidem cohabitatio, ſed aut vitæ periculum adeũdum eſt, aut contra veram religionem faciendum vel perpetiendum eſt aliquid. Reſpondeo, duas hîc obſeruandas diſtinctiones. Primùm enim aut ipſe infidelis ſiue ſciens ſiue conniuens fidelem perſequitur: aut aliunde oritur perſecutio. Si quando illud inciderit, idoneam ſanè excuſationem habet fidelis, domeſticum hoſtem non alia ratione vitans quàm vt ſuæ vitæ & conſcientiæ

conſu-

cõſulat, nec aliud in hac ſpecie ſtatuerem quàm ſi infidelis ipſe aliò migraret. Paria enim ſunt, diſcedere ab aliquo, & minis aut vi alium à ſe abigere. Sin verò aliunde ingruat eiuſmodi perſecutio, longè quidem moderatiùs agendum erit fideli quàm ſi domi & in ſuo ſinu hoſtem foueret: nec dubium etiam eſt quin ſi infidelis fidelem vero coniugali amore proſequatur, eius vitæ modis omnibus caueat: in qua ſpecie quiduis potiùs fideli perpetiendum videtur quàm vt infidelem officio fungentem deſerat. Sin verò infidelis verſantem in periculo fidelem non curet vt decet, nemo non videt (opinor) non tantùm vt deſertorem, verùm etiam vt proditorem vitari bona conſcientia poſſe. Deinde quanuis vxor marito & maritus vxori viciſſim eadem lege coniugii obſtringatur, tamen pullulat mariti ſupra vxorem auctoritas, vt in hac de qua nũc agimus ſpecie aliquid marito ampliùs quàm vxori concedatur. Tenetur enim vxor maritum ſequi, maritus vxorem nõ item. Itaque etſi ne maritus quidem fidelis temerè debet vxorem quanuis infidelem, perſecutionis vel veræ ſectandæ religionis cauſa, aliò abducere, ac multò minùs deſerere: tamen quum ſit familiæ ſuæ caput, arbitrium eius rei penes ipſum eſt: quòd ſi ipſum vxor non ſequatur, iam ipſe non deſertor, ſed deſertus eſt habendus. Vxori verò non modò non eſt temerè diſcedendum à marito, ſed etiam, quoad eius fieri ſalua conſcientia poteſt, vel per ania ſequendus eſt maritus: experienda grauiſſima quæque, priuſquam ab eo demigret: omnia denique quàm conſideratiſsimè expendenda priuſquàm deſerta fuiſſe iudicetur, ac multò magis priuſquam nouæ ipſi nuptiæ concedantur: quo modo emolliendum cenſeo Ambroſium, marito quidem ab apoſtata vxore deſerto nouum matrimonium concedentem, vxori verò ab apoſtata deſertæ non item.

Ambroſius in 1. Cor. 7.

Poſtremò vel maximi eſt momenti hæc quæſtio, An quod de deſertione ex Apoſtoli doctrina conſtituimus, locum habeat, quacunque ratione alter alterum deſeruerit. Certum enim eſt Apoſtolum, ſi quis propiùs intueatur ipſius ſcopum, de ea demum deſertione agere quæ religionis odio fiat, ac proinde in matrimonio impari. In cauſa verò diuortii quod meritò per ſe odioſum eſt, minimè iis aſſentiendum arbitror qui cauſas in verbo Dei proditas, quantum poſſunt, amplificant, ſed potius quàm arctiſſimè fieri poteſt, arbitror intelligenda quæ de hac re in Dei verbo traduntur. Reſpondeo igitur primum de impari, ac deinceps de pari coniugio. In impari coniugio, ſi prior diſceſſerit infidelis, non ita difficile fuerit, quicquid prætexat, intelligere nũ religionis odio, an verò aliam ob cauſam diſceſſerit. Nã præterquàm quòd ſciri facile poteſt, an liberum veræ religionis cultum fideli tolerabiliter ſaltem conceſſerit, quum fidelis ſit in Eccleſiæ poteſtate, facilè inquiri in eius mores, & ipſe officii admoneri poteſt: cui conſilio ſi paruerit, vel compoſita fuerint omnia, ſublata videlicet diſsidii occaſione: vel, infideli non acquieſcente in alterius reſipiſcentia, aut iudicio ſeſe non ſiſtente, aut nihil probante, patebit ipſius hypocriſis, qui reuera non tam fidelis mores quàm religionem oderit: ſin verò qui ſe fidelem profitetur, Eccleſiæ tamen nõ paruerit, digna fuerit contumax perſona quantumuis fidelem ſe prædicans, quæ ex Eccleſiæ cœtu eiiciatur. De extraneis verò iudicabit Dominus: & omnino iniquum fuerit, cuiquam ſuam culpam atque adeò contumaciam prodeſſe. Quid ſi vero infidelis non amplius ferens contumacis & ex Eccleſiæ communione eiectæ perſonæ mores, nouum etiam matrimonium inierit? Tum verò non deſertione, ſed adulterio diſſolutis prioribus nuptiis, alteri coniugio locus erit: quod tamen ne tum quidem temerè fiet, in eius perſonæ gratiam quæ ſua contumacia præbuerit tot offendiculorum occaſionem.

An quauis deſertio matrimonium dirimat.

Sed quid ſi fidelis vel moroſitate, vel ob malam tractationem, (non tamen interueniente religionis odio) prior diſceſſerit? Tum ſanè fidelis aut reconcilietur oportet, aut extra coniugium manens ſuam crucem ferat. Quod enim dixit Apoſtolus de pari coniugio, *Ne vir vxorem, aut vxor virum relinquito*, in impari quoque coniugio locum habet, ſi tollas religionis cauſam, quum idem Paulus disertè prohibeat fideli ne infidelem deſerat quandiu cohabitare non recuſarit. Eſt autem etiam Magiſtratus officium, & publicæ tranquillitati & ſingulorum ciuium ſaluti conſulere, vt ſi fortè fidelis in culpa deprehendatur, nec Eccleſiæ pareat, cogatur aut minis aut pœnis ad cõiugem reuerti. Sed quid ſi non impatientia vel malo affectu diſceſsit, verùm quòd abſque certo vitæ periculo apud infidelem verſari non poſſet? Tum ſanè adimetur quidem infideli, tantiſper dum ad frugem redeat, vſus illius perſonæ qua ſeipſum priuat: interea verò coniugii vinculum minimè diſſoluatur. At enim, inquies, quid ſi vel infidelis nocens, vel innocens fidelis, non habeat continentiæ donum? Infidelis quidem hoc ſibi ipſi imputet, niſi mores mutare & reconciliari malit: fidelis autem petat donum quod non habet, & impetrabit. Eſt enim ei crux illa à Domino impoſita, qui vetat homines diſiungere quod ipſe coniunxit, nec tamen ſinit ſuos ſupra vires tentari, ſi modò vigilent & precentur.

Si fidelis ab infideli ob malam tractationem diſceſſerit, quid conſtituendum.

In pari autem matrimonio quum legitima non poſsit eſſe deſertio, (dicente Apoſtolo, *Neque vir vxorem, neque vxor virum relinquito*) & vtraque perſona ſit in Eccleſiæ poteſtate, diuortium deſertione fieri non poſſe videtur: ſed cogendum eſſe qui in culpa deprehendetur, tum Eccleſiaſticis, tum etiam ſi neceſſitas poſtularit, Ciuilibus pœnis, ad faciendum coniugis officium, vt Chriſtianum hominem & honeſtum ciuem decet. Quædam tamen hoc etiam loco difficultates oboriuntur. Nam quid ſi flecti contumax deſerentis animus non poſsit? Reſpondeo, tantiſper dum Magiſtratus contumacem domare poſsit, innocenti in precibus perſeuerandum, quæ ſi ex fide fiant (quum Dominus ſuos in tentationibus non deſerat) irritæ eſſe non poſſunt. Sed quid ſi inuitus alter iuſto metu coactus ſeceſſerit, an cogetur cum certo vitæ periculo redire? minimè verò, ſed priuetur quidem ille qui in culpa eſt, alterius conſuetudine, tantiſper dum ſapere & officium facere didicerit: innocẽs verò ſtatuat interea ſeſe ad cœlibatum vocari, & in fide petat victoriam

De diſceſſione fidelis à fideli.

ab eo qui ſupra vires tentari ſuos non ſinit:matrimonium verò ob eam cauſam dirimendum, quũ vtraque perſona eſt in Eccleſiæ poteſtate, in verbo Dei non inuenio. Verùm quid ſi non ſimpliciter alter à mutuo conuictu ſeceſſerit, verùm etiam extra territorium aufugerit? Tum verò vtimur hoc iure in hac Geneuenſi eccleſia, quod mihi videtur verbo Dei conſentaneum. Præeunte legitima cognitione, nocente quoque, ſi fieri potuit, literis ſaltem & nuntiis euocato, nec tamen ſeſe iudicio Eccleſiæ ſiſtente, tandem trinundina præeunte tum in Eccleſiæ cœtu tum apud Magiſtratus denuntiatione, deſertione ſolutum matrimonium pronuntiatur. Quanuis enim iſte ſeſe religionis odio non diſceſsiſſe fortaſſe profiteatur, tamen qui Eccleſiæ cognitionem ſubterfugiens, contra conſcientiam matrimonium dirimit, manifeſtè infideli, ſimul & religionis & coniugis deſertori, meritò æquiparatur.

Quid ſtatuendum ſi quo loco ſit deſertor ignoretur.

Sed rurſum hîc nouæ difficultates occurunt. Quid ſi enim quo loco ſit iſtiuſmodi deſertor aut deſertria, reſciri nõ potuerit? Hîc verò diligenter primùm omnium inquiretur in iſtius diſceſsionis cauſas, vt ſi fortè comperiatur perſona quæ ſe deſertam conqueritur & diuortium petit, occaſionem huic malo præbuiſſe, non audiatur: quoniam iniquum eſſet eam audire de malo quod vltro ſibi accerſiuit, aduerſus alium conquerentem. Quòd ſi continentiæ donum ſe habere neget, hoc ſibi ipſi imputet, peccatum defleat, eum (ſi volet) requirat quo ſeſe ſua improbitate priuauit. Deinde conſtet neceſſe eſt, præbito quoque apud Magiſtratum iureiurando, bona fide datam eſſe omnem operam vt profuga illa perſona inueniretur, & de iſta in eum Inſtituta expoſtulatione certior fieret. Poſtremò ne ſic quidem noui matrimonii poteſtas fieri debet, vxori præſertim quę maritum alioqui ſequi tenetur, priuſquàm conueniente temporis ſpatio, anno putà vel etiam, ſi ſit opus, longiore, abſentis reditum expectarit.

De redeunte deſertore.

Sed quid ſi poſtea ille ſuperuenerit, & coniugem repetat? Nempe ſi res adhuc eſt integra, reconciliabuntur: ſin minùs, non modò non erit audienda deſertrix perſona ſerò expoſtulans quaſi facta ſibi ſit iniuria, verùm etiam digna fuerit grauiſſima ciuili pœna. Primùm enim ſi quid hîc peccatum eſt, tota penes deſertricem hanc perſonam culpa reſidet: deinde quis meritò iſtiuſmodi homini, qui contra conſcientiam tam diu tam horribiliter peccarit vt vel ab ipſis Turcis meritò reprehendi poſsit, fidendum arbitretur? Præterea, ſi nouum hoc coniugium illius vnius culpa contractum non ſatis legitimum eſt, an non dignus eſt iſte qui non modò vt adulter, verùm etiam qui vt ſuæ ipſius vxoris proſtitutor puniatur?

De deſertore vxorem repetente.

Quid ſi verò deſertionis accuſatus vxorem repetat? Nempe virum ſequi cogetur, niſi iuſtam cauſam afferat, & ſimul probet: veluti quòd ille certa quapiam ſede non maneat, quòd crudeliter aut turpiter ipſa vti conſtituerit, quòd denique licentiam qua ipſi nocere poſsit, non autem verum conſortium, quærat.

An omnis diuturnior abſentia habenda pro deſertione.

Sed an quæuis diuturnior præſertim abſentia pro deſertione habenda eſt? Minimè verò: ſed quo animo is qui abeſt, vel diſceſſerit initiò, vel poſtea reditum differat, aut ex teſtibus idoneis, aut ex circunſtantiis, prudenter in Domino diiudicetur oportet, ne quicquam niſi prorſus conſideratè de tanti momenti negotio ſtatuatur.

Argumenta contraria.

Sed iſtis quæ de fideli fidelem deſerente diximus, quædam obſtant non parui momenti, veteres videlicet canones, verbi etiam diuini nonnulla auctoritate innitentes. Illos igitur placet etiam expendere: vetuſtiſſimos dico, & ex quibus alii poſtea tanquam riuuli deducti ſunt, ſed ita nonnunquam impuri vt conſpurcari neceſſe ſit qui vel leuiſſimè illos attingant. Repurgatis autem fontibus, cauſa non eſt cur magnopere de impuris riuulis laboremus. Sic autem ſtatuunt Canones quos Apoſtolicos vocant.

1. Argum. Canon. Apoſtol. 48. Can. Baſil. 76 & 48.

Εἴ τις λαϊκὸς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐκβαλὼν ἑτέραν λάβοι, ἢ παρ' ἄλλου ἀπολελυμένην, ἀφοριζέσθω. Si quis laicus ſua vxore eiecta aliam accipiat, aut ab alio dimiſſam, ſeparator. In huius Canonis priore parte extra controuerſiã eſt nihil poni cui non prorſus aſſentiamur. Nam ſi verbum Dei prohibet viro vxorem, & viciſſim vxori virum relinquere, multò magis vetat expellere: quoniam ſi iuſta eſt petendi diuortii cauſa, non vi ſed iure agendum eſt. In altera parte fortaſſe videri poſſet matrimonium deſertæ quoque perſonæ ſemel prohibitum. Sed ambigi meritò non poteſt quin hoc intelligendum ſit de voluntariis diuortiis quæ inter Iudæos dato libello, inter prophanos autem populos miſſo etiam nuntio, fiebant: & à Chriſtianis diu retenta ſunt, conniuentibus Imperatoribus, & bonis Epiſcopis fruſtra reclamãtibus. Itaque hunc morem meritò hic Canon corrigit Chriſti veſtigiis inſiſtens.

Reſponſio.

Nihil hoc autem ad deſertionem cuius meminit Paulus, neque ad eam etiam quam diximus illi Paulinæ meritò æquiparari, vt mox oſtendemus.

2. Argumen. Sext. Syno. in Trullo, can. 87. & 88.

Synodus ſexta in Trullo Conſtantinopoli habita ſtatuit vt, ſiue mulier maritum ſiue maritus vxorem deſerat, adulterii damnetur: quod æquiſſimum eſt, & verbo Dei prorſus conſentaneum. De deſerta autem perſona ne hîc quidem quicquam ſtatuitur.

Reſponſio. Euſdẽ Synod. can. 94. Reſpon 1. Baſil. can. 31.

Eadem Synodus alio canone ſic habet, *Ἡ ἀναχωρήσαντος τοῦ ἀνδρὸς καὶ ἀφανοῦς ὄντος, πρὸ τοῦ πεισθῆναι περὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ἑτέρῳ συνοικοῦσα, μοιχᾶται.* Id eſt, *Vxor viri qui ſeceſſit & nuſquam apparet, priuſquam de ipſius morte certior facta ſit, alteri cohabitans, adulterium committit.* Extat autem hic Canon totidem verbis ſcriptus, inter eos qui Baſilio tribuuntur. Illos verò canonas nonnullis aduerſari quæ paulò antè diximus, minimè inficior: ſed quo fundamento nitantur præcipuè inquirendum eſt, vt hîc etiam illud Apoſtoli valeat, *Probate ſpiritus, & quod bonum eſt tenete.* Multa enim in iis ipſis canonibus iniquè prorſus ſtatuta ſunt, vt illud inter cætera, quòd prorſus retinendum cenſent maritum etiam adulterum, de quo antea diximus: & illud quoque quòd etiam ſcortatores non

Baſil. 9. & 21. Idẽ can. 26.

volunt ſeparari, qua de re ſuo loco dicemus: quod idcirco dictum volo ne quis Baſilii

Magni

Magni nomen, quem mihi non perſuadeo de iſtis canonibus vnquam cogitaſſe, pro *auctoritate*
[illegible] nobis obtrudat. Quid igitur illi proferunt ex Dei verbo? Illud videlicet quod Christus 2
apertè dicit in pari matrimonio, eum nimirum qui dimiſſam ducat, (nempe extra adulterii cau-
ſam) mœchari. Nam (inquiunt) ſi hoc valet in eo qui libellum diuortii dedit, cur non multo ma
gis in eo valeat qui tantummodo ſeceſſit? Reſpondeo ita quidem poſſe videri: ſed ſi quis propiùs
rem inſpiciat, inſigne diſcrimen inter hæc duo, nempe inter diuortium voluntarium dato libello
repudii factum, & ſeceſſionem malo animo factam, inuenturum. Nam in illis voluntariis diuortiis
non præibat cauſæ cognitio, & vtraque perſona erat in Eccleſiæ & Magiſtratus poteſtate. Ita-
que quum ad reconciliationem & exhortationibus adduci, & pœnis tum Eccleſiaſticis tum ciui-
libus cogi poſſet qui in culpa erat, mirum non eſt huiuſmodi diuortia non valuiſſe. Nam ne nos
quidem aliter iudicauimus de ſimplici ſeceſſione, quum videlicet vel vtraque perſona eſt præſens,
vel qui ſeceſſit, euocatus iudicio ſe ſiſtit, aut quanuis abſens tamen Eccleſiæ iudicium ſubit. Ve-
rùm quum ita profugit quiſpiam malo animo, vt quantumlibet quæſitus inueniri nuſquam poſſit;
vel euocatus iudicium legitimum penitus refugiat, cur is, obſecro, (poſt legitimam cognitionẽ)
eo loco non habeatur quo infidelis deſertor, quum eo ſit etiam aliquanto deterior? Poteſt enim
infidelis vel ſuperſtitione, vel aliqua officii ſui ignorãtia peccare: iſte verò qui fidelem ſe ore pro-
fitetur, factis negat, quid tandem poteſt meritò prætexere? Et quum ille malo animo profugus,
nuſquam inuentus, aut iudicium omne refugiens, tentatis fruſtra omnibus, nullum reconciliatio-
ni locum relinquat, (quod in illis voluntariis diuortiis non euenit) cur innocens deſertus lue-
ret nocentis culpam? id autem ſanè fieret ſi perſona deſerta nihilominus deſertrici obſtricta per-
petuò maneret. Et tamen tum quoque laudabiliùs eum facere non inficiamur qui ſic maneat cuẽ
tum rei expectans, quàm qui iure ſuo præciſè vtatur.

Idem Baſilius alio canone ſic ſtatuit: *In marito qui ab vxore relictus eſt conſiderare oportet cauſam* 3 Argumen. Baſil. can. 35.
derelictionis, & ſi præter rationem eã ſeceſſiſſe apparuerit, eſt maritus quidem dignus venia, illa verò pœna.
Hunc verò canonem vt æquiſſimum vſque adeò recipimus, vt etiam quum perſona deſerta ad al- Reſponſio.
terius abſentiam conniuet, ſoleamus in rem totam vltro inquirere, ne quid ex compoſito inter cõ
iuges ſeſe mutuò faſtidientes geratur.

Canonicos verò noſtros qui ne adulterio quidem dirimi vinculum coniugii patiuntur mirum 4 Argumen. Reſpon. 1.
non eſt in deſertionis cauſa multò minus id concedere. Nos autem Apoſtoli ſententiæ potius ac- 2
quieſcamus. Sed illud rectè ab iiſdem conſtitutum eſt, ſequendum eſſe maritum vxori, ſed ita ta- c. 3. 13. q. 2. &
men vt exceptiones non rectè prætermiſerint. c. 4. 34. q. 2. vbi gloſſa, &

Cæterùm quoniam diuturna omnis abſentia ſpeciem habet deſertionis, de hac quoque hoc lo- in c. 1. Extrà
eo mihi dicendum arbitror. Maneo igitur in ſententia quam ſuperiore tractatu pleniùs expoſui, de coniug. leproſorum.
nempe diligenter inquirendum eſſe tum de diſceſſionis tum de longioris moræ cauſis: ac omnino De abſentia
oportere vt vel de voluntaria & affectata abſentia (in qua ſpecie de abſente vt deſertore ſtatue- propter cap-
tur) vel de abſentis obitu idoneis teſtibus aut neceſſariis cõiecturis cõſtet. Nã captiuitate diſſolui tiuitatẽ, mi-
matrimonium quod eſt ex iure gentium, prorſus eſt iniquũ: & qui ea alia iuſta neceſsitate abeſt, litiam, aut a-
quum inuitus abſit, deſertor haberi non debet. Quoniam autem ob infinita illa incommoda qui- liam ciuilem
bus mortalis hæc vita eſt obnoxia, non ſemper liquidò probari poteſt abſentium interitus, ideo, de cauſam.
ſi teſtes aut aliæ idoneæ coniecturæ defuerint, & niſi malo animo diſceſsiſſe abſentem conſtite- Noue. vt lic.
rit, expectare non modò quinquennium, verùm etiam totum decennium in hac eccleſia Geneuen mat. & au. §. quod autem.
ſi iubetur perſona de abſentis mora conquerens: quo elapſo ſi ita poſtulatum fuerit, & ne leuiſſi- c. 1. & 2. & 4. 34. q. 1.
ma quidem coniectura fuerit abſentem eſſe ſuperſtitem, & captiuitate aut alia cauſa retineri, tum c. in preſentia, Extra, de ſponſ.
demum flagitanti fit nouarum nuptiarum poteſtas, quoniam videlicet is de quo quærebatur, his c. dominus,
omnibus accuratè ſeruatis, mortuus probabiliter cenſetur. Sin minùs, ſtatuat oportet ſeſe ad cæ- Extrà, de ſe- cun. nupt.
libatum vocari perſona quæ hac tam graui tentatione exercetur, & ad eum clamet qui ſuos vigi- Nouell. de
lantes nõ ſinit ſupra vires periclitari. Sed quid ſi caſu redeat qui mortuus probabiliter putabatur? nupt. § per occaſionem.
nempe poſterius coniugium iuſta ignorantia contractum diſſoluetur, & neutri imputabitur quod c. 1. & 2. 34. q. 2.
neutrius culpa contigiſſe deprehendetur.

Hactenus igitur à nobis dictũ ſit de veris ac legitimis diuortii cauſis, putà adulterio & deſertio- Nulli homi- ni licuiſſe no-
ne. Nam morte potiùs finitur quàm dirimitur coniugium. Quoniam autem aliæ quoque diuortio- uas de diuor-
rum cauſæ in iure ciuili, atque adeò à Canonicis ipſis afferuntur, primùm omnium alteram illam tiis leges cõ- dere.
quæſtionem à nobis propoſitam pertractabimus an videlicet cuiquam ad cauſas diuortii in verbo
Dei expreſſas alias etiam adiicere licuerit: quod fortiter nego. Qui licuiſſe contendunt, his ratio-
nibus præcipuis nituntur.

Obiiciunt Euangelium non abolere *[illegible]*, ac proinde non tollere leges de contractibus po- Contraria ar-
ſitas. Reſpondeo, intelligi hoc dictum de contractibus merè ciuilibus, idque non ſine exceptione. gumenta. Reſpon. 1.
Abolet enim impias leges illud Apoſtolorum reſponſum, tot martyrum morte ſancitum, *Oportet* Act. 5. 29.
Deo parere potiùs quàm hominibus: neque nos oportet legum manifeſtè iniquarum eſſe miniſtros,
quum obſtetricibus Ægyptiis edicto tyrannico minimè obſequutis, Dominus benedixerit. Cæte- Exod. 1. 17. & 20.
rùm contractum matrimonii ita humanum eſſe (eſt enim certè, quod ad rem ipſam attinet, non 2
iuris vllius ciuilis, ſed iuris gentium) vt tamen eius obligatio præcipuè nitatur Dei auctoritate l. 1. D. de iu.
hoc vinculum nectentis, non illud tantùm declarat quòd ipſe Deus ſeſe illius auctorem ipſo mun & iure. § ius naturale.
di principio prodidit, verùm etiam manifeſtum illud & apertiſſimum Chriſti filii Dei interdictum
QVOD DEVS CONIVNXIT, HOMO NE SEPARATO. Quod enim nonnulli excipiunt,
Deo auctore fieri quæ facit Magiſtratus, ac proinde dictũ illud intelligi duntaxat de ſolis diuortiis, Matt. 19. 6.

priuata auctoritate factis, conſtare poteſt non dici ſatis appoſitè tum ex eo quod nomen HOMI-
NIS non poteſt, niſi planè violenta interpretatione, cum Magiſtratuum exceptione intelligi,tum
vel maximè ex eo quòd adulterii cauſa manifeſtè à Chriſto excipitur, in qua tamen in primis inter-
2 uenire publicam auctoritatem oportuit, quum capitale crimen eſſet. Denique rogatus Chriſtus,
non ao præeunte demum iudicis cognitione, liceret vxorem dimittere, ſed an quauis ex cauſa di-
mittere liceret, certè non reſpondit licerétne ſuo arbitrio (quod tamen Iudæi factitabant) diuor-
tium facere, an verò Magiſtratus eſſet adeundus: ſed de hoc vno, quibus de cauſis diuortium face-
3 re liceret. Dico igitur coniugii vinculum à nudo contrahentium conſenſu non pendere, ſed à Dei
vtrunque veluti manu ſua copulantis auctoritate: ac proinde non eſſe ex merè ciuilium contra-
ctuum numero, qui ſicut mutuo contrahentium conſenſu fiunt, ita etiam eodem ſoluuntur, quod
1.Cor.7.23. Gal.1.8. in matrimonio nefas eſſe patet ex Chriſti verbis: ideóque religioſi Imperatores licere noluerunt,
vt ſuo loco dicemus. Quum ergo leges conſcientiis dicere nullius ſit hominis, ac ne Angeli qui-
dem, niſi ſint iubentis Domini miniſtri: efficitur nullius eſſe ponderis iſtud argumẽtum, quod at-
4 tinet ad leges de diuortiis ponendas, vt quæ ex vno Dei verbo petendæ ſint. Nam alioqui in
matrimonium multa incidere non inficior de quibus caueri legibus tum ciuilibus tum Eccleſia-
ſticis oporteat: nec illud etiam nego, coactos iampridem eſſe Magiſtratus ad ſuorum populorum
duritiem, exemplo Moſis, conniuere. Sed de vnico conſcientiæ foro hîc à me quæritur, quam nul-
lis humanis legibus excuſari dico ſi vel tantillum extra Dei verbum aberret. An enim æquum eſt
Mat.19.9. Ierem.3.1. vllos Magiſtratus aliquo ſupra Moſen iure eſſe præditos? At Chriſtus, vigente adhuc Moſis lege,
apertè pronuntiauit adulteros eſſe qui mulierem extra adulterij crimen ſeparatam ducerent: &
multis antea ſeculis Ieremias pollutam eſſe ſcripſit quæ ſic à viro dimiſſa alteri nuberet.

2.Argumen. Secundo loco ſic colligunt: Si conceſſit Moſes diuortia Iudæis ob cordis duritiem, cur non i-
dem concedat non minùs duris & contumacibus populis, certis ſaltẽ ob cauſas, Chriſtianus Ma-
Reſpon.1. giſtratus? Reſpondeo, nunquam licuiſſe illa diuortia in foro conſcientiæ, de quo vno nũc agimus,
niſi ob adulterium. Nam alioqui non eſſet teſtatus Dominus eum qui alia ratione dimiſſam du-
2 cat, mœchari. Deinde quum longè copioſiore ſpiritu nos donet Euangelium à Chriſto ſancitum,
quàm Patres olim illud procul in ſpe conſpicientes, minùs ſanè tolerabilis fuerit Chriſtianorum
contumacia, quàm olim fuit Iudæorum: ideóque nos Chriſtus ad primam illam coniugii inſtitu-
3 tionem reuocat, vt qui idcirco venerit vt omnia inſtauraret. Quòd ſi nihilominus Chriſtianus ali-
quis Magiſtratus quippiam contumacibus ſubiectis condonare volet, quod Imperatores aliqui
Chriſtiani fecerunt: aut ſi quid eiuſmodi poſtulare publica vtilitas videbitur, age quorum contu-
macia domari non poteſt, quíue vnà viuere non poſſunt quin maius periculum priuatim publi-
céue immineat, ſecedere quidem ſinantur, aut etiam iubeantur: ſed maneat tamen coniugii vincu-
lum ex illa inuariabili Chriſti ſententia, *Quod Deus coniunxit, homo ne ſeparato:* alioqui conſcien-
tiam apud Deum nulla Magiſtratuum auctoritas excuſabit, ex ſuo verbo nimirũ, non autem ex hu-
manis legibus, de factis noſtris iudicaturum.

3.Argumen. Reſponſio 1. Obiiciunt tertio loco, quòd veteres Epiſcopi ſeſe Imperatoriis illis legibus non oppoſuerint.
Atqui ſingula Epiſcoporum dicta aut facta non ſunt in tabulas relata: neque ad hanc normam exi-
2 genda ſunt de quibus agimus. Quid enim actum ſit non quæritur, ſed quid agi oportuerit. Quia ta-
men probabile eſt non fuiſſe diſſimulaturos Epiſcopos in Chriſtianis Imperatoribus tam manife-
ſtum in re tanti momenti abuſum, & ſi quid tale factum eſſet, non fuiſſe penitus id tacituros Ec-
cleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores, fortaſſe reſponſum illud non omnibus ſatisfecerit. Moneo igitur
eos qui de hac re ambigunt vt veteres de matrimoniis canonas cum Cæſareis legibus conferant.
Nulla enim habemus certiora communis Eccleſiarum gubernationis teſtimonia quàm Synodorũ
iis temporibus coactarum canonas, id eſt, iudiciorum Eccleſiaſticorum regulas. His autem adiun-
genda ſunt etiam doctiorum Epiſcoporum ſcripta, quæ ſemper fuerunt veluti pro tabulis publi-
cis habita. Ex his ergo publicis teſtimoniis, nõ ex aliqua priuata huius vel illius Epiſcopi interceſ-
ſione, nunquam Eccleſiis placuiſſe Cæſareas leges, quæ alia ratione quàm propter fornicationis
crimen vinculum matrimonii ſoluerent, vel ex eo intelligi poteſt quòd ne ob adulterium quidem
penitus diſſolui coniugia multi voluerunt. Itaque hæc obiectio planè infirma eſt: id quod etiam ex
iis quæ dicturi ſumus planiùs apparebit.

4.Argumen. Quartò & illud obiiciunt, Paulum videlicet ad cauſam adulterii alteram quoque, nempe infide-
lis deſertionem, adiunxiſſe: ex quo efficitur, quod Chriſtus de adulterio dixit non eſſe ita præciſè
accipiendum ac ſi vnica eſſet iuſti diuortii cauſa, ſed potiùs eſſe colligendum ex illo Chriſti dicto,
ſi ob adulterium eſt iuſtum diuortium, iuſtum etiam eſſe ob ea crimina quæ ſint adulterio paria, ac
Reſponſio 1. multò magis ob ea crimina quæ ſint adulterio grauiora. Ego verò primùm omnium nego Paulum
adieciſſe quicquam ad illud Chriſti dictum, vt iſti volunt, qua de re pluribus eſt à nobis antea diſce
ptatum. Deinde vt hoc Paulus Apoſtolus fecerit, ſpiritu Dei tam certo támque copioſo præditus,
2 an idem cuique quibuſuis licebit, ac non potiùs Paulum arbitrabimur quicquid adiici debuit ad-
3 ieciſſe? Denique illud falſum eſſe dico, vllum reperiri poſſe crimen adulterio par, nedum eo gra-
uius, quod ad coniugium quidem attinet, de quo vno nunc quærimus. Poteſt enim quiſpiam eſſe
idololatra, hæreticus, impius, & tamen rata obligatione maritus: adulter autem & maritus, id eſt,
duorum ſimul eſſe caro nemo poteſt.

5.Argum. Quintò ne hoc quidem prætermittunt, ea flagitia propter quæ Imperatores diuortium conce-
dant, vel capitalia fuiſſe, vel damnatione ad metalla aut deportatione vindicata, quæ morti æqui-
parentur: morte verò matrimonia non tantùm dirimi vt adulterio, verùm etiam prorſus finiri.

Reſpon

Reſpondeo, ſi pœna capitalis de nocente ſumatur iam nullam ſupereſſe inter nos controuerſiam: Reſpon. 1.
ſin verò infligi quidem iubeant leges, ſed Magiſtratus officium non faciat, quorſum obſecro, pro-
pterea diſſolutum coniugium cenſeatur, eo adhuc ſuperſtite quem mori oportuerat? Et quod ad 2
illas pœnas attinet fateor illas morti exæquari, in iis quidem quæ ciuilia ſunt, ſicut mors etiã hæc
ciuilis eſt duntaxat, id eſt, quod ad iura ciuitatis attinet: at in iis quæ naturalia ſunt, ſola mors natu-
ralis dominatur. Itaque etſi deportatus deſinet eiuis eſſe, tamẽ homo eſt, viuit & mouetur, ideó-
que maritus eſſe non deſinit. At enim, inquies, quum eiuſmodi perſonæ prorſus infames euadant, 3
crudele eſt honeſtam perſonam cogi ad mutuam etiam corporum coniunctionem. Reſpondeo,
hanc eſſe coniugii conditionem, (quo fit nimirum vt duo in vnum corpus coaleſcant) vt mutuas
miſerias eſſe prorſus oporteat. Tum ergo tantum abeſt vt innocens iure poſsit nocentem quantũ-
uis iuſtis pœnis affectum deſerere, vt contrà tum maximè ipſum oporteat (quoad eius fieri ſalua
conſcientia poteſt ac debet) in eius miſeriæ partem venire, & iuſtis ac æquis rationibus omnibus
illum ſubleuare. Quòd ſi quis rurſum obiiciat, quempiam aut ad metalla, aut, vt nunc ſunt tempo- 4
ra, ad triremes damnatum via, ac ne vix quidem, poſſe matrimonii onera ſuſtinere, neque munere
ſuo defungi: nego tamen hinc conſequi diremptum eſſe matrimonium etiamſi vterque maximè
poſtularet, ſed tum præcipuè potiùs vigere charitatem oportere: & ei qui coniuge frui non poſsit,
prorſus eſſe ſtatuendum ſeſe toto eo tempore ad cœlibatum vocari.

Noſtra hæc igitur ſententia eſt, De diuortiis verè ſic appellatis, id eſt, quibus vinculum coniu- Leges Ciuiles de diuortiis expenſæ.
gij bona conſcientia ſoluitur, ex vno Dei verbo iudicandum eſſe, cuius cuſtodes, non autem tranſ-
greſſores, eſſe Magiſtratus oportet: qua de re vt magis etiam l[iqu]eat, age particulatim etiam quid
Iure ciuili de hac re conſtituatur, expendamus, quatenus quidem expedit. Omnia enim illa per-
tractare noſtri non eſt inſtituti.

Quoniam igitur homines veræ religionis ignari in matrimoniis conſiderandis vſque ad numen Diſſenſio.
ipſum oculos non attollebant, idcirco vt conſenſu ita etiam diſſenſu contrahentium, aut etiam al- l. 2. ſ. 9. D. de diuort.
terius illorum tum ſponſalia, tum etiam conſummata quæuis matrimonia dirimi tradiderunt, mo
dò animo perpetuam conſtituendi diſceſsionem fiat. Actio enim illa ex ſponſu cuius meminit
Aulus Gellius ex Seruio Sulpitio Iuriſconſulto, non eò ſpectabat vt cogeretur reus ſponſalis per- Gell. lib. 4. cap. 4.
ficere, ſed huc duntaxat, vt & eius cui repudium miſſum erat, exiſtimationi conſuleretur, & niſi
cauſa repudii probata eſſet tanti damnaretur reus quanti intererat ſponſam datam vel acceptam
eſſe: ex quibus verbis illud quoque obſeruandum eſt, & ſponſo in ſponſam, & viciſsim ſponſæ in
ſponſum agere licuiſſe. Mirum eſt autem ac penè incredibile in tanta repudiorum ac diuortiorum
licentia eò vſque valuiſſe pudorem & honeſtatem in illo populo vt penè ſexcentis annis, teſte Ter
tulliano, nullum extiterit repudii in Rom. Republ. exemplum, cuius initium feciſſe quendam Sp.
Carbilium Rugam, & quidem ſterilitatis cauſa, Gellius auctor eſt. Et modicè ſ[a]lt[em] coercitos fuiſ- Ibidem Gel. c. 3 & lib. 17. c. 21.
ſe qui temerè diuortia facerent, apparet ex eo quod refert Valerius Maximus de Lucio quodam
Antonio Senatore, quem Marcus Valerius & Iunius Brutus Senatu mouerunt, quòd quam virgi- Valer. Max. lib. 2. cap. 4.
nem duxiſſet, nullo amicorum in conſilium adhibito, repudiaſſet. Hoc tamen conſtat vel ex vno
Marci Catonis exemplo ſuam Martiam Hortenſio commodantis, parum religioſè à Romanis iã
olim culta coniugia fuiſſe, quod tandem, teſtante Suetonio, Auguſtum & Tiberium quoque coe- Suetonius Aug. Tib.
git diuortiis modum adiicere: verùm quis iſte modus fuerit, ibi non definitur. Fortaſsis tum illud
cautum eſt quod commemorauit poſtea Papinianus, nempe vt ſeptem ciues Romani puberes ad l. 9. D. de diuort.
uocarentur. Tãdem igitur Theodoſius Imperator cauſas iuſti diuortii collegit, quibus alias poſt-
ea Iuſtinianus adiecit: quæ omnia ſatis oſtendunt quàm miſerè vagari neceſſe ſit quibus verbi Dei
norma in re tanti momenti facem non præfert, & quàm neceſſe fuerit aliter ſtatim in Eccleſia de
coniugiis quàm in ciuili foro decidi. Sponſalia porrò tam facile fuiſſe diſſoluere nullus magnope- c. 1. Extra. de ſponſal.
re mirabitur qui cognouerit illa duntaxat fuiſſe in futurum tempus concepta, ídque tacita inclu-
ſa conditione, quæ, quanuis omnis (opinor) cauſa non exprimeretur, tamen ex communi more ſa
tis vtrinque intelligebatur. Verùm quòd iam rata & re ipſa confirmata coniugia tam facilè diſſol-
uerent, id verò fuit prorſus intolerabile: & tamen teſtatur Iuſtinianus à ſe primùm fuiſſe corre-
ctum. Vbi tum igitur Epiſcopi? nempe ipſorum non erat dictare leges Imperatoribus. Sed du- l. 9. C. de repud.
biũ non eſt quin boni Epiſcopi ex Dei verbo iam tum contra leges illas in foro conſcientiæ iudi-
carent. Illud tamẽ ſæpe ſubiit mirari, quomodo eum morem teſtetur Iuſtinianus à ſe demum fuiſ-
ſe correctum, quum inter legitimi diuortii cauſas Theodoſius mutuum illum voluntarium con- Nouell. vt liceat matri & auiæ, ſ. quia verò & De nupt. ſ. diſtrahitur.
ſenſum minimè expreſſerit. Reſpondent ad hoc nonnulli, Theodoſium ibi eas tantùm cauſas ex
plicare de quibus coram iudice controuerti poſſet, quod in mutuo conſenſu locum non habet.
Sed ſi propiùs verba legis ſpectentur, comperimus ne volentibus quidem viro vel vxori licuiſſe
ob alias cauſas diuortium facere. Quid igitur? nempe ea pœnis, in ea conſtitutione expreſſis, ap- l. 4. C. de repud.
paret, diuortia, quanuis non abſque adiectis pœnis, tamen ob alias etiam cauſas etiam tum obti-
nuiſſe, & ita quidem vt poſtea ipſi etiam mulieri quæ maritum temerè repudiaſſet, nouum coniu-
gium inire liceret, nempe poſt quinquennium. Illud eſt ergo quod meritò poſtea correxit Iuſtinia
nus, ſed addita exceptione de caſtitatis voto, quo iam tum abuſos fuiſſe multos vt religionis præ-
textu mutuum faſtidium tegerent, vel ex eo conſtare poteſt quòd de iis etiam coactus eſt aliquid
ſancire qui ab egregia ſcilicet illa caſtitate poſtea recederent: idque prorſus iniquum. Cur non
enim potiùs malè ſolutum coniugium redintegratur? Sed quod ſancitur ob alias cauſas quàm il l. 9. C. de repud.
las à Theodoſio expreſſas, repudiatis mulieribus intra annum licuiſſe alii nubere, durius eſt etiam
eo quod de deſertione diximus, quoniam abſente duntaxat, & quidem ſeſe Eccleſiæ iudicio non
ſiſtente deſertore id obtinere voluimus.

Adulterium. ſuprà 110. l. 8. ſ. Si verò exuxam. & ſ. Viuum, & l. 9. C. de repud.

Quòd diuortio ob adulterium facto concedunt viro aliam ducere, non rectè correctum fuiſſe à Canonicis ſuo loco declarauimus: quanuis eorum moderatio ſit valde probãda qui tempus aliquod expectandæ tum reſipiſcentiæ tum reconciliationi tribui malunt. Quòd autem mulierem conuicto adulterii marito iubent annum expectare, longè æquiſſimum eſt, ob eam præſertim cauſam quam exprimunt, nempe ne quis de prole dubitet. Lex verò Papia ſeſquiánnum etiam volebat expectari.

l. 2. C. de repud. l. 17. D. de ſponſ.

Quòd in ſpõſalibus tempus aliquod præſcriptum volunt, etiam æquiſſimum eſt, vt ſuo loco diximus: idque etiam quadrat cum doctrina Apoſtoli de deſertione.

l. 49. l. 1. 2. 9. π. D. qui not. infa. Nouell. 22. de nupt. ſ. primæ quidem. l. 1 & 2. C. de ſecun. nupt. c. 4. Extra, de ſecundis nuptiis.

Quòd iidem Iuriſconſulti iuſtum aliquod temporis ſpatium volunt luctui impendi poſt alterius mortem, non eſt tantùm honeſtati conueniens, verùm etiam in mulieribus penè ſemper neceſſarium propter ſanguinis turbationem: quod etiam oſtendit aliud de viro conſtituendum eſſe, quem quum ait Paulus Iuriſc. ad lugendam vxorem non compelli, non vetat tamen lugere, quod & ipſa honeſtas iubet. Sed quid ſi quæpiam ante tempus illud nupſerit? *infamia notatur*, inquit Vlpianus, *itémque qui ſciens eam duxit.* Coniugium autem propterea diſſolui iniquum eſſet, neque verbo Dei conſentaneum, quanuis hoc ſemel fecerit Iulius Cæſar, Dione teſte. Cæterùm vel ex iis intelligi poteſt quantò æquiora & ſanctiora Iuriſconſulti ſæpe quàm belli noſtri Canonici ſanxerint, vt qui aliás quum liber ad ſuperſtitionem vſque religioſi, tamen iſtud de luctus ſpatio nunquam vrgebant, *Quoniam*, inquiunt, *iure poli mortuo viro mulier ſoluta eſt à lege viri, nubat ſi vult.* Atqui nõ dixit Paulus (vt rectè quidam animaduertit) nubat ſi vult, aut quando volet, ſed cui vult, modò in Domino.

Patria poteſtas. l. Paul. D. de ſtat. ho. l. ſi proponis. C. de nupt.

De patria verò poteſtate prorſus recta ſunt quæ ſanxerunt Iuriſconſulti, vt mirum ſit Canonicos quum illa legunt nõ erubeſcere. Canonicos autẽ hîc appello recentiores illos, quos neque tũc puduit tam iniqua ſancire, ac ne nũc quidẽ pudet illa defendere, de quibus pleniùs alibi diximus.

Furor. l. 16. D. de ritu nupt. ſ. Iu. ror. l. 7. D. de his qui ſunt ſui vel alie. iur. l. 22. ſ. ſi maritus D. ſolu. matr. Leo Nouel. 111. & 112.

Furore bene conſtituunt iidem contrahi matrimonium non ſini, quia conſenſu opus eſt: ſed rectè contractum non impediri. Iulianus tamen contrarium cenſet: quam antinomiam periti interpretes conciliant ex quodam Vlpiani reſponſo, in quo ſancitur vel non perpetuo, vel non intolerabili furore coniugium non dirimi: (*Quid enim humanius eſt*, inquit, *quàm fortuitis caſibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem eſſe?*) ſed perpetuo & intolerabili, tet ſæuo ac inſanabili furore laborantem repudiari poſſe, & ita quidem vt nuptiæ nouæ concedantur. In eandem ſententiam ſcribit Leo Imperator, tempus tantùm præterea cognoſcendo & tolerando illi furori, triennium videlicet viro, vxori verò quinquẽnium, definiens. Sed age rationes huiuſmodi conſtitutionis expẽdamus. Vlpianus duas tantùm affert, quantum conicere ex ipſius verbis potui: vnam, quod in huiuſmodi ſæuo & terribili furore non poſſit altera perſona cum furente verſari: alteram, quòd fortaſſe quia liberos non habeat, procreandæ ſobolis cupidine teneatur. Atqui illa ſanè digna non eſt cur miſera & calamitoſa perſona deſeratur, imò potiùs cur tantò maior eius cura habeatur. At nõ poteſt, inquies, furentis conſuetudine frui, & tenetur gignendorũ liberorum deſyderio. Concedo vtrunque, ſed ſi valeret hæc ratio, quò tandem eſſet progrediẽdũ? Itaque frænandum eſt hoc deſyderiũ, & (quod mirum non eſt Vlpiano fuiſſe incõpertũ) ſtatuere debet qui ſic exercetur, ſeſe ad cœlibatum vocari, tantiſper dum à Domino liberetur. Sed Leo Imperator alias profert rationes. Ait enim eiuſmodi coniunctionem aberrare à fine & ſcopo coniugii, quoniam cum perſona prorſus efferata non poſsit altera conſueſcere. Reſpondeo, in Dei manu & poteſtate eſſe, quæ ad aliquẽ finẽ rectè inſtitueramus, aliò prorſus cõuertere: decere verò nos viciſſim omnia tũ proſpera tum aduerſa ex ipſius manu accepta fortiter ferre, quod certè non facit qui remedia quærit extra ipſius verbum. At enim, inquit, ſi nemo ſuſtineat vel ad breue momentum quempiam cum fera quapiam bellua incluſum tenere, quæ hæc eſt ſæuities, velle cum efferata perſona quempiam perpetuò vitã agere? Reſpondeo, declamatoriè potius iſta dici quàm vt ſe res habet. Quis enim coniuges exiſtimet veluti vna cauea eſſe incluſos? & quid impedit quominùs quantumlibet furentẽ ita ſoletur & ſubleuet altera perſona, vt & illi & ſibi ipſi conſulat, & tamen maneat vinculũ quod ſoluaiſſe qui adſtrinxit ſuo tempore diſſoluat? Præterea ſic colligit Leo, *Si propter furorem ſuperuenientem ante contractum reipſa coniugium, conſulitur cuipiam ne in tantam calamitatem incidat, cur ei non multò magis ſuccurretur qui iam in hoc ipſo malo verſatur?* Reſpõdeo infinita eſſe quibus ne eueniant occurri poſſit, quibus tamen poſtea nulla ope humana mederi queas. Rebus igitur, quod ad ipſam corporum coniunctionem ſiue ſponſalium impletionem attinet, adhuc integris ſuperueniente eiuſmodi impedimento, meritò videtur Deus ipſe quominus id impleatur intercederc: at ſi rebus non integris ſuperuenerit, res ipſa quidem oſtendit Deum eripere longiorem mutuæ corporũ coniũctionis vſum: velle tamen ipſum propterea vt vinculum quod aſtrinxit penitus dirimatur, præſumendum nobis non eſt, quum in verbo ſuo cauſam illam non expreſſerit, nos autem exerceat quocunque modo nouit expedire. *Sed plurima ſunt*, inquit, *multò leuiores cauſa propter quas coniugia ſoluuntur* Reſpondeo, in his quoque peccari, quod mox oſtendemus: ac proinde hoc quoque argumentum nullius eſſe ponderis. Stat enim illud Domini dictum, *Quod Deus coniunxit, homo ne ſeparato:* quod quum imaginatur idem Leo tum demum valere ſi perſonæ in eodem ſtatu perſeuerent in quo tum erant quum coniugium iniretur, planè vim facit Chriſti verbis: neque ſi ita res eſſet, vel dicendum fuiſſet Apoſtolis, *Non expedit ergo matrimonium contrahere?* vel ipſi Chriſto reſpondendum, *Non omnes capiunt hunc ſermonem:* quoniam facilè iam tum fuiſſet diuortii remedium in pleriſque difficultatibus adhibere, ſi, vt iſti putant, ea fuiſſet Chriſti ſententia.

Qnod

Quod de ætate coniugum lege Papia cautum erat, ne qua quinquaginta annis minor ſexagenario nuberet: aut hac ætate iunior quinquagenariam duceret, videtur ſaltem, quod ad poſterius caput attinet, optima ratione niti: quoniam a loqui videtur aberrari à præcipuo coniugij fine, quum quinquagenariis maiores ad concipiendum ineptas eſſe conſtet. Itaque quamuis poſtea Iuſtinianus hanc legem ſuſtulit, laudo tamen Magiſtratus qui tam imparia coniugia in ſua iuriſdictione non ferunt: verùm ſemel inita dirimi non poſſe concedo.

In genere verò interdicta illa de nuptiis ob perſonæ ſtatum imparibus, meritò videntur à Iuſtiniano & Canonicis ſublata. Coniugia verò inter tutorem & pupillam, curatorem & adultam, præſidem prouinciæ & fœminam ipſius iuriſdictioni ſubiectam, optimis ſanè de cauſis prohibebantur, vt & illud, ne coniugia ex reſcripto Principum peterentur. Eouſque tamen prohiberi certè non debuerunt vt inutilia cenſerentur, vel ſemel inita dirimi poſſent, ſed ſatis fuit pœnis caſtigari qui hac in re delinquerent: quatenus etiam Canonicorum moderationem maximè probo.

In errore qualitatis, teſte Harmenopulo, putà, ſi vir nuptiarum tempore deprehẽderit fuiſſe ſtupratam ac deuirginatam quam vt virginem duxerat, dirimi matrimonium cenſet Patricius: rectiùs id quidem quàm Canonici, qui contrarium docuerunt, quum expreſſum Dei verbum etiam vt adulteram puniri iubeat, qua de re ſuo loco diximus.

De ſeruitute verò & adoptione cur nobis non videatur laborandum iam antea diximus.

Frigiditate ante coitum apparente, & quidem inſanabili (cui cognoſcendæ Iuſtinianus primùm quidem biennium, deinde verò triennium conſtituit) diſſolui non tantùm nuda ſponſalia, verùm etiam coniugia iam alioqui (ſi copulam excipias) penitus contracta, rectè conſtitutum fuiſſe antea diximus. Verùm quid ſi quum antea vir planè vir eſſet, morbus iſte inciderit? Hic verò rebus iam non ampliùs integris, hæc quoque calamitas ab affecta valente perſona ferri conſtanter debet. Vires autem ab eo fruſtra non flagitabit à quo ſtatuere debet ſeſe ad cœlibatum vocari, vt qui remedium quo vtebatur ipſi ademerit, nec tamen inter diuortij cauſas morbum numerarit.

Idem de paralyſi, & aliis id genus quibuſcunque morbis conſtituendum, qui commiſeratione non pœna digni ſunt. Sed quid ſi, inquies, probè proſpiciatur ægrotanti, & ipſe etiam conſentiat? Reſpondeo, non eſſe hìc nobis aliunde quàm ex verbo Dei ſapiendum, qui pronuntiat non alia ratione quàm ob vnicum adulterium (matrimonio iam videlicet re ipſa conſummato) diuortium faciendum. At cur non poſſit quiſpiam, dices, ius ſuum alteri cedere? Imò verò nullis etiam humanis legibus id facere licet alterius præiudicio. Alter autẽ ille, Deus ipſe eſt, contra cuius voluntatẽ non poſſunt de ſuis corporibus ſtatuere qui ab eo ſunt inter ſe demum coniuncti, ea videlicet lege vt alter alterius corpore vteretur quandiu ipſi domino liberet, non autem vt illud alteri vtendũ tradere poſſet: quod ſi propiùs conſideraſſet Auguſtinus, hanc quæſtionem aliquatenus indeciſam non reliquiſſet.

Quibus pœnis quiſpiam ſeruus efficiebatur, iis quoque coniugium, vtpote quod inter ſeruos conſtare non poterat, iure ciuili ſoluebatur. Sed hoc poſtea rectè mutatum eſt à Iuſtiniano, & rectiùs etiam Canonici coniugia inter ipſos etiam verè ſeruos inita cenſuerunt irrita non eſſe, modò videlicet vel tacitus vel expreſſus domini conſenſus interuenerit, vel nihilominus ſeruilia munera domino præſtentur. Hodie igitur exilij pœna, vel damnatione ad triremes coniugium minimè diſſoluetur. Nam neque deportatio neque interdictio aquę & ignis iam olim matrimonia dirimebat, quod apertè ſanciuit Iuſtinianus. Nam Conſtantinus hac addita conditione, *Si caſus in quem incidit maritus, non mutet vxoris affectionem*, videbatur vxoris arbitrio liberum id tacitè relinquere.

Iam autem placet accedere ad cauſas diuortij quas ipſi Imperatores Chriſtiani iuſtas eſſe decreuerunt. Iſtas igitur enumerant Theodoſios & Valentinianus, propter quas vxor virum poſſit repudiare: quibus alij poſtea, nempe Leo & Iuſtinianus, quaſdam adiunxerunt:

1 Adulterium.
2 Homicidium.
3 Veneficium.
4 Molitio contra imperium non indicata.
5 Si crimine falſi damnatus.
6 Sepulchrorum diſſolutio.
7 Sacrilegium.
8 Si latro, vel latronum ſuſceptor, vel abactor, vel plagiarius.
9 Si familia vel vxore inſpiciente cum impudicis mulieribus cœtum inierit.
10 Si vxoris vitæ fuerit inſidiatus, vel inſidiari volentes ſciens non indicauerit, nec vlciſci ſecundum leges ſtatuerit.
11 Si verberibus ingenua indignis vxorem affecerit.
12 Si vxoris caſtitati inſidiatus, aliis etiam eam adulterandam tradere tentauerit.
13 Si Adulterij intentatam actionem non probauerit.

Viro autem viciſſim hæ cauſæ tribuunt poteſtatem vxoris repudiandæ.

1 Adulterium.
2 Veneficium.
3 Homicidium.
4 Plagium.
5 Sepulchrorum violatio.

Ætas. Deut. 1. l. 56. 27 C. de nupt. l. 12. C. de leg. hære. Status perſonæ. l. 23. C. de nupt. l. 4. C. de inceſt. & inutil. nupt. Harm. in promptuario, lib. 4. tit. 12. c. quod autẽ. 29 q. 2. Deut. 22. 22. Frigiditas. Supra, pag. 91. & deinceps. l. 10. C. de repud. Nouel. de nupt. c. 2. §. per occaſionem. & Nouel. vt liceat matri & auiæ §. prædictis. c. 1. & 2 33. q. 1. c. 23. & 27. 32. q. 7. Paralyſis & alij id genus morbi. Auguſt. de ſermone Domini in mõte, lib. 1. Exilium. Damnationes. l. 24. C. de dona. inter virũ & vxo. Nouel. de nupt. §. quod autem prius. Extrà. de coniug. ſer. l. 24. §. Si autem. C. de donat. inter vir. & vxor. l. 1. C. de repud. Nou. de nupt. §. deportatus. l. cõſenſu, & l. in cauſis C. de repud. Nouell. de nupt. & Nouel. vt liceat matri & auiæ.

6 Sacrilegium.
7 Si latronum fautrix.
8 Si viro ignorante vel nolente conuiuia extraneorum appetierit.
9 Si eo ignorante ſine iuſta cauſa foris pernoctarit.
10 Si extra viri voluntatem ludis & ſpectaculis inhæſerit.
11 Si vitæ mariti inſidiata ſit, aut inſidiantes ſciens non indicarit.
12 Si aduerſus imperium molita.
13 Crimen falſi.
14 Si manus audaces viro iniecit.
15 Si abortum ſponte fecerit.
16 Si cum viris voluptatis occaſione lauetur.
17 Si viuo marito cum aliis de ſuis nuptiis ſit loquuta.

Nouel. vt li-ceat matri & auiæ, §. ſi quis autem. Leo nou. 111.

Has igitur cauſas illi commemorant, quanquam in iis non ſibi ſemper conſtant. Iuſtinianus enim ob verbera noluit repudium mitti marito. At Leo cauſas quaſdam alias cõmemorat ob quas ſoluta quoque fuerint coniugia, nempe mariti prodigalitatem, religionis diuerſitatem, & ſi quæ promiſſa ſunt non perſoluantur, etiam per inopiam.

Iſtis porrò etſi non legimus Epiſcopos expreſſè interceſſiſſe, tamen longè aliter fuiſſe in Eccleſia iudicatum, tum ex veteribus canonibus, tum ex Patrum ſcriptis liquet: idque ſanè meritò. Nam ſi iſta valeant, vbi Chriſti verbum illud, *Quod Deus coniunxit, homo ne ſeparato*? Magna porrò pars eorum ſcelerum quæ ibi enumerantur capitalia quum ſint, an non, obſecro, Imperatores oportuit nihil hîc ſtatuere de diuortiis, ſed potiùs officium facere, & ſi illa euenirent, iuſta mortis pœna coniugium finire? Quòd ſi præpoſtera miſericordia vti malebant, an non ſatis fuit peccare, ei parcendo quem Deus & ipſæmet eorum leges capitis pœnas luere iubent, niſi etiam coniugia contra expreſſum Chriſti interdictum dirimendo, ad crimen adulterij miſeros pellicerẽt? Aliæ verò quædam cauſæ huc ſpectant vt adulterium ex iis probabiliter præſumatur. Et ſanè difficilem eſſe adulterij probationem conſtat, quam etiam Canonici veluti ſtudio quodam videntur magis ac magis obſcuram ac perplexam reddidiſſe: neque iis aſſentior qui illud a t 1 Tabularum, ἄρδεν ἐν ἄρδενι ἐχόμενα, perpetuo requirunt. Non eſſe tamẽ ex coniecturis quantũuis probabilibus in re tam graui iudicandum res ipſa clamat, nedum vt non bene probato crimine, coniugium tamen diſſoluatur, quod ſanè & abſurdum & iniquum eſt. Cur non igitur potiùs officium facit Magiſtratus, arrepta amplioris quæſtionis ex probabilibus coniecturis occaſione, vt veritate comperta ex Dei verbo iudicetur? Ex cauſis verò à Leone enumeratis duæ tam ſunt leues, vt vix mihi perſuaſerim vnquã ſub Chriſtianis Imperatoribus ſeriò valuiſſe, ſed ab eo potiùs commemoratas vt cauſæ ſeruiret. Vnica cauſa ſupereſt, nempe hæreſis ſiue manifeſta impietas, aut falſa prorſus religio, de qua quid conſtituendum ſit vno verbo tam perſpicuè declarauit Apoſtolus, vt qui contrà ſentiunt prorſus indigni ſint qui audiantur, quamcunque tandem vel Ciuilem vel Eccleſiaſticã auctoritatem prætexant. Sed nos de hac re antea plus ſatis.

Canones quidam expenſi. Ambroſ. lib. epiſt. 9. ep. 66.

Iam autem placet Canonicorum præterea quædam excutere. Ac in primis quidem quæ ſit eorum de inceſtuoſis quibuſdam coniugiis ſententia quum ſuo loco diſſeruerimus, iis nunc placet opponere quæ hac de re disertè ſcribit Ambroſius, vt ex hoc ſaltem liqueat quo iure iſti ſoleant auctoritatem Patrum prætexere. Sic igitur Ambroſius ad Paternum quendam amiciſſimum ſuum ſcribens: *Paterni quidem vnanimis mei ſalutationem legi, ſed conſultationem haudquaquam paternam, vt velis filio neptem collocare ex filia.* Et mox, *Quid tu conſulas quæſo tecum retracta*, &c. *Tu copulare paras filium tuum & neptem ex filia, hoc eſt vt accipiat ſororis ſuæ filiam, diuerſa licet matre quam ſocrus editus. Interroga nominum religionem: nempe auunculus iſte illius, illa huius neptis vocatur. Nec ipſe te reuocat ſonus nominum quum hic auum reſonet, illa hoc nomen ad auunculum quod ad auum referat? quanta deinde etiam reliquorum confuſio vocabulorum? Idem auus & ſoçer vocabere: ea quoque tibi neptis & nurus diuerſo nomine nuncupabitur. Mutuabuntur etiam fratres diuerſa vocabula, vt illa ſocrus ſit fratri, ille gener ſorori. Nubat auunculo ſuo neptis, & immaculatorum pignorum charitas illecebroſo amore mutetur? Super hoc igitur meam à ſancto viro Epiſcopo veſtro expectari ſententiam non opinor nec arbitror.* Et mox, *Num ideo licet quia non eſt prohibitum? Minimè, interdictum eſt enim natura iure, interdictum eſt lege quæ eſt in cordibus ſingulorum: interdictum eſt inuiolabili præſcriptione pietatis, titulo neceſſitudinis. Ego autem & prohibitum aſſero, quia quum leuiora interdicta ſint, multo magis hoc quod arctioris plenum eſt neceſſitudinis, interdictum arbitror.* Item, *Oportet ab ea diſcedas intentione quæ etiam ſi liceret, tamen tuam familiam non propagaret. Debet enim tibi filius noſter nepotes, debet etiam neptis chariſſima pronepotes.* Hæc ille, nec tam ille profectò quam ipſius naturæ, pietatis, honeſtatis, imò Dei ipſius Opt. Maximi vox. Sed & illud expendamus quòd conſtituunt ſi quis eam ducat quam priùs per adulterium polluerit. Huius facti quæſtio duplex eſt. Aut enim quiſpiam ἄγαμος alienam vxorem corrumpit quam poſtea, marito ipſius mortuo, ducit: aut quiſpiam iam maritus cum alia ſoluta rem habet, quam poſtea vel mortua vxore ſua, vel etiam adhuc viuente, ducit. In illa igitur priore ſpecie volunt coniugium ſeparari Canonici, ſi modò ea de qua quæritur vel ſuo marito, vel vxori eius cum qua adulterium committit mortem machinata ſit, vel conſtante adhuc matrimonio priore, interuenerit aliqua promiſſio de poſteriore ineũdo. Atqui veteres Synodi ſine exceptione prohibent eiuſmod cõiugia, & meritò quidem, vtpote quæ adulteria ſint: & poteſt quoque probari ex Dei verbo rata hæc cõiugia eſſe

Siquis ducat adulterio pollutam. Vide 31. q. 1., & totum titulũ. Extra, De eo qui duxit vxo. Leo Nouel. 90. Eliber. Concil. can. 72. Tribur. can. 40. 48. 51.

non poſſe

non poſſe, quòd Deus ſub Lege noluerit repudiatam quæ alteri nupſiſſet, à quo rurſum eſſet repudiata, priori marito illam repetẽti reſtitui, quòd fuerit ab alio polluta. Quantò minùs igitur licebit ei pollutam à ſe adulterio ducere, aut ductam retinere? Mira ergo fuit Gratiani oſcitantia, cum quo etiam Lõbardus impingit, hanc ex Auguſtino ſententiam, *Denique mortuo viro cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non poteſt cum quo prius adulterium fuit*, ſublata negante particula proferentis. Nam etiam ſi fortaſſis in codicem mendoſum incidit, tamen ex iis quæ eo loco præcedunt errorem deprehendere potuit. Cauſa verò cur iſta non appellem coniugia, ſed adulteria, ac proinde in Eccleſia Dei prorſus intolerabilia cenſeã, non tantùm eſt ciuilis illa quam vnam videntur conſideraſſe qui illas conditiones excogitarunt, quoniam videlicet alioqui periculum ſit ne hac occaſione mariti vxoribus & viciſſim vxores maritis, mortem machinentur: ſed hæc præcipuè, quòd nihil aliud ſint re vera quàm adulterii quædam continuatio. Neque his obſtat quod excipiet nimirum aliquis, nempe quæ cœpit libidine priùs cognoſcebatur, poſſe poſtea coniugalem affectum induere: quemadmodũ nemo negat honeſtè, mutato videlicet animo, duci poſſe, cum qua priùs vel manifeſta ſcortatio fuit, vel concubinatus duntaxat, ſicut idem Auguſtinus teſtatur. Nam qui ſcortantur, quamuis ritè inter ſe non copulentur, tamen quoniam alioqui nulli alii ſunt obſtricti, ideo poſſunt poſtea vitium quod in eiuſmodi copulæ malo initio fuit, per Dei gratiam, corrigere: at in adulterio non defectus aliquis ineſt qui poſtea poſſit emendari, ſed nihil eſt præter horrendum crimen, quod ſibi ſeriò diſplicere quomodo tandem verè dici poſſunt coram Eccleſia teſtari qui rurſum inter ſe, quamuis honeſtum coniugii nomen prætexentes, coniugi poſtulant: quum eos potiùs adulterium commiſſum lugere, omnémque adeò inter ſe copulam horrere oportuerit? Ego igitur hac de re ita exiſtimo, tantiſper dum meliora quiſpiam doceat. Certè ſi illa ratio valeat, ne tum quidem quum in alterius vitam machinatum eſt, dirimi matrimonium oporteret, quoniam tum quoque obiici poſſet, adulteros tum voluiſſe tollere eam perſonam è medio quæ obſtabat quominus ſine periculo poſſent libidinem explere, quem animum poſtea in coniugalem affectum mutarint. Denique non patitur quodammodo ipſa rerum natura vt ratum ſit coniugium ab eo ipſo, nempe ab adulterio incipiens, quo vno rata alioqui coniugia ſeparantur. Neque eſt cur nos moueat Dauidis exemplum qui Berſaben duxit, ipſius etiam marito proditoriè occiſo. Quis enim ſi hoc imitetur non meritò puniatur, nedum vt hoc exemplo niti poſſit cuiuſquam conſcientia? Sed quid ſi adulter, viuente adhuc ſua vxore, illam adulteram duxerit? Tum verò rectè conſtituunt Canonici, vt ſi cum adultera ſciente contractum eſt illud poſterius coniugium, dirimatur: at illud non rectè, quòd ſi quis vxorem habens, alteram inſciam ſuperinduxerit, volunt vxore priore mortua, confirmari matrimonium cum ſecunda, adeò vt ne ſi velit quidem ipſe poſſit ab ea recedere. Hoc verò quid aliud eſt quàm polygamiam manifeſtiſſimè confirmare? At enim, inquiunt, qui hoc commiſit non debet lucrum de ſuo dolo reportare. Imò cur non id ſcelus potius quàm dolum vocant? & quæſo, quod tandem eſt hoc lucrum, ſiue illum ſceleratum, ſiue iſtam vſque adeò turpiter deceptam ſpectes, ſi cogatur quidem ille in peccato ſciens prudens perſeuerare: iſti verò fiat illam vnà ſecum perdendi poteſtas? At potuit ille, inquiunt, poſtea in iſtam matrimonialiter conſentire. Scilicet dignum eſt honeſtiſſimum coniugii nomen cuius velamine tanta ſpurcities tegatur. Sed vtinam tandem fungantur officio ſuo pii Magiſtratus, vt nullus iſtis diſputationibus locus relinquatur.

c. 2. 32. q. 1. Lib. ſent. 4. c. 35. Auguſt. de nupt. & concup. li. 1. c. 12.

c. 1. & 7. Extrà, De eo qui duxit vxorem.

De raptu verò quanto ſanctiora ſint ciuilibus legibus conſtituta, quàm à noſtris Canoniciis inter ſtuprum & raptum plerunque non diſtinguentibus, atque adeò inter ſe prorſus diſſidentibus: quàm turpiter denique Scholaſtici hac in re Põtificibus ſint adulati, qui pleniſſimè volet cognoſcere, legat erudiſſimam de hac re tota diſceptationem Petri Martyris in lib. Iudicum capite 21. Tria tantùm hîc inſignia nunc annotabo. Vult Aurelianenſe concilium Eccleſiam patere raptoribus, vt mortis pœnam euitent, nec inde extrahi niſi cautione accepta ne occidantur vel exhæredentur. Quid eſt autem deteſtandis flagitiis fauere, quid eſt templum Dei polluere, quid eſt Magiſtratibus officium facientibus ſeſe opponere, ſi hoc non eſt? Etiam ſi rapta conſenſerit raptori, vult tamen idem Concilium raptori adimi & parentibus reſtitui, & id quidem rectè. At bonus Innocentius III. reſpondet, *Si puella inuita rapta fuerit, & poſtea conſentiat matrimonio raptoris, nuptias eſſe contractas*: in fauorem matrimonii ſcilicet, legibus omnibus diuinis & humanis violatis. & quid eſt Deo illudere, ſi hoc non eſt? Denique vt nihil ad extremam impudentiam deeſſet, veteres canonas puriores vno verbo eludens Thomas, ait fuiſſe latos ad criminis deteſtationem, Papam verò poſtea rem meliùs conſideraſſe. Caietanus verò non oportere raptam reſtitui contendit, ſed ſufficere ſi patri aliquo modo ſatisfiat. Quid plura? ſi Lucio Papæ creditur, vnico verbo abolebitur etiam raptus crimen, nempe ſi dixerit puella verba de nuptiis priuſquam raperetur etiam inuitis parentibus interueniſſe. En quò prouehãtur iſti religioſi & caſti Patres, Eccleſiæ ſcilicet Chriſtianæ columina. Quæ verò de his fuerit veterum Synodorum ſententia, quærite ex canone Apoſtolico 67. Chalc. 27. Synodi ſextæ can. 93. Baſil. can. 22. & 30.

Raptus. l. vn. C. de rapt. virg.

c. 1. 36. q. 2.

c. 7. Extrà, de rapt.

Tho. in 2. 2. c. cum cauſa. Extrà, de rap.

De ſterilitate rectè prorſus in Canonibus ſtatuitur, ne ob eam vel aliud eiuſmodi vitiũ diuortium fiat. Eſt enim vitium illud plerunque occultum, & cui ſæpe Deus remedium tunc attulit, quum prorſus deſperatum videbatur. Deinde quum eum qui coniugium init, certum ſit, quod ad ſobolem ſaltem attinet, ab eo totum neceſſariò pendere qui claudit & aperit vterum pro bona ſua voluntate, videtur ſanè manus ipſi Deo quodammodo iniicere qui quam ex eius manu accepit repudiet niſi liberos ipſi pepererit. Paratum enim eſt illud Iacobi reſponſum, *Num ego ſum Deus qui fructum ventris tui inhibui?* Itaque prorſus iniqua fuit illa primi Romæ facti repudii cauſa: & quod

Sterilitas. Auguſt. l. 2. De ſermone Domini in monte. Idem De bono coniug. cap. 7. c. 18. 32. q. 4. c. 25. & 27. 32. q. 7. Gell. lib. 4. cap. 3.

nonnulli Pontifices ſuis iniquiſſimis hac in re diſpenſationibus, quas vocant, prætexere conſueuerunt, nempe boni neſcio cuius publici intereſſe, (vt ipſi loquuntur) prorſus inane & vanum eſt commentum, quod ſuis ſordibus obtendunt. Stat enim illud, non eſſe nobis facienda mala vt eueniant bona, quamuis mala interdum ferantur quæ corrigi non poſſunt. Quàm autem & publicè & priuatim inſignibus familiis etiam ac regnis iſtiuſmodi iniquiſſima diuortia, iuſto Dei iudicio, iam olim nocuerint, nedum vt bono publico conceſſa ſint, vtinam ea tam multis tàmque inſignibus teſtimoniis non ita conſtaret! Probo igitur quod in huiuſmodi morbis ſtatuitur à purioribus Canonibus, quibus conſenſiſſe leges poſteriores Ciuiles ex eo liquet, quòd ſterilitatem & cætera

c. 16. 32. q. 7.

tiuſmodi mala inter diuortiorum cauſas non recenſent. Sed viderint rurſus iidem Canonici quo modo non à reliquis diſſentiat Gregorij tertij reſcriptum, à Gratiano citatum.

Elephantiaſis.

Incidente quantumuis ratis ſponſalibus elephantiaſi, nouo matrimonio locum eſſe, atque adeò ne volentibus quidem ſponſis vlteriùs progredi bona conſcientia licere, antea contra Canonicos

Extra. tit. de coniug. leproſorum

diximus. Sed qui ſi iam conſummato matrimonio ſuperuenerit? Reſpondent Canonici, quibus nonnulli aſſentiuntur, compellendam ſanam perſonam ad mutuam alterius conſuetudinem: alij contrà tum quoque dirimi coniugium & nouas nuptias contrahi poſſe iudicant, modò altera pars conſentiat, & ipſius alimentis commodè conſulatur. Ego neutris poſſum aſſentiri. Nam quod boni Canonici prætendunt, non licere videlicet excepta cauſa fornicationis vxorem dimittere, mirum eſt eos proferre audere, qui tam multas præterea diuortij cauſas excogitarunt, de quibus paſſim diximus. Valet tamen illud profectò, & euſque valet, vt nulli homini liceat illud reſcindere. Sed aliud eſt vxorem dimittere, quàm eonſque duntaxat cum alio coniungi quouſque bona cõſcientia patitur. Bona autem conſcientia certè non patitur vt eam quoque coniunctionem vel petat vel concedat quiſpiam qua vti non poſſit quin & Reipublicæ toti certò noceat, & ſeipſum ac naſcituros liberos ſciens perdat. Sed quid ſi alter vratur, vel etiam neuter habeat continentiæ donum? Petat vterque & precibus pugnet. Verùm an obtinebit? obtinebit certè vt tentationem vincat, niſi per eum ſteterit, quoniam in fide precabitur. Certum enim eſt eum ad continentiam vocari, cui per Dominum obiicitur impedimentũ quominus ordinario aduerſus vſtionem remedio vti poſſit: alioqui quid infinitis hominibus fiet, plurimas alias ob cauſas in nihilo minorem difficultatem redactis? Eadem ratione puto iis ſatisfieri poſſe qui nouas etiam nuptias concedunt, quod ego quidem (ſit autem hoc bona cum eorum venia dictum qui aliter ſentiunt, & nullo earum Eccleſiarum præiudicio quæ aliter hac de re iudicant) non video quînam ſit verbo Chriſti cõſentaneum: cui tamen vni in foro conſcientiæ ſtandum in his controuerſiis prorſus arbitror. Quod autem afferunt de ægrotantis conſenſu, alibi dixi cur nullo modo videatur admittendum, quoniam videlicet proprietas, ſiue plenum dominium corporis ad coniugem non tranſit in contractu matrimonij, ſed vſus duntaxat perſonam ipſam non egrediens, ideóque coniuges ius quod alter in alterum habet, transferre nullo modo poſſunt. Sed quod de ægrotantis alimentis adiiciunt, vſqueadeò æquum eſt, vt qui aliter faciat Chriſtianus cenſeri non debeat: eo tamen prætextu coniugij vinculum ſolui non video quînam colligi poſſit. In ſumma, manere matrimonij vinculum, ac proinde diuortio, ne ob elephantiaſin quidem, conſummato matrimonio, locum eſſe exiſtimo: hactenus tamen vt vter alterius corpore vti bona conſcientia non teneatur: imò etiam Magiſtratus imperio meritò prohibeatur.

Coniugum interfectores. cap. 2. & 3. & 6. & 7. 33 q. 2.

Iidem Canonici nequaquam negant ſuam vxorem poſſe interficere: quod ſanè ne leges quidem ciuiles probant, ſed ita tolerant, vt iuſto dolori aliquid indulgeant. Sit hoc igitur ſanè in foro conſcientiæ damnatum. Sed quod coniugum ſuarum interfectoribus omnem ſpem coniugij adimũt, quo iure faciant, ipſi viderint.

An iudicium præire oporteat repudio & diuortio.

Et de his quidem hactenus. Sed duo minimè prætermittenda ſunt in hoc argumento. Vnum, an abſque legitima cognitione ſit iuſtum ſiue repudium, ſiue diuortium: alterum, ad quos earum controuerſiarum cognitio pertineat. Quod ad illud prius attinet, quid ſit conſtituendum videtur res ipſa penitus oſtendere. Primùm enim ſi iniquum eſt quenquam vel in re minimi momenti ſedere in ſua ipſius cauſa iudicem, quoties ſaltem aliorum intereſt quid in ea ſtatuatur: quanto æquius eſt id ſeruari quum de ſocietatis eius vinculo dirimendo quæritur, quæ eſt totius humani generis veluti exordium, atque adeò cuius auctorem ſeſe Deus ipſe profitetur? Huc & illud accedit, quòd vix vlla incidere poteſt hac in re cõtrouerſia, in qua, ſi de facto cõtrouertatur, teſtes citandi & attentiſſimè audiendi non ſint. Deinde quum via quicquam in rebus humanis euenire poſſit quo vehementius quiſquam commoueri poſſit, quis non videt quæ mala ſint euentura, ſi idem ſit iudex qui factam ſibi iniuriam queritur? præſertim verò quo pudore vxor ſuo arbitratu non tantùm in maritum aget, verùm etiam ſeſe ab eo ſeiunget? Nihilominus tamen quum maritus ſit familiæ caput, multum ei tribuendum videtur. Et conſtat apud Iudæos voluntaria fuiſſe repudia & diuortia. Aliud enim fuit de adulterio accuſare (quod erat capitale crimen, ac proinde apud iudices neceſſariò diſceptabatur) quàm diuortium petere, quod quum ſibiipſi vnuſquiſque daret, veriſimile eſt tunc à iudicibus peti non conſueuiſſe. Sed & apud Romanos quamuis vetuſto iure

l. 9. D. de diuor.

conqueri licuit, ſi falſam ob cauſam nuntius remiſſus diceretur, tamen quum per libertum diuortium mitti ſoleret, aduocatis præterea (ſicut tandem conſtitutum fuit) ſeptem teſtibus ciuibus, puberibus, apparet, intra priuatos parietes id fieri conſueuiſſe. Et ſanè quum ob priuatas quaſuis offenſiones diuortia licerent, mirum non eſt priuatim illa agitari & decidi tunc conſueuiſſe, quum res tota eſſet in arbitratu eius poſita qui nuntium remittebat: neque actio ea ſponſu, vel iudicium de malis moribus eò ſpectaret vt diuortium non fieret, ſed huc potiùs vt diuortij infamia penes

eius

eius auctorem reſideret. Imò etiam expediebat multa eiuſmodi priuata delicta palàm non fieri, adeò vt plurimùm interdum intereſſet eius quoque perſonæ quæ repudiabatur, vt intra domeſticos parietes quicquid eſſet controuerſiæ decideretur. Aduocari autem conſueuiſſe amicos, vel illud iudicium Cenſorum declarat quod ex Valerio Maximo aliquando citauimus. Nunc verò quum nonniſi adulterio vel deſertione repudium aut diuortium ſit legitimum (quæ probari neceſſe eſt, vt & mortem ipſam ſi fortè de ea ambigatur) neque nunc ſint priuati arbitrij matrimonia, vtpote quæ conſcia tota Eccleſia fiant: non eſt æquum & honeſtum duntaxat, verùm etiam prorſus neceſſarium publicam cognitionem controuerſiarum, quæ plurimæ & maximæ in hoc argumento ſunt, præire: & priuata auctoritate facta diuortia vſque eò damnari, vt qui non expectata iudicum ſententia alteram duxerit, meritò ſeparetur, tantiſper ſaltem dum cognitum de controuerſia fuerit: nec etiam ſi cauſam poſtea probauerit, priùs ad vxorem temerè ſuperinductam redire ſinatur, quàm culpam offendiculi deprecatus Eccleſiæ ſatisfecerit. Quòd enim Abrahamus Agarem eiecit, huc trahi non poteſt, nec ſine veri iudicis, Dei videlicet, mandato factum eſt.

Vale. Li. 2. ca. 4. De Cenſoria nota.

c. 1. 33. q. 2. c. 9. 35. q. 6. c. 3. Extra. de diuort. & c. 16. Extra. De off. deleg.

Gen. 21. 12.

Ad quos iudices pertineat ſtatu[s] matrimonij cognitio.

Sed ad quos Iudices pertinet iſtarum rerum cognitio? Id verò difficile non eſt exiſtimare partim ex rei ipſius natura, partim ex purioris Eccleſiæ conſuetudine. Contractum hunc diximus mixtum eſſe, quoniam quatenus ad ſocietatem humanam ſpectat, planè ciuilis eſt, vt & reliqua hominum inter ſe commercia: quatenus verò Deus expreſſè dicitur interuenire, & coniuges copulare, (vnde etiam hic mos eſt vetuſtiſſimus, & planè, vt arbitror, Apoſtolicus, vt publicè in Eccleſia benedicantur qui hunc contractum ineunt) planè diuinus eſt & Eccleſiaſticus. Huc accedit & illud quòd in iis quæ ad ipſum coniugij vinculum attinent, ex vno Dei verbo cuius primaria eſt in hoc contractu auctoritas, decidendæ ſunt controuerſiæ: verbi autem diuini interpretatio procul dubio ad miniſterium Eccleſiaſticum ſpectat. Denique quum diſſidentes coniuges ſui officij admonendi ſint ex Dei verbo, &, quoad eius fieri debet ac poteſt, reconciliandi, tum quoque quum iuſta diuortij cauſa comperitur: quum denique ſatisfactiones Eccleſiaſticæ ſæpe iniungendæ ſint, quod fieri abſque cauſæ cognitione nec poteſt nec debet: ad quos alios, obſecro, hæc cura potiùs quàm ad Eccleſiam, id eſt, Eccleſiæ presbyterium, illic quoque vbi Magiſtratus Chriſtianus eſt, pertinebit? Et fuiſſe hunc morem totius veteris Eccleſiæ, etiam ſub Chriſtianis Imperatoribus ex Canonibus apparet, ex quibus procul dubio Presbyterium, nulla cum Magiſtratus iniuria, iudicabat, ſicut vel ex illo inceſtuoſi Corinthij exemplo liquet. Verùm quænam illa erant iudicia? nempe merè Eccleſiaſtica ſiue ſpiritualia, nullis prorſus ciuilibus, ſiue pecuniariis ſiue corporalibus pœnis ſancita. Abſit enim vt ſanctos Epiſcopos vel Presbyteros vſquam exiſtimemus ſibi vendicaſſe vllas ciuilis Magiſtratus partes. Mors enim Ananiæ & Sapphiræ, excæcatio Elymæ, & ſi qua eiuſmodi facta ſunt, extraordinaria & ſingularia fuerunt, neque in exemplum magis trahenda quàm Phinees factum. Sed rurſus quum contractus iſte, vt paulò antè dixi, vel maximè ad ſocietatem humanam pertineat, plurimáque merè ciuilia in controuerſiis coniugalibus incidant, vt quæ ad ius dotium, ad donationes mutuas, & plurima eiuſmodi ſpectant: atque adeò plurimùm interſit Reipublicæ, ritè aut minus ritè ex verbo Dei coniunctos, aut poſtea ſeparatos, auctoritate quoque Magiſtratus, diuinarum etiam legum cuſtodis vindicíſque, cognoſci: iure ſuo certè non prophani tantùm, verùm etiam Chriſtiani & religioſi Principes leges de coniugiis poſuerunt paſſim extantes, & ex iis ciuiliter iudicarunt, bonis Epiſcopis non modò non reluctantibus, verùm etiam hoc inprimis poſtulantibus. Sit igitur hæc moderatio, vt, quum mixtus ſit hic contractus, Presbyterium de iure conſcientiæ ex Dei verbo, Magiſtratus de ciuilibus, ex legibus bonis & æquis iudicet: quòd ſi diuortio ſit locus, Presbyterium quidem ex verbo Dei diuortium faciendum pronuntiet, Magiſtratus autem ipſemet dirimat: ita vt nec illud delibet vllam Ciuilis iuriſdictionis partem, nec Magiſtratus ciuilis quæ Eccleſiaſtici miniſterii ſunt ad ſe pertrahat, quin potiùs Eccleſiæ auctoritatem ſartam tectam tueatur. Itaque quòd nolunt Canonici in foro conſcientiæ valere diuortia, niſi præierit Epiſcopi iudicium (præerat autem Epiſcopus Presbyterio, ex cuius etiam non autem ex ſua vnius ſententia iudicabat) in eo rectè ſentiunt. Sed quorſum hoc ad Officiales, Promotores, Procuratores, totam denique illam porcorum colluuiem quæ Eccleſiam Dei iampridem deuaſtat? quorſum hoc ad illa non Eccleſiæ tantummodo Chriſtianæ, verùm etiam vniuerſi mundi dedecora? Illa verò quorundam ex iſto grege vox, matrimonia iam nō iure fori, ſed iure poli gubernari: niſi ita vt dixi intelligatur, planè intolerabilis eſt atque adeò Satanica: ſiquidem Satanicum eſt, amotis, quos Deus ipſe poſuit, terminis, confuſionem in domum Dei introducere. Quæcunque igitur ſiue Pontificij, ſiue Epiſcopales canones ciuiliter de coniugiis, vt & de rebus ferè omnibus ſtatuerunt, ea Chriſtianorum omnium Principum munus eſt, vel ſuo nomine edere ſi iuſta ſunt, vel vt ab illegitimis legiſlatoribus ſancita abolere: nedum vt vbi inſtaurata eſt pura religio, vllo modo ferri tam turpis, tam manifeſta, tam denique intolerabilis ἀταξία debeat, quam Epiſcoporum ambitio exorſit, auaritia eorundem confirmauit, vtraque iam aboleri non ſinit. At enim, dicet quiſpiam, vbi conſtituta non eſt Eccleſia, neque Chriſtianus eſt Magiſtratus, quid agant miſeri? nempe quandoquidem harpyæ iſtæ tribunalia Magiſtratuum inuaſerunt, illas adeant oportet quicquid poterunt impetraturi, potiùs quàm temerè quicquam audeant. Quòd ſi adiri poteſt Eccleſia, adeatur ſanè potiùs & audiatur. Sic enim olim fuiſſe factitatum, & ita etiam Chriſtianas ipſas mulieres ſuis infidelibus maritis nuntium remiſiſſe liquet ex hiſtoria honeſtæ matronæ quam Apologetici prioris initio refert

Euſeb. Eccleſ. hiſt. l. 4. c. 17.
Hieron. in epitaph. Fabiol.

Iuſtinus, & ex eodem repetit Euſebius: nec Fabiolæ factum quæ flagitioſiſſimũ maritum abſque iudicio Eccleſiæ videtur dimiſiſſe, & alteri poſtea nupſiſſe, aliter quàm veræ pœnitentiæ teſtimonio Hieronymus excuſat.

De concubinatu.

Concubinas vocabant Romani mulieres cœlibis vnius conſuetudine contentas, minimè id tamen coniugali affectu: quoniam nec vlla erat facultatum communicatio, neque in familiam eius tranſibant, ideóque liberi ex concubina ſuſcepti, legitimi non cenſebantur. Pellex verò dicitur quæ vnà cum iuſta vxore habetur, à Græco nomine παλλακὴ, quod vocabulum tamen Hebrææ eſt originis. Sed quam Hebræi פילגש vocant, quales fuerunt Agar, Cetbura, Bila & Zilpa, & aliæ in Scripturis commemoratæ: ſciendum eſt nec concubinam nec pellicem fuiſſe, quales erant Romanis concubinæ & pellices, ſed vxorem, quamuis non eo loco & gradu quo matresfamiliàs haberentur. Vtcunque ſit, Romanorum concubinæ, ac multò magis pellices, erant meretricum ſpecies, quas mirum non eſt ab iis fuiſſe palàm toleratas apud quos ſcortari flagitium non erat, vt nec apud Græcos. Apud Hebræos verò fuit hic næuus polygamiæ, de quo in altera tractatione pluribus diſſeruimus. Cæterùm quum manifeſtè dicat Apoſtolus, ſcortatores non fore regni cæleſtis hæredes, & velit vnumquenque ſuam vxorem habere, dubium non eſt quin concubinatus pellicatúſque omnis ſit in Dei Eccleſia intolerabilis: quo magis mirum ac penè incredibile eſt ipſis Iuſtiniani temporibus adhuc concubinatum licuiſſe, qua etiam ex re patet non valere eorum argumentum qui Imperatorum legibus de diuortiis ex eo volunt auctoritatem conciliare, quòd Epiſcopi non legantur eis reclamaſſe. Nam ſimili ratione concubinatum quoque probare oporteret. Fuit igitur hic etiam eorum temporum næuus, donec turpem iſtum & Chriſtianiſmo palàm

Leo nouell. 91.

repugnantem morem Leo corrigeret: tanti eſt momenti ex vno Dei verbo ſapere. Sed operæpretium eſt quę Canonicorum fuerit hac in re quoque religio indicare, vt eos tandem pudeat qui inde petunt Eccleſiæ inſtaurationem, & Concilia errare poſſe negant. Certè ſi legantur quæ in concubinarios ſparſim ſcripta ſunt, & cum iis comparentur quæ in digamos ſunt conſtituta, manifeſtè liquebit quanto minùs iſtis diſplicuerint fœdiſſima quæque, quàm coniugium quantumuis legitimè & ſanctè repetitum, vt quo ſpiritu ducantur hinc ſaltem perſpiciatur. Quid plura? quum digamo diſpenſare (ſi illorum plериſque credimus) ne diabolus quidem poſſit, nedum Papa: ſed ei qui mortua vxore ex ancilla plures filios habuerat, modò ne ſecundas nuptias eſſet

c. Fraternitatis diſt. 34.

expertus, bonus pontifex Pelagius, dè grege paſcendo valde ſcilicet ſolicitus, Subdiaconatum haud grauatè concedit, *Noſtris*, inquit, *temporibus quibus non merita tantùm* (excipe merita moria æternæ) *ſed & corpora defecerunt*: nempe libidinibus exhauſta, quorum iampridem exhalans fœ-

Vide Spenſam lib. de continentia ſecundo c. 5.

tor Sodomam & Gomorrham planè iuſtificat. Afferunt tamen Scholaſtici rationem prorſus dignam quæ ab omnibus cognoſcatur, cur digamus ſit quouis ſcortatore & concubinario indignior qui ad ſacros illos Ordines promoueatur, *propter ſacramenti repræſentationem*, inquiunt, *ſiue propter ſignificationis defectum, quia nimirum Epiſcopus Chriſtum vnius Eccleſiæ ſponſum repræſentat, digamus verò carnem diuiſit.* Deus bone, quæ hæc impudentia eſt? Diuiſit carnem qui vnius tantùm vxoris, ſiue primæ, ſiue quotæcunque maritus eſt? non diuiſit carnem qui cum ſcorto, cum concubina, cum adultera, volutatus eſt? Aptior eſt ſcortator, concubinarius, adulter ad Chriſtum repræſentandum, quàm caſtus, quamuis repetito legitimè matrimonio, vnius maritus? & ab iſtis Catholicis cynædis, quorum vel Satanam ipſum iam pudet, expectabitur diutiua Eccleſiæ inſtauratio? An verò aliquid etiam amplius? Anno Domini quadringenteſimo Hiſpania, ſanctiſſimæ in-

Synod. Tolet. 1. c. 17. c. 2. diſt. 34.
1. Cor. 7.
c. 3. diſt. 34.

quiſitionis parens, celebri concilio Toletano primo, decreuit *vt qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur, tantùm vt vnius mulieris, aut vxoris aut concubinæ (vt ei placuerit) ſit coniunctione contentus.* Imò væ vobis impuri Patres, qui contrarium Paulo Euangelium annunciatis. Quid amplius? *Chriſtiano*, inquit Iſidorus, *non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt, niſi vnam tantùm aut vxorem, aut certè vxoris loco (ſi coniux deeſt) concubinam.* Ergo & tibi Iſidore anathema. Nam ex doctrina Pauli non poteſt quiſpiam eſſe membrum ſcorti ſiue diaboli, & membrum Chriſti. Oſtende verò ſcortum non eſſe quæ cum viro cuius vxor non ſit

Ita citat Spẽſa lib. 2. de continentia cap. 7.
Trid. conc. ſeſſ. 2 dec. 8.

conſueſcat. Quid amplius? Alexander III. Clericum concubinam publicè tenentem ſuſpendi quidem vult & interdici (ſed ter, quàm maximo & quàm longiſſimo circuitu admonitum, vt ſanctiſſimum Tridentinum concilium monet) donec ſiniſtram à ſe ſuſpicionem amoueat: redeuntem verò ad dimiſſam, aut etiam aliam recipientem perpetuò vult excommunicari: non tamen ad abiurandum compelli, ne fraudis diabolicæ inſtinctu in fornicationem relapſus, periurij quoque reatum incurrat. Quaſi verò non ſatis ſupérque magno periurio ſe inuoluerit qui ſcorto eſt addictus. At enim, inquiea, poſt excommunicationem non poteſt Eccleſia vlteriùs progredi. Concedo. Sed cur igitur illud de iureiurando adiiciunt? nempe quia iam tum partes Magiſtratus ciuilis ſibi vendicabant. Cur non autem pius Magiſtratus publicum ſcortatorem, & Eccleſiæ contemptorem, abiicere ſcortum cogat, ac iuſtis etiam pœnis coerceat? Sed quidnis nimirum iſti potiùs

Baſ. can. 26.

quàm eiuſmodi Magiſtratum tulerint. Quid amplius? Valde quidem inuitus Baſilij nomen his ſordibus permixtum video, quoniam nihil vnquam tale ipſum cogitaſſe exiſtimo quale eſt quod ipſi affingitur: ſed tamen ne hoc quidem eſt diſſimulandum. *Scortatio*, inquit, *non eſt matrimonium, nec matrimonij initium. Quare ſi fieri poſſit vt qui per ſcortationem coniunguntur, ſeparentur, id eſt melius. Sin autem eis omnino placeat conſortium, ſcortationis quidem pœnam agnoſcant: ne ſeparentur autem, ne quid deterius accidat.* Ego verò inter ſcortationem & matrimonium concedo tantum intereſſe quantum inter lucem & tenebras: poſſe tam elui ſubſequente matrimonio ſordes concubinatus,

adeò

adeò concedunt ipſi Canonici, vt etiam iubeat Clemens tertius (ridiculè tamen fortaſſis) *ad remiſſionem peccatorum proficere ſi quis vel publicas mulieres è lupanari eductas vxores duxerit.* Et quum vim illatam virgini pejus quiddam eſſe conſtet ſimplici ſcortatione, duci verò ex Dei verbo poſſit à ſtupratore, ſi parentes conſenſerint, puella conſtuprata: viderit auctor Canonis illius Baſilio inſcripti, cur non potiùs concubinarios vel ad coniugium hortetur, vel ſi hoc imperari non poſſit, penitus ſeparari ſaltem à Magiſtratu velit, quàm vt eos pergere in iſta turpitudine, neſcio cuius pœnitentiæ prætexto, patiatur. Quid enim ipſis poſſit deterius euenire, quum ſcortatores non ſint regnum Dei poſſeſſuri? Sed de his plus ſatis. Vide lepidiſſimum can. 10 extra, de ſponſalib.

De eunuchorum falſo coniugio dixi quidem aliquid antea: nunc verò quid ſentiam ſemel aperiam. Rogatus aliquando à quadam Eccleſia, quid de eiuſmodi hominum matrimonio (ſi modò matrimonium eſt) exiſtimarem: reſpondi ſiue hoc ab initio reſciuerit mulier, ſiue minus, ſiue conqueratur, ſiue in eiuſmodi coniunctione acquieſcat, eiuſmodi coniunctionem non modò prorſus nullam eſſe, id eſt, indignam ſancto & honeſto matrimonij nomine, ſed etiam in omni bene conſtituta Eccleſia prorſus intolerabilem. De Eunuchis.

Primùm enim nulla ex iis cauſis propter quas ordinatum eſt à Deo matrimonium, in eiuſmodi coniunctione locum habet. Nam quod ad generationem attinet, quæ eſt primaria à Deo inſtituti matrimonij ratio, non modò nullus homo ſic generatur, ſed etiam horrendo quodam modo plurimi homines perduntur, quum eiuſmodi vir muliebre ſemen inutile reddat, adeò vt non modò pro ſcortatore, ſed etiam pro homicida eiuſmodi hominem habeam. Etſi enim in ſcortatione magnum vitium ineſt, tamen in ea ſimpliciter contra naturam non peccatur, ſed tantùm in ἀταξίᾳ. Deinde quod ad alteram matrimonij cauſam attinet, nempe ad remedium aduerſus vſtionem & incontinentiam, dico non modò non ſic extingui vehementem illum affectum, ſed etiam incendi quàm maximè, tum ex aſſiduo obiecti mouentis conſpectu, tum etiam ex eius vſu, quem effectus nullos conſequatur. Præterea quòd nonnulli domeſtica officia prætexunt, etſi colore aliquo non caret, tamen vanum & inane eſſe res ipſa demonſtrat. Quî enim probabile eſt eiuſmodi vel virum vel mulierem ſic vnà poſſe ſimul conſueſcere, perinde acſi continentiæ dono eſſent prædití? Itaque quum hæ tres ſint cauſæ legitimi matrimonij, quarum nulla in hac de qua diſſerimus coniunctione locum habeat, conſequitur nullum eſſe ipſo iure eiuſmodi matrimonium: & quod cum tanta turpitudine, atque ita cum tam immani ſcelere homicidij coniunctum eſt, planè intolerabile meritò iudicari. Nam ſi quis obiiciat ne in ſterilitate quidem alterius aut vtriuſque partis primariam illam cauſam locum habere, reſpondeo primùm, ſterilitatem eſſe vitium intrinſecũ, & quod ſenſu non percipiatur, ſed vſu potiùs & experientia. Deinde addo, ſterilitatem, quamuis non ſemper ſit reipſa medicabilis, meritò tamen medicabilem præſumi. Dico præterea, etiam ſi ex ſterilium congreſſu nihil naſcatur, tamen aliquatenus naturalem eſſe coniunctionem, in qua ſaltem ſecunda matrimonij cauſa locum habeat. Ex quibus rationibus efficitur longè aliud eſſe conſtituẽdum de ſterilium quàm de caſtratorum matrimonio.

Secundò, benedictio eiuſmodi nuptiarum quid aliud fuerit quàm manifeſtum Eccleſiæ ludibrium?

Tertiò, quod tandem vocationis ſuæ teſtimonium habere poteſt in ſua conſcientia qui de matrimonio cogitat, & tamen iis caret quæ ad plenum & iuſtum matrimonium neceſſariò requiruntur?

Concludo igitur ex his omnibus, rectè conſtituiſſe Leonem Imperatorem vt tales coniunctiones non modò non probentur, ſed etiam inter ſcortationes numerentur: & qui eiuſmodi nuptiis benedixerit, exauctoretur. Sed quid ſi reſciuerit hoc vitium mulier, & tamen in eiuſmodi maritum conſenſerit? Reſpondeo, nullam quidem ei factam iniuriam videri, ſed tamen non efficere mulieris ſcientiam quominus damnetur quod eſt contra bonos mores, & ſuapte natura, ſicuti diximus, deteſtabile. Leo nouell. 98.

FINIS.

DE PACE CHRISTIANARVM ECCLESIARVM CONSTITVENDA, CONSILIVM:

AD SACRAM CÆSAREAM MAIESTATEM, & Romani Imperij Status Auguſtæ congregatos.

AVDACISSIMI hominis factum videtur, auguſtiſſimum & ampliſſimum totius orbis terrarum cœtum interpellare: ſummæ verò impudentiæ, ſeotentiam de re omnium maxima dicere non rogatum: & ita quidem vt nomen tuum reticeas. Quemadmodum tamen ſi quando priuata ædificia flamma corripuit illud vnum præcipuè curari ſolet, vt ad reſtinguendum incendium vnuſquiſque accurrat, neque tunc magnopere vel vnde ſit, vel quis ſit quiſpiam laboratur: ita etiam nunc multò magis, orbe Chriſtiano inteſtinis diſſidiis deflagrante, putaui reprehendendum uou eſſe, qui laboranti Reipublicæ Chriſtianæ, etiam extra ordinem, opem ferat. Meum autẽ nomen hanc vnam ob cauſam reticui, vt non quis loquatur, ſed quid dicatur lectores attentiùs conſiderent. Quòd ſi quid à me rectè & appoſitè dictum ſit, Deo ſoli tribuatur: ſin minus, vt imprudenter & ſtultè feciſſe videar: vituperari tamen voluntas hæc mea (vt opinor) meritò non poteſt.

Indicta ſunt Auguſtæ comitia ſacræ Cæſareæ Maieſtatis mandato, conſtituẽdæ in primis Chriſtianæ religioni, & ſectis, quibus hodie concutitur, abolendis. Quis verò tam ſanctam, tam vtilem, tam denique neceſſariam cogitationem, S. C. M. & illuſtriſſimis potẽtiſſimíſque Germaniæ Principibus, non meritò gratuletur? Certum eſt tamen non deeſſe partim qui hoc conſilium improbent, & pro viribus impedire ſtudeant, partim qui probent quidem, ſed ea ratione & forma præſcripta, vnde non modò nihil cõmodi percipiatur, ſed etiam infinita mala exoriri neceſſariò oporteat. Vtriſque verò ſic reſponderi poſſe arbitror.

Rationes eorum qui Principũ de Religione cõſtituenda conſultationes non probant.

Qui hæc improbant, id certè faciunt, vel quòd nullum hinc fructum ſperent: vel quòd ad Pontificem Romanum potiùs hanc quæſtionem ſtatuant pertinere: vel quòd iſta omnia, tum iampridem deciſa, tametiã nuper admodum Tridentini concilij decretis determinata ſint, vt de his iam quæri minimè oporteat.

1. Ratio quod Synodi nunquam ſalutiferæ fuerint.

Scimus, inquiunt illi, & fatemur hanc rem eſſe omnium grauiſſimam, & magnopere optamus tanta hæc diſſidia ſic poſſe componi, vt vnum idémque omnes ſentiant: ſed humanis conſiliis nullum hìc locum relinqui res ipſa clamat, vtpote quæ toties à condito mundo adhibita, vlcus tamen iſtud verè cacoëthes non modò non ſanarint, verumetiam quàm grauiſſimè exulcerarint, adeò vt nullum nunc remedium patiatur. Quem enim latet tot penè fuiſſe à condito mundo de Numinis cultu ſententias, quot capita? Inter ipſos verò Iudæos quæ & quàm diuerſæ factiones fuerunt? Quid, quòd qui nomen Chriſto dederant, ſtatim inter ſe contendere de præcipuis noſtræ Religionis capitibus cœperunt, ac ne Apoſtolorum quidem authoritate ſunt repreſſi? Quis etiam ignorat quanta ſit iampridem inter ipſos Tureas & Perſas de Mahumetis lege controuerſia? Debentur autem hæc mala humanæ naturæ imbecillitati, cui nemo præter vnicum Deum remedium afferre poſſit. Itaque precibus potiùs quàm vllis Synodorum vel Principum decretis, ipſóque adeò temporis ſucceſſu potiùs quàm humanis conſiliis hæc mala depelli, perpetua tot ſeculorum experientia demonſtrat.

2 Ratio quod nõ poſſit Synodus legitima nũc celebrari.

¶ Imò, vt ad tempora noſtra deſcendamus, cuiuſmodi tandem hanc conſultationem fore ſperabimus? ex qua factione deligentur Iudices, in quos cæteræ conſentiant? Vnde iudicii formula petetur? an ex vno Dei verbo? atqui maxima pars hoc recuſat. quod tamen vt admittat, quînam tandem inextricabiles pugnantium interpretationum nodos expedient? An hìc valebunt Veterum ſententiæ, & multis ſeculis recepta conſuetudo? Hoc verò non ferent, qui ex vno Dei verbo ſcripto pendere nos iubent, & meritò ſanè mendacium negant vllis temporum ſpatiis in veritatem transformari.

5. Ratio quod nemo Synodi decretis parebit.

¶ Demus tamen aliquid tanti huius cœtus conſiliis ac ſuffragiis poſſe in his rebus decerni. quis præter vnos Germanos has leges accipiet? Manebit ergo in aliis regnis horum malorum ſcaturigo, ex qua mox idem, ac fortaſſis etiam maiores riuuli recurrent. Imò quis ſperet pleroſque huc poſſe adduci, vt alienum iudicium quàm ſuam conſcientiam in Religione ſequi malint, quod nec flammis, nec gladiis, nulla denique vi adhuc potuit extorqueri? Perſuaſione ſiquidem non vi, humana corda religionibus imbuuntur.

Concluſio eorum qui his rationibus nituntur.

¶ Hæc eſſe accepimus illorum argumenta, ex quibus ſi quæratur, quid ergo in tantis malis faciendum putent, non poſſumus coniicere aliud reſponſuros quàm quod quidam ſolent, quos politicos & neutrales, vt ita loquamur, homines appellant, nempe ferendos non eſſe earum opinionum vel authores vel ſectatores, quibus publica Magiſtratuum authoritas conuellatur: moderatè verò compeſcendos eſſe qui vlla de cauſa publicam

pacem

pacem perturbent: reliquos alioqui quietos homines, ſuæ conſcientiæ eſſe permittendos, donec Dominus pro ſua bonitate & clementia nos reſpexerit.

¶ Age verò, expendamus, quod ſit rationum iſtarum robur. Ergo vt perpetuæ & innumerabiles ſemper fuerint ſintque adeò ad finem vſque ſeculorũ futuræ de vera Religione diſſenſiones, neque vllis adhuc remediis iſta partim ignorantia, partim improbitas hominum ceſſerit, an propterea malum iſtud, magis ac magis inualeſcere vltrò ſinetur, vel leuiſſima tantùm quædam huius morbi συμπτώματα reſpiciendo (leuiſſimum enim atque adeò inaniſſimum eſt præ meliore illa vita quicquid huius ſeculi fines non tranſcendit) morbum ipſum ſuo impetu graſſari patiemur? Nullæ vnquam leges, ne Draconis quidem illius, quæ ſanguine non atramento ſcriptæ propter immodicam ſeueritatem dicuntur, ſceleratorum audaciam ſuſtulerunt: nullæ iuriſconſultorum cautiones, aut temerè litigantium mulctæ, vel litigandi ardorem extinguere, vel contendentium peruicaciam frangere, vel calumniantium audaciam prorſus cohibere, vel iudiciorum corruptiones abolere vnquam potuerunt, aut deinceps etiam poterunt? An propterea vel aboleri leges, vel quæſtiones in illarum contemptores ita leuiter obſeruari decet, vt modò publica quædam pacis ſpecies retineatur, ſuo quiſque arbitrio viuere permittatur? An quoniam ex quo medicina reperta & vſurpata eſt, non ægrotant pauciores quàm antea, & quantameunque operam curandæ valetudini adhibeas, nihilominus cuique ſuo tempore moriendum eſt, idcirco nullam medicinæ dandam operam cenſebimus, aut publicis legibus eò vſque duntaxat temperandum ipſius vſum, vt modò aperta homicidia tollantur, vnicuique medicinam facere, & quæcunque libuerit pharmaca, liceat quibuſuis propinare? minimè profectò. Fatentur enim omnes, niſi ſi qui prorſus inſaniunt, ſublatis legibus diſſolui ſocietatis humanæ vincula, vt beſtiam eſſe præſtet, quàm hominem: vitam autem præſentem quamuis breuem ac caducam, etſi medicinæ præſidio nõ liberetur à mortis neceſſitate: tamen eius artis ope rectè adhibita, aliquatenus conſeruari conſtat, vt ſuo quiſque officio valentiùs & diutiùs fungi poſſit. Nullum eſt igitur primi illius argumenti robur, niſi fortaſſe quiſpiam Religionem arbitratur quiddam eſſe vel tam incertum, vel ab hominis captu vſque adeò remotum, vt eius curam à nobis, aut prorſus abiici, aut in alterum ſeculum reiici oporteat: quorum illud nemo certè ſapiens, alterum verò nemo ſatis pius auderet profiteri. Ad primam rationem.

Deinde quòd hæc mala imbecillitati hominum accepta ferunt, etſi aliquatenus verum eſt, non videtur tamen ſimpliciter concedendum: quis enim callidos potiùs quàm ignaros fuiſſe, & nunc eſſe ignorat iſtorum errorum, quibus Chriſtiana Eccleſia concutitur authores, interpolatores, defenſores? Verſutiam autem iſtam, quam nemo negauerit in re priuata, publicis etiam iudiciis eſſe vindicandam, quo iure tandem in re omnium maxima profundo ſilentio diſſimulandam exiſtimabimus? Quòd ſi quis excipiat, in controuerſiis humanis malitiam iſtam faciliùs deprehendi, in rebus autem diuinis non item: quis tamen meritò ex eo colliget rerum diuinarum contemptum adeo incertum eſſe, vt eius vindicandi cura ad homines nullo modo pertineat? Quantumuis enim homines partim vanitati ſuæ dediti, partim à Satana inſtigati, variis interpretationibus, aut potiùs deliriis, ſacras Dei leges, quibus omnis Religio continetur corruperint: magna tamen iniuria & Numen ipſum, & humanum genus afficere nobis videtur, quiſquis exiſtimat hactenus à Deo proſpectum fuiſſe hominibus, vt in iis quidem quæ ad huius vitæ, vt ita loquamur, Iuſtitiam ſpectant, ipſis præluxerit: cæleſtis autem Iuſtitiæ rationem, ita gentes omnes ſine exceptione celarit, vt nullos magis ſit ludificatus, quàm quibus peculiari & mirifica quadam ratione conſilia atque adeò arcana ſua patefecit. Hoc autem quum non ſine impietate quadam cogitari, nedum dici poſſit, efficitur profectò non ſatis rectè ſentire, qui tanta hæc mala hominum imbecillitati accepta ferunt, & ita quidem, vt Deus nullum in iis rebus remedium hominibus ſuppeditarit.

Itaque quòd precibus ipſóque temporis ſucceſſu hæc mala extingui arbitrantur, ſic demum accipio, vt cum precibus eas rationes neceſſariò coniungendas putem, quas certum eſt tum ex Dei verbo, tum ex perpetua veteris Eccleſiæ conſuetudine, hominibus eſſe traditas, vt iis quoties opus eſſet vterentur. Eſt igitur hoc onus Principibus impoſitum, vt ſuæ ditionis eccleſias curent ex verbo Dei adminiſtrandas: quod omnium piorum regum Iuda, ac deinceps etiam Chriſtianorum Imperatorum ac Regum exemplis confirmari poteſt. Eccleſiæ verò à ſuis Paſtoribus rectè adminiſtrari non poſſunt, niſi præter quàm quòd bonum ſemen ſerunt, malas etiam herbas Dei verbo veluti falce reſecent, atque adeò pro viribus extirpent. Id autem quoniam plerunque vnius & alterius authoritate præſtari non poteſt, nec etiam fortaſſis expedit: idcirco iam inde ab initio conſtitutarum Eccleſiarum, conueniebant prouinciarum Epiſcopi quoties vſus ferebat: idque Apoſtolorum exemplo, ne quis humanum hoc inuentum fuiſſe putet. Nota enim eſt Ieroſolymitanæ & Antiochenſis eccleſiæ ſynodus actis Apoſtolicis celebrata. Secuta eſt demum Conſtantino illo magno imperante, prima illa Oecumenica ſynodus Nicæna, in qua prouinciis Eccleſiaſticis accuratiùs quàm feliciùs diſtributis, illud quoque cautum eſt, vt binæ ſingulis annis prouinciales Synodi à Metropolitanis cogerentur: quæ conſuetudo ſi ſedulò fuiſſet obſeruata, veriſimile eſt profectò multis maximiſq; Eccleſiæ calamitatibus occurri potuiſſe. Sed hîc nobis obiiciunt quidam, Synodis iſtis accenſas potiùs quàm extinctas plerunque diſcordias fuiſſe, adeò quidem vt celebris ille epiſcopus Nazianzenus ſua quadam ſententia omnes illos conuentus veluti damnarit. Huic verò opinioni non dubitamus partim Apoſtolicum illud exemplũ, quod nobis inſtar normæ & regulæ eſſe debet, partim etiam ipſam rerum geſtarum hiſtoriã opponere. Arij certè furores Nicæna ſynodus non aboleuit, ac ne aliquot deinceps ſcentæ. Verùm quia

propterea nullum fuiſſe illius fructum exiſtimabit, quem nos etiam hoc ipſo tempore vberrimum colligimus? Imò ne Apoſtolica quidem illa Synodus, Cerinthum & pertinaces illos Circunciſionis defenſores prorſus cohibuit. Quis verò propterea illam negauerit neceſſariam Eccleſiæ fuiſſe? Illam itaque Nazianzeni ſententiam nemo non videt ad Synodos rectè adminiſtratas nihil pertinere: niſi fortè illum exiſtimamus Nicęnæ etiam ſynodo detrahere voluiſſe: quod quidem perabſurdum eſt, quum ſatis conſtet quantus fuerit eius propugnator. Quòd ſi nihilominus Ariani per orbem terrarum furere non deſtiterunt, quantò magis idẽ ipſos facturos fuiſſe arbitrabimur, niſi toties renouatos ipſorum conatus, obiectæ ſanctæ illius Synodi cum verbo Dei conſentientis authoritas repreſſiſſet? Idem quoque de Macedonianis, Neſtorianis, Eutychianis, corúmque ſobole dictum volumus, quos totidem Oecumenicæ ſynodi, ſi non vno vulnere, repetitis tamẽ ictibus ex Dei verbo confecerunt, adeò quidem vt aduerſus eoſdem noſtra hac ætate renaſcẽtes, tela nobis plurima ſuppeditent. Neque tamen quum hæc dicimus, aut iſtiuſmodi conuentuum authoritate niti Eccleſiam, aut quæuis conciliabula, quocunque tandem nomine appellentur, pro Synodis habenda cenſemus: ſed hoc vnum dicimus, ſic rogandum nobis eſſe Deum in illis Eccleſiæ calamitatibus, vt iſtis quoque diuinitus traditis remediis ritè ſanctéque vtamur.

Ad ſecundã rationem.

Difficultates autẽ illas de ſeſſuris iudicibus, ipſáque adeò iudicii norma, maximas quidem eſſe quis neget? ſed an propterea ſacræ Cæſareæ Maieſtati, & illuſtriſſimis potentiſſimíſque Germaniæ principibus, vel non audendum quod in eorum poteſtate is eſſe voluit, qui quicquid libuit poteſt: vel negligendum tantum malum, quod certam ſecum rerum omnium ruinam trahit? Vehementer enim fallitur quicunque vel fortuitò, vel certis quibuſdam ſtellarum cõcurſibus, vel hominum arbitrio, ſiue induſtria, attolli regna, vel concidere arbitratur. Altiùs profectò nobis conſcẽdendum eſt, ad Deum vſque videlicet, qui, vt inquit Propheta, balteũ cingit, & cidarim adimit. Daniel ille teſtis omni exceptione maior, quum diuino Spiritu afflatus quatuor illas monarchias, quarum vnius veſtigia adhuc in ſacra tua Maieſtate Cæſar, conſpicimus, ſic deſcribit, vt earum ortus & interitus ob oculos ponat, an non ſpeculum quoddam limpidiſsimum omnibus ſeculis ſpectandum præbet, in quo ſeſe Principes omnes contemplentur? Res autem iſta omnis in ſacra potiſsimùm hiſtoria elucet, in qua ſupra humanam illam prudentiam procul aſſurgens Dei Spiritus præterita & præſentia ſic deſcribit, vt futura etiam doceat ex veris cauſis colligere, quas quicunque ad vnum caput reuocauerit, comperiet hanc eſſe huius doctrinæ ſummã: quicunque Principes ſynceram religionem, id eſt, verbo Dei traditam vel ſunt aſpernati, vel etiam oppugnarunt, ſeſe poſteróſque ſuos miſerè peſſundediſſe: quicunque verò Dei cultum ea puro ipſius Verbo cõſtitutum, cæteris rebus antepoſuerunt, tum felices ac beatos per ſe fuiſſe, tum etiam Dei optimi beneuolentiam quodammodo in ſuas familias traduxiſſe. Itaque perdifficile quidem eſt hoc opus, ſed cui tanquam fundamento, tot regnorum ſolium ſuperſtructum eſſe conſtat, adeò vt nulla de re magis noctes diéſque cogitandum vobis videatur: neque ſanè de hac re cogitantibus, vel Dei monita quibus pareant, vel maiorum exempla quæ tutò ſequantur, vel prudentum conſilia quæ expendant, non denique Dei ipſius præſens auxilium ad has omnes difficultates ſuperandas defuturum videtur: de quibus tamen ſigillatim in alia orationis parte diſſeretur.

Ad tertiam rationem.

At enim, inquiunt nonnulli, vnica Germania has leges accipiet. Quaſi verò per ſe non ſit excellens Germaniam illam maximã ac florentiſſimam orbis Chriſtiani partem pacaſſe: quod ſi effecerit ſacra tua Maieſtas, Cæſar, quantò iuſtiùs, quæſo, illuſtre illud Germanici cognomentum, quàm veteres illi Imperatores à Germanis poſtea domiti, reportabit? Quòd ſi etiam effici potuerit, quod minimè deſperandum eſt, vt vicinarum quoque gentium concilium, bona cum Regum ac Principum & populorum venia legitimè cogatur, quis iam commune illud fore beneficium non videt?

At perſuaſione, non coactione opus eſt. Concedo id quidem, ac proinde non authoritate nuda agendum, non violentia graſſandum arbitror, quod inhumanum eſt, nedum vt ſit Chriſtianis conueniens. Sed rationes à Deo ipſo præſcriptas hac in re ſequendas dico, quibus qui non aſſentitur, eò vſque ſit tolerandus, vt (quemadmodum agere nobiſcum Deus Opt. max. conſueuit) ignorãtia quidem, quoad eius fieri poteſt, feratur: improba verò peruicacia pro rei magnitudine coerceatur. Rectè igitur illi cenſent non ferendos qui vel dogmata defendunt, quibus Magiſtratuum ſtatus euertitur, vel publicam tranquillitatem ſcientes prudentes perturbant, modò & ipſi Magiſtratus, terminis à Domino poſitis authoritatem ſuam definiant, & vera ſit publica pax, non communis ad opprimendam Dei veritatem coniuratio. Nam alioqui nulli potiùs ſeditionis contemptæque Principum dignitatis arguentur, quàm qui ſunt ab his criminibus maximè alieni, quod in tota Chriſtianæ Eccleſiæ, ac præſertim in ipſius Chriſti hiſtoria cernitur.

Ad concluſionem.

Denique poſtremum illud, cæteros eſſe ſuæ cõſcientiæ permittendos, in qua ſententia nonnullos etiam minimè malos, maximæque prudentiæ homines eſſe intelligo, quatenus admitti poſſe videatur, ſuo loco dicetur.

De iis qui actum agi putant, ſi de controuerſiis Religionis Synodus habeatur.

Iam ad eos accedo, qui hanc cognitionem per ſe quidem non improbant, ſed certis de cauſis, partim ſuperuacaneam eſſe iudicant, partim verò ſi quis ſit ei locus, ad Romanum pontificem potiùs, quàm ad Laicos, quos vocant, exiſtimant pertinere, à quibus ſi paulò liberiùs diſſentio, precor quàm humilimè fieri poteſt, vt in re tanti momenti, non tam à quo, aut in quem iſta dicantur, quàm quid dicatur ſecum expendant.

Aiunt igitur ſuperuacaneam eſſe de rebus toties antea conſtitutis diſceptationẽ. Ego verò primùm

mùm reſpondeo, etiam ſi verum eſſet, ſatis perſpicuè iam olim omnes iſtas controuerſias fuiſſe compoſitas: tamen hunc eſſe Chriſtianæ eccleſiæ morem ab ipſo Chriſto acceptum, quem Apoſtoli poſtea, & veri omnes Epiſcopi ſecuti ſunt, vt ea etiam de quibus ambigere penè ſit nefas, non pœniteat millies inculcare. Neque enim quærendum eſt duntaxat ſitne id de quo agitur, antea explicatum, ſed illud vel maximè, an id iis ſit perſpectum de quorum ſalute laboratur. Nam (vt illud Pauli dictum omittamus, omnes ex parte cognoſcere, ac proinde, quibuſuis etiam peritiſſimis ſupereſſe quod quotidie diſcant) quis ignorat eam fuiſſe ſuperioris ſeculi Paſtorum oſcitantiam, vt quàm pauciſſimi de Chriſtiana Religione vel docenda vel cognoſcenda laborarent? Quid mirum eſt igitur, ex tam obſcuro ſpecu prodeuntes, ad claram lucem caligare, & de iis quoque inter Chriſtianos quæri, quæ plenè perſpicuéq; ſunt tot antè ſeculis tradita? At enim, inquiūt Romanæ eccleſiæ defenſores, doceri ſe iſti non patiuntur. Alij contrà, oſtendite, inquiunt, quóſnam tandem doctores ſimus aſpernati. Si proferuntur tot librorum millia aduerſus nos conſcripta, age comparentur noſtrorum reſponſa, vt vniuerſus mundus intelligat (ſi quis fortè de hoc adhuc ambigit) ratione an pertinacia, iudicio an temeritate, iure denique an iniuria illiuſmodi doctoribus reſtiterimus. Inſpiciātur tot Imperialium comitiorum acta, & vtra pars doctrinam ex Dei verbo recenſarit, diiudicetur. Legantur tot martyrum omni ſuppliciorum genere excarnificatorum confeſſiones, & quo ſpiritu ad extremum vſque inuicti perſtiterint, conſtantiæne an pertinaciæ, iudicetur. Quòd ſi recens illud Tridentinum concilium nobis obiiciatur, nemini ignotum eſt, quàm iuſtis de cauſis quicunque à Romano Pontifice deſciuerunt, eius iuriſdictionem defugerint, vt longiore reſponſo minimè opus eſſe videatur. Hæc igitur quum vtrinque iam à multis annis & voce & ſcriptis iactentur, nemo non videt quàm parum firmum ſit quod illi afferebant, de iſtis rebus ampliùs quærendum non eſſe. Sed longiùs etiam multò progrediuntur, qui à Romana Eccleſia diſceſſionem fecerunt. Nam, inquiunt, ſi hæc ratio valeret, quærendum de eo non eſſe de quo ſatis ſupérque ſit iudicatum, non alio argumento faciliùs vincere nos poſſe coram æquis iudicibus ſperaremus. Hoc enim dicimus, hoc affirmamus, hoc nos probaturos confidimus, nihil nunc inter Romanam eccleſiā & nos diſceptari, quod non ſit plana, expreſſa, perſpicua Prophetarum & Apoſtolorum doctrina diiudicatum. Hic verò nobis alij verbi ſcripti ambiguitatem, alij controuerſias, de pauculorum verborum ſententia inter nos agitatas obiiciunt, quibus hoc tempore id vnum reſpondemus, paratos eſſe nos coram idoneis iudicibus ex Euangelio Dei, ex quo iudicabitur mundus, doctrinæ quam aſſerimus, veritatem aſtruere, ac præterea etiam ex receptis veterum illarum Synodorum decretis, probatíſque tum Græcis Latiníſque ſcriptoribus, Romanam Eccleſiam omnis humani diuiníque iuris violati ream conuincere.

Hæc illi igitur, quæ ſeu verè ſeu falsò ab ipſis dicuntur, cur tandem non accipitur cōditio, vt vel mendacij conuincantur, vel ſimul omnes perſpectæ veritati acquieſcant?

De iis qui hanc cognitionem ad Roman. Epiſcopum reiiciunt.

Qui verò quæſtionem hanc ad Romanum Pontificem reiiciunt, quàm non ſint audiendi rationes iſtas afferunt, & quidem, vt opinor, firmiſſimas, qui ſedem illam vt Antichriſtianam accuſant. Nam, inquiunt, olim in tanta rerum iſtarū ignorātia, quantā in pleriſque fuiſſe nemo diffitetur, nō mirum eſt pleroſque communem errorem ſequutos, de inueſtiganda veritate non laboraſſe. Nūc verò quis tandem Romanæ iſtius poteſtatis, quæ nihil ſacræ tuæ maieſtati, Cæſar, in Italia præter inane Romani imperij nomen, Romæ verò nihil prorſus reliquit, adeò quidem vt quorum olim conſenſu Romanus Pontifex epiſcopatum inibat, eos ipſe coronam à ſe accipere iubeat: quibus Chriſti, Petrique exemplo ſubiiciebatur, iis quaſcunque libuerit leges imponat: quos ſupplex, vt par erat, venerabatur, eos vix pedum oſculo dignetur: iſtius, inquam, Romanæ poteſtatis eo vſque à ſe ipſa ſublatæ, vt ab vno Deo iudicandā ſe dicat, quis tandē initia & progreſſus ignorat? Quantum olim Romanis Epiſcopis ſit tributum, tum ob Epiſcoporum præſtantiam, tum propter vrbis dignitatem ſatis conſtat. Sed quorſum hoc tandem ad eam, de qua nunc ago, poteſtatem? Nam ſi de Oecumenicis conciliis agatur, quis quatuor illa celeberrima coegerit, ex hiſtoriis liquet. Eò ab Imperatoria maieſtate vocatum fuiſſe Pontificem Romanum vt & reliquos legimus. Petitum fuiſſe eius conſenſum vel ab Imperatore, vel ab aliis Epiſcopis: præfuiſſe ſe illis Conciliis, vel quēquam alium Epiſcopum, niſi fortaſſe rogandis dicendíſque ſententiis, ſancita ex ſua authoritate Conciliorum decreta oſtendat ipſe ſi poteſt. Doceat etiam illud, ſi hæc tum erat Romani Pontificis poteſtas quæ nunc eſt, qui tandem ſit factum, vt Martiano quidem religioſiſſimo Imperante, Leone verò epiſcopo Romæ ſedente, neque vel minis vel imperio vllo, cuiuſmodi non ita pridem Paulus tertius aduerſus Carolum imperatorem patruum S. T. M. Cæſar. vſus eſt, ſed quàm humillimis precibus fruſtra renitente, Synodus illa iam celebris, non in Italia, vt Leo poſtulabat, ſed Chalcedone ſit celebrata. Doceat cur ſancto illo Ambroſio Mediolani epiſcopum agente, vniuerſalis, quòd ad indictionem attinet, Synodus epiſcopo Romano vicino nihil curante, nulla ob id controuerſia à quoquam mota, feliciter ſanctéque ſit Aquileiæ habita. Doceat cur Romanæ vrbis, & ſuburbicarum eccleſiarum terminis, Romani metropolitani poteſtas in Nicæna ſynodo definiatur. Doceat cur duo Romani ambitioſiſſimi epiſcopi, Bonifacius & Celeſtinus ſuam in Africanos epiſcopos iuriſdictionem, non ex iure Diuino (quod ſi vllum fuiſſet, nunquam profectò iam neceſſario tempore tacuiſſent) ſed ex Nicænæ ſynodi ſuppoſititiis decretis defendentes, manifeſtæ falſitatis ſint in Africano concilio, cui Auguſtinus ipſe intererat, condemnati, illúdque diſertè cautum, ne vel Romanus epiſcopus Legatos ſuo quodam iure deinceps in Africam mitteret, vel ex Africa quiſquam ad illam ſedem prouocaret. Doceat quo iure in alienas metropolitanorum Epiſcoporum ditiones inuaſerit. Doceat quibus legibus

Romani imperij Occidentalis caput, totúmque illud quod patrimonium Petri, non minus ridiculo quàm falſo nomine appellant, vel Imperatores Epiſcopo ceſſerint, vel ex Imperatoribus Epiſcopo recipere licuerit. Doceat cur hoc ſaltem patrimonio, quod vel omnibus Italiæ Paſtoribus alendis ſufficere deberet minimè contentus, omnium prouinciarum ſacerdotia exſugat. Doceat quod tandem fœdiſſimæ illius ordinationis, vel in verbo Dei, vel in veteribus Canonibus argumentum appareat. Doceat an non ſit Gregorio Romano & ipſi Epiſcopo credendum, Antichriſti præcurſorem nefarium, ſceleſtum, abominabilem eum appellanti, qui ſe vniuerſalem Epiſcopum venditaret.

Denique ſi quam etiam poteſtatem primariam tota Romana eccleſia Romano epiſcopo vnquā detuliſſet, quorſum hoc ad Romanos Pōtifices? Negamus enim in iis, quales eſſe iampridem cœperunt, vel vnicum legitimæ vocationis Epiſcopalis ſignum poſſe demōſtrari: reperiri verò quæcunque tum expreſſo Dei verbo, tum veteribus Canonibus damnantur.

Deinde illud quoque affirmamus, quod ex ipſorummet libris nos probaturos recipimus, ita ſe Pontifices illos geſſiſſe, ac nunc etiā gerere, vt nō omnes ab ipſis, vt illi volunt, ſed ipſos ab omnibus iudicari, vel orbem Chriſtianum, quod abſit, breui penitus deſtrui oporteat. Quid enim illi ſeu profanum ſeu ſacrum ſuo contactu non polluit? Quod regnum, quæ regio, quænam vrbs, quæ familia reperietur, quam illi damnis incredibilibus non affecerint? cuius ruina non exciterint? cuius ſpoliis non ſint locupletati? cuius denique exuuiis non prodeant exornati? Vetera illa, Othones, Conradinum, Henricos, Fredericos, inſignia Germaniæ decora, Galliam, Angliam, Italiam, totum denique terrarum orbem Chriſtiano ſanguine, incitante & exultante Romano Pontifice, velut inebriatum, omittimus. Quis noſtra memoria potentiſſimos illos Principes toties inter ſe commiſit? quis in Germania non ita pridem, & nuper admodum in Gallia, ciuilis belli claſſicum cecinit? quis qualemcunque hanc pacem nititur modis omnibus cōturbare? Quaſi verò, vel te, potentiſſime Imperator, vel cæteros Reges, vel tot ſiue Eccleſiaſticos, ſiue Laicos, vt vocant, Principes, Principem qui veſtris & corporibus & animis præſit, ex illis vrbis Romanæ cadaueribus petere oporteat. Et quémnam obſecro Principem, à quibus, quo ordine, quibus ſuffragiis delectum? Pontifice vel ſponte vita defuncto, vel per venenum ſublato, coeunt in conclaue pauculi homines, Itali, & quidem ignobiles plerique, quique, quod omnibus conſtat, vel turpiſſima mercede, vel gratia, vel ſimilibus aliis rationibus Galerum, quem vocant, coemerint. Ibi Italica cohors illa diu inter ſe tuam, Cæſar: veſtram, potentiſſimi Reges: veſtram, illuſtriſſimi Principes, libertatem licitata, tandem ſicut in publicis auctionibus fieri ſolet, veſtra diademata, ſceptra, capita, fortunas, honores, animas denique, cuicunque ex illo cœtu libuit, id eſt, (ſi experientiæ & iactato ab ipſiſmet prouerbio creditur, BONVS PAPA MALVS HOMO) cuicunque peſſimo, vt nuper admodum Alexandrino illi Dominicano (quem ipſimet paulò antè per ludibrium fratrem Scarponem appellabant) addicit, cuius ſtatim pedes veneremini: qui veſtras etiam animas negotietur, cuius nutu & quidem pacto cōſtitutóque pretio ſacra omnia quibuſcunque placuerit venundentur: in cuius dicta & facta poſtea non magis quàm in Deum ipſum inquirere liceat: de cuius flagitiis, ſi quis fortè queri velit, ad eius ipſius arbitrium quem cauſam dicere, atque adeò iuſtas omnibus pœnas dare oportuit, referre controuerſiam omnem oporteat. Itáne verò (inquiunt) Ieſu æterne Fili Dei, nos à Satana & æterna morte tuo ipſius ſanguine liberaſti, vt iſtiuſmodi ſeruitutem omnium miſerrimam ſeruiremus? Idcirco nobis Moſis iugum detraxiſti, vt hominum (& quorum hominum?) mancipia fieremus? Idcirco Imperij nomen fortiſſima Germania retinuiſti, vt peregrino iſti ſeruorum ſeruo ſcilicet, Imperatores tui ſeruirent? Idcirco Gallia, Hiſpania, Anglia, cæteríque ἀυτόνομοι populi, in Regum Principúmque veſtrorum conſtituta diuinitus authoritate acquieſcitis, vt iſti omnium indigniſſimo, omnia in vos, imò in veſtros ipſos reges liceant?

Hæc illi: quæ quidem tanti ſunt momenti, vt iterum dicam eos qui cauſam hanc ad Pontificem Romanum & eius Clerum reiiciunt, non pacem, ſed alterius tantùm partis ruinam expetere manifeſtè videri.

Conſequens eſt ergo, vt de iſtius cognitionis forma & ratione dicatur. Primùm autem omnium mihi refellenda eſt eorum opinio, qui breuiſſimum hoc ad concordiam iter eſſe putant, ſi omiſſa iuris, vt loquuntur, quæſtione, ſemel ex ipſorum præiudiciis damnetur quicunque ab ipſis diſſenſerit.

Iniquum poſtulare qui volunt priùs damnari quam in legitima cognitione audiri, qui de Cœna Domini idem atque ipſi non ſentiunt. Sparſus eſt enim rumor, & quidem non vanis authoribus, ſectarum nomine quibus publica damnatione compeſcendis, hæc comitia indicta ſint, eos omnes qui vel Romani Pontificis leges non probent, vel Auguſtanæ confeſſioni non ſubſcripſerint, comprehendi. Dicuntur autem iſta non obſcurè in eos quos nouis & inuidioſis vocabulis quidam hodie appellant. Atqui ſi vel ob dogmatum abſurditatem, vel ob pertinaces defenſiones, damnandi ſunt aliqui potiùs quàm au-

Prima ratio. diendi, quid obſtabit quo minus, ſi Pontificia Romani partes ſectantibus credatur, iſti in primis quos ipſi Lutheranos vocant damnentur? Quòd ſi æquum non videtur hoc illis concedi, quo tandem iure, qua æquitatis ſpecie, quo more clamoribus quorundam concedetur, vt tot innocentum hominum millia ad reddendam ſuæ fidei ex Dei verbo rationem paratiſſimorum, indicta cauſa pro hæreticis damnentur? Queruntur illos præfractè reſiſtere veritati. Quid ſi idem ipſi in illos retorqueant? Nemo ſanè adhuc vel pro his contra illos, vel pro illis contra hos iudicauit. Imò nulla de his rebus Synodus indicta: coram nullis iudicibus auditi ſunt, quos ad damnationem depoſcunt.

At enim

At enim, inquiunt, non homines, ſed dogmata ipſa: non eccleſias, ſed impios dogmatiſtas damnari dicimus oportere. Verùm quæ tandem hæc agendi ratio eſt? Quis enim ſeſe non arbitrabitur in eo quod defendit dogmate condemnatum? Et hæreſeos damnata Paſtorum doctrina, quam omnes greges communi conſenſu receperint, quomodo non damnantur Eccleſiæ? Nemo autem adhuc iſta de quibus agitur dogmata impietatis conuicit. Nemo vel ipſos Paſtores, vel eos à quibus inſtituti, edoctíque ſunt publico iudicio redarguit. Dogmata verò ipſa nihilo ſanè æquius fuerit abſque legitima cognitione, quàm homines damnare. Si requiritur exemplorum authoritas, quæ tandem inuenientur cuipiam indicta cauſa damnando? Hoc ipſum olim poſtulantibus aduerſus Paulum Iudæis, Paulus ad Cæſarem à Feſto prouocauit, receptáque eſt eius prouocatio ab illo tùm profano, tum etiam corruptæ mentis homine. *Obiectio cũ reſponſione.*

De ſalute in vno Chriſto quærenda, & ceremoniarum Legis abrogatione in Hieroſolymitana ſynodo, ab Apoſtolis, aut potiùs ab ipſo Spiritu ſancto fuerat planè perſpicuéque iudicatum: erátque tanti momenti illa controuerſia, vt ſcripſerit Paulus, Si circuncidamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt. Plerique tamen illius Eccleſiæ à ceremoniarum vſu deduci multis pòſt annis non potuerunt. An vult Iacobus illos ſtatim vt hæreticos & Satanæ membra damnari? Imò Paulo ſuadet, vt in eorum gratiam ſeſe cum Nazaræis quibuſdam coniũgat, cuius ſententiæ vltrò Paulus obtemperauit. Hîc verò minimè hoc petitur, vt ii quibus alii adeò ſunt pertinaces hæretici, id eis tribuant quod ſalua conſcientia facere ſe poſſe negant: tantùm petitur ne inauditi ad illorum poſtulationẽ damnentur, qui in quibuſdam ſecùs quàm ipſi docent. *Secũda ratio Act. 15.*

Non vult Auguſtinus, cui non pauci aſſentiuntur, excommunicationi locum relinqui, quoties ſchiſmatis periculum imminet. In hoc autem exemplo, de quo nunc quæritur, quàm horrenda nõ vnius eccleſiæ, ſed penè infinitarum ruina, quot regnorum excidia, quot ciuilia bella, quæ cædes hanc damnationẽ conſequerentur nemo non videt. Anglicas enim, Scoticas, Gallicas, Flandricas, Heluericas, Rheticas eccleſias, quas reformatas vocant, earúmque Paſtores ad vnum omnes hac damnatione inuolui, nemini obſcurum eſſe poteſt. *Tertia ratio*

Quòd ſi Germania ipſa ſpectetur, nemo neſcit ex iis etiam qui Auguſtanam confeſſionem ex profeſſo amplectuntur, quàm multi aliter prorſus eam interpretentur, (& quidem ipſius authoritate freti, à quo fuit illa conſcripta) quàm qui damnationem iſtam dicuntur procurare, quam ſi obtinerent, fieri certè non poſſet quin hoc modo Germania quoque (quod miſerrimum ſpectaculum Deus auertat) inter ſe committeretur. *Quarta ratio.*

Nuper exortum eſt dogma, quod Chriſti omni præſentiam, quam vocant, non tantùm ſecundum Diuinitatem, ſed etiam ſecundum carnem affirmat. Hoc verò non modò paulò antè nominatæ Eccleſiæ prorſus auerſantur, ſed etiam Germanicæ penè omnes academiæ, vt audio. An igitur hoc dogma, quod & verbo Dei & omnibus Synodis veteribus ex diametro repugnare dicunt qui illud oppugnant, vellent ipſi, niſi ſeſe priùs auditis & legitimo iudicio Eccleſiaſtico conuictis, impium & hæreticum pronuntiari? Minimè profectò. Opponunt enim & ipſi ſententias quaſdam ex verbo Dei & Patribus deſumptas quas pro ſe facere affirmant. Cur igitur non æquum ſit vtroſque eodem iure vti? Auditus, conuictus, damnatus fuit in celeberrima omnium ſynodo Nicæna infelix ille Arius cum ſuis. Quum tot annis ac penè ſeculis poſtea pergerent inſanire Ariani, an nõ rurſus repetitis Synodis & conuentibus cum ipſis actum? Hi verò an Arianis deteriores? quòd ſi deteriores, à nullis tamen adhuc vocati, à nullis conuicti ſunt aut damnati. Ad hæc omnia (inquiunt iidem illi quos Sacramentarios vocant) illud vel præcipuum accedit, quòd quantumuis conentur nonnulli infelix illud de cœna Domini diſſidiũ, & voce & ſcriptis exaggerare, ſperamus tamen omnes qui ex nobis potiùs quàm ex illis quæ noſtra ſit ſententia cognoſcere voluerint, minimè tales nos eſſe exiſtimaturos, quales ipſi declamitant. Quoniam enim ipſis aſſentiri nolumus Chriſtum ſecundum carnem alibi nunc eſſe quàm in cælis, hinc colligunt carnis & ſanguinis Chriſti veram in ſacra cœna Domini communicationem à nobis tolli, quod ſacrilegium qui nobis imputant, magnam certè nobis omnibúſque illis Eccleſiis, quas antè nominauimus, & quibuſcum nos coniunctiſſimos eſſe fatemur, iniuriam faciunt, quam vtinam tandem agnoſcant. Noſtra igitur hæc fides eſt de cœna Domini. Chriſtum ſecundum alteram ſui naturam, i. ſecundum carnẽ reuera ex hoc mundo diſceſſiſſe ſentimus, in quem non ſit reuerſurus donec veniat iudicaturus viuos & mortuos. *Septima ratio, in qua oſtẽditur quæ ſit Sacramentariorũ quos vocant, doctrina.*

Itaque affirmamus has locutiones, carnem Chriſti eſſe in, vel ſub, vel cum pane, non poſſe hunc ſenſum admittere, vt ibi ſtatuatur Chriſti caro vbi eſt panis, quoniam panis non alibi eſt quàm in terris, & Chriſti caro nunc non alibi eſt quàm in cælis. Sed quum Chriſtus idcirco carnem ſuam extra mundum non abſtulerit, vt nos dereret, diſertéque ſit teſtatus ſe in ſacra ſua Cœna corpus & ſanguinem ſuum nobis in vitam æternam dare: non dubitamus quin reuera præſtet quod promittit, id eſt, quin ſeipſum totum, quãuis ſecundum carnem in cælis maneat, nobis in terra poſitis donet, non obſtante tanta locorum diſtantia, quo minus verè cum ipſo vnum fiamus, vt poſtea ex hoc capite vita æterna in nos vtpote ipſius membra deſfluat. Quòd ſiquis curioſus roget qui fieri poſsit, vt corpus in cælis manens nobiſcum in terra poſitis vniatur: reſpondemus ne in rebus quidem naturalibus neceſſarium eſſe ad hoc vt donatio valeat, vt donator, donum, & donatarius quẽ vocãt, vno eodémque loco ſtatuantur, ac proinde nihil impedire, etiam humano more loquendo, quo minùs Chriſtus ſuum corpus non alibi quàm extra hunc mundum poſitum nobis in terra nunc verſantibus re vera & quàm efficaciſſimè donet. Verùm quia eò tendit hæc donatio, vt cũ ipſo qui donatur vnum fiamus, dictat humana ratio id præſtari non poſſe, niſi vbi vnum eſt, ibi ſit

& alterum. Idcirco cum Apoſtolo dicimus longè maximum, atque adeò ſoli fidei comprehenſibile eſſe Eccleſiæ & Chriſti coniunctionis arcanum: & Filii Dei omnipotentis promiſsionem, qua teſtatur ſeſe ſuum corpus pro nobis traditum & ſanguinem ſuum pro nobis fuſum nobis dare, profanis omnibus corruptæ noſtræ naturæ cogitationibus opponimus: ac proinde non corporis manibus, ſed fidei, non naturali, ſed ſpirituali modo corpus & ſanguinem Chriſti, & cum iiſdem vitam æternam apprehendi affirmamus. Quod autem in omnibus promiſsionibus ſpiritualibus, id eſt ad æternam vitam pertinentibus, vniuerſale eſt, nempe vt non alio quàm fidei inſtrumento à nobis apprehendantur, id in hac potiſsimùm ſtatuimus, vtpote quæ ſit cæterarum veluti complementum, quum in Chriſto non benedicamur, niſi ipſius membra ſimus.

Ex hoc verò conſequi dicimus, à ſolis fidelibus carnem & ſanguinem Chriſti percipi, quoniam etſi Chriſtus ſeſe accedentibus omnibus tum in quotidiana verbi prædicatione, tum in Sacramẽtis, potiſsimùm verò in ſacra Cœna offerat: nihilominus tamen, quia ſola fide ab hominibus recipitur, idcirco ſtatuamus neceſſe eſt, à ſolis fidelibus accipi, nihil ipſius Chriſti verbo ſeipſum donáque ſua quibuſuis offerentis, derogante incredulorum perfidia. Iſtis porrò rectè intellectis, ſatis etiam cerni poteſt, quo iure nonnulli nobis impingant, nos pro re Sacramenti non Chriſtũ ipſum, ſed tantùm ipſius merita ſtatuere: Chriſti corporis & ſanguinis in Cœna præſentiam negare: ſacra ſigna euacuare, atque adeò, vt ipſi loquuntur, Sacramenti perdas eſſe. Ex iis quoque liquere arbitramur, quo ſenſu ſacer ille panis, corpus Domini accipiendum & comedendum: itémque ſacra illa potio, ſanguis Domini accipiendus & bibendus, dicantur: nempe non quòd in corpus & ſanguinem transſubſtantientur (deſinerent enim eſſe Sacramenta) neque etiam quòd ibi ſint reipſa corpus & ſanguis vbi ſunt panis ille & vinum illud, videlicet in hominum manibus & ore, quod repugnat corporis Chriſti veritati, & aſcenſioni: ſed quòd ſigna illa corporalia (nempe panis, vinũ, acceptio, manducatio, hauſtio) res ipſas, id eſt, corpus & ſanguinem Domini, eorúmque traditionem, ſecum habeant ſacramentaliter coniunctas. Sacramentalis autem iſta coniunctio non eſt ſimplex aliquod *μνημόσυνον*, quo res ſignificatæ nobis in mentem reuocentur: ſed in credentium animis plena eſt ſummæ virtutis & efficaciæ: adeò quidem vt tam certum ſit quoties ex Dei mandato cum fide in res promiſſas & ſignificatas reſpiciente, ſigna illa naturaliter & corporaliter accipimus, comedimus & bibimus, nos fieri rerum illarum, id eſt, corporis ipſius pro nobis traditi, & ſanguinis illius pro nobis fuſi, ſpirituali, vt diximus, modo in vitam æternã participes, quàm certum eſt, nos ſigna illa oculis videre, manibus accipere, ore comedere & bibere, in ventriculum denique traiecta concoquere, vt eorum ſubſtantia præſentem vitam ſuſtentemus. Itaque tum vt Sacramenta à rebus communibus diſtingueremus, tum ne fortè in ipſis Sacramentis hæreremus (quę duo præcipitia quum de re ſacramentaria agitur, in primis vitanda ſunt) rerum ipſarum ſignificatarum nomina ad ipſa ſigna ſunt authore Spiritu Dei accommodata, ídque non obſcuro quopiã (quum hæc à quibuſuis piis intelligi maximè oporteat) ſed omnibus gentibus & linguis, ac præſertim Moſi, ac Prophetis, vſitato dicendi genere, ſicut abundè (vt nobis quidem videtur) à noſtris eſt demonſtratum.

Hæc igitur illorum eſt fides, atque adeò omnium quas antè nominaui Eccleſiarum, quantum quidem ex doctorum ſcriptis & ſermonibus colligere mihi licuit: quam quicunque diligenter expenderit, etiam ſi comperiat ab eorum ſententia diſcrepare, qui in maxima Germaniæ parte, particulas illas, In, ſub, & cum pane & vino eſſe, aliter interpretantur: tamen nec impiam nec hæreticã eſſe fatebitur. Nã ſi de ſignis ipſis agitur, quid amplius illis tribui poteſt, quàm quod illi tribuũt, nempe vt quicquid ex Dei ordinatione oculis ſignificant, verè etiam Deus fide percipiendum offerat? ſin de re ſignificata, quam illi poſſunt aliam conſtituere, ipſum, inquam, corpus pro nobis traditum & ſanguinem pro nobis fuſum, id eſt Chriſtum ipſum ſeruatorem noſtrum? ſin de præcipua ſacræ Cœnæ vtilitate, quænam alia hæc fuerit, quàm ipſius corporis & ſanguinis *κοινωνία*? Itaque, vt hunc locum tandem concludamus, omnium in iſtis rebus exercitatorũ, & moderati animi hominum conſcientiam appellamus, æquúmne ac iuſtum ſit, eos qui ita ſentiunt, inter ſectarios numerare, atque adeò inter illos nefarios & blaſphemos quales hodie ſunt Anabapriſtæ, Dauidiſtæ, Memnoniſtæ, Tritheitæ denique in Polonia graſſantes, cæteráque eiuſmodi monſtra digna potiùs execratione quàm auditione. Hæc illi. Quòd ſiqua ſunt præterea quæ in illarum Eccleſiarum confeſsione non probentur, illa certè priùs illis indicari, & defenſiones ipſorum in legitimo iudicio audiri, quàm damnari æquitas ipſa iubet.

Quinam deligendi in Synodo diſputatores.

At enim, dicet aliquis, hoc concesſo, vt in legitimo iudicio audiantur, quomodo id tandem cõſtituetur? quinam ſedebunt iudices? quæ iudicii norma dabitur? quis vicinos Reges & populos ad hanc accipiendam conditionem adducet? Ergo quod ad iudices attinet, quod in eos dicitur qui Romani Pontificis partes ſequuntur, nempe iniquum eſſe vt iidem ſint iudices & rei, id ipſum meritò ſanè ipſi in alios retorſerint, ſi fortè petatur, vt ipſi alterius partis, id eſt, eorum qui Romanam eccleſiam non ſequuntur, iudicium ſubeant. Vtrinque igitur iniquum hoc eſſe videtur, ac proinde quod in ciuilibus controuerſiis fieri ſolet, optimum factu videretur, vt neutri parti addicti homines de vtriuſque controuerſiis deciderẽt: ſed iſti quinam tandem ſunt? nulli vt arbitramur. Nam Epicureos, ſiqui ſunt, non in hominum, ſed in beſtiarum numero recenſemus. Qui verò in vtranque partem claudicant, Id eſt quibus nondum liquet ab vtra parte ſtet veritas, quomodo de iis ſententiam ferrent, de quibus nihil habent apud ſe conſtitutum? Reliqui ſunt qui pro Religione mixtam quandam farraginem ex vtriuſque partis placitis certa quadam ratione conflatam venditant: qui ſi fortè ſederent iſtarum controuerſiarum

indices,

iudices, quid aliud quàm vtramque partem quàm grauiſsimè offenderent? Hoc enim ita eſſe partim illud quod vocant INTERIM ſatis ſupérque probauit, partim etiam ex huiuſmodi hominũ ſcriptis apparet, ita certè temperatis, vt neutris alteram partem ſeriò ſequentibus poſsint approbari. Nec enim in conſtituenda Religionis doctrina, vbi ne latum quidem vnguem à Dei mandatis deflectere licet, ita vt in ciuilibus controuerſiis fieri poteſt aut debet, in quibus de ſuo iure decedere vnicuique licet, & vt inquit ille, ſummum ius ſumma eſſe iniuria ſæpe deprehenditur. Itaque remedium illud vnicum ſupereſſe videtur, vt vtrinque ex iis ipſis qui inter ſe diſsident certi iudices, quàm maxima fieri poterit tum religione tum prudentia, paribus conditionibus omnibus deligantur. In hoc autem habendo delectu commodiſsimus, atque adeò neceſſarius hic ordo videtur. Primùm vt iubeantur qui Pontificis Romani ſequuntur partes, inter ſe de diſputandis omnibus articulis conſentire. Etſi enim Catholicum conſenſum iactant, tamen quæ ſint inter eos de maximis rebus controuerſiæ, non tantùm ex veteribus illorum ſcriptoribus, ſed etiam ex recẽtibus admodum, veluti Caietano, Catarino, Soto, Torrenſi, Pighio, Tappero & aliis, liquidò apparet, quorum alii alios, conniuente facilè Romano pontifice, quòd neutri ipſius authoritatem conuellerẽt, maximorum errorum damnarunt. Deinde nuſquam extat ſimplex aliqua ipſorum fidei confeſsio, certis capitibus comprehenſa, ſed confuſum tantùm chaos: quod niſi in aliquas partes quadam ordinis ſpecie diſtribuatur, fruſtrà diſputatio omnis vtrinque ſuſcipietur. Ex altera verò parte, eorũ videlicet qui Romanam Eccleſiam non ſequuntur, etſi effecit Satan vt quædam ſit etiam opinionum confuſio, tamen huic incommodo proſpici poſſe iſta potiſsimùm ratione videtur, ſi cæteris ſemel exploſis, quorum manifeſti, & vtrinque damnati ſunt errores, veluti Anabaptiſtis, Arianis, Mennoniſtis, Schuenckfeldianis, & aliis eiuſmodi, ii demum in delectum veniant qui vel Auguſtanam, vel Helueticam confeſsionem, quicum & Anglicana, & Scotica & Gallica, prorſus in doctrinæ capitibus conſentit, amplectuntur. Etſi enim ne hi quidem inter ſe in quibuſdam ſatis cõſentiunt: tamen in ipſo etiam Cœnæ Domini articulo Romanam eccleſiam oppugnant, adeò vt in communi velut hoſte oppugnando facilè ſint inter ſe conſenſuri, & hinc potiſsimùm pendeat Chriſtianæ Eccleſiæ tranquillitas, ſectis illis omnibus poſtea vel ſua ſponte in fumum abituris, vel prout res tulerit, commodis aliquibus rationibus, Deo fauente, compeſcendis. Hoc vbi factũ erit, tum deligendos arbitramur, neque nimiùm multos (difficiliùs enim inter plurimos conueniret) neque nimiùm paucos, quia probabile non eſt tam multos pauciſsimorum quorundam ſententiam libenter ſequuturos. Sed & illud prouidendum fuerit in primis, vt quibus res tanta committetur, primùm ſpectatę ſint apud ſuos probitatis. Deinde controuerſiarum omnium cognitione apprimè inſtructi: postremò ſuæ quiſque partis voluntate ac conſenſu, quoad fieri poteſt, & quidem paribus prorſus vtrinque conditionibus futuris, deligatur. Iam verò quoniam ne ſic quidẽ fortaſſe, animis adeò exulceratis, aſperitas contentionum vitari poſſet, ſacræ Tuæ Maieſtatis, Cæſar, veſtræque, Illuſtriſsimi potentiſsimique principes, prudentiæ fuerit, non modò certis legibus diſputationis ordinem deſcribere, in quas ſolenni iureiurando vtrinque diſputaturi ſigillatim cõſentiant: ſed etiam certos ex omni principum & hominum vtriuſque partis præcipuorum numero deligere, ſpectatæ & ipſos probitatis ac modeſtiæ, prudentes, moderatos, & rerum de quibus diſceptabitur notitia ſatis inſtructos: non qui ſint duntaxat futuri ſpectatores, vt in recentibus Synodis factitatum fuit: non qui à diſputantibus ſed à quibus diſputantes ipſi pendeant, qui ſingula diligenter obſeruent, ſubterſugientes appoſitè iubeant reſpondere, immoderatos cohibeant, ſententias colligant, concluſos vel ab omnibus vel à maiore parte articulos planè & perſpicuè ab vtriſque ſcribendos curent: qui denique in tota actione meminerint ſe non idcirco huic cœtui adhibitos vt ſuæ parti, aut domo allatis præiudiciis faueant, ſed vt medios ac verè ſequeſtres ſeſe vtrinque præbendo, tam ſacras tantique momenti actiones omnes, religioſè ſimul & prudenter moderentur. Ita enim in veteribus illis Synodis vniuerſalibus factitatum fuiſſe, illarum acta declarant. Quos oporteat diſputationi præeſſe.

Hæc vbi peracta fuerint, & de tempore ac loco, æquis paribúſque prorſus conditionibus fuerit conſtitutum, primùm de doctrina, deinceps de Eccleſiaſtica politia inter eos quærẽdum videtur. Doctrinæ verò diiudicandæ quæ tandem norma fuerit præter Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta? ſunt enim hi teſtes omni exceptione maiores, in quorum teſtimoniis quicunque non acquieſcunt, ne in vera quidem Eccleſia cenſendi ſunt, nedum vt ſint Eccleſia, quam reſtatur Paulus Prophetarum & Apoſtolorum fundamento ſuperſtructam. Duo tamen hic obiiciuntur. Vnum, non omnem Apoſtolicam doctrinam illis ſcriptis eſſe comprehenſam. Alterum, ſic eſſe ambiguam interdum Scripturam, vt Eccleſiæ interpretatio præterea neceſſariò requiratur. Sit igitur primum hoc inter eos futuræ diſputationis caput, Sítne integra Religionis Chriſtianæ doctrina (de dogmatibus, non de ritibus & politia Eccleſiaſtica loquimur) verbo Dei, id eſt, vtriuſque Fœderis libris deſcripta, an verò aliquæ traditiones ἄγραφοι adiiciendæ. In hac autem diſputatione ſuperiores fore videntur qui in ſolo Verbo ſcripto acquieſcunt. Stat enim illud Pauli dictum inexpugnabile, Vniuerſam Scripturam poſſe hominem Dei, id eſt Eccleſiæ doctorem, nedum diſcipulos, perficere, ad quam quum poſtea & Euangeliſtarum, & ipſius Pauli ac reliquorum Apoſtolorum ſcripta acceſſerint, quibus videlicet prophetiarum complementum enarratur, quid eandem ad eos libros addendum putabimus? Quòd ſi Patrum potiùs authoritati hac in re credendum nonnulli exiſtimant, audiantur ſaltem ii duo, vel maximi nominis, quorum vnus ſic diſertè ſcribit, *Si quicquid ex fide non eſt, peccatum eſt, fides autem eſt ex auditu, auditus autem per Dei verbum, ergo quicquid ex verbo Dei non eſt, peccatum eſt.* Et ne quis de Verbo quodam ἀγράφῳ ipſum loqui arbitretur, addit etiam Dirimendæ controuerſiæ ex vnis Scripturis ſacris. Baſilius & Chryſoſtomus.

mox, *Manifeſta eſt aberratio à fide, & ſuperbia crimen, quicquam aut reprobare ex iis quæ ſcripta ſunt, aut ſuperinducere ex non ſcriptis, quum Dominus noſter Ieſus dixerit, Oues meæ vocem meam audiunt.* Alter vero hæc habet, quibus nihil ad hæc noſtra tempora magis appoſitè dici poſsit. *Hoc tempore,* inquit, *ex quo obtinuit hæreſis Eccleſias, nulla probatio eſſe poteſt veræ Chriſtianitatis, neque refugium aliud eſſe poteſt Chriſtianorum, volentium cognoſcere fidei veritatem, niſi Scriptura diuina. Antea enim multis modis oſtendebatur quæ eſſet Eccleſia Chriſti, & quæ gentilitas, nunc autem nullo modo cognoſcitur quæ ſit vera Chriſti Eccleſia, niſi tantummodo per Scripturas.* Et mox: *Sciens ergo Dominus tantam rerum confuſionem futuram eſſe nouiſſimis diebus, ideò mandat vt Chriſtiani qui ſunt, volentes accipere veræ fidei firmitatem, ad nullam rem confugiant niſi ad Scripturas, alioquin ſi ad alia reſpexerint, offendentur & peribunt, non intelligentes quæ vera ſit Eccleſia.* Hoc autem quum ita ſe habeat, facilè animaduerti poteſt, quid ſit iis reſpondendum qui quoniam obſcura interdum & *δυσνόητος* eſt Scriptura, idcircò in illa acquieſcendum negant. Nam certè ſi ita ſe res haberet, ludificatus eſſet populum ſuum Dominus, nec ſtare poſſet quod illi duo paulò antè à me citati confirmant, quibus reliquos etiam aſſentiri minimo negotio probabitur. Ergóne, inquiunt, nulla apud nos erit Eccleſiæ, Synodorum, Patrum denique tam multorum, & tam eruditorum authoritas? Abſit. Nec enim Dei gratia, ignoro Eccleſiam eſſe veritatis teſtem, extra quam non ſit ſalus: & Orthodoxorum cõſenſum in Synodis aduerſus hæreticos teſtatum, plurimi fieri par eſt: & Patrum in interpretandis Scripturis, refellendis erroribus, admonendis populis labores adeò non contemni oportet, vt ſecundo à Scripturis loco meritò habeantur. Sed primùm omnium iniquum eſſe dico, vt quæuis conſentientium hominum turba pro Eccleſia obtrudatur: quúmque ſatis conſtet veram illam eſſe Eccleſiam quæ veritati teſtimonium reddit: veritas autem in verbo Dei ſcripto continetur: conſequitur omnino verã Eccleſiam ab adulterina, ex Dei verbo eſſe diſcernendam. Quoniam tamen vtrique verbum Dei iactant, ne quis hîc fallatur, exiſtimo duo hæc eſſe obſeruanda: Vnum, vt Scripturæ interpretationes non aliunde quàm ex Scripturis ipſis depromantur: alterum, vt omnia dogmata ad fidei analogiam, cuius articulos planè breuitérque ſcriptos habemus, exigantur. Doctrinam enim Chriſtianæ religionis vniuerſam Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis contineri paulò antè oſtenſum eſt, & ſibiipſi Spiritus ſanctus repugnare nullo modo poteſt. Itaque, duobus illis obſeruatis, facile fore credo, non peruicaciſſimis hominibus (quales ad hanc diſceptationem admittendos dixi) falſas interpretationes à veris, ac proinde veram Eccleſiam à falſa diſtinguere. Iam verò quod ad Synodos & Patres attinet, pluſculum etiam illis tribuendum arbitror quàm nonnulli fortaſſe ſperent. Quid ſi enim Scripturas diiudicandis erroribus quantumuis perplexis ſufficere dicerem, ac proinde nec bonas nec malas Synodos nos quicquam morari? Certè ſequerer Auguſtini veſtigia, qui cõtra Arianos diſputãs, nec illos Nicæna nec ſeſe Ariminenſi ſynodo conſtringi dicit. Et illud quoque ex veterum Synodorum hiſtoriis liquet, nunquam vel præcedentium Synodorum authoritatem vel Patrum ſcripta producta fuiſſe, tanquam in iis eſſet veritatis firmamentum, ſed conuictis priùs ex ſcripto Dei verbo hæreticis, tum demum in medium allata, vt omnis ſuſpicio nouitatis vitaretur. Nam certè ſi ea fuiſſet Synodorum authoritas quam nonnulli volũt, nempe vt ſint omni exceptione maiores & *αὐτόπιστοι*, quid aliis præter Nicænam ſynodis ad debellandos Arianos opus fuiſſet? Quid quòd Carolus ille verè Magnus ac religioſus imperator, illam ipſam Nicænam alteram ſynodum Oecumenicam qua hodie ſola pontifex Romanus Imaginum cultum tuetur, ſtultitiæ, erroris, blaſphemiæ denique, habito Maguntiæ cõcilio, præſentibus ipſis Romani epiſcopi Legatis, libro etiam de ea re Latinè ſcripto, quo ſingulis illorum argumentis ex verbo Dei reſpondetur, apertè damnauit? Quòd ſi de Synodis & quidem Oecumenicis id ſentire licet, multò magis quid de priuatorum ſcriptis, quicunque tandem illi in Eccleſia fuerint, nobis ſit exiſtimandum, apparet, quod etiam Auguſtinus præter cæteros millies eſt teſtatus. Sed nũc quidem non ita aſperè agendum putarim. Itaque hoc etiam iis largiendum puto qui Synodorum & Patrum ſcripta inculcant. Euoluant ipſi quaſcunque volent Synodos, ſcrutentur Eccleſiaſticos quoſcunque volent ſcriptores, ſeu veteres ſeu nouos. ſi quod inde argumentum, ſi quam rationem, ſi quam interpretationem eruere potuerint, quæ verbo Dei nitatur, agè, iis omnibus vtantur. Duo tantùm excipienda ſunt. Vnum, ne authoritate vel nominibus pugnent: alterum, vt illa quæ proferent, partim ad fidei analogiam, partim ad eiuſdem Diuini verbi normam & amuſsim exigere liceat. An verò conditiones etiam iſtas recuſabunt?

De Scripturarum obſcuritate, & quæ ſit Synodorũ ac Patrũ authoritas in doctrina Eccleſiæ conſtituenda.

Supereſt alterum caput de Eccleſiaſtica politia, quo nomine ritus etiam ceremoniáſque omnes intelligo. Hîc verò tantum abeſt vt veteres Canones, & Eccleſiæ conſuetudinem ſiue ſcriptam, ſiue non ſcriptam repudiem, vt contrà nihil magis vrgendum putem, quàm vt priſtina illa Eccleſiæ ſpecies inſtauretur. Sed hæc ſimul, & quidem, niſi fallimur, æquiſſima, atque adeò planè neceſſaria, poſtularim. Vnum, vt ſi quæ vel per ſe impia, vel ſuperſtitioſa, id eſt à verbo Dei vllo modo aberrantia deprehendentur, ſemel aboleantur. Alterum, vt inutilia tollantur: &, quum non omnia omnibus temporibus, & locis conueniant, quæcunque retinebuntur, ad circunſtantias temporum ac locorum optima fide accommodentur. Tertium, vt ſiue in tollendis ſiue in conſtituendis illis, nulla temporis pręſcriptio valeat, ſed ſola Eccleſię ędificatio, ipſáque adeò veritas quęratur, id eſt, non quid à quibus quàm pridem ſit vſurpatum, ſed quo iure, quóque fructu ſactitatum, & an nũc quoque retineri poſsit ac debeat, ſedulò ſpectetur. Has verò conditiones neminem pacis publicæ, veræque Religionis amantem repudiaturum, ac proinde Eccleſiæ concordiam ſic ſarciri non incommodè poſſe ſperarim.

De Eccleſiaſtica politia.

His abſolutis ſupereſſet vt orationi noſtræ finem imponeremus, niſi de hoc quoque dicendum

aliquid

aliquid videretur, quomodo tandem iſta ad finem perduci, & tantiſper dum apparantur ac gerun tur, quibus rationibus feralis iſta diſcordia reprimi, ac malum eouſque ſaltem vt ne latiùs ſerpat, coerceri poſſe videatur.

Cæterùm duo præcipuè exiſtimamus magnam tanto huic negotio remoram iniicere, quorundam peruicaciam, & orbis Chriſtiani gubernationem hodie in multas non tantùm partes, ſed etiã particulas diſſectam. Vtrunque hoc incommodum tantum eſt, vt nonnullos ad ſummam deſperationem adigat, quaſi nullum prorſus aduerſus hæc mala remedium Deus oſtendat. Nemini enim obſcurum eſt iuſtiſſimo quodam Dei iudicio, confuſa nunc & perturbata ſic eſſe omnia, vt pauci in tanta ἀταξίᾳ ordinis alicuius veſtigia poſsint animaduertere: & ſiqui animaduertunt, vel operam ludant remedia indicando, vel etiam in maxima quæque pericula incurrant. Nihil eſt tamen quod omnes pios Dei gloriæ pacique publicæ poſtponere non oporteat. Itaque ingenuè liberéque quod Dominus dederit in medium afferam.

Quomodo quorundam peruicaciæ occurrendũ.

Multæ quidem cauſæ ſunt cur nulli hodie Euangelii veluti renaſcentis lucem magis refugiant, quàm qui Eccleſiaſtici vocantur: ſed illa poſtrema non eſt, quòd ſibi, recepto Euangelio, mutandã vitæ rationem vident. Primùm enim plerique, ſi fungi illos ſuo munere oporteat, nullo modo ſe id facere poſſe vident, de quo videlicet nunquam adhuc cogitarint. Deinde tantas iſtas opes aliter deinceps conſumptum iri ſatis intelligunt, quas tamen potiùs quàm amittant, quiduis ſibi patiendum eſſe conſtituũt. Hinc illa multorum repugnantia, quos tamen conſcientia ſingulis momentis pungit ac mordet. Atqui aduerſus hoc malum inueniri remedium non ita difficulter poteſt, nempe ſi ſumma iſta & planè μιξοβάρβαρος duarum poteſtatum, Ciuilis & Eccleſiaſticæ, confuſio ſemel tollatur. Primùm omniũ igitur, cuiuſque dioceſeos parochis commodè alendis, academiis & ſcholis ſuſtinendis, pauperibus nutriẽdis, ex amplis illis & immodicis opibus, quantum ſatis eſt decidatur, & ita quidem vt neque parochi neque qui iuuentutem docent, aliud quàm quod ſui muneris eſt adminiſtrent, id eſt ſtipendiis penſionibúſque certis Domino militent: agros autem colere, reditus colligere, nedum dominia illa poſsidere minimè teneantur. Sit hæc aliorum cura, qui ſpiritualia metendo, iſta μισθὰ operariis fideliter potiùs quàm abundanter largiantur. Dominatus autem & ſecularia illa quæ vocant, teneant quidem ſi volent, qui nunc ea poſsident, quandoquidem alioqui innumerabilia incommoda conſequerentur, ſed vt ſecularia, & ea quidem lege vt ſinguli pro ſui dominatus ſeu feudorum ſuorum ratione perinde ac cæteri, ſicut Nobilitatis dignitatem obtinebunt, ita publicis oneribus adſtringantur. An autem ea tranſire quoque ad hæredes, an verò, prout adhuc alicubi fieri Ducatibus, Comitatibus, & nonnullis eiuſmodi ſolet, conferri in bene meritos homines, prout morientur poſſeſſores, expediat, & quibus id facere conditionibus oporteat, ſacræ Cæſareæ maieſtatis, cæterorúmque Imperii ſtatuum poteſtatis ac prudentiæ fuerit conſiderare. Huic verò decreto quis tandem meritò interceſſerit? Nam ſi de conſuetudine quæritur, quis ignorat antequam peſſum iret Eccleſia, inauditam fuiſſe iſtam Eccleſiaſticæ & politicæ poteſtatis permixtionem? Si mihi non creditur, credatur ſaltem Bernardo ad Eugenium Pontificem hac de re copioſiſsimè ſolidiſsiméque diſſerenti. Sin de iure quæſtio eſt, inſpiciãtur ſanè iuris Diuini Tabulæ, & ſecundum eas iudicetur. An verò quiſquam ex Eccleſiaſticis, quos vocant, hac in re ſibi fieri iniuriam dicet? Minimè, vt arbitramur, quum prætterquam quòd hac ratione nihil ipſi amittant, (minores enim certè quàm antea ſumptus Eccleſiaſticis oneribus ſuſtinendis fient, vbi omnia fuerint ordine diſtributa) etiam onere leuentur quod ſe tueri non poſſe confitentur, & re ipſa demonſtrant. Cõtrà verò tum Eccleſiis ipſis, etiam Catholicis, quas vocant, optimè, minimóque ſumptu cauebitur, tum etiam Imperii vires penè duplicabuntur eorũ acceſsione, qui, quales nunc quidem ſunt, nec ſuis conſcientiis conſulere, nec ſuarum Eccleſiarum oneribus ſatisfacere, nec Reip. vtiles eſſe poſſunt. His autem hac ratione pacatis, non eſt quòd eos moretur ſacra. C. M. qui vel turpis tantùm cupiditatis cauſa, vel manifeſta improbitate ducti, nihil in præſenti ſtatu mutandum contendunt, id eſt perire ipſi cæteróſque ſecum perdi, quàm ſeruari malunt. Iſtis enim obſequi nihilo iuſtius certè fuerit quã latronibus cõcedere, vt (quod ipſi maximè vellent) leges, legúmque cuſtodes potiùs aboleantur, quàm latrocinari prohibeantur. Supereſt illa orbis Chriſtiani in tot particulas veluti diſſectio, vt iam non poſſit ſacra tua M. Cæſar, totum orbem Chriſtianũ, ſicut veteres olim Imperatores, ad Concilium communi conſenſu vel inuitos euocare, nedum vt ad leges vllas accipiendas adigere valeat. Sed huic etiam incommodo remedium inueniri poſſe ſpero. Quem enim Principem, quóſve Magiſtratus aut populos vſque adeò ſeſe ſuáſque res omnes negligere arbitrabimur, vt ſummis iſtis perturbationibus ſedandis operam ſuam vltrò non accommodent, vbi ſincerè & æquis conditionibus remedia quæri animaduerterint? Prætterquam enim quòd omnium crudeliſsimos eſſe oportet quos tantæ miſeriæ & calamitates non mouent, illud quoque certum eſt vel fore tandem ſine ſubiectis Reges, vel ſine Regibus ſubiectos, ac proinde miſerrimè interiturum genus humanum, niſi promptum aliquod remedium his malis inueniatur. Itaque optima ſpes eſt, quod mandato & imperio efficere ſacra tua M. non poterit, id tamen monitionibus blandíſque appellationibus ſi non ab omnibus, à pleriſque tamen non ita difficulter impetratum iri: vt (quo nomine nihil in terris maius ſanctiúſve dici poteſt) totius orbis Chriſtiani PACIFICATOR habearis. Quòd ſi etiã multis rẽ adeò ſanctã & neceſſariã perſuadere non poſſes, an propterea tot pacandarũ Prouinciarũ ac Ciuitatũ quæ M. tuæ parent, curam ac ſolicitudinem abiicies, ac non potiùs quid tibi ipſi tuíſque debeas cogitabis? Quoniã autẽ fieri iſta niſi maximo tẽporis interuallo non poſſunt, supereſt vt quomodo interea rebus prouideri poſsit

Catholici quomodo in ſuarum opũ poſſeſsione tolerandi.

Quomodo cogi poſsit Concilium.

Pendente diſceptatione.

quomodo rebus proſpici poſsit, ne in deterius vergant.

cōſideremus. Exiſtimāt igitur nōnulli, ſicut in ciuilibus negotiis fieri ſolet, ita etiā in hac diſceptatione in primis neceſſariū eſſe vt ſpoliati in integrū reſtituātur, & qui poſsident in ſua poſſeſsione cuſtodiantur: alii contrà contendunt vnicuique faciendam poteſtatem ſuo more Deū colendi, modò publica tranquillitas non violetur. Ego ab vtriſque peto, vt mihi cum ipſis rationes contrarias conferre liceat. Certè quod ad illos attinet, ſi de bonorum reſtitutione agitur, vi ſactum dici non poſſe videtur in quo municipalium ſaltèm Magiſtratuum authoritas interuenit. Illud enim prætermitto, quod ii contra quos reſtitutio petitur dicturi ſunt paulò acerbius, ſed quid ſi etiam verè? nempe præſcribere non poſſe malæ fidei poſſeſſorem, & aduerſus iſtiuſmodi homines reſtitutionem non dari. Quod ſi non de bonis, ſed de cultu Dei quæritur (æquum enim eſt Paſtores in hoc vnum præcipuè eſſe intentos) cuius tandem æquitatis fuerit, homines qui ſub Papatu bonam conſcientiam tueri ſe non poſſe credunt, ad eundem rurſus amplectendum, indicta cauſa adigere, tantiſper dum probandus ſit an improbandus Papatus diſceptatur? Poſtremò, quum eò ſit res redacta, vt ſine pernicioſiſsima mutatione reſtitutio iſta fieri non poſsit, nemo non videt quantopere ſit iſta ſententia ab ea quam quærimus pace, prorſus aliena.

Itaque ingenuè (vtinam etiam ſine cuiuſquam offenſione) hoc dico, indignos eſſe qui tanquam Eccleſiaſtici audiantur, quicunque iſtam bonorum reſtitutionem ſic vrſerint, vt propterea communem Chriſtianorum concordiam vel tantillum remorentur, quorum ſaluti ipſe Dei Filius & Eccleſiæ caput, ſuam vitam poſtpoſuit. Qui verò ſine exceptione vnumquenque ſuæ conſcientiæ permittendum putant, quoniam vt inquiunt, in cauſa religionis perſuaſione non coactione ſit opus: primùm ipſo Dei verbo, deinde manifeſtiſsimis argumentis refelluntur. Notum enim eſt ex Prophetarum ſcriptis quàm grauiter Dominus in eos populi ſui Reges ac Principes animaduerterit, qui puritatem Religionis vel ipſi contaminarunt, vel ab aliis pollui permiſerunt. An verò vel idem nunc Deus non eſt, vel aliud nunc eſt quàm tunc erat ſanctorum Regum munus? Quòd ſi in ciuilibus huius vitæ negociis communi aliquo iure vtendum eſſe eiuſdem ciuitatis hominibus nec cuiuis quiduis permittendum omnes rectè iudicant, an minor eſſe debet veræ ſynceræque religionis cura? Certè qui cuiuſuis cultus licentiam concedi volunt, malè ſentientes in ſuis erroribus confirmant, ſectas multiplicant, iter ad impietatem aperiunt, illud denique malum reddunt inſanabile cui remedium quærimus. Itaque quum ſicut vnus Deus eſt, ita etiam vna ſit fides rectè cenſere ſtatuo qui Magiſtratibus nihil æquè prouidendum putant atque vt vna eáque vera ſynceráque Religione in ipſarum imperio ac ditione Deus Opt. Max. colatur. Sed ingens hîc oboritur difficultas, quòd nulla ſit ſecta quæ ſola ſibi ſapere non videatur. Nonnulli igitur quoniam ſibi perſuaſerunt id demum ſequendum eſſe quod apud pleroſque obtinuit, reliquos legum ſeueritate aut etiam armis, ſi ſit opus, ſemel coercendos arbitrantur, quæ ſententia tum per ſe crudelis eſt (quis enim non videat, ita fore vt longè maxima pars humani generis ad internecionem deleatur?) tum etiam ad tollendum hoc malum prorſus inutilis, vt ipſa experientia liquidò demonſtrat: imò etiam plena eſt maximæ & manifeſtiſsimæ iniquitatis, quum neque ex multitudine, neque ex conſuetudine quantumuis vetuſta, probari ſynceritatem Religionis poſſe vel debere, res ipſa teſtetur. Non deſunt ergo qui aſperitatem illam ſic mitigent, vt ferri quidem velint quas vocant hæreſes, quoniam videlicet eò vſque excreuit malum vt acribus illis remediis locus iam nullus relinquatur, ſed ea conditione vt cœtus habere & ſuo modo Deum colere hæreticis, quos vocant, nullo modo permittatur. Iſta verò ſententia, ſi quínam ſint hæretici ſatis conſtaret, non eſſet fortaſsis in iſto rerum ſtatu repudianda: ſed quum dicantur omnium maximè errare qui ſeſe Catholicos vocant, nec multò ſit paucior eorum numerus qui ipſos oppugnant, ne hæc quidē opinio videri poteſt ſedandis iſtis malis accommodata. Quid igitur? Dicam ingenuè quod ſentio. Huc imprimis, reliquiſque adeò cogitationibus omiſsis, ſi modò ſaluam rempublicam Chriſtianam eſſe volunt, Principibus incumbendum eſſe arbitror, vt, ſicut paulò antè dixi, ex Dei verbo controuerſiæ omnes ſtatim decidātur. Interea verò malum iſtud quod ſtatim mutari non poteſt, id eſt Religionum varietatem aliquam, neceſſariò non approbari quidem, ſed tolerari oportere. Aliquas tamen exceptiones addo. Vnam, vt qui publicam interea pacem violarint, quarumcunque partium fuerint, ſeueriſsimè puniantur, ſuam autem Religionem quiſque pacificè & abſque tumultu colat, tantiſper dum illa communi & æqua diſceptatione compoſitæ res fuerint: alteram, vt vbi ſectæ nullæ publicè apparent, ſed æquabilis eſt Religionis ſtatus, nihil interea in ſtatu publico moueatur: ſed ſiqui ibi ſunt à Catholicis (quos vocant) diſſentientes, vel ea qua nunc ſunt conditione, perſecutionibus exceptis, permaneant: vel eò ſe transferant (ſi quidem ita ipſis libet) vbi liberiùs ipſis liceat Religionem ſuam profiteri. Tertiam, vt inter ipſas ſectas delectus aliquis habeatur. Quis enim vel Anabaptiſtas Magiſtratum oppugnantes & rerum omnium communionem introducentes: vel Tritheitas ſeu Ditheitas planè blaſphemos: vel Epicureos, ſiue Atheos, aliáve eiuſmodi mōſtra publicos cœtus habere, & ſeſe mutuò palàm confirmare ac diſcipulos adſciſcere iure patiatur? Id autem vt ſemel definiatur, ſic ſtatuo, manifeſtè impios, cuiuſmodi ſunt Epicurei, nullo modo eſſe tolerandos, ſed vbicunque deprehenſi fuerint, vt publicos humani generis hoſtes, quàm ſeueriſsimè coercendos: Anabaptiſtas, ſacræ Trinitatis hoſtes & eiuſmodi ſectarios omnes, quandoquidem multos in tanto numero ſanabiles eſſe probabile eſt, eouſque pendente Concilio tolerādos, vt in ipſos quidem non inquiratur, vllos autem cœtus habere, & blaſphemias ſuas ſpargere, capitis pœna (quod enim crimen eſt blaſphemia manifeſta capitalius?) prohibeantur, hac etiam addita lege vt omnes ſeſe iis quæ in illa communi diſceptatione decidentur, ad quam etiam eorum duces ex Dei verbo audiendi & iudicandi vocabuntur, ſine vlla tergiuer-

ſationa

ſatione ſtaturos polliceantur: quod ni fecerint, vt ſeditioſi pro ſceleris magnitudine puniantur. Hoc verò ſi fiat, cauſa nulla fuerit cur nonnulli de infinito religionum numero (quæ res per ſe eſt horrenda) conquerentur, ſiquidem duæ tantùm Religionis ſpecies, & eæ quidem in multis capitibus conuenientes, tolerabuntur: vna videlicet eorum qui Catholici dicuntur, altera verò eorũ qui palàm à Pontifice diſceſſerunt, qui quidem, etſi in re Sacramentaria nonnihil, vt antè dixi, diſsideant, tamen idem in genere doctrinæ corpus habent, vt duplex earum religio cenſeri nec poſsit nec debeat.

Hæc eſt igitur, quod felix fauſtúmque ſit, votorum meorum ſumma: hoc meum qualecunque conſilium: quod ſi videbitur & Dei voluntati conſentaneum, & ſanandis tot tantíſque malis accõmodatum, agè ratum eſto. Sin minus, pro non ſcripto habeatur: faxitque clementiſsimus Deus noſter humani generis miſertus, vt aliis & ſanctiora & vtiliora in mentem veniant, Principéſque omnes eius potiſsimùm gloriæ ſtudeant, à quo ſunt in ſuis thronis & ſubſellijs collocati.

FINIS.

DEFENSIO

SACRAMENTALIS CONIVNCTIONIS CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI CVM SACRIS SYMBOLIS, ADVERSVS MATTHIÆ

Flacij Illyrici falſiſſimas demonſtrationes, & eiuſdem Apologiam.

RESPONSVRVS Matthiæ Flacii Illyrici partim calumniis, partim puerilibus paralogiſmis, quos euidentiſsimas demonſtrationes vocat, lectorem monitum in primis velim vt ſummam doctrinæ de re ſacramentaria cognoſcere non recuſet, ſicut & ipſe D. Caluinus ſcripſit & docuit, cui quis fuerit cum Tigurina & omnibus harum partium Eccleſiis conſenſus, nemo ignorat: & vt eſt à me (approbante D. Caluino optimo meo in Chriſto parente) ante aliquot annos perſcripta: partim ne quis cauſetur nos prout libuit doctrinam noſtram inflectere, partim vt qua conſcientia tota hæc factio nobiſcum agat, omnes tandem intelligant. Hoc poſito, ſubiiciam non ipſa quidem omnia verboſiſsimi hominis verba, ne libellus in immenſum creſcat, ſed ipſam demonſtrationum illarum, quas vocat, ſummã quàm optima fide potero deſcribam. quod etiã in ipſius Apologia explicãda præſtabo.

PRIMA DEMONSTRATIO M. ILLYRICI.

Prior pars verborum Chriſti, nempe HOC EST *corpus meum, ipſam eſſentiam Sacramenti deſcribit, ipſo etiam Caluino teſte: altera verò, nempe* QVOD PRO *vobis traditur, eius vſum ac effectum. Fœdè igitur aduerſarii fructum huius Sacramenti, nempe ſpiritualem fruitionem Chriſti, in ipſam eſſentiam Sacramenti, nempe in verba* HOC EST CORPVS MEVM, *violenter corruptis verbis, intrudunt.*

RESPONSIO TH. BEZÆ.

RESPONDEO Illyricum in ipſo limine turpiter impingere. Primùm enim, quum, vel ipſo teſte, D. Caluinus corpus ipſum ab eius fructu inde ad nos perueniente diſtinguat, deprehenditur Illyricus in manifeſta calumnia. Deinde quis præter iſtum ignorat appellatione fructus interdum res ipſas quas aliquis ſit nactus, aliquando verò vtilitatem quam ex iis rebus percipiat, communi loquendi ratione declarari? Poſtremò ſi Illyrico credimus, habendus nobis erit Paulus ipſe pro teſtamenti Domini corruptore, qui panẽ quem frangimus non corpus Domini, ſed corporis Domini communicationem vocat. Verùm maneat potiùs Paulo ſua authoritas, & Illyricus inſignis ſycophanta à pueris etiam ipſis habeatur.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

Negat ſeſe Illyricus quicquam falsò impegiſſe Caluino, primùm quoniam non dixerit Caluinum teſtari his verbis, HOC EST CORPVS MEVM, *deſcribi eſſentiam Sacramenti, ſed quòd probet illam diuiſionem verborum Cœnæ Domini in duo membra.*

SECVNDÒ, *quoniam conceſſerit Caluinum vno tantùm loco, non autem vbique rectè diſtinguere textum ſacræ Cœnæ, multò minus omnes ſuos aduerſarios rectè ſemper diſtinguere, quos ipſe in genere nominarit.*

Tertiò, *quia non dixerit ſuos aduerſarios vel diſtinguere vel non diſtinguere corpus Domini à ſuis fructibus, ſed quòd non rectè intrudant vſum aut fructum ſacræ Cœnæ in illa verba,* Hoc est corpvs mevm, *quæ propriè deſcribant eſſentiam ſacramenti. Denique negat Illyricus ſeſe egiſſe de diſtinctione corporis Chriſti & eius fructuum, ſed de diſtinctione textus bona vel praua.*

Qvartò, *negat Bezam appoſitè reſpondere quum vocabuli* frvctvs *homonymiam diſtinguit, quum illum potius oportuerit certam ſignificationem textus Caluini, diuerſam autem ipſius demonſtrationi attribuere.*

Qvintò, *negat Bezam vnquam probaturum idem eſſe fructum & rem cuius eſt fructus: quod tamen ſi probaret Beza, ſibi ipſi & Caluino clarè iſta in hac materia diſtinguenti contradiceret.*

Sextò, *Etiamſi, inquit, Beza mille aliarum rerum exemplis probaret idem eſſe vſum rei & rem ipſam, tamen niſi probaret hic duo illa idem eſſe, nihil efficeret. Ex quo efficitur Bezam tantùm exercere Sophiſticum maleficium in tenebris & obſcuritate, nihil clarè exponendo, ne deprehendi ac vinculis veritatis coerceri poſſit.*

Septimò, *reſpondet Paulum à ſe non conſtitui corruptorem teſtamenti qui de ipſius eſſentia dicat, Panis quem frangimus eſt communicatio corporis Chriſti. In his enim verbis Panem non eſſe ſubiectum ratione ſuæ ſubſtantiæ, ſed quatenus frangitur ac editur, acſi dixiſſet, Panis fractio aut diſtributio eſt verè communicatio aut participatio corporis Chriſti, ſicut ipſemet Caluinus exponit. Ex quo etiam efficitur, Sophiſtam eſſe quendam nouum magiſtrum qui ſic argumentetur: Paulus dicit, Panis eſt communicatio corporis Chriſti. Atqui Panis eſt in prædicamento Subſtantiæ, communicatio in prædicamento Actionis. Igitur verba Scripturæ de ſacra Cœna, non ſunt propriè ſed figuratè accipienda.*

Octavo *loco Illyricus demum ſuam illam inuictam demonſtrationem iſtis principiis confirmat.*

1 *Verbum Dei rectè ſecandum eſt, & res diuerſiſſima non ſunt confundenda.*

2 *Teſtamentum Domini habet duas diuerſiſſimas partes aut membra, vt ea vocat Caluinus.*

3 *Harum partium priore deſcribitur eſſentia ſacramenti, poſteriore verò docetur fructus aut effectus ipſe ſacramenti, vt idem Caluinus confitetur.*

4 *Fœda igitur peruerſio eſt, quòd aduerſarij fructum huius ſacramenti, nempe ſpiritualem fruitionem corporis Chriſti, in ipſam eſſentiam ſeu in verba,* Hoc est corpvs mevm, *intrudant.*

Tres illa ſententiæ patent. Quartam & poſtremam, quòd videlicet peccent aduerſarij intrudentes fructū aut effectum huius ſacramenti in primum membrum, ſi nō negant, conſtat, inquit Illyricus, mea demonſtratio: ſin negant, vicimus. Nihil enim mallemus quàm eos fateri fructum huius ſacramenti, nempe ſpiritualem mãducationem aut fruitionem corporis Chriſti in poſteriore tantùm parte verborum ſacræ Cœnæ collocandum, & non in illis vocibus, Edite, Bibite, Hoc eſt corpus meū, Hic eſt ſanguis meus. At nimis iniquum eſt eos in illis verbis eſſentiam ſacramenti deſcribentibus collocare ſpirituale manducationem aut fruitionem corporis Chriſti quæ reuera pertinet ad effectus aut fructus.

Defensio Th. Bezae.

Libet hîc mihi præfari, in primis non agi inter nos de Caluino nunc in Domino feliciter quieſcente, ſed de doctrina Chriſti controuerti, quam nobis fideliter à Caluino quoque traditam eſſe defendo, mentionem alioqui nominatim illius nullam facturus, niſi hunc præcipuè, ſed nonniſi mortuum, delegiſſet Illyricus per cuius latus veritatē confoderet. Deinde ſic reſpondeo ſigillatim.

Ad primam obiectionem. Hæc ſunt Caluini verba, *Prius membrum ſignificat, corpus nobis exhiberi. Hoc ſecundum exprimit quis inde fructus ad nos perueniat.* Qui ſic loquitur an non manifeſtè dicit, his verbis, Hoc est corpvs mevm, rem ſiue eſſentiam, ſiue corpus (vt ipſe Illyricus loquitur) ſacramenti, deſcribi, & ita quidem vt à fructu qui ex illa re nobis communicata ad nos redit, diſtinguatur? Non temerè igitur nec falſò dixi Illyricum in ipſo limine impingere, niſi fortè aliud eſſe putat Rem ſiue corpus Sacramēti, quàm eius eſſentiam, id eſt corpus ipſum Chriſti: quod myſterium ipſe quum volet planius explicabit.

Ad ſecundam. Siue vno loco ſiue multis hoc ſcripſerit Caluinus nihil intereſt vt Illyricus calumniator deprehendatur. Hoc autem dico, vt iſte omnes Caluini libros euoluat nunquam illum in vllo doctrinæ Chriſtianæ capite comperiet à ſeipſo diſſidere, etiamſi non omnia omnibus locis tradere conſueuerit, quod imperiti demum ſcriptores faciunt. Quis autem fuerit eiuſdem cum reliquis conſenſus quos iſte aduerſarios ſuos vocat, vti ſanè ſunt, ex communi confeſſione intelligi poteſt.

Ad tertiam. Quum Caluinus verbis modò citatis, & ab ipſo Illyrico arreptis vt meritò nos à ſe accuſari demonſtraret, non modò fructum & rem ipſam diſtinguat à qua fructus promanat, verùm etiam apertè dicat priore membro de re ipſa, poſteriore de ipſius fructu diſſeri, efficitur tertiò iam deprehendi calumniatorem Illyricum, nobis impingentem quòd fructum rei in illud prius membrum (vt ipſe loquitur) intrudamus.

Ad quartam. Fructus nomen quo vſus erat Illyricus, tanquam ambiguum idcirco diſtinxi, vt oſtenderem poſſe etiam rectè dici corpus Chriſti eſſe fructum quem in Cœna Domini percipimus, nempe ſi Fructus nomen pro re ipſa quæ percipitur accipiamus: ac proinde nō poſſe reprehendi qui hoc ſenſu dixerint, verbis etiam illis, Hoc est corpvs mevm, deſcribi Cœnæ Domini fructum. Oſtendat nunc Illyricus hoc reſponſum non eſſe ſatis appoſitum,

Ad quintam. Quænam hæc verò ſiue inſcitia ſiue impudentia eſt? Fructus nomine plerunque res ipſas ex quarum fruitione vtilitatem percipimus intelligi quis tandem præter iſtum vnquam inficiatus

inficiatus eſt? Fructus aruorum triticum, ſiligo, cæteráque eiuſmodi, & quæ inde conficiuntur: vitium fructus, vuæ & vinum inde expreſſum: arborum fructus poma, nuces, cæteráque id genus ſunt & dicuntur. Vtilitas quæ ex his rebus percipitur, eſt huius vitæ conſeruatio, & quicquid eiuſmodi ex illarum fruitione, benedicente Deo, conſequimur. Hoc ſi libeat ad id de quo nunc agitur accommodare, commodè dicemus, corpus Chriſti eſſe fructum ſpiritualem, nempe panem illum verum quem ore fidei percipiamus, non minus verè quàm ore corporis fructum illum terræ panem videlicet illius ſacramentum, percipimus. Fructus autem, id eſt, vtilitas ad nos ex illo fructu ſiue pane viuifico rediens ea eſt, quòd eius participes facti, eiúſque ſacrificio nobis applicato, in æternum viuimus. Hoccine verò eſt, Illyrice, non ſatis appoſitè reſpondere?

Ad ſextam. Quum dicat Illyricus me nihil planè effecturum niſi probarim hîc idem eſſe vſum rei & rem ipſam, pudet me quicquam reſpondere. Vbi tandem dixi, Illyrice, vſum rei & rem ipſam idē eſſe? Vno eodémque Fructus nomine dixi modò hoc modò illud ſignificari: quod tibi animaduertendum fuit priuſquàm iſtam vaniſſimam accuſationem, quam ſpecioſiſſimo Demonſtrationis nomine exornas, in nos torqueres. Hoc quum dico an ſophiſticum maleficium exerceo, & nihil clarè expono: an tu rurſus clariſſima voce ſummam & inſcitiam & impudentiam demonſtras?

Ad ſeptimam. Dixeram, ſi valeret Illyrici reprehenſio, id eſt, ſi Cœnæ Domini corruptores habendi eſſent quicunque illa etiam verba explicantes, HOC EST CORPVS MEVM, de ipſis rei ſacramentalis effectis diſſererent, videri Paulum ipſum hoc eodē crimine teneri, vt qui de ipſo pane quem frangimus ſcribat eſſe corporis Domini communicationem. Quid contrà noſter Demonſtrator? Prouocat ad Caluinum, qui dicat hæc verba: PANIS QVEM FRANGIMVS, idē declarare atque Panis fractio, aut ſumptio, ſiue diſtributio. Concedo, panem illic ab Apoſtolo conſiderari coniuncto fractionis ritu. Nec enim aliud apud Caluinum inuenerit Illyricus. Præterea quàm multa hîc Caluino affinguntur? Illud omitto quòd neſcio quem Hebraiſmum hîc quoque ſomniat Illyricus, cuiuſmodi Hebraiſmorum myriadas nobis in ſua illa Claui plagiarius fabricauit. De re ipſa loquar. Quòd fractionem panis putat idem hîc valere atque diſtributionem, ineptum eſt. Quòd pro ſumptione accipit, ineptius etiam dicitur. *Fregit*, inquiunt Euangeliſtæ, *& dedit diſcipulis ſuis*: ad quem ritum ſacramentalem ac minimè ἀδιάφορον proculdubio reſpexit Apoſtolus. Fractio igitur aliud declarat eo loco quàm dationem ſiue diſtributionem, quamuis ſatis conſtet quibuſdam locis Frangendi verbum ſic accipi vt poſterius ex priore intelligatur. Qui verò per Fractionem intelligeret ipſam ſumptionem, quamuis ideo frangatur panis vt diſtribuatur, & ſumatur nondum certè inueni. Verùm vt hoc demus noſtro Demonſtratori, quid obtinuerit? Nam ſi valet illa ipſius inuicta ἀπόδειξις, grauius etiam quàm nos peccarit Paulus, &, vt lepidus agaſo iocatur, equos poſt currus ligarit, fructum ſacramenti, id eſt, corporis communicationem intrudens in hæc verba, FREGIT, DEDIT. Sed quid altero dicto fiet, quum ſcribit idem Apoſtolus, poculum cui benedicimus eſſe ſanguinis communicationem? Nullæ enim hîc vel diſtributionis vel ſumptionis ambages. Itaque magis hîc quoque peccarit Apoſtolus.

Iam verò quod ad ſyllogiſmum illum fictitium attinet quem vel mihi vel alii cuiuis Illyricus affingit, quid potius dixerim quàm ridiculum etiam hoc eſſe ipſius commentum? Memini me, quū Heshuſius Cœnam Domini definiret illis Apoſtoli verbis, ex illa probare eum ipſum tropum quē ipſe oppugnabat, quoniam videlicet Cœna Domini eſſet in prædicamento Actionis, communicatio verò in prædicamento Paſſionis. Hoc refellat, ſi poteſt, Illyricus, & diſcat inter κοινωνίαν & κοινωνὸν, inter actionem & paſſionem, inter inſtrumentum denique & ipſius effectum diſtinguere.

Ad octauam. Illyricus Bezam lubricum ſophiſtam quatuor his vinculis conſtrictum tenet. *Rectè ſecandum*, inquit, *verbum Dei, neque res diuerſiſſimæ confundendæ*. Quis hoc neget? *Teſtamentum Domini habet res duas diuerſiſſimas*. Imò verò multo plures duabus. *In poſteriore membro, docetur fructus ſeu effectus ſacramenti, vt Caluinus ipſe confitetur*: id eſt, quomodo vtile & fructuoſum nobis fiat quod in Cœna Domini percipimus, corpus videlicet quoniam pro nobis fuit traditum, ſanguis quia ſit pro nobis effuſus. *Ergo peccant aduerſarii quum intrudunt fructum huius ſacramenti in primum membrum ſiue eſſentiam: quod ſi non negant ſtat*, inquit, *mea demonſtratio: ſin negant, vicimus*. Nos verò id negamus & pernegamus. Oſtendat Illyricus quomodo vicerit. *Nihil*, inquit, *mallemus quàm eos fateri fructum ſacramenti in poſteriore tantùm parte verborū ſacræ Cœnæ collocandum*. Ecce tibi largior Illyrice quod flagitas. Quis enim noſtrûm Verba ipſa Cœnę pertractās, vnquam aliter ſenſit aut docuit, quàm his verbis HOC EST CORPVS MEVM declarari tum ſignum tum rem ſignificatam, quibus tanquam præcipuis partibus conſtat ſacramentum? Quæcunque verò poſtea dicimus de ipſius perceptæ rei ſignificatæ fructu, oſtendat Illyricus, ſi poteſt, vel falſò vel nō ſuo loco dici. Sed quid ſi etiam ſuo loco quippiam non dicatur, an propterea falſò dicitur?

Verùm cedò tandem, quem fructum arguit Illyricus à nobis in eſſentiā Cœnæ intrudi? *Spiritualem*, inquit, *manducationem aut fruitionem corporis Chriſti*. Quis verò hic ſtupor eſt, ſpiritualem manducationem inter fructum Cœnæ numerare? Atqui ſicut cibo corporeo veſci, non eſt ipſa vtilitas ſiue ipſe fructus quem inde conſequimur, putà huius vitæ ſuſtentatio, ſed illud demum eſt quo interueniente illum fructum percipimus: ita etiam ſpiritualiter corpus Domini manducare non eſt ipſius Cœnæ fructus, ſed id demum eſt cuius interuētu Chriſto ad vitam æternam vnimur. Deinde quis etiam ſtupor eſt, fruitionem cum manducatione, id eſt, conſequens cum antecedente confundere? Fruimur enim comeſo. Ergo hoc ab illo differat neceſſe eſt.

Quæ verò de ſpirituali manducatione diſſeruimus ſi tantopere laborat Illyricus ad quæ verba Cœnæ ſint referenda, dicimus ad verba Accipite, Comedite, Bibite, propriè pertinere.

AD II.

Si hæc verba, HOC EST CORPVS MEVM, *per Metonymiam idem declarant, atque hoc eſt ſignum corporis mei, neutra manducatio corporis Chriſti, nec corporalis, nec ſpiritualis illic inſtitueretur, aut præciperetur, ſed tantùm ſigni manducatio. Verba enim illa hoc modo intellecta non corpus, ſed ſignum tantùm corporis pollicentur.*

RESPONDEO rurſus calumniatorem deprehendi Illyricum. Nec enim ignorat, quod vbique ſolemus inculcare, Sacramenta videlicet ſic eſſe Chriſti ſigna, vt Chriſtus ipſe quamuis ſpiritualiter, tamen non minus verè & certò offeratur, & à credentibus percipiatur, quàm ipſa ſymbola corporaliter ſumuntur. Deinde non demonſtratiuam, ſed planè Sophiſticam hanc conſecutionem eſſe dico, Præbetur panis vt corporis ſignum, ergo tantùm ſignum datur. Nam è contrario ſic fuit colligendum, Datur panis vt corporis Chriſti Sacramentum, id eſt efficax, & cũ ipſius rei veritate coniunctum ſignum: Ergo etiam datur corpus, quamuis illud quidem corporaliter, iſtud verò ſpiritualiter.

HANC reſponſionem non ignorauit Illyricus, vt, ſeipſo teſte, manifeſtæ calumniæ arguatur. Sic autem reſpondet: *Quæ vos effugia & quas eluſiones veritatis quæratis, non valde magni momenti eſt pernoſcere.* En vnam, lector, ex euidentiſsimis Illyrici demonſtrationibus. *Præterea,* inquit, *non erũt nuda ſigna, ſiquidem ſua ſignificata, nempe ſpiritualem fruitionem Chriſti, credentibus afferent.*

LOQVAR autem paulò planius quàm ipſe faciat. Voluit hoc dictum Illyricus, non quum dicimus ſigna non eſſe nuda aut vacua, præſtigias lectoribus facere, vt qui non ipſum corpus Chriſti, ſed tantùm eius ſpiritualem fruitionem pro re Sacramenti ponamus. Quaſi verò frui Chriſto poſsit qui Chriſto ipſo non potitur, aut quaſi centies millies non ſit à nobis hoc repetitum, atque adeò in Conſenſus formula non ſit diſertè expreſſum, oportere nos, vt Chriſtus ſuos in nobis effectus proferat, vnum cum ipſo effici, & in eius corpus coaleſcere, quia non aliter vitam in nos ſuam diffundit, niſi dum caput noſtrum eſt.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

Primùm Beza ſtudio malitioſéque à meo argumento diſcedit, aliáque mihi ſophiſmata attribuit quò ea pro arbitrio eludere & exagitare poſſit, quum quidem ſummam mea demonſtrationis vtcunque tolerabiliter recitet, niſi quòd ambigua quædam verba (vt eſt DECLARANT*) pro meis ſubſtituit.*

Secundò, vt deprehendi poſſit vter calumnietur, breuiter proponam meæ demonſtrationis ſummam.

1 *Fides Chriſtiani hominis ex ſolo verbo Dei rectè intellecto pendere debet, non ex vllius hominis.*

2 *Nihil debet illa ei adijcere, nihil imminuere: non plus vel minus credere quàm verbum Dei ſonat, vel ipſum latum.*

3 *At Metonymia iſtorum docet horum verborum* HOC EST CORPVS MEVM *hunc ſenſum eſſe genuinum, Hoc eſt ſymbolum corporis mei.*

4 *Hæc autem verba nullam omnino præſentiam aut manducationẽ corporis aut ſanguinis pollicentur.*

5 *Ergo iſta Metonymia neceſſariò tollit omnem præſentiam, & rurſus præſentia tollit iſtorum Metonymiam.*

6 *Illi igitur Metonymiæ tenaciſſimè inhærens fides, quibuſcunque inculcationibus aut ſophiſticationibus vtantur poſtea iſti Rabini, quum dicunt panem ita eſſe ſignum & ſymbolum vt res etiam ipſa detur cuius eſt ſymbolum, nullam prorſus præſentiam vel manducationem corporis audet credere, ne quid addat vel detrahat verbo Dei quo non dicatur dari corpus, ſed ſymbolum corporis.*

7 *Hæc eſt igitur mea demonſtratio, nec vnquam dixi vel ſomniaui quod Beza fingit, iſtam videlicet argutationem: Præbetur panis vt corporis ſignum, Ergo tantùm ſignum datur.*

Tertiò, Si vult Beza ſtrenuus bellator aut diſputator, meum argumentum de atroci pugna proprietatis verborum & Metonymiæ euertere, probet

1 *Proprietatem verborum & Metonymiam non pugnare inter ſe, vel*

2 *Fidem Chriſtiani hominis non debere ſoli puro verbo Dei adhærere.*

3 *Probet etiam fidem audientem hæc verba, Hoc eſt ſymbolum corporis & ſanguinis mei, teneri inde digredi, & audire quid Beza & alij Caluiniani vbique inculcent.*

DEFENSIO TH. BEZAE.

AD primam obiectionem. An ab argumento diſceſſerim, an quippiam affinxerim, non recuſo quin ex re ipſa iudicium fiat.

Scripſerat Illyricus, *Si hæc verba Hoc eſt corpus meum idem pollent.* Ego ſcripſi, *Si hæc verba Hoc eſt corpus meum idem declarant.* Hoc quum putat Illyricus eſſe minus clarum quàm illud, aut inſignis eſt aſinus, aut ipſemet impudentiſsimus Sophiſta.

Ad ſecundam. Primum axioma concedo, & Illyricum dico ſeſe, quod certè non eſt ſtrenui (vt ipſe me vocat) bellatoris aut diſputatoris, ſuo gladio iugulare. Nam ſi fides non ſimpliciter à Verbo Dei, ſed à Verbo Dei ritè intellecto dependet, conſequitur non ſemper vrgendum eſſe τὸ ῥητὸν, ſed τὴν διάνοιαν quoque interdum, imò plerunque diſceptari. Hoc autem poſito corruat neceſſe eſt tantum Illyrici ædificium, niſi prius euicerit in ſacramentalibus formulis τὸ ῥητὸν eſſe retinendum: quod nunquam faciet.

Secundam

Secundam quoque theſin prorſus admitto, ſed quicquam detrahi vel adiici Dei verbo, quum legitima interpretatio adhibetur, nemo ſanæ mentis poſsit arbitrari. Ineptus eſt igitur noſter Demonſtrator, nos ſimpliciter reprehendens quaſi interpretationem afferendo quippiam Verbo Dei adiiciamus, quum prius probatum oportuerit noſtra interpretatione quippiam ſupra vel extra Dei verbum dici.

Tertium illius dictum prorſus dignum eſt Illyrici ingenio. Fortiter enim contra conſcientiam diſsimulat, quòd quum panem dicimus eſſe corporis ſymbolum, Metonymiam non in ipſo corporis prædicato, ſed in copula EST ſiue in ipſo attributionis prædicati modo ſtatuamus. *Panē enim eſſe ſymbolum corporis*, & panem eſſe ſacramentaliter corpus, idem prorſus declarant.

Nugatur ergo noſter Demonſtrator, & quæſtionis ſtatum transfert quum perinde nobiſcum agit, acſi controuerteretur inter nos Quid detur, aut Quid accipiatur, aut Quid ſit panis ille, quum tamen panem eſſe corpus ipſum Chriſti, idque verè nobis accipiendum dari, minimè omnium inficiemur: & hoc demum quæratur, Sitne panis propriè an ſacramētaliter duntaxat corpus, ac proinde propriéne an ſacramentaliter detur & accipiatur. Illo verò Sacramentaliter per Metonymiæ tropum explicato, doceat Illyricus quicquam à nobis Dei Verbo vel detrahi vel adiici, & tum demum vicerit.

Ad tertiam & ſeptimam. Si vera eſt hæc ſententia Illyrici, his verbis, *Hoc eſt ſymbolum corporis mei*, nullam omnino præſentiam corporis promitti, quis eum non videt neceſſariò ponere, Si ſymbolum promittitur, corpus non promitti? Quis ſtupor eſt igitur iſtius hominis (malo enim hoc potius monſtroſæ cuidam inſcitiæ quàm malitiæ tribuere) id quod manifeſtè præſupponat, negare ſe vel per ſomnium dicere? Alioqui ſi fatetur promiſſo datóque ſymbolo corporis, promitti quoque & dari corpus, non iam antagoniſtam ſed confitentem reum habemus.

Ad quartam & quintam ſic reſpondeo. Abeſſe nunc quidem corpus à pane & corporibus noſtris quanto interuallo cæli abſunt à terra, dicimus: adeſſe tamen fidei & animis noſtris in Cœna Domini defendimus, & quidem vt veriſsimè & efficaciſsimè, ſpiritualiter tamen per fidem, nobis communicetur, ſicut & Verbum promittit & externum ſymbolum denuntiat. Illam autem abſentiam non efficit Metonymia, ſicut noſter Demonſtrator ſomniat, ſed corporis humani quantumuis ab æterno Verbo in vnitatem perſonæ aſſumpti, & ſummè iam glorificati veritas, quæ non patitur vt corpus circunſcriptum ſimul ſit in cælis & in terra. Nam certè præſens etiam erat ſecundū carnem Dominus quum panem ipſum præbens diceret, Hoc eſt corpus meum, quæ verba Metonymicè tunc erant non minus quàm nunc ſunt explicanda. Et quæſo an non erat præſentiſsimus Deus Propitiatorio, præſentiſsimus Spiritus ſanctus columbæ quam vidit Ioannes Chriſti capiti illabentem? & tamen nec Propitiatorium dici Deus, nec columba vocari Spiritus poteſt niſi eodem Metonymiæ tropo. Itaque nouum eſt hoc quoque inuicti noſtri Demonſtratoris cōmentū.

Ad ſextam reſpondeo, Totum hunc dialogiſmum quem iſte Lutheri ſimiolus confingit, non Chriſtiani, ſed ſtolidiſsimi hominis, non fidei ex Verbo Dei eruditæ, ſed craſsiſsimi ſtuporis orationem eſſe. Quid enim tam abſurdum & monſtroſum eſt quod à quouis non poſsit iſtiuſmodi prætextu defendi? Sic Eutyches & naturarum & proprietatum confuſionem tuebatur, quia ſcriptum ſit, Verbum caro factum eſt. Sic Arius nulla admiſſa τῶ ῥητῶ interpretatione pendebat ab illo vno, Pater maior me eſt. Sic Anthropomorphitæ negabant ſe quicquam poſſe iſtis verbis addere vel detrahere, Manus Domini fecerunt me. Sic Anabaptiſtæ ſine vlla exceptione iuſiurandum damnant, quia ſcriptum eſt, Ne iuretis omnino. Sic Libertini omne turpis & honeſti diſcrimen tollunt, quoniam ſcriptum eſt, Omnia mihi licent. Ergo, inquiet Illyricus, τὸ ῥητὸν ſemel tollitis? Nequaquam bone vir: vt vos, opinor, quum τὸ ῥητὸν in verbis Cœnæ vrgetis, minimè tamen omnem troporum vſum in ſacris literis interpretandis reprehenditis. Tempeſtiuè igitur nécne à nobis adhibeatur interpretatio, tibi quærendum fuit: non autem iſti inaniſsimi clamores tollendi, de re minimè omnium controuerſa, Sitne videlicet ſimplici Dei verbo penitus acquieſcēdum: quod ſi quis negat anathema ſit. Quid ſi verò hæc ipſa in Illyricum quiſpiam retorqueat? panem audio eſſe corpus, itaque ſimpliciter illud credo. Nuſquam ibi neque In, neque Cum, neque Sub pane. Nulla ibi ſynecdoches mentio, quam tamen cogimini vel inuitiſſimi conſtituere, quum de parte ſacramenti, putà pane, pars altera, nempe corpus, aut viciſſim corpus de pane dicitur. Quid quòd ne Papiſtæ quidem quantumuis craſsiſsimi defenſores τῶ ῥητῶ, ſuam tranſſubſtantiationem abſque tropo tueri poſſunt? niſi fortè propriè & ſimpliciter dici poteſt panis qui ea pane iam corpus euaſit. Adeò fortis eſt & inuicta veritas.

AD III.

QVALE eſt dare, tale eſt & accipere. Non poteſt autem negari quin illa verba Accepit, Fregit, Dedit, de externa actione intelligenda ſint: neceſſariè igitur etiam iſta, Accipite, Comedite, Bibite, de externa acceptione, eſu, ac potatione dati aut porrecti intelligenda ſunt. At Chriſtus de illo ipſo in externum eſum ac potum dato, & ab Apoſtolis accepto aſſerit, quòd ſit corpus ac ſanguis eius. Et Paulus diſertè dicit panis fractionem eſſe communionem corporis Chriſti, & poculi benedictionem aut hauſtionem eſſe participationem ſanguinis eius: quod dictum arctiſſimè illa duo inter ſe connectit, tanquam ſubiectum & prædicatum, acſi diceretur, Sumptio aut eſus panis eſt ſumptio corporis, & hauſtio calicis eſt ſumptio ſanguinis Chriſti.

HAEC Illyricus non addita egregiæ ſuæ demonſtrationis concluſione. An quia eius ipſum pudebat? addam igitur vt magis etiam pudeat: Ergo exterius ſiue externa actione datur, & accipitur ore & manibus, ipſum corpus & ipſe ſanguis Chriſti.

Sed quid fiet FRANGENDI verbo Illyrice? Chriſti corpus ſcilicet etiam realiter & ſubſtantialiter externa actione in fruſta comminuitur: cui malo vt occurreretis, ſuſtuliſtis ex veſtris Eccleſiis panis fractionem? non Chriſtum qui dixit HOC FACITE, non Paulum qui dicit PANIS QVEM FRANGIMVS, ſed Papiſtarum veſtigia & pudendos errores ſecuti. Deinde quonſque obſecro externam iſtam corporis ſumptionem protenditis? eò vſque nimirum, vt etiam dentes realiter ipſi corpori infigi & reipſa deglutiri Chriſti ſubſtantiam dẽtibus attritam, cum Chriſtianiſſimo illo Papa Nicolao aduerſus Berengarium doceatis & credatis. Nam alioqui vbi veſtra illa corporalis manducatio? Hæc autem tuæ demonſtrationis commenta quid attinet pluribus refutare? Res verò ita ſe habet. Quicquid corporaliter ſacris illis non tantùm ſymbolis, ſed etiam ritibus in illa myſtica actione ex Chriſti ipſius mandato ſignificatur, ſpiritualiter intus in credentium cordibus præſtatur, ac proinde dubium non eſt quin illud ipſum corpus quod crucis doloribus pro nobis fractum eſt, & ſanguis ille pro nobis effuſus, veriſſimè nobis ſecundùm Chriſti promiſſionem ſpirituali modo, ſicut corporalia illa externis noſtris ſenſibus teſtantur, nobis in vitam æternam donentur: ac proinde ab omnibus fide promiſſionem cum Sacramento amplectẽtibus, ſpirituali etiam modo percipiantur. Hæc autem corporis & ſanguinis Chriſti & cum ſacris illis ſymbolis ac ritibus, & nobiſcum coniunctio, non magis requirit realem aliquam præſentiam, ſic vt quo loco vnum eſt ſit etiam alterum, quàm neceſſe eſt, vt ſi cui Geneuæ degenti fundus aliquis in Saxonia ſitus, addita glebæ traditione, donetur, vel fundus ille reipſa præſens Geneuæ ſiſtatur, vel aliquis in Saxoniam tranſportetur.

Poſtremò falſarium eſſe Illyricum dico. Nec enim dicit Paulus, Panis fractionem, ſed ipſum panem qui frangitur eſſe communionem corporis Chriſti, id eſt, illud quo ritè interueniente, Chriſti corpus nobis communicatur. Nam panis ipſe & eius fractio, quæ duo confundit Illyricus, ſunt prorſus res diuerſæ, & diuerſo vſui in hac actione adhibentur: panis videlicet ad ipſum Chriſti corpus Sacramentaliter, id eſt, verè & efficaciter ſignificandum: fractio autem panis ad crucis Chriſti cruciatus veluti noſtris oculis ſubiiciendos.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

OBERRAT Beza per totum mundum Sophiſticando, omiſſis neruis mea demonſtrationis, quam ſi vult euertere, monſtret verba Accipere & Dare, & Accipite, Comedite, Bibite, idem valere atque Credite, Spiritualiter fruimini meo corpore, Incorporate vos in me, Fiatis mẽbra mea, caro de carne mea, & os de oſſibus meis. Monſtret etiam Dominum olim & nunc coràm monſtrando & exhibendo corpus ac ſanguinem ſuum, dicere, Corpus meum eſt aut erit in cælo empyreo vel criſtallino, eò conſcendite ſpeculationibus veſtris, & ibi fruamini eo.

Beza inter alias ineptias dicit, Si quis mihi donaret agros in Saxonia, non oporteret vel me in Saxoniam proficiſci, vel agros huc afferri: ita etiam quum Chriſtus mihi donat ſuum corpus in cælis ſedens. At Chriſtus non dicit, Accipite, Comedite corpus meum quod eſt in cælo vel in Saxonia. ſed coràm monſtrat ſuum corpus quod edi iubet, clarè dicens, hoc eſt corpus, non in Saxonia.

DEFENSIO TH. BEZÆ.

AD primam obiectionem reſpondeo, valde ineptum eſſe hunc Demonſtratorem qui nobiſcum non aliter agat quàm ſi ſpirituali ſacramentalis rei, id eſt, corporis & ſanguinis Domini ſtabilita mãducatione, alteram corporalem quæ ſignorum eſt tolleremus. Fatemur ergo verè corporaliter & viſibiliter dari, accipi, comedi, bibi panem & vinum, quæ quoniam non præbentur vt cibi communes, ſed vt ſacramenta ſpirituali æternóque alimento conſecrata, ideo ſpiritualis rerum ſignificatarum, corporis videlicet & ſanguinis Domini perceptio, cuius inſtrumentum non eſt os aut vẽter, ſed vna fides, iiſdem illis verbis ſacramentali Metonymia declaratur. Ridicula eſt igitur Illyrici concluſio. Quod autem nos perinde ſugillat acſi fidem, fruitionem, noſtram in corpus Chriſti inſitionem, id eſt, inſtrumentum cum effectis permiſceremus, quid aliud quàm iſtius hominis extremam inſcitiam declarat? De cælo autem empyreo vel cryſtallino quid dicam? Si homo iſte, vt ad extremam dementiam nihil deſit, vnus etiam eſt ex iis qui aſcenſionem in cælos cum ſeſſione ad dexteram Dei confundunt, & dum carnem Chriſti vbique eſſe defendunt, planè quòd ipſi apud ſe non ſint demonſtrant, nolo cum inſano diutius diſceptare. Erat in terris Chriſtus panem ſanctificatum ore manducandum, itidémque ſeipſum cibum verè cæleſtem fide percipiendum præbens. Ipſum poſtea carnem ſuam, verè & reipſa relictis terris vbi antea erat, in cælos nobis inenarrabiles vbi antea non erat, intuliſſe, nec inde prius eadem illa carne venturum quàm veniat cum maieſtate viuos & mortuos iudicaturus, qui tamen in cælis manens ſpiritualiter ſibi ad vitam æternam credentes vniat, ſicut & Verbo ſuo & Sacramentis teſtatur, credimus ac profitemur.

Ad ſecundam, aio ego palpabilem eſſe Illyrici craſſitiem, qui communicari non putat niſi quod eodem loco præſens ſiſtatur. Refellat igitur noſtrum argumentum Illyricus, aut reſipiſcat, detque Deo gloriam.

AD

AD IIII.

IN his categoricis enuntiationibus, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, & τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, ſubiectum apertè digito demonſtratur, & prædicatum vtrumque perſpicuo nomine nominatur, addito etiam articulo τὸ, & adiuncta circumſcriptione, nempe τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον ſiue κλώμενον, & τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Quare veluti catenis quibuſdam conſtringitur lector, vt vtrumque terminum huius propoſitionis propriè accipiat, volens nolens.

APPOSITA certè & valde nobis formidabilis demonſtratio: quaſi inter nos vel de ſubiecto vel de prædicato quæratur, ac non potius de ipſa copula, ſiue qua ratione corporis nomen pani attribuatur. Vide igitur tandem Illyrice quàm procul à ſcopo aberres. Neque dubitauimus vnquam, neque dubitamus quin demonſtratiuum pronomen, Hoc, demonſtret pro ſubiecto panem non vulgarem quidem ſeu communem, ſed quod ad vſum attinet, ſanctificatum, eadem alioqui & immota manente naturali eius ſubſtantia. Non dubitamus etiam quin corporis appellatione illud ipſum pro nobis aſſumptum & crucifixum corpus declaretur. Quòd ſi qui ex noſtris, huius contentionis initio, paulò aliter ſunt locuti, ſcito nunquam id eſſe factum vt à Cœna ipſum Chriſti corpus excluderetur, ſed vt quorſum corpus illud detur omnes intelligerent, nempe non vt permiſceantur ſubſtantiæ, ſed vt vnum cum eo facti, omnia ex ipſo hauriamus. Verùm qua ratione panis ille ſit ac dicatur Chriſti corpus, id demum quæritur.

PAPISTAE igitur τὸ ῥητὸν mordicus retinẽtes, volunt ſubſtantiam ſubſtantiæ ceſſiſſe: ac proinde panem dici, non qui panis ſit, ſed qui panis fuerit, nempe verborum, quæ operatoria vocant, efficacia, in corpus Chriſti tranſſubſtantiatus. In quo diabolico dogmate tria in primis reprehendimus: Vnum, quòd contra fidei analogiam tollat carnis Chriſti veritatem: alterum, quòd niſi maneat ſanctificati panis ſubſtantia, nihil ſuperſit quod Sacramentum verè dici poſſit: tertium, quòd Magicum ſit non Chriſtianum, certorum verborum pronunciationi efficaciam hanc tribuere. Vos autem vultis panem dici corpus, quoniam in, ſub, vel cum pane realiter & ſubſtantialiter ſit corpus: quod & ipſum dogma affirmamus carnis Chriſti veritatem non minus quàm Papiſticum illud commentum prorſus tollere. Itaque panem dicimus nec tranſſubſtantiatione, nec conſubſtantiatione (quæ portenta Satan ad abolendam carnis Chriſti veritatem in Eccleſiam inuexit) ſed Sacramentali coniunctione verè eſſe ac dici Chriſti corpus. Hanc autem coniunctionem quomodo partim ex Scripturæ teſtimoniis, partim ex veteris purioris Eccleſiæ ſententia definiamos, paulò antè declarauimus. Illud verò non tantùm abſurdum, ſed etiam ridiculum eſt, quum hanc propoſitionem, HOC, id eſt, hic panis, eſt corpus meum, ſentiatis idem valere atque in, ſub, vel cum pane eſt corpus meum, vos tamen videri velle τὸ ῥητὸν abſque vllo tropo, non minus quàm ipſos Papiſtas, retinere. Hoc, inquam, Illyrice & abſurdum & ridiculum eſt, ideóque ingenuè fecit Brentius, quum hanc enuntiationem ſic explicari ſine Synecdoches tropo non poſſe confeſſus eſt, & quia dogma illud de reali & eſſentiali carnis præſentia ſtare non poſſe videbat, niſi poſita carnis vbiquitate ſiue omnipræſentia, apertè cœpit illam cum Eutyche profiteri. Nos verò, Dei gratia qui ſit benedictus in ſecula, & conſuetam Scripturæ loquendi conſuetudinem, & fidei analogiam, & eruditæ vetuſtatis, ipſáque adeò maximorum authorum Tertulliani, Auguſtini, Theodoreti & Vigilij verba ſecuti, eiuſmodi omnes Sacramentales locutiones ea Metonymiæ ſpecie explicandas docemus, qua fit vt rei ſignificatæ nomen ſignis ipſis tribuatur, nempe vt quiconque ſigna illa contemplatur, animum à rerum naturalium & corruptibilium contemplatione auerſum ad res cæleſtes & æternas, quarum ſigna ſunt, conuertat. Viderint igitur Satanæ emiſſarij qui diſcordias alunt inter fratres, quid ſint coram Dei tribunali reſponſuri.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

PRIMO dicit Beza in his verbis, Hoc eſt corpus meum, tum ſubiectum, tum prædicatum verè ac propriè accipi ſempérque ab ipſis acceptum eſſe. Falſiſſimum autem id eſſe omnibus notum eſt, quum OEcolampadius quidem contendat corpus idem ſignificare ac figuram corporis: Zuinglius verò dicat verba Symbolicè ſacramentaliter, aut Metonymicè accipienda hoc modo, Hoc eſt corpus meum, id eſt, Hoc eſt Sacramentum corporis mei, ſiue Hoc eſt corpus meum ſacramentale ſiue myſticum: Vrtetus autem apertis verbis affirmet, ſi non placeat tropum conſtituere in verbo EST, ſtatuendum eſſe in nomine corporis: Caluinus denique vbique affirmet nomen rei figuratè ad ſignum transferri. Quid plura? Beza ipſe in omnibus ſuis ſcriptis clamat verborum Cœnæ hanc eſſe vim acſi diceretur, Hoc eſt ſymbolum corporis mei. Quis autem ſanæ mentis dicat eſſe propriam ſumptionem vocis Corporis, quum dicimus nomen rei ſignatæ pro ſuo ſigno poni? Debebat autem Beza in ſua ſolutione certum tropum in vna aliqua certa voce firmiſſimè demonſtrare.

Secundò, Similis eſt Beza falſitas quum mox dicit, Si qui ex noſtris huius contentionis initio paulò aliter ſunt loquuti, ſcito nunquam id eſſe factum vt à Cœna ipſum corpus Chriſti excluderetur. At contrà ipſemet paulò pòſt ita ſcribit: Deinde omnem craſſum & naturalem coniunctionis modum ita EXCLVDIMVS, Sicut enim ſcimus, quod nemo inficiatur, ſigna eſſe in terris & non ALIBI, ita etiam ſtatuimus rem ipſam, id eſt, Chriſtum ſecundum carnem cælis & non alio loco comprehendi. En audis alterum ab altero adeò exclusum aut ſecluſum diſtractúmque eſſe vt alterum ſit tantùm in cælo, alterum tãtùm in terris. Praeterea ſatis ipſe declarauit quomodo intelligat corpus Chriſti eſſe in ſacra Cœna, nempe ſicut agri Saxonici ſunt Geneuæ, quum ei illic donantur. Vide impoſturam. Quis ſanæ mentis dicet agros Saxonicos eſſe Geneuæ, quia ibi ei donantur aut venduntur?

Tertiò, falsò nobis obijcis Beza Papiſtarũ conſenſum qui & ipſi τὸ ρητὸν retineãt in verbis, Panis eſt corpus Chriſti. Imò non retinent, quum eis vox Panis non panem ſed vmbram tantùm aut ſpeciem abſq; ſubſtantia ſignificet. Itaque Papiſta quidem ſubiectum, iſti verò prædicatum in ſpeciem aut figuram transformant.

Quartò & illud falsò dicis, pronomen HOC *tantùm demonſtrare panem, eóque nos ad tropum confugere quum pro Hoc, ſubſtituimus In hoc, aut Sub hoc, aut Cum hoc. Nam pronomen* HOC *non nudum aut ſolum panem monſtrare oſtendi abundè in mea fideli admonitione, & mox clarius oſtendam in ſolutione viceſima nona.*

DEFENSIO TH. BEZAE.

AD primam obiectionem. Dixi inter nos conuenire tum de ſubiecti tnm de prædicati propria ſignificatione in hac enuntiatione, Hoc eſt corpus meum. Vtrumque negat Illyricus. At de ſubiecto quidem mox dicemus. Nunc de prædicato, id eſt, de voce Corporis quæritur. Dicunt OEcolampadius, Zuinglius, Viretus idem valere Corpus atque Corporis ſymbolum. Dicunt Caluinus & ipſe Beza nomen rei figuratè ad ſignum transferri. Concedo hæc omnia. Imò an ipſe Illyricus negabit hunc panem eſſe corporis Chriſti ſiue Sacramentum, ſiue ſignum, ſiue ſymbolum? Hæc enim ſunt ſynonyma. Imò reſpondeat quæſo bona fide Illyricus, Si ſcriberemus huius enuntiationis, Hoc eſt corpus meum, hanc eſſe ſententiam, Hic panis eſt corporis mei realiter & eſſentialiter præſentis ſymbolum, an non planè nobis aſſentiretur, quum ipſe non aliter doceat? Atqui nec præſentis ſymbolum, an non planè nobis aſſentiretur, quum ipſe non aliter doceat? Atqui nec præſentia nec abſentia corporis facit vt enuntiatio iſta, Hic panis eſt corporis mei ſymbolum, diuerſa ſit in ſeſe. Ergo ſi rectè colligit aduerſum nos Illyricus impropriè ſumi à nobis Corporis vocem quum eam ita interpretamur, cur non hoc ipſum aduerſus eum retorqueamus? Nam & ipſe fateri cogitur Hunc panem eſſe corporis ſymbolum. Non igitur à nobis hac in re diſſidet quòd panem dicamus eſſe corporis ſymbolum, ſed in eo quòd corpus cuius ſymbolum eſt panis, in vel ſub vel cum pane eſſentialiter & reipſa præſens eſſe exiſtimet: nos autem illud non niſi ſacramentaliter in terris, eſſentialiter autem & reipſa duntaxat in cælis eſſe docemus, vbi etiam illud ſpiritualiter per fidem & Verbo & Sacramentis eò vſque ſubuectam quærimus. Sed ad rem. Hunc panem dicimus eſſe corporis ſymbolum: at cuius corporis? certè non metaphorici, non imaginarij, ſed veri illius & vnici quod pro nobis in cruce pependit, & nunc verè nobis, ſpiritualiter tamen, communicatur. Ergo falſarius eſt ipſemet Illyricus, quum corpus Chriſti dicit impropriè à nobis in hoc argumento exponi, adeóque impiè in figuram aut ſpeciem transformari. Imò viderit ipſe cum omnibus Vbiquitariis quomodo carnem Chriſti in Chimæram non transforment, quum vbique eſſentialiter illam adeſſe adeò pertinaciter defendunt. In ſumma igitur quum Corpus idem valere dicimus in illa Chriſti enuntiatione, atque corporis ſymbolum, non negamus ipſum corporis prædicatum propriè exponendum, ſed dicimus id non niſi figuratè ſiue ſacramentali Metonymia attribui panis ſubiecto, ac proinde, ſi propius rem ipſam expendas, non in ipſo corporis prædicato, ſed in copula EST, ſiue in ipſo attributionis prædicati modo tropum conſtituimus: quod ſi conſideraſſet Illyticus, non tam inconſideratè imaginaretur diſcordare ſententias optimè inter ſe conſentientes, quamuis hæc non ſint eadem ab omnibus perſpicuitate ſingulis locis explicata: neque ſanam mentem in nobis requireret quam optimo iure in ipſo potius deſideramus, niſi fortaſſe minus eſt in ipſo conſcientiæ quàm ſcientiæ, vt qui ipſius Caluini verba proferat, quibus hanc quam iſte exagitat diuerſitatem in verbis quidem nonnullam, in ipſius rei ſumma nullam eſſe teſtatur.

Ad ſecundam. Sic colligit ex meis verbis noſter Demonſtrator: EXCLVDIT Beza omnem craſſum & naturalem coniunctionis modum: Ergo excludit corpus à Cœna Domini. Reſpondet Beza turpe admodum eſſe, Illyricum qui nihil niſi certas demonſtrationes crepet, adeò pueriliter falli, primùm in eo quòd inter modum coniunctionis & rem quæ coniungitur neſciat diſtinguere: deinde quòd plus colligit in concluſione quàm ferat antecedens. Nec enim omnem modum coniunctionis, ſed craſſum duntaxat & naturalem excluſi. Denique quòd præ feriendi aduerſarij ſtudio ſeipſum petat. Etſi enim realem & eſſentialem corporis Chriſti præſentiam & coniunctionem vrgeat, an audebit tamen dicere iſtius præſentiæ & coniunctionis modum eſſe craſſum & naturalem?

Quod autem de Saxonicis agris negatur quàm ridiculum eſt? Negaui ad veram & efficacẽ corporis Chriſti communicationem (quam minimè inficiamur quum illam ſpiritualiter & per fidem fieri docemus) neceſſariò requiri realem & eſſentialem illam præſentiam, idque familiari exemplo confirmaui, quòd videlicet verè & reipſa dominus rei donatæ fieri quiſpiam poſſit, etiam quæ longiſſimè ſit diſſita ab eo loco in quo donationis contractus peragitur. Ad hoc ne gry quidem reſpondet Illyricus, ſed inde colligit à me conſtitui corpus Chriſti ſic eſſe in ſacra Cœna vt agri Saxonici ſunt Genenæ, quoniam ibi donentur. Atqui Domini Cœna, quod ad rei ſignificatæ communicationem attinet, prorſus ſpiritualis eſt ac cæleſtis: ideóque etſi quod ad ipſum rerum ſitum attinet eſſe nunc in cælis Chriſti carnem & non alibi, nos autem in terris & non alibi dicimus, ac proinde tanto ſpatio alterum ab altero abeſſe quanto id quod ſupra omnes cælos eſt à terris abeſt: eandem tamen fidei oculis præſentiſſimam eſſe, veréque nobis ſpiritualiter communicari, vt quæ ſitu ipſo diſiunctiſſima ſunt, tamen ſancti Spiritus vinculo ſint coniunctiſſima, non minus docemus, quàm ii ipſi qui hoc ſpiritualis præſentiæ modo non contenti, præterea ſimul & in cælis & in terris, atque adeò vbique in, vel ſub, vel cum ſignis, res ipſas quoque realiter adeſſe ſomniant: quod neque corporis quantũuis glorificati veritas, neque ſpiritualis alimenti

ratio patitur, neque ad coniunctionem ſacramentalem, neque ad communicationem, ſpiritualem quidem ſed tamen veriſsimam & efficaciſsimam, neceſſariò requiritur.

Poſtremò, quum ſic quoque colligit Illyricus, Si abeſt à pane corpus quanto interuallo cæli abſunt à terris, ergo abeſt corpus à ſacra Cœna, rurſus pueriliter hallucinatur, qui inter panem & Cœnam ipſam, inter terreſtria & cæleſtia, inter corporalia & ſpiritualia diſcrimen non ponat.

Ad tertiam. Papiſtas rectè dixi τὸ ῥητὸν retinere & cum Illyrico conſentire, in eo videlicet de quo quęritur, id eſt, in prædicati attributione. Quod ergo de pane ſcribit Illyricus, nihil ad rem facit. Neque verò omnem eum Papiſtis conſenſum ſimpliciter damno, quum Papiſticis mendaciis multa vera ſint permixta: ſed hoc dictum volui, quod & nunc dico, ſi τὸ ῥητὸν ita retinendum eſt, vt vrget Illyricus, probabilius dogma Papiſtarum quàm Illyricanorum hactenus videri. Cæteras in hoc negotio hyperbolas olim decantatas, nunc verò ab iſto idcirco repetitas ne ſi fortaſſe iſtorum memoria ſepeliretur, rei faciendæ occaſionem amitteret, quorſum attingerem?

Ad quartam. Adſcribitur mihi quòd dicam pronomine HOC ſolum panem demonſtrari. Reſpondeo falſarium & impudentem ſycophantam eſſe Illyricum. Pronomen HOC exponere ſemper conſueui HIC PANIS, Apoſtoli veſtigiis inſiſtens. In quo verò panis iſte qui Sacramentum eſt (& de quo ab eodem Paulo dicitur, Panis iſte quem frangimus eſt corporis Domini communicatio) à communi pane ſine ab eo pane differat qui nihil niſi quàm panis eſt, cui alendis noſtris corporibus Deus benedicit auſim dicere tum verè tum diligenter à noſtris fuiſſe explicatum. Panem ergo ſanctificatum illo Pronomine demonſtrari confitemur, vt & in altera enuntiatione demonſtratur vinum illud itidem ſanctificatum. Hinc tamē effici nego quin Synecdoches tropus ſit neceſſarius vt corpus In vel Cum vel Sub pane eſſe ex illis verbis intelligatur: quoniam res ſignificata de ſigno propriè prædicari verbo ESSE non poteſt. Sed age ponamus ex Illyrici ſententia pronomine HOC non ſolum panem, ſed vtrumque, nēpe & Signum & rē, id eſt totum ſacramentum, demōſtrari. Tū erit talis enuntiatio, Hic panis & hoc corpus eſt corpus meū, quæ partim erit identica, nempe quod ad rem ſignificatam (corpus nimirum) attinet, partim verò, velit nolit Illyricus, inexplicabilis, niſi adhibito Metonymiæ tropo, ex quo intelligatur quo ſenſu attribuatur rei nomen ipſi ſigno diſtinctè conſiderato. Præterea & illud ſupererit explicandum, quo tandem dicēdi genere, corpus eadem enuntiatione & pani & corpori ſimul iunctis attribuatur. Ex his labyrinthis euoluat ſeſe ſi poteſt Illyricus, aut in ſimplici potius veritate acquieſcat.

AD V.

Deus mittit legatos ſuos Verbo ac Sacramentis inſtructos, quibus duobus organis efficaciter operans, excitat in cordibus piorum fidem, qua viciſſim ad Deum accedunt: deinde paſſionem & meritum Chriſti apud thronum gratiæ eius conſequuntur, aut Chriſto eiúſque paſſione fruuntur: poſtremò renouantur, ac denique in vitam glorıámque æternam transferuntur. Verbum igitur & Sacramentum non ſunt propriè, ſi ipſam eorū eſſentiam conſideres, ipſa ſpiritualia bona aut meritum Chriſti, ſeu ſpiritualis manducatio carnis aut paſſionis Chriſti, vt iſti contendunt, ſed excitant in nobis fidem, eique vnicum Dei Agnum peccata mundi tollentem monſtrant, ac nos deducunt ad gratiæ tribunal, vt ibi ſpiritualem victum conſequamur, eóque perfruamur. Sicque ratione effectus, non autem eſſentiæ ſuæ ſurſum corda abducunt.

OBSECRO verò, lector, quis Illyricum exiſtimet ſobrium iſta ſcripſiſſe? Nam ſi de effectu Sacramentorum agitur, quis vnquam ex Cinglianis aut Caluiniſtis, vt iſti vocant, ita parcè, ita ieiunè ac tenuiter de Sacramentorum vſu & fine eſt locutus? Præterit enim certè quod primarium ac præcipuum eſt, ipſius nimirum Chriſti communicationem.

Deinde quis non videt iſtum, vt phrenetici ſolent, ſeipſum conſcindere? Nam ſi vera ſunt quæ dicit, Sacramenta ſolis fidelibus erunt Sacramenta, quum non poſsit in aliis quàm in piis excitari fides.

Quòd ſi vt ipſe imprudenter quidem, ſed verè teſtatur, fide ad Deum accedimus, vt poſtea Chriſto eiúſque paſſione fruamur: certè illud conſequitur, vt qui fidem non habent, neque ad Deum accedere, nec Chriſto frui poſsint. Vbi igitur illa corporis & ſanguinis Chriſti communicatio dignis & indignis communis? niſi fortè exiſtimat Illyricus aliquos fieri Chriſti participes, qui tamen ad Deum non accedant.

Præterea quæ hæc fabula eſt? Quis enim noſtrûm vnquā dixit Verbum aut Sacramenta eſſe ipſa ſpiritualia bona quæ ex Chriſto haurimus? ac non potius ſubſtantiam ipſam & Verbi & Sacramentorum eſſe Chriſtum ipſum, in quo per fidem apprehenſo vitam æternam conſequamur?

Deinde cuiuſmodi eſt illud dictum, Sacramenta ratione ſui effectus, non autem eſſentiæ ſuæ ſurſum corda abducere? Vnde enim hæc efficacia Sacramentorum, niſi ex eo ipſo cuius ſunt Sacramenta? Sed hæc quidem ſunt plus ſatis.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

PRIMO, Beza hanc quoque meam demonſtrationem non rectè oppugnat, imò etiam confirmat quum in Confeſſione dicit ſacramenta eſſe inſtrumenta in eum finem directa vt vniamur Chriſto. Itaque tum eius Confeſſio tum mea demonſtratio adeò apprehenſionem, aut fruitionem Chriſti, ſeu eius in nobis inhabitationem ab eſſentia ſacramentorum ſeparant, vt vnum integrum terminum, nempe fidem, aut etiam plures motus in medio interponant. Sic iſte bellus diſputator adeò non ſoluit meam demonſtrationem, vt eam potius potentiſſimè confirmauerit.

Secundò, quod dicit me minimè parcè ac tenuiter de ſacramentorum vſu & fine loqui, reſpondeo mihi pro-

poſitum fuiſſe tantùm ordinem ac ſeriem rerum oſtendere, non autem plenè totam earum naturam exponere. Prætereà qui per Verbum & ſacramenta fidem gigni in nobis indicat, is omnia bona vno faſce complectitur.

Tertiò, falſum eſt quòd dicit me præterire communicationem Chriſti. An non enim dixi nos frui Chriſto?

Quartò, quòd colligit, Si verum ſit quòd dixi excitari per ſacramenta fidem in cordibus noſtris, ſacramenta ſolis fidelibus eſſe ſacramenta, nego conſequi, ſed id tantùm ſequi dico vt illis tãtùm ſint efficacia & vtilia qui per ea fient fideles. Imò ex aduerſariorum paradoxo clarè ſequitur quòd ſacramenta ſint tantum verè piis ſacramenta, & quòd hypocritæ non communicent aut baptizentur, vt qui incorporationem (vtor corã vocabulo) in Chriſtum, aut ſpiritualem fruitionem Chriſti in ipſam eſſentiam cuiuſuis ſacramenti collocent. Quare eum qui tempore ſuæ hypocriſeos aut quum caruit vera fide, baptizatus eſt, quum verè credet rebaptizari oportebit, vt ei verè hoc ſacramentum contingat.

Quintò, dicit Beza ſi fateor nos fide accedere vt ibi Chriſto eiúſque beneficiis fruamur, tolli indignorum communicationem. Reſpondeo me nequaquam loqui ea voce de fructibus ſacramenti. Aliud enim eſt ſacramento tenus (vt inquit Auguſtinus) in Cœna edere corpus Domini, aliud ſpiritualiter eum cum Patre & Spiritu ſancto in hoſpitium recipere, & per illarum perſonarum inhabitationem renouari. Prius illud eſt etiam indignis commune: hoc ſolis verè piis. De omnibus etiam indigniſſimis dato cibo in ſacra Cœna dicit Dominus, HOC EST CORPVS MEVM. *Sed de ſpirituali fruitione ſic inquit, Si quis ſermones meos ſeruauerit, veniemus ad eum cum Patre, & manſionem apud eum faciemus.*

Sextò ſcribit Beza, Quis noſtrûm vnquam dixit, Verbum aut ſacramenta eſſe ipſa ſpiritualia bona quæ à Chriſto haurimus? &c. Reſpondeo me ſic ſcripſiſſe, Verbum & ſacramenta non ſunt propriè, ſi ipſam eorum eſſentiam conſideres, ipſa ſpiritualia bona aut meritum Chriſti, ſeu ſpiritualis carnis aut paſſionis Chriſti manducatio vt iſti contendunt, ſed excitant in nobis fidem, eíque vnicum Dei agnum peccata mundi tollentem monſtrant, ac nos eò deducunt, vt ibi ſpiritualem motum alimentúmque conſequamur, eóque perfruamur. Qua verò fronte negat iſte ſe ſuósque talia docere aut docere, nempe ſpiritualem fruitionem & manducationem Chriſti eſſe vel præcipuam ac primariam ſubſtantiam ſacræ Cœnæ? Ipſemet hoc modo ſcripſit: Internam materiam ſiue Rem ipſam ſacramenti ſæpe iam diximus à nobis dici non tantùm quicquid à Chriſto in nos deriuatur, ſed ipſum in primis Chriſtum. *An poteſt intima res materia aliquid aliud ab ipſa re eſſe? Satiſne ergo ſanus eſt quòd negat ſe docere quòd ſacramenta ſint ſpiritualia bona à Chriſto in nos deriuata? Quod quæſo tandem diſcrimen eſt inter iſta duo, Materia ſeu res ſeu ſubſtantia ſacramenti eſt Chriſtus cum omnibus ſuis bonis in nos deriuatis, &, Sacramenta ſunt ipſa ſpiritualia bona à Chriſto accepta, ſeu ſpiritualis eius manducatio? Ego coram Deo teſtor me iudicare Bezam fœdiſſime ſecum pugnare.*

Poſtremò exagitat Beza meum illud dictum, Sacramenta ratione ſui effectus, non autem ſua eſſentia ſurſum corda abducere. Vnde enim, inquit, efficacia ſacramentorum, niſi ex eo ipſo cuius ſunt ſacramenta? Reſpondeo omnem quidem efficaciam Verbi & ſacramentorum eſſe à ſolo Deo, ſed interim neceſſariò diſtingui inter Deum, eſſentiam ſacramenti, & deuotionem aut etiam fidem per ea in corde excitatam, quod iſti SVRSVM CORDA *vocant. Meum* SVRSVM CORDA *aut fides fruens Chriſto & eius beneficiis non eſt eſſentia ſacramenti, ſed effectus aut vſus eorum, ſicut ipſemet his verbis fatetur.* Quis, inquit, ita ieiunè ac tenuiter de ſacramentorum vſu & fine loquutus eſt vt Illyricus? præterit certè quod primarium & præcipuum eſt, ipſius nimirum Chriſti communicationem. *En audis mecum inter vſus aut fines ſeu fructus vel effectus ſacramentorum collocare ſpiritualem Chriſti communicationem. Non eſt igitur ipſa res aut eſſentia ſacramentorum, quod tota mea demonſtratione effectum volui. Obſecro verò lector, quis Bezam exiſtimet ſobrium iſta ſcripſiſſe?*

DEFENSIO TH. BEZAE.

AD primam obiectionem reſpondeo, fruſtra laborare Illyricum vt eſſentiam ſacramenti probet à me diſtingui ab eiuſdem fine & ſcopo. Quidni enim hoc fatear, ex quo maximè apparet vanum eſſe quod vbique nobis obiicit, quòd videlicet fructum cum eſſentia cõfundamus? Sed quòd apprehenſionem Chriſti cum eiuſdem fruitione & inhabitatione cõfundit, in eo rurſum inſignem certè inſcitiam prodit Illyricus.

Ad ſecundam. Illyricum oportuit, vt lectori ſatisfaceret, aut generali deſcriptione contentum eſſe, veluti ſi dicamus ſacramenta ideo eſſe inſtituta vt iis tanquam viſibilibus inſtrumentis adiuti eò ardentiore fide Chriſto vnamur, & in eo cuncta ad vitam æternam neceſſaria nanciſcamur: aut ſi fructus Cœnæ Domini recenſere, & quidem ordine, conſtituerat, debuit vel nihil præterire, vel ſaltem quod præcipuum eſt minimè negligere.

Præterea quòd fidem per ſacramenta in nobis gigni dicit, quomodo tandem verum eſt? Præire enim oportere fidei confeſſionem ſaltem in Cœna Domini ritè ſumenda minimè auſit inficiari, quam in adultorum quoque baptiſmo requiri teſtetur Philippus Eunuchum baptizans. Itaque commoda quoque interpretatione hoc dictum accipi neceſſe eſt, ita nimirum vt fides nouum incrementum accipiens quodammodo gigni quotidie dicatur: alioqui hoc quoque dogma falſiſſimum & ineptiſſimum fuerit.

Ad tertiam. Negat Illyricus à ſe præteritam fuiſſe Chriſti communicationem, vt qui dixerit nos Chriſto frui. Sed Chriſtus ſpiritualis cibus certè nobis communicetur ſpiritualiter oportet priuſquàm eo fruamur, vt & cibus terreſtris priùs corporaliter edatur neceſſe eſt quàm eo ſuſtentemur.

temur. Iſtud ergo ab illo diuerſum eſt, quum ex illo conſequatur: & quum ab hac communicatione reliqui fructus dependeant, illam minimè omnium prætereundam oportuit.

Ad quartam. Quoniam dixerat Illyricus excitari fidem per ſacramenta in cordibus piorum, pro eo quòd rectius dixiſſet ſacramenta excitandæ fidei eſſe deſtinata, ideo dixi ex eo conſequi ſacramenta ſolis fidelibus eſſe ſacramēta. Aliud enim eſt ἁπλῶς tractare de ſacramentorū fine & vſu in ſeſe, quàm habito eorum reſpectu qui ad ſacramenta accedunt. Vt exempli gratia, ſi quis Euangelium ex ſui natura ſimpliciter æſtimans dicat eſſe potentiam Dei ſalutiferam, rectè collegero, Euangelium eſſe quibuſuis Euangelium, quoniam eius natura eſt omnes ſalutis viam docere: ſin verò non ſimpliciter illud ex ſui natura, ſed habito auditorum reſpectu conſiderans, adiecero cum Apoſtolo, *omnis credenti*, tum ex eo rectè conſequetur, Euangelium eſſe ſolis credentibus Euangelium. Sic etiam vt intelligeretur quod hîc exiſtimaui Illyrico fuiſſe propoſitum, ſacramentorum videlicet, cuicunque tandem exhibeantur, officiū & munus eſſe (Deo tamen vno id efficiēte) vt fidem ſopitam excitarent, non oportuit illud, *In piorum cordibus*, adiicere.

Sed age quoniam vtitur Illyricus ἀντιστροφῇ, audiamus quàm rectè probet illud ipſum quod ipſi impegi ex noſtra potius ſententia conſequi. *Collocatis*, inquit, *incorporationem in Chriſtum (vtor eorum vocabulo) aut ſpiritualem fruitionem in ipſam eſſentiam cuiuſuis ſacramenti. Ergo non putatis hypocritas communicare aut baptizari.* Negamus antecedens, non modò quoniam, Dei gratia, nunquam ita inſaniuimus vt incorporationem in Chriſtum (quā ab eo mirum eſt irrideri poſſe qui ore ipſo realiter comedi ipſum Chriſti corpus vrgeat tanquam totius Chriſtianiſmi ſummam) & eiuſdem fruitionem (ſiue corporalem ſiue ſpiritualem eam ſtatuas) pro vno & eodem acciperemus: verùm etiam quoniam ſemper comperies eſſentiam ſacramenti, id eſt, rem ſignificatam ſacramento panis & vini (Chriſtum ipſum videlicet) ab eius incorporatione ac proinde multo magis ab ipſo eiuſdem fructu à nobis diſtingui. Conſequens verò tui enthymematis hactenus fatemur, vt qui fidem nullam habet, certè nihil præter externa ſigna percipiat, idque niſi reſipiſcat, ad ſui perniciem: minimè id tamen quaſi vtrumque verè quibuſuis non offeratur, ſed quoniam infidelis altera præcipua parte, nempe re ſignificata, ſeipſum priuans, vtriuſque contemptæ reus euadit: interea verò ſacramēti efficaciam ad illud ipſum adminiſtrationis ſacramenti momentū minimè reſtringimus. Quod enim negari non poteſt in ſimplici Verbi prædicatione ſæpiſſimè vſuuenire, vt quis illud quo tempore aures feriebat negligat, ac proinde ſalutem in eo oblatam prorſus tempore auditionis repudiet, qui tamen poſtea ad ſe rediens, illud ipſum quod neglexerat, tādem vera fide amplectatur, id etiam non dubitamus quin in ſacramentis quoque eueniat.

Ita concidit altera Illyrici calumnia, quaſi Anabaptiſmus ex noſtro, vt ipſe loquitur, paradoxo ſtatuatur. *Nam*, inquit, *ſi non baptizatur, id eſt, ſi rem baptiſmi non conſequitur hypocrita, oportebit eum qui tempore hypocriſeos aut quum caruit vera fide, baptizatus eſt rurſum quum verè credet, baptizari, vt ei verè hoc ſacramentum contingat.* Respondeo inſcitiam ſuam prodere Illyricum qui ſacramenti fructum ad illud ipſum tempus alliget quo ſacramentum ſumitur, quum hypocritam aut etiam, ſi mauis, prorſus ἄπιστον Simonem Petrus non ad repetendum Baptiſmum reſipiſcentiæ, ſed ad reſipiſcētiam, id eſt, ad fructum ex Baptizationis actione quamuis præterita colligendum, ſit cohortatus.

Ad quintam. Collegeram ex Illyrici verbis, ſi fide accedimus vt ibi Chriſto & eius beneficiis fruamur, tolli indignorum communicationem. Reſpondet ſe nequaquam ea voce loqui de fructibus ſacramenti. Quid eſt, obſecro, iſtud *Ea voce*? Claram enim & perſpicuam orationē eſſe oportet præſertim eius qui certas demonſtrationes polliceatur. Diuinemus ergo quid ſibi vox iſta velit. Si hoc refert Illyricus ad verbum *Accedendi*, certè cōſequetur, ſi fide demū acceditur ad ſacramenta, non magis poſſe accedere qui fide careant, quàm qui pedibus careant. Quòd ſi potius per hanc vocem, *Vt Chriſto fruamur*, negat ſe intelligere fructus ſacramenti, quo igitur loco cenſebit Chriſti beneficia? Dicit enim fide nos accedere ad Deum vt ibi Chriſto & eius beneficiis fruamur. Etſi igitur quid ſibi velit Illyricus vtcunque appareat, tamen impropriè loquutus eſt. Concedo autem, quod nemo ſanè inficiari poteſt, accedere poſſe tum pios tum impios ad ſacramenta, id eſt, ad externam ſacramentorum adminiſtrationem: ſolos autem pios ritè ac proinde vtiliter accedere. Et hactenus in genere pulchrè inter nos conuenit. Sed in eo diſcordia eſt, quòd nos quidem tum credentibus tum incredulis eadem ſacramenta integrè (& Chriſtum ipſum videlicet & ſymbola) offerri fatemur, quum verax ſemper ſit Dominus, recipi verò non item: quoniam vnius fidei ore Chriſtum percipi docet Scriptura, & cuicunque Chriſtus communicatur, vita quoque communicetur neceſſe eſt. Illyricus verò cum ſuis Chriſtum ab incredulis quoque non minus recipi quàm ipſis offerri contēdit, quaſi Chriſtus etiam ad mortem participetur. Nos, inquam, Chriſtum docemus ſiue in ſimplici Verbo, ſiue in ſacramentis oblatum repudiari ab incredulis, qui ſibi idcirco perniciem accerſant: antagoniſtæ verò recipi quoque ab incredulis volunt, neque ex repudiatione, ſed ex indigna Chriſti receptione iudicium manducari: quod ſi tam verum eſſe daremus quàm eſt & in Chriſtum, & in Fidem, & vniuerſam Scripturam contumelioſum, tamen noſter Demonſtrator obſcuritatis maculam non poſſet eluere, qui præterire ſaltem nō debuit, etiam abſque fide poſſe ita quempiam accedere vt Chriſtum participet, quo tamen non fruatur. Sed hoc certè non magis probabit quàm tenebras eſſe lucem. Quod enim citat ex Auguſtino nihil prorſus pro ineptiſſima & falſiſſima ipſius ſententia facere tā ſæpe à noſtris eſt demonſtratum, vt hoc loco minimè repetendum arbitrer. Nec minus etiam inſcitè Ioannis locum citat, quo non prima fidei gratia ſed eius confirmatio promittitur: quod niſi concedat Illyricus, age contendat etiam aliquē poſſe diligere Deum & ſermones eius ſeruare prius quàm diligat eum Pater & ad eum acceſſe-

tint Pater & Filius,& in eius corde inhabitent.

Ad ſextam. Quorſum illa ſua repetat Illyricus non video,niſi vt de ipſius calumnia tanto magis liqueat. Quærit qua fronte negemus nos docere quòd ſacramenta ſint ſpiritualia bona in nos deriuata. At nos videamus qua fronte id ea me quærat. *Spiritualem*, inquit, *fruitionem & manducationem Chriſti Beza dicit eſſe primariam ſubſtantiam ſacræ Cœnæ.* Egóne verò Illyrice, ita tecum inſanierim vt vel fruitionem cum manducatione vel manducationem aut fruitionem Chriſti cum Chriſto ipſo,id eſt re ſacramenti,permiſcuerim? Dixi ego ſacramentorum duplicem eſſe materiam, vnam externam,ipſa videlicet ſigna,putà aquam in Baptiſmo,panem & vinum in Cœna Domini, cum cæremoniis à Chriſto inſtitutis,quæ & ipſæ res maximas ſignificant: alteram internam, quæ magis etiam propriè ſit res ipſa ſacramenti,cuius videlicet ſignificandæ cauſa ſint ipſa ſigna deſtinata. Hanc autem ſiue rem ſiue internam veluti materiam ſacramenti quoniam viſi ſunt nonnulli exiſtimare nihil aliud eſſe quàm ſiue energiam Chriſti, ſiue dona ab ipſo ad nos prouenientia, ideo dixi ipſummet Chriſtum eſſe hanc rem internam per illa ſymbola ſignificatam. Huic autem internæ rei adiunxi dona,id eſt,quicquid à Chriſto haurimus,ne quam ſubſtantiæ Chriſti cum noſtra permixtionem aut coniunctionem realem imaginemur, quum totum huius communicationis Chriſti myſterium ſit ſpirituale,nec aliò ſpectet quàm vt cum Chriſto per fidem ſpiritualiter vniti,omnia ad vitam æternam in ipſo neceſſaria conſequamur. Hæc igitur ſcripſi quæ ſic exagitat Illyricus: *An poteſt*,inquit,*intima rei materia aliquid aliud ab ipſa re eſſe?* Sanè poteſt, ſi res quæpiam ex duplici materia, vna videlicet interna, altera externa, conſtet: niſi fortè cenſet Illyricus idem eſſe totum atque partem, & compoſitum atque id ex quo aliquid componitur: vt exempli cauſa ex duplici materia hypoſtaticè vnita compoſitus eſt homo, vna ſpirituali & interiore: altera corporea & exteriore,an vel hanc vel illam ac non potius vtramque ſimul iunctam dicet Illyricus eſſe hominem? Quòd ſi ne in iis quidem quæ hypoſtaticè ideóque arctiſſimè ſunt copulata, altera pars dici poteſt eſſe totum, quomodo id dicetur in iis quæ hac ſola ratione coniuncta ſint quòd vnum per alterum ſignificetur? Nux ex oſſe ſiue putamine ligneo, exteriore materia,& nucleo ſiue medulla interiore conſtat: an propriè dixeris hanc medullam ſiue hunc nucleum eſſe nucem,ac non potius alteram nucis partem? Vis planius & magis etiam appoſitè loquar? Verbi quoque ſimplicis quaſi materia & res interna eſt Chriſtus cum ſuis donis, externa verò ſunt voces ipſæ quarum prædicatio aures ferit,an ideo dicemus Chriſtum eſſe Verbum illud vocale?

Ergo,excipiet Illyricus, dona ſpiritualia vis ſaltem eſſe alteram eſſentiæ ſacramentorum partem. At ego quæro ex Illyrico quid tãdem per dona ſpiritualia intelligat. Neque enim ita ſum loquutus,ſed Chriſtum cum ſuis donis, ſiue cum eo quod ab ipſo in nos deriuatur, ſiue cum iis quæ ex ipſo haurimus,dixi eſſe rem & materiam interiorem tum Verbi ſimplicis tum ſacramentorum. Si Illyricus Chriſtum etiam ipſum inter hæc dona ſpiritualia numerat, vel Chriſti corpus cum Marcione facit ſpirituale, vel Chriſtum ſpiritualiter volens ſicut & cætera dona nobis communicari,maxima ex parte Zuinglianus euadit: id ipſum denique committit quod mihi impingit, Chriſtum(id eſt eſſentiam) cum donis(id eſt cum fructibus & effectis) confundens. Sin verò Chriſtum in his donis non comprehendit,cur tandem meam ſententiam mutilat? Res autem ita ſe habet. Dona hìc voco non quæ efficiuntur in nobis, ſed ea quæ Chriſto tanquam ſubiecto inhærentia, poſtea non re ipſa ſed ſua duntaxat efficacitate nobis communicantur: vt exempli gratia, illa ipſa vis Solis qua res calefacit quiddam eſt ipſi inſitum,quod in nos reipſa non tranſit, vt nec ipſa ſolis ſubſtantia,ſed alium in nobis calorem gignit. Sic Chriſti humanæ naturæ ſumma puritas, iuſtitia perfecta ex Legis impletione,meritum obedientiæ,theſaurus ſcientiæ & Intelligentiæ, omnia denique dona quibus ſupra ipſos Angelos eminet carni Chriſti tanquam ſubiecto inhærent, nec inde reipſa vnquam vlla communicatione in nos traiiciuntur vt nec ipſa ſubſtantia. ſed vbi Chriſtum cum his donis per fidem ſpiritualiter aut in Verbo ſimplici aut in Sacramentis apprehendimus, partim noſtra illa fiunt per gratuitam imputationem,partim alia etſi non paria tamen ſimilia dona in nobis efficiunt. Nam & ipſius integritatis imputatione integri, & tum Legis impletione ab ipſo præſtita, tum ipſius obedientiæ ac perpeſſionum merito iuſti in ipſo euadimus: & ipſius vi præterea & energia potenter in nobis operante,pro noſtro modulo regenerati, variis ac multiplicibus donis implemur. Itaque vt paucis omnia complectar, quum dona Chriſto adiungo vt ſint res ſiue materia ſacramentorum, illa intelligo quæ ipſi inſeparabiliter inſunt abſque menſura: quo etiam argumento corporalem illam manducationem impiorum quæ Chriſtum à ſuo viuifico ſpiritu ſeparat,prorſus reiicimus. Ex horum autem donorum ipſiúſque adeò Chriſti energia promanant demum dona illa quæ non ſunt res ipſa ſiue materia ſacramentorum, ſed effecta potius,quo ſenſu illa ex Chriſti plenitudine haurire dicimur,& docet etiam Petrus nos ipſius diuinæ naturæ fieri participes: quod diſcrimen ſi obſeruaſſet Illyricus nunquam ita pueriliter eſſet in me reprehendendo hallucinatus.

Quòd autem idem teſtatur Deum,ſe iudicare me fortiſſimè contra memetipſum pugnare, quid ad me? Sic ipſe quidem iudicat,ſed an ſol non lucet quoniam cæcis non lucet? Quorſum verò iuſiurandum in re minimè neceſſaria? Nolim igitur hoc ipſius factum in nomine Dei temere vſurpando,vt nec pleraq; alia ipſius facta,imitari,ſed Germanicas omnes Eccleſias potius obteſtor vt fatalem hanc Germaniæ peſtem tandem aliquando in ſinu fouere deſinant.

Poſtremo loco, quum dixiſſet noſter Demonſtrator ſacramenta non ratione ſuæ eſſentiæ ſed ratione ſui effectus ſurſum corda abducere, reſpondi hoc quoque vt falſiſſimè dictum reprehendens,efficaciam ſacramentorum ex eo ipſo potius cuius ſunt ſacramenta, (id eſt ſigna) nempe ex

Chriſto ipſo promanare. Reſpondet eſſe quidem totam hanc efficaciam à Deo ſolo, ſed neceſſariò diſtinguendum inter Deum, eſſentiam ſacramenti, & Fidem per ea in corde excitatam, *quod,* inquit, *isti* SVRSVM CORDA *vocant.* Obſecro verò quis hanc diſtinctionem negat? Sed an diſtinguit ipſe inter eſſentiam & effectum quum diſertè excludit eſſentiam? Excludi verò eſſentiã ab Illyrico ex ipſius verbis liquet, vt qui diſertè neget corda ſurſum abduci habita eſſentiæ, id eſt, ipſius carnis Chriſti, ratione,

Deinde quò tandem refertur illud *Per ea?* certè ad præcedentia, nempe ad Deum & eſſentiam ſacramentorum. Quum igitur ſubordinatæ cauſæ mutuò ſeſe non tollant, ſi confitetur fide ſurſum abduci corda, & rurſum fidem à Deo Patre & ab eſſentia ſacramenti gigni, (quodcunque tandem illud ſit quod eſſentiam ſacramenti vocat) certè neceſſariò conſequetur ab ipſo Illyrico euerti quod paulò antè dixerat, ſacramenta videlicet ratione ſuæ eſſentiæ corda ſurſum non attollere.

Præterea quàm ridiculum eſt quod falsò nobis tribuit, Fidem videlicet à nobis vocari Surſum corda? Quis enim ſtupor eſt fidem cum exhortatione ad fidem, vel potius ad aſcenſionem in cælos per fidem, confundere? *Meum,* inquit, *Surſum corda aut fides, non eſt eſſentia ſacramentorum, ſed effectus aut vſus eorum, quod & ipſe Beza confitetur, ipſam Chriſti communicationem inter fructus ſacramentorum recenſens. Non eſt ergo res ipſa aut eſſentia ſacramentorum.* Sed vbi tandem comperiet Illyricus Bezam aut fidem aut Chriſti communicationem pro re ipſa ſiue eſſentia ſacramenti accepiſſe? An verò ſatis ſobrii eſt hominis Fidem rurſum cum exhortatione ad fidem confundere, & præterea inſtrumentum cum ſuo effecto, id eſt Fidem cum Chriſti perceptione ſpirituali permiſcere?

AD VI.

RECORDARI paſſionis Domini eſt idem quod eam credere aut fide amplecti. Certum eſt autem non ſpiritualia beneficia nos ad recordationem aut memoriam paſſionis Chriſti ducere, ſed contrà notitiam aut recordationem paſſionis Chriſti nos ad percipiendos eius fructus deducere. Spiritualis ergo manducatio aut fruitio corporis Chriſti non ante memoriam ſeu fidem (vt iſti eam collocant) ſed poſt memoriam in ſacroſancto Teſtamento collocanda eſt, tanquam vltimus effectus aut fructus Sacramenti. Memoria enim paſſionis præcedit neceſſariò perceptionem, non contrà.

RESPONDEO me Bezam eſſe, non OEdipum. Diuinabo tamen in his ænigmatibus quantum licebit. Recordatio & fides Illyrico idem declarant. Atqui noua nobis & planè ἀποδεικτικῇ demõſtratione opus eſt, vt nobis perſuadeat Illyricus aliquem poſſe eius rei recordari quam prius non didicerit. Iam verò quum ea quæ Dei ſunt fide diſcamus, quis non videt ineptias illas ab homine mentis compote proficiſci vnquam potuiſſe?

Deinde cuiuſmodi illud eſt, *ſpiritualia beneficia nos ad recordationem aut memoriam paſſionis Chriſti non ducere?* Primùm enim quomodo paſsionem Chriſti recordabimur, niſi prius ſit nobis datum illam audire, intelligere & credere? Et quomodo erimus beneficii accepti memores quod prius non acceperimus?

Poſtremò neminem adhuc inuentum eſſe opinor, qui Chriſti fruitionem ante fidem collocarit. Sacramenta verò idcirco eſſe inſtituta, vt ipſum Chriſtum & eius beneficia in noſtris mentibus obſignent, ſi negat Illyricus, reſpondemus nos Spiritui ſancto per os Pauli loquenti, potius quàm cuiquam etiam Angelo, nedum homini, nedum Illyrico, cuius nomen apud ipſas Eccleſias fœtet quarum videri vult patronus, aſſentiri. Rom. 4. 11.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

PRIMO, ſumpta eſt mea demonſtratio ex ordine rerum & actionum in ſacra Cœna poſitarum, quarum hæc ſumma eſt: Teneri nos in ſacra Cœna ſecundum verba teſtamenti Filij Dei de rebus diſſerere & credere, Atque primùm ponitur exhibitio elementorum, & participatio corporis & ſanguinis Domini. Deinde promittitur paſſio eius, noſtri cauſa facienda, in qua ſimul omnia bona aut beneficia Chriſti comprehenduntur. Tertiò ponitur memoria, quæ propriè eſt fides in ſingulorum cordibus.

Meæ porrò demonſtrationis concluſio eſt, hoc ſacramentum ſicut & alia eſſe à Chriſto inſtitutum ad memoriam ſuæ paſſionis, id eſt ad veram piámque eius notitiam. porrò fidem ad percipiendum Chriſtum ac eius paſſionem dirigi, non autem ſpiritualem manducationem ad fidem, ſicut ipſemet Beza dicit in Confeſſione, Sacramenta ſunt inſtituta in eum finem vt vniamur Chriſto. Iſta verò vnio eſt manducatio illa.

Secundò, Beza fingens ſe non intelligere mea inuolucra, omiſſo fundamento, ludit quibuſdam ſophiſmatibus, quorum primum eſt, quòd negat Memoriam eſſe Fidem. Reſpondeo ipſum ludere in huius vocis ambiguitate. Aliàs enim Memoria alicuius dicitur notitia ipſius perſonæ & rerum geſtarum ad poſteros propagata. aliàs recordatio ſignificat actionem memoriæ, id eſt, eius facultatis animi qua recordamur eius quod antea ſciuimus. Iam quum Dominus inſtituit Verbum & ſacramenta ſua ad ſui memoriam, non ſignificat recordationem propriè, id eſt, iſtam actionem memoriæ noſtræ qua recordamur, neque hoc agit Chriſtus vt diſtinguat inter primam perceptionem notitiæ cuiuſque hominis, & illius notitiæ retentionem, aut poſt obliuionem, recuperationem, quò iſti ſophiſtici luſus ſpectant: ſed propriè ſignificat, ideo illa eſſe in terris relicta aut inſtituta, vt omnis poſteritas veram piámque notitiam ipſius habeat, quod his argumentis probo, vt videas maleficum ſophiſma, & à Spiritus ſancti ſuggeſtione alieniſſimum.

1. Non poteſt negare ſacramenta ad gignendam & augendam fidem eſſe data, & eam eſſe ipſorum effectum quod ipſemet dixit. Non poteſt etiam negare verba illa, Hoc in memoriam mei facietis, idem valere atque, Hoc ſacramentum inter vos adminiſtrate, tum ad gignendam, tum ad excitãdam & augendã fidẽ. Ergo illa vox neceſſariò Chriſtianam notitiam ſignificat paſſionis Chriſti. At quid tandem eſt aliud Chriſtiana piaque notitia quàm fides? Igitur vera fides ſibi que beneficia Chriſti applicans propriè filia ac alumna Verbi ac Sacramentorum eſt, ideóque rectiſſimè hic à Chriſto in fine huius ſacramenti ponitur, ad eam totum hoc argumentum dirigitur, & clarè ſe ſuámque paſſionem apprehendere ac ſe frui iubetur. 2. Huc pertinet facit Pauli explicatio eius ipſius vocis per correlationem facta, Mortem Domini annuntiate. Quid enim aliud facit Doctoris prædicatio mortis Domini quàm vt fidem in cordibus auditorum gignat? Ita vocabulum Memoria, teſte Paulo, per correlatiuum eam explicante, omnino fidem ſignificat. 3. Confirmat hanc ipſam meam ſententiam ipſius Bezæ ſcholion in locum illum Pauli, vbi dicit teneri Paſtores annuntiare mortem Domini prædicando ipſius Verbum, gregem verò, probare ſeipſum, id eſt explorare ſuam tum notitiam tum fidem, tum reſipiſcentiam, & annuntiare mortem Domini, id eſt vera fide aſſentiri Verbo ipſius & inſtitutioni. En vides Paulum memoriam in ſacra Cœna exponere per Anountiare mortem Domini, *& Bezam porrò, illud* Aonuntiate *exponere per fidem. 4. Martyr inquit Chriſtum, ne beneficium ſuæ mortis nobis intercideret, voluiſſe hoc ſacramento memoriam noſtram refricari, vt per fidem in animo volueremus corpus ſuum pro nobis fuiſſe in mortem traditum, atque ita credendo corpus illud mãducaremus. Ergo Martyr per Memoriam intelligit fidem, & illi Memoriæ Fidem poſtponit, vt quocunque ſe voluat tortuoſus Sophiſta & quibuſcunque gyris volet, nihilominus ſuo & ſuorum ſodalium teſtimonio conuictus, concedere cogatur Fidem per illam vocem Memoriam ſignificari, & poni poſt eſſentiam ſacramenti, ideóque fidei manducationem aut fruitionem Chriſti non eſſe de eſſentia, ſed fructum ſacramenti.*

Tertiò, ſi cum Cretenſi Cretiſſare vellem, in iſto ſuo ſophiſmate eum capere poſſem. Nam ſi vult recordationem ibi idem eſſe atque recuperationem notitiæ per obliuionem inductæ, ſequitur eam notitiam antea fuiſſe ſemiſepultam, nunc autem eam per hoc ſacramentum inſtauratam apprehendiſſe Chriſtum cum ſuis beneficiis, eóque frui: Ideóque fidei manducationem non in præcedentibus quum illa fuit conſopita petallam aut inſtitutam, ſed hic in fine, vbi Dominus velut euigilationem ipſius per recordationem inſtituit. En tenetur Beza proprio ſophiſmate captus & illaqueatus.

Quartò, alterum eius ſophiſma eſt quòd negat ſpiritualia beneficia nos ad recordationem paſſionis ducere. Reſpondeo me oſtendiſſe memoriam ibi propriè fidem ſignificare, &, quod Beza ipſe negare non poteſt, fidem eſſe medium ſiue inſtrumentum apprehendendæ paſſionis, non cõtra, quamuis non negem eos qui perceperunt Chriſti beneficia, paſſionis eius gratam memoriam perpetuò conſeruare debere. Sed nego ſpiritualia beneficia eſſe propriè inſtrumentum ad fidem, ſed contrà fidem apprehendere illa.

Quintò, obſerua illuſtrem ipſius contradictionem quum inquit neminem adhuc inuentum qui Chriſti fruitionem ante fidem collocarit. Nam ipſemet inquit, Oportere vt cum Chriſto vnum fiamus antequàm ex ipſo quicquam hauriamus. Vides eum hîc velle incorporationem in Chriſtum aut eius manducationem à nobis fieri antequàm quicquam ex eo hauriamus? Vnde autem hauritur fides? an non ex Chriſto? Imò omnia etiã eius beneficia quæ ad ſalutem faciunt. Ergo etiam fidei præponit incorporationem.

Sextò, quòd dicit ſacramenta eſſe inſtituta vt Chriſtum & eius beneficia in mentibus noſtris obſignent, id ego non nego, ex quo efficitur quod ego volo, nempe obſignationem Chriſti non eſſe ſubſtantiam, aut rem, aut cauſam materialem ſacramenti, ſed eius effectum. Quia tamen videtur ſophiſticari in verbo Obſignandi, quia conſcribi prius literas oportet quam obſignari, reſpondeo, obſignari in nobis & Verbo & ſacramentis res præteritas, Chriſtum pro nobis eſſe mortuum: præſentes, condonari nobis peccata: futuras, nos æterna vita potituros. En tibi bella ſophiſmata quibus omiſſa ſumma mea demonſtrationis aliquot voculas cauillatus eſt.

Defensio Th. Bezae.

Ad primam obiectionem. Iterum cogor dicere Bezam eſſe me non Oedipum. An hoc verò faciam mala fide & tergiuerſandi cauſa, fiat ex re ipſa iodicinm. Obſecro enim quod iſtud eſt ænigma, Fidem dirigi ad Chriſtum percipiendum, non autem ſpiritualem manducationem ad fidem? cuius tamen dicti me authorem ex eo facit Illyricus, quòd ſcripſerim in confeſſione ſacramenta ideo eſſe inſtituta vt vniamur Chriſto. *qua vnitio*, inquit, *eſt manducatio illa*. Ego ſic me ſcribere non memini, ſed potius vt magis ac magis vniamur, ſiue vt noſtra cum Chriſto communicatio ita ſanciatur, & obſignetur. Vera tamen eſt illa ſententia, qua interdum etiam vtor, ſed ita intelligenda vt ſignificetur noſtram cum Chriſto vnitionem à ſacra Cœna initium non ſumere, ſed nouas vires accipere, vt videlicet magis ac magis Chriſto ſpiritualiter adhæreſcentes, in eo adoleſcamus, ſicut quotidiano cibi vſu corpora noſtra in hac vita augeſcunt donec planè adoleuerint. Hanc ſententiam quum ex profeſſo in mea confeſſione expoſuerim, & firmis argumentis probarim, quid ſibi velit iſte cum illo ſuo ænigmate ſanè non video. Illud verò planè ridiculum eſt quòd iſtam vnitionem volt eſſe illam ipſam manducationem, quum hæc potius ſit illius conſequens. Manducamus enim Chriſtum ſpiritualiter per fidem vt ei ſpiritualiter vniamur, ſicut corporeo cibo corporaliter veſcimur, vt noſtræ ſubſtantiæ aſſimiletur, quam ſimilitudinem attingit Iuſtinus in altero Apologetico.

Quod

Quod ad ordinem rerum & actionũ in ſacra Cœna poſitarũ attinet (vt iſte barbarus obſcuriſſimè loquitur) aſſetior ita omoioo credendũ vt Filius Dei docet, eóq; res gerẽdas ordine quẽ ipſe præſcribit. Quòd autẽ primo loco ſtatuit Illyricus externorũ ſymbolorũ exhibitionẽ, eo nimirum nititur quòd Chriſtus dixerit Accipite, Edite, prios quàm explicaret ſe corpus ſuum dare. Sed hîc quoque iudicio caret Illyricus. Nec enim exiſtimãdum eſt Chriſtum voluiſſe hunc panem accipi & edi à ſuis diſcipulis prius quàm intelligerent quorſum eum accipi & edi iuberet: ſed ſigna illis præbendo ſimul monuit quid & quorſom præberet. Id etiam ex ipſa Euangeliſtarum narratione liquet, qui narrant Chriſtum actu, vt loquuntur, continoo, tum accipere illos iuſſiſſe quod dabat, tum quid illis traderet ſignificaſſe. Deinde quum hoc alibi flagitet Illyricos, & quidem optimo iure, vt præeat ipſa myſterii explicatio toti actioni, conſequitur in hac actione primum locum non eſſe triboendum exhibitioni ſignorum, ſed ſacramentalia inſtitutionis explicationi. Quòd ſi firmum eſſet fundamẽtum Illyrici, certè cõſequeretor quod ipſe tueri vix, vt opinor, audebit, nempe annuntiationem mortis Domini nonquam præcedere ſed prorſus conſequi myſteriorum celebrarionem oportere, quoniam poſtremo loco fit eius mentio in inſtiturione Domini, ſi verborom ſeriem ſpectes: quum porius ipſa actus, vt loquuntur, contiooatio ſit obſeruanda. Conclodo igitur ſignorum exhibitionem non eſſe primam ſacræ iſtius actionis partem. Præterea & illud dico, quũ ſigna propter res, non autem res propter ſigna tradantur, & ipſa Cœnæ Domini inſtitutio ad res ipſas ſignificatas propriè nos reuocet, ſimul quidẽ & ſigna & res offerri ſi momẽtum temporis ſpectes, ſin verò ordinem, priorem locum meritò rebus potius quàm ſignis triburndum, ac ſi dixiſſet Chriſtus, Ecce meum hoc corpus pro vobis mox crucifigendum, & meum ſanguinem pro vobis mox fuodendum, meipſum denique vobis communico ad vitam æternam participandam, vt in me viuatis & ego in vobis, quod vt quãcertiſſimè vobia perſuadeatis trado vobis hunc panẽ & hoc vinom io manus, nõ vt panem & vinum, ſed vt certiſſima mei corporis & ſaoguiois ſymbola. Hinc autẽ efficitur nollo modo ſtare poſſe quod de ſignorũ exhibitione primo loco collocanda tradit Illyricus, quũ quod ad diſtinctiooẽ ordioia attinet rebus ipſis ſigoificatis propter quas traduntur ſigna, primus præcipuúſqoe locus debeatur.

Subiicit Illyricus ſignorum exhibitiooi participationem corporis & ſanguinia, quo vocabulo haud ſatis ſcio dationem corporis, an verò perceptionem declaret, an verò quod ex illa vtraque conſequitur, nempe *κοινωνίας*, quo nomine intelligitur commune nobia fieri qood alioqui Chriſti vnius proprium eſt. Ego ſuſpicor Illyricum ſic vocare manducationem illam realem corporis & ſangoinis externam, quam ipſe cum ſuis ſomniat, & tom dignis tum indignis communem eſſe exiſtimat, quod commentum quum prorſus repudiemus, non eſt cur quo loco ſtatui in hac actione iſtod debeat contendamus.

Subiungit Illyricus promiſſionem paſſionis mox futuræ, in qua omnia Chriſti beneficia comprehendantur. Ego vt de hoc loquendi genere admodum conciſo & ambiguo nihil nunc dicam, tamen hoc adiici oportuiſſe arbitror, loco promiſſionis in prima illa inſtitutione factæ ſucceſſiſſe nunc certiorationem quòd illa promiſſio ſit impleta. Sed quorſum iſtam ſeriem vel potius rerum coniunctiſſimarum & coniunctiſſimè quoque conſiderandarũ veluti diſcerptionẽ? Etſi enim aliud eſt corpus, aliud crucifixio corporis, & illud quidem quid tradatur, iſtud verò quale ſit quod traditur, ac proinde quid ab eo ſit expectãdum, declarat, tamẽ in huius actionis ſerie non video quî neceſſe fuerit iſta vſque adeò diſiungere.

Tertium autem & poſtremum locum tribuit Illyricus memoriæ, *quæ*, inquit, *eſt fides in ſingulorum cardibus*, de quo abſurdiſſimo commento mox dicemus.

Ad ſecondam. Vult in ſumma Illyricus nomine *ἀναμνήσεως* non ſignificari recordationẽ rei quã ſciuerit antea quiſpiam, *quò* (inquit) *ſpectant iſti ſophiſtici luſus Bezæ*, ſed notitiam veram quæ ad poſteros propagetur. Huic fundamẽto tria poſtea ſuperſtruit, nempe Memoriam hanc idẽ eſſe atque fidem: ſacramenta noo tantùm augendæ ſed etiam gignendæ fidei eſſe deſtioata: denique in fine ſacramenti poni, & ad eam totum hoc myſterium dirigi. Io his quædam admitto, quædam non item. Hanc enim actiooem ideo ioſtitutam eſſe vt ſit perpetuum eorum quæ noſtri cauſa Chriſtus perpeſſus eſt monimentum, quo & ipſi prophaniſſimi homioes ad eas res percontaodas & cognoſcendas alliciantur, & pii in fide confirmentur, vltrò agnoſcimus, vt minimè hac in parte fuerit Illyrico laborandum. Sed quòd myſteriorum participatione dicere videtor fidem in impiis gigni, (ſunt enim impii qui fide carent) id verò pernego, & tamen prorſus inſanire dico Illyricum quũ illa duo de quibus diximus, vt repugnantia inter ſe committit. Deinde quòd memoriam idẽ eſſe vult atque fidẽ, puto apud ſanæ mẽtis homines ne refutatione quidẽ indigere, ac illud demũ improbo quòd iſtam ſiue memoriam, ſiue, vt ipſe ſentit, notitiam, ſiue fidẽ, propterea quòd extremo loco collocatur, finem eſſe vult ad quem tota hæc actio dirigatur. Videamus autem quibus argumentis illa probet, vt quàm maleſica mea ſophiſmata ſint appareat. Primùm dicit me negare oon poſſe ſacramenta eſſe data ad gignendam & augendam fidem, quod egomet in ſumma rei ſacramentariæ dixerim. Inſpiciatur locus. Si participatiooe Cœnæ cõperiar dixiſſe fidem gigni, condemnabo ipſe me vt à Veritate & meipſo diſſentientem. Sio minus, deprehendatur Illyricos qualis eſſe in quibuſuis ſuis farraginibus conſueuit, is videlicet in quo eruditionem, iudicium, conſcieotiam denique optimo iure requiras. Quod ergo dicit me negare nõ poſſe, nego, ac pernego. Alterũ quod etiã me negare poſſe negat, quũ idem ſit prorſus atq; illud prios mirarer qoa frõte pro aſſumptiooe ſuæ ὑπόθεσιν adſcripſerit, niſi aliunde liqueret iſtum ne natura quidem ad

m. ij,

ſyllogizandum factum videri, quanuis nihil præter meras demonſtrationes venditet. *Ergo, inquit, illa Memoria neceſſariò ſignificat notitiam paſſionis Chriſti. At quid aliud eſt Chriſtiana piáque notitia quàm fides?* Scilicet hæc concluſio cum præcedentibus bellè cohæret. Sed demus etiam cohærere ſcopas iſtas diſſolutas, quia iſti concedet notitiam idem eſſe atque fidem, niſi ſimul conſtituamus credi quicquid cognoſcitur? atqui mendacia quoque cognoſci ſæpe expedit, & quum aliquid cognouimus, etiam atque etiam deliberant prudentes homines ſitne rei cognitæ aſſentiendum an non aſſenriendum. Denique quum fides eius demum ſit qui rei cognitæ aſſentiatur, quis tandem ſenſu communi præditus, fidem à notitia nô diſtinguat? Sed excipiet ſe de pia notitia loqui. Eſto. Manet tamen illud, aliud eſſe quippiam noſſe quàm ei vt vero aſſentiri: & piè quoque facimus quũ compertis mendaciis non aſſentimur. Quid, quòd Chriſtiana fides aliud etiam eſt quam hiſtorica notitis vel ſimplex aſſenſio?

Alterum eius argumentum eſt petitum ab interpretatione verbi Annuntiandi, quo quum declaretur prædicatio mortis Domini, & prædicatio huc ſpectet vt gignatur fides in audientium animis, effici vult Illyricus Memoriam, vt ex aduerſo reſpondeat iſti annuntiationi, omnino fidem ſignificare. Quaſi verò iſta prædicatio quæ ad myſteriorum explicationem adhibetur, ad eos propriè non pertineat qui quum iam Chriſtianam fidem ſint profeſsi (nec enim alii quàm qui Chriſtianos ſe profitentur, ſeu verè ſeu falsò id dicant, ad myſteria admitti vnquam conſueuerunt) nô tunc ſanè primùm Chriſtum cognoſcere incipiunt, ſed tanquam in fide cognitarum iam rerum cõfirmandi accedunt. Infirmiſsimum igitur atque adeò ineptiſsimum eſt hoc argumentum, quum in Cœna mors Domini iã credentibus potius quàm tunc demũ credituris prædicetur. Quid ſi verò adhuc penitus prophanis, vt Iudæis & Turcis, annuntiatio iſta fiat? tum ſanè vel maximè quod ad illos attinet, myſteriorũ adminiſtrationi præire illam neceſſe eſt, & prius illos fidem profiteri quàm ad Domini menſam admittantur. Concludo igitur hanc mortis Domini annuntiationem, ſi pro Paſtorum prædicatione accipiatur, ſiue ſacram actionem ſubſequatur ſiue antecedat, ſic adhiberi, vt ipſa Cœnæ adminiſtratio fidei non tunc primùm gignendæ ſed augendæ & confirmandæ ſeruiat.

Tertium argumentum ex meo quodam ſcholio Plagiarius iſte deſumit, vt à meipſo videar diſsidere, vt qui dixerim teneri Paſtores annuntiare mortem Domini prædicando ipſius Verbo, gregem verò itidem teneri annuntiare mortem Domini, id eſt, vera fide aſſentiri huic Verbo & inſtitutioni. Me verò iſta ſcripſiſſe minimè pœnitet: ſed quod iſte inde colligit mihi ſanè nunquam in mentem venit, nempe vt ἀνάμνησιν cum notitia, notitiam cum fide, fidem denique cum ipſius confeſsione, quam includit verbum καταγγέλλετε, confunderem. Adiunxi enim iſti aſſenſioni gratiarum actionem, quod iſte conſultò præterit, quum tamen ſit vel præcipua iſtius annuntiationis pars, ſicut plenius in annotatione explicaui.

Quartum eius argumentum ex quodam loco D. P. Martyris doctiſsimi & optimi viri nunc in Domino quieſcentis deſumptum, magis etiam quod ſit iſtius hominis iudicium oſtendit. Quid enim ait ille? inſtitutum hoc ſacramentum ne intercideret tanti beneficii memoria. An verò intercidere dicitur quod antea cognitum non fuerit? an meminiſſe poſsit quiſpiam rei nunquam antea ſibi perceptæ? Ergo Martyri non idem declarat Memoria quod notitia quæ tũc primùm incipiat, ſed idem potius quòd notitiæ retentio. Iſtam porrò memoriam quomodo non intercidere Martyr exiſtimat? ſi hoc ſacramento refricetur. An verò refricari in animo quippiam dicetur quod antea non fuerit intellectui, imò etiam memoriæ inſculptum? Itaque per ἀνάμνησιν ne memoriam quidem ipſam propriè, nedum primam rei notitiam, ſed recordationem, & quidem rectè D. Martyr intellexit. Cedò verò & illud: Quo inſtrumenro reſricatur hæc memoria? ſacramento. Quinam? quia fidem erigit, reuocato in memoriam & quaſi oculis ipſis coràm repræſentato Chriſti paſsionis beneficio. Ergo fidem erigit ſacramentum, fides memoriam refricat, ne vnquam intercidat tantum beneficium. Quomodo igitur notitia, memoria, & fides, vnum & idem declarabunt ex Martyris ſententia? Sed & illud quæro ex Illyrico, quid vocet eſſenriam ſacramenti quum inquit hanc ſiue memoriam ſiue fidem poni poſt eſſentiam ſacramenti, vnde colligit fidei manducationẽ aut fruitionem Chriſti non eſſe de eſſentia, ſed fructum ſacramenti. Hæc enim ipſius verba ſunt, quæ ſi vult intelligi, neceſſe eſt vt noſtri ſtuporis rationem habeat. Quid ipſum tamen velle ſuſpicer dicam. Ipſi verò vt illi λέξις, poſtea ſcilicet integrum eſto oracula ſua quaecunque volet interpretatione tueri. Dicam tamen oportet quod ipſum innuere tandem aliquando conicio. Vult ordine præire manducationem illam corporis realem qua res ſignificata & ſignum ore accipiuntur, deinde ſubſequi iſtam memoriam, id eſt, fidem quæ ſpiritualiter ſibi applicet fructum Cœnæ, id eſt, beneficium paſsionis Chriſti. Antequàm autem reſpondeam, duo ſunt quorum admonitum velim lectorem, nempe nullum eſſe ex noſtris qui manducationem, id eſt, apprehenſionẽ Chriſti ſpiritualem (nec enim aliam nouimus) vel pro eſſentia ſacramenti vnquam habuerit, vel cum eius conſequente, id eſt fruitione, confuderit, vt Illyricus vbique tum imperitè tum malitioſè comminiſcitur. Nunc ad rem venio. Iſtam oris & ventris actionem in manducanda ipſa Chriſti carne, Illyrico & Cyclopibus, ſiue Canibalibus, & Papiſtis totam prorſus relinquimus, quibuſcunque tãdem commentis ſiue Lycaonis, ſiue Tantali, ſiue Atrei, iſtam carnificinam adulteret. Dicimus enim corpus Chriſti eſſe non oris nec ventris, ſed fidei cibum, non tantùm vt ritè & vtiliter, ſed etiam vt ſimpliciter ſumatur: ex quo & illud colligimus, Illyricum non minus ridiculè facere quum contendit prius ore ſumi corpus, deinde verò fidem gigni quæ fructum ex corpore ante fidem genitam ac proinde abſque fide & indignè ſumpto percipiat, quàm ſi defenderet

deret

deret prius dapes ſumi quàm vel ore vel ventriculo ſit præditus quiſpiam, vel etiamſi os & ventriculum habeat, illis vtatur, ſed ſumptis demum cibis, os & viſcera ſumendo & concoquendo cibo neceſſaria in homine formari. Itaque hoc fuit Illyrico probandum, non ſupponendum, vt facere imperiti homines ſolent.

Ad tertiam. Beza ſcilicet tortuoſus ſophiſta tenetur ab Illyrico tanquam Proteus quidam proprio ſophiſmate captus & illaqueatus. Quomodo tandem? quia etiamſi detur, ex Bezæ ſententia, nomine *ἀναμνήσεως* (expandam enim ipſe paulò, vt arbitror, melius & certius eas ipſas tendiculas quibus me irretiri poſſe cõfidit) ſignificari recuperationẽ notitiæ per obliuionem deperditæ: at ſequetur tamen fuiſſe per ſacramentum veluti ex ſepulcbro erutam, vt Chriſtũ apprehenderet cum ſuis beneficiis: ideóque fidei manducationem non tunc contigiſſe quum fides eſſet conſopita, ſed in fine demum actionis, id eſt, poſt rem ore ſumptam cum ſignis, quum in fine demum inſtituerit Dominus iſtam fidei velut euigilationem per recordationem.

Hæc igitur ille, quæ planè prodigioſa eſſe affirmo. Vult enim homo iſte prius ſumi ſacramentum quàm fides excitetur, quum è contrario prius erigi fidem ad ſumendum ritè ſacramentum prorſus oporteat. Erigitur autem auditione Verbi, & ſignorum futuræ'que actionis intuitu, quæ ſunt rerum Verbo promiſſarum pignora & teſſeræ, quibus perceptis rurſum nouum fidei incrementum accedit. Deinde cuiuſmodi eſt iſte Theologus qui fidei etiam ſemiſepultæ nullas vires tribuit? Credo, inquiebat ille, ſed adiuua Domine incredulitatem meam. Præterea quid hoc rei eſt, quoniã in inſtitutione ipſa Cœnæ fit mentio memoriæ & recordationis, idcirco concludere prius rem totam peragendam quàm qui ad Cœnam accedit eorum quæ ibi geruntur, recordetur, imò priuſquàm quid ibi agatur cognouerit, aut cogitarit? En boni Illyrici laqueos inextricabiles & *ἀδιεξιτήτους ἀγκύλας*.

Ad quartam. Videor ſophiſta Illyrico, quoniam eum coargui quòd non rectè negaſſet, beneficia ſpiritualia nos ad recordationem paſſionis ductare. *Nam*, inquit, *probaui fidem eſſe inſtrumentum apprehendendæ paſſionis, non contrà*. At ego quæro an non fides ſit ſpirituale beneficium. Ergo fatendo fide apprehendi paſſionem, ſeipſum iugulat Illyricus. Quid verò? auditio Verbi, apertio cordis, an non ſunt ſpiritualia beneficia, quibus ipſa fides in nobis creatur? Imò totius noſtræ vocationis curſus quo ad Chriſtum adducimur, an non eſt ſpiritualium beneficiorum cumulus? Hoc igitur refellere prius vt ſophiſticum debuit Illyricus, quàm corruptæ veritatis crimẽ mihi impingere. At ego eum dico manifeſtè in eo ipſo crimine deprehendi, vt qui ſententiam ſuam aſtutè diſſimulet. Nec enim ſcripſerat, paſſionis apprehenſionem nos non adducere ad fidem, ſed ſpiritualia beneficia nos non ductare ad paſſionis recordationem. Certè qui ſpiritualia beneficia dicit, nõ vnam paſſionem dicit, & videtur hoc nomine potiſſimùm intelligere quæ Chriſtus pro nobis paſſus in nos confert, dum fit nobis ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio. Præterea paſſionis ipſius recordatio diuerſum quiddam ſtatuatur oportet ab ipſa paſſione. Quum ergo non aliter reſpondet Illyricus quàm ſi ſcripſiſſet paſſionem nos non ductare ad fidem, non reſpondet appoſitè, & ipſemet ſophiſtam agit.

Ad quintam. Sic aduerſum me colligit. Dicit Beza in ſumma rei ſacramentariæ Art. 5. oportere nos vnum fieri cum Chriſto, id eſt, ei incorporari, antequàm ex ipſo quicquã hauriamus: Ergo & ipſe cum Illyrico incorporationem præponit fidei, quum ex Chriſto fidem vt & alia omnia beneficia hauriamus. Sed & illud conſequetur, Bezam à ſeipſo diſſentire quum negat quẽquam repertum qui Chriſti fruitionem ante fidẽ collocaret, quum ipſemet hoc faciat. Hæc ille, quod vnicum argumentum inter ea quæ torſit in me Illyricus, fateor ſpeciem aliquam veri apud rerum iſtarum imperitos habere. At ego Dei gratia fretus, nec contraria dixiſſe me, nec cum Illyrico ita vnquam hallucinatum dico, vt Chriſti apprehenſionem præire fidei exiſtimauerim. Ac primùm quidẽ quod ſæpe iam dixi, cogor iterum inculcare, ineptiſſimè agere Illyricum quum Chriſti apprehenſionem cum incorporatione ſiue vnitione ſpirituali quæ illã conſequitur, & hanc rurſus cum ipſa rei vnitæ fruitione confundit. Deinde quæro ex illo, Si verum eſt quod tuetur, & fingit à me quoque affirmari, nempe Chriſti manducationem præire fidei, fidem autem ex Chriſto hauriri, an non ipſum neceſſe ſit vel docere quòd abſq; fide Chriſtus percipiatur, vel ſibi ipſi potius contradicere, quum fidem omniáq; Chriſti beneficia ex ipſo hauriri dicit? Enim verò ſi Chriſtũ abſque fide cenſet apprehendi vt poſtea ſacramento gignatur fides, cur Verbum prædicari, quorſum quenque probare ſeipſum oportet prius quàm ad Cœnam accedatur? imò cur in Eccleſiis bene cõſtitutis nemo niſi prius ſe credere profeſſus, ad Cœnam admittitur? Quid quòd in ipſo etiam baptiſmo fidem infantium præeuntem vrgent nonnulli? Quid ſi qui verò prius ſimplex Verbum audierint, & Chriſto credentes in eo iuſtificati fuerint prius quàm ad Cœnam accederent, an in iis quoque corporalem manducationẽ dicemus fidem gignere, ac non potius antea genitã alere? Saltem igitur illos exciperet Illyricus, & fide ad incorporationem hoc hominum genus adduci fateretur, non cõtrà. Præterea quid hoc monſtri eſt? Si fides ſequitur Chriſti manducationem, ergo abſque fide præeunte Chriſtus manducatur. Si abſque fide, ergo indignè. Si indignè, ergo ad iudiciũ. Si ad iudiciũ, quomodo ad fidẽ? Relinquitur ergo abſurdiſſimũ eſſe hoc dogma, quòd ſacramento fides in nobis gignatur: & illud quoque quod cum illo cohæret, quòd videlicet manducatio ad fidẽ ducat, quum è contrario fide præditum eſſe oporteat vt Chriſtus ſiue in Verbo ſimplici ſiue in ſacramento, id eſt Verbo ſimul & ſigno, manducetur, quæ fides quanto arctius cum Chriſto vnimur, tanto magis in eodem augeatur: quod poſterius quum fateatur quoq; & ipſe Illyricus, viderit quomodo à ſeipſo non diſſentiat. Quì enim augebitur quod nondum genitum fuerit?

Iam huc venio vt oſtendam hæc inter ſe non pugnare, Fide nos vnum fieri cum Chriſto antequàm ex ipſo quicquam hauriamus, & tamen fide Chriſtum apprehendi, vt cum eo vniamur. Nego enim nos ex Chriſto apprehenſo haurire quicquid in Chriſto nobis donatur, quoniam in eo nondum etiam apprehenſo ſed apprehendendo nobis benefacit Pater. Niſi enim nos prior eligeret, & diligeret Pater in Filio ſuo etiam nondum reipſa apprehenſo, ſed adhuc apprehendendo, ſalutis certè noſtræ initium non eſſet ab eo, ſed à nobis. Sic etiam exiſtimandum eſt præparari, diſponi, ſiue (vt loquitur Lucas) aperiri corda noſtra, ſiue nos à Patre trahi ad Filium, id eſt, ad intelligenda & credenda quæ tum in ſimplici Verbo tum in Sacramentis nobis proponuntur, Chriſtúmque adeò ipſum hoc fidei veluti rudimento in cordibus noſtris ſic creato apprehendendum proponi, ex quo poſtea per fidem ſic à nobis apprehenſo & illius ipſius fidei incrementum, & omnia ad ſalutem neceſſaria conſequamur. In ſumma igitur, ſicut Pater in Filio nos condidit, vt & reliquum mundum, quum nondū eſſemus, ita in ſpirituali regeneratione nos in eodem antea non exiſtentes format nouos homines, vt vtriuſque vitæ principium ſit à Patre in Filio, non in nobis. Dico, inquam, fidei principium non dari quidem niſi in Chriſto, ſed tamen dari in Chriſto apprehendendo, ac proinde, propriè loquendo, nos primum illum fidei motum à Chriſto ne petere quidem, quamuis eum in Chriſto, & propter Chriſtum recipiamus: ſed poſtquàm per fidem Chriſto verè ac reipſa vniti ſumus, tum demum nos & fidei incrementum & cætera dona ex ipſo haurire. En illuſtrem Bezæ contradictionem.

Ad ſextam. Fateri ſe mecum dicit Illyricus Chriſtum & eius beneficia in nobis per ſacramenta obſignari, *ex quo*, inquit, *conſequitur obſignationem non eſſe ſubſtantiam ſiue rem ſiue materiam ſacramenti*. Reſpondeo me ſic tribuere ſacramentis obſignationem ſolere, vt hoc tamen vnius Spiritus ſancti ſit opus, excitantis & corroborantis fidem per ſignorum obiectum & ſacramentalem promiſſionem, non quaſi ſignis illa vis inſit, aut ab iis ad nos emanet. Neque verò nos comperiet vnquam Illyricus, effectus cum reipſa ſacramentorum confudiſſe. Quod porrò de obſignatione rerū præteritarum, præſentium, & futurarum dicit, tenuiter admodum & parcè ſcribit, nec ad noſtram diſceptationem facit.

Superſunt quæ hoc loco Illyricus de ſuis aduerſus adiaphoriſtas & liberi arbitrii ac neceſſitatis bonorum operum defenſores, certaminibus ob ſanctiſſimas (vt ait ipſe) cauſas ſuſceptis declamitat, quòd ipſum laborantem ego & mei, quos vocat, non modò non conſolati ſimus, ſed etiam contra conſcientiam exagitemus, quum tamen illos errores hactenus voluerimus videri improbare. Hæc quum extra cauſam dicātur eo prætextu quòd eū ſcripſerim apud eas ipſas Eccleſias fœtere quarū videri vult patronus, ſic ea reſpōdeo, neminem adhuc me putare alicuius ſani & incorrupti iudicii hominem inuentum qui quum iſtum de his rebus diſputantē aduerſus tales tātóſque Chriſti athletas, nec quicquam prorſus præter vanas argutiolas & extremam in mentiendo impudentiam afferentem audierit qui non apud ſe, ſaltem tacitus, tum Germaniæ vicem deplorarit, tum iſtos fœdos homines ad opus Domini impediendum, quod & ſedulò fecerunt & adhuc faciunt, comparatos, toto pectore non ſit execratus, nedum vt illos in tam ſcelerato cōſilio iuuaret. In edita diſputatione de libero arbitrio quid requiram iam fortaſſe noſſet Illyricus, ſi cenſuiſſem expedire. Nunc quidem illud diſſimulare nec volo nec poſſum, nondum, quod ſciam, extitiſſe quenquam in Eccleſia qui certiorem & breuiorem ad aſtruendam animæ mortalitatem aditum aperuerit quàm aperit egregius iſte quarumuis rerum demonſtrator, ſi modò eius ſententia falſa, inepta, impia, de ipſius eſſentiæ animæ per peccatum corruptione admittatur: vt ego quidem eius in tam craſſo dogmate in publicum etiam proferendo audaciam, & tam altum in Germania vbi ſcelera iſta patrantur tot doctorum hominum in tam impio dogmate refellendo ſilentium ſatis mirari nō poſſim. De neceſſitate bonorum operum excitatos à nonnullis obſtreperis anſeribus clamores fateor ab ipſo vſque Septentrionali littore in his regionibus exauditos, ſed eo ſtridore qui nos hactenus offenderet, vt eorum quidem vicem magnopere doleremus quos iſti interturbabant, interea verò conſideremus fore vt ſonitus iſti vehementes quidem, ſed prorſus inanes in auras diſpſi euaneſcerent. Nec pudet iſtum nobis obiicere quòd eum in tam malo opere non confirmauerimus, quem potius à piis omnibus ex omnibus Eccleſiis vt ſummiſſum ab inferis ἀλάστωρ, & melius ab initio cognitum, & iam pridem extruſum fuiſſe quantum profuiſſet partim vel ipſis cæcis oſtēdunt præterita, partim præſentia demonſtrant, & vtinam pro foribus impendentia non coarguant? Ad id probandum, Illyrice, non Pontificiorum vel apertè impiorum hominum adhibebo calumnias, à quibus vituperari, ſicuti quotidie ſoleo, laudari eſt, à quibus etiam vſque adeò te non laceſſi, & quidem optimo iure, non ignoras, vt cōtrà minimè diſſimulēt nulla re ſe magis quàm tua iſta audacisſima, & neſcio quo Germaniæ fato efficaciſſima impudentia in deſtruendis Eccleſiis iuuari: ſed eorum iuſtiſſimas querelas profero de quorum doctrina, pietate, virtutibúſque omnibus cælū & terra aduerſum te teſtātur: tot denique tibi teſtes & iudices fero quot tu regiones, Eccleſias, ſcholas, fructuoſiſſimi iſtius exilii ſpecie ita peragraſti vt quocunque perueniſti funeſtiſſimorum in doctrina diſſidiorum, ac futuræ tandem, niſi Deus medeatur, ruinæ ſemina diſperſeris. Quære igitur alios cōſolatores Illyrice, donec ingenium mutaris, ac ſcito potius quoties noſtras cum piis preces pro amplificando Chriſti regno coniungimus, interea dum tu plagiarius conductis operis bene ab aliis ſcripta corrumpis, & venditādis centuriis myriadas florenorum, miſer ſcilicet exul, accumulas, toties te coram Domino à nobis reum peragi, quem etiam noſtros gemitus breui exauditurum ſperamus.

A D

AD VII. & VIII.

OMNIS notitia boni, eſt aditus quidam ad conſequendum agnitum bonum. Sic memoria eſt via ad ſpiritualem manducationem. Falsò igitur ante memoriam aut notitiam ponunt aduerſarij ſpiritualem fruitionem Chriſti. Reſpiciantur in hoc argumento vocula in vel ad.

RESPONDEO rurſus inſanire Illyricum, qui fidem & ἀνάμνησιν pro vno & eodem accipit. Sed quum iubeat Dominus manducari hunc panem ad ſui recordationem, quæritur an manducationem oporteat huic recordationi præire. Ratio dubitandi hæc eſt, quia ſi fide manducatur Chriſti corpus, & nemo hanc fidem habere poteſt in Cœna Domini, quin credendo, ſimul eius rei quā credit recordetur: videtur omnino recordatio, vt & fides, manducationi præire, quum tamen iubeat Dominus corpus ſuum manducari ad ſui recordationem. Sed facilis eſt reſponſio. Sicut enim fides quamuis præeat manducationi, tamen illa manducatione fouetur & augeſcit, adeóque obſignatur in nobis, ita & recordatio. nec alius eſt ſenſus horum verborum, AD MEI RECORDATIONEM. Vtrunque autem ideo fit in nobis, quoniam eo arctiùs per Sacramentorum vſum Chriſto inſerimur.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

NEMO negat memoriam in verbis Teſtamenti ſignificare fidem. Contrarium ſupra probatum eſt. Iacet igitur hac ſolutio ſeu potius cauillatio.

Deinde conuincitur Beza potenter ſcriptorum ſibi coniunctiſſimorum teſtimonio, nempe Caluini, Laſci, & Vireti. Sic enim Caluinus in 1. Corinth. 11. v. 26, Paulus his verbis, Quotieſcunque ederitis &c. adiungit qualis debeat memoria celebrari, nempe cum gratiarum actione, non quòd tota memoria in confeſſione oris ſita ſit. Eſt enim hoc præcipuum, vt mortis Chriſti virtus in conſcientiis noſtris obſignetur. Verùm hæc cognitio accedere nos debet ad cōfeſſionem laudis, vt apud homines prædicemus quod ſentimus intus coram Deo. Eſt igitur Cœna quoddam (vt ita loquar) memoriale quod perpetuò durare in Eccleſia debet vſque ad vltimum Chriſti aduentū, in hunc finē inſtitutum, vt nos Chriſtus de mortis ſuæ beneficio admoneat, & nos corā hominibus id recognoſcamus. Itaque vt rite Cœnam celebres, memineris abs te requiri fidei tuæ profeſſionem. *Hæc Caluinus, diſertè dicens Cœnam eſſe memoriale, quod talem memoriam in nobis excitet, quæ conſtat cum fide tum fidei confeſſione. Totū certè conſtat ſuis partibus. Ergo huius memoriæ præcipuam partem aut eſſentiam vult eſſe fidem. Laſcus autem ſic ſcribit,* Eum præcipuum eſſe finem dicimus omnium Sacramentorum, iuxta Pauli doctrinam de Circuncisione, vt per inſtitutam Deo ipſo authore recordationem in ſigno aliquo viſibili noſtræ cum Domino communionis, fides illius animis piorum in eius Eccleſia penitus infigatur, ipſáque adeò Eccleſia tota in perpetua illius fruitione ad vitam æternam vſque duratura, authore Spiritu ſancto obſignetur. *Sic & Viretus fidem facit hanc cōmemorationem, his verbis,* Quem ſenſum ex his Chriſti verbis, Hoc facite in mei commemorationem, elicere oporteat, Paulus eorum interpres, his verbis declarat, Quotieſcunque enim &c. Ergo, interprete Paulo, quod Chriſtus dixit de celebranda ſui memoria, idem ſonat quod Mortē Domini annuntiare, hoc eſt mortis ipſius beneficium agnoſcere ac deprædicare. *Quid autem aliud eſt agnoſcere mortem Domini eiúſque beneficia quàm fides?*

Concludo igitur hoc Sacramentum (ſicut & alia) eſſe à Chriſto inſtitutum ad memoriam ſuæ paſſionis, id eſt ad veram piámque eius notitiam. & porrò fidem eſſe ad percipiendum Chriſtum ac eius paſſionem directam, non contrà ſpiritualem manducationem ad fidem. Sicut ipſemet Beza dicit in Confeſſione, Sacramēta ſunt in eum finem inſtituta, vt vniamur Chriſto. *Iſta verò vnio eſt iſta manducatio illa. Fingit ſe octauam demonſtrationem attingere, quam tamen non attingit.*

DEFENSIO TH. BEZAE.

IMO ſuam amentiam meliùs probare non potuit Illyricus, quàm iſtiuſmodi reſponſo. Significat Caluinus Paulum vtentem verbo Annuntiandi, explicare cuiuſmodi ſui recordationem Chriſtus in Cœna requirat, nempe quæ neque lateat in animo incluſa, ſed erumpat in apertam profeſſionem: neque ſit oris duntaxat, ſed animi in primis fidem ſuam declarantis. Quum autem hinc colligit Illyricus Caluino idē eſſe memoriam, fidem & fidei confeſſionem, ac, quod etiam ineptius eſt, fidem eſſe ipſius memoriæ eſſentiam, ſiue præcipuam partem (quaſi verò præcipua pars idem ſit atque alicuius rei eſſentia) quis eum non videt vertiginis ſpiritu abreptum? Certè ſi gratiarum actio, & beneficiorum Domini celebratio, quam conſtat, ſi ex fide proficiſcatur, præſtantiſſimum opus eſſe, idem eſt atque fides ipſa, idem erit fides & opus ex fide procedens. Quorſum igitur contenderimus cum Cacolyceis de fidei iuſtificatione ſine operibus, ſi vera ſentit egregius iſte demonſtrator? Laſcus rectè docet in Sacramentis animum noſtrum viſibili ſigno commonefieri, vt iſtiuſmodi recordatione fides penitus infigatur piorum mentibus. quod ſi verum eſt, an ſanæ mentis eſt Illyricus, qui fidem vnum & idem eſſe vult atque ipſam recordationem? nempe ſicut vnum & idem ſunt malleus & ictus mallei, & clauus qui mallei opera firmiùs parieti infigitur. Denique vt ad ſummam inſaniam nihil deeſſet, ſomniat Vireto idem eſſe agnoſcere mortem Domini atque fidem, quum tamen prius credi oporteat, quod nonniſi creditum ritè agnoſci ac prædicari poſsit. Credidi, inquit Dauid, propterea loquutus ſum. At iſti idem declarant Credere & Loqui, ac ſi dixiſſet Dauid ineptiens, Quia credidi, propterea credidi. Sit nobis etiam ineptus Apoſtolus, quum fidem à confeſſione nō quidem ſeparans, ſed diſtinguens, Corde, inquit, creditur ad iuſtitiam, ore

ſit confeſſio ad ſalutem.

Quid autem hinc tandem colligit? Cœnam eſſe ad memoriam, id eſt veram ac piam notitiam paſsionis Chriſti. Scilicet quum Cœna non niſi fidem cõfitentibus exhibeatur: idcirco fuerit inſtituta vt Chriſtum cognoſcamus, ac non potiùs vt iam antea cognitum agnoſcamus, & magis ac magis in ipſius notitia proficiamus. Sed hoc age iſti etiam condonetur, qui fortaſſe notitiam pro prima rei antea incognitæ perceptione non vſurpauit. At iſtud dictum cuiuſmodi eſt, fidem eſſe dictam ad percipiendam paſsionem Chriſti, ſpiritualem autem manducationem nõ item? Illud quidem certè concedo, quum Chriſtus nonniſi fide nobis applicetur. Concedo & iſtud, ſpiritualiter à nobis Chriſtum in Cœna non manducari vt credamus, quum contrà per fidem ſpiritualiter mãducetur Chriſtus, ac proinde fidem ordine præire neceſſe ſit. Sed huius fidei incrementum à ſpirituali manducatione exiſtere, ſiue Chriſtum à nobis ſpiritualiter manducari, vt hæc fides magis ac magis in nobis obſignetur, illud eſt quod dicim⁹, nec vnquam refutabit Illyricus. Præterea nolim quidem ego ex profeſſo de Sacramentorum fructu diſſerens, fidei incrementum prò præcipuo ſacræ Cœnæ fine ſtatuere: ſed potiùs cum Apoſtolo Ipſius Chriſti nobiſcum κοινωνίαν, ſiue vnitionem, quam quum iſte rurſum comminiſcitur à me confundi cum manducatione, quaſi non norim perceptionem cibi ab alimẽto quod inde promanat diſcernere, quid aliud rurſus quã ſuam inſaniam prodit? Porrò demonſtrationem octauam attigerim néene, penes lectorem iudicium eſto.

AD IX.

PER notiora & craſſiora, ad nobis ignotiora & obſcuriora à Spiritu ſancto optimo docendi magiſtro ducimur. Sic omnia Sacramenta ſunt quiddam craſſius, aut corporalius ipſis adiunctis promiſſis bonis aut beneficijs quæ fide ſunt apprehendenda. Externa ergo quædam craſſior manducatio & hauſtio corporis & ſanguinis Domini, non interna, in illis verbis Sacramenti, Edite, Bibite, eis proponitur.

Constitvit his verbis Illyricus duplicem corporis Chriſti manducationem, vnam videlicet externam, alteram internam. Si corpus Domini metonymicè vocet ipſum ſignum, concedo quod dicit, & externam Sacramenti manducationem idcirco inſtitutã eſſe dico, vt intus fide externis ſymbolis excitata, eò arctiùs & efficaciùs cum Chriſto ipſo copulemur. Sin verò per corpus rẽ ipſam intelligit, probet ſuum commentum, id eſt dupliciter, ore videlicet & animo, ipſum Chriſtũ percipi: alioqui ſciat ſe ſophiſtam eſſe, vt qui illud ipſum aſſumat de quo quæritur.

Apologia M. Illyrici.

MEÆ firmæ demonſtrationis hæc eſt ſumma. Omnis ratio rectè docendi in Sacris & prophanis talis eſt, vt nos doceat per quædam notiora, craſſiora, & quaſi magis corporalia, quàm ſint ea de quibus docemur. Sed per verbum & Sacramenta docemur de apprehenſione aut fruitione Chriſti & eius beneficiorum. Igitur illa manducatio, Edite, Bibite, Hoc eſt corpus meum, quæ Sacramẽti huius eſſentiam conſtituit, eſt quiddam perceptibilius quàm illa ſpiritualis fruitio Chriſti, eiúſque ſpiritualiũ beneficiorum: aut certè Chriſtus non eſt optimus docendi magiſter. Hoc quia non poteſt Beza diſſoluere, ad tale confugium profugit.

Defensio Th. Bezae.

Imo vnicus eſt & optimus doctor noſter Ieſus Chriſtus, quanuis minimè adſtrictus humanæ methodi legibus. Illyrico verò barbaro & indocto ſophiſta quid impudentius? Ducit nos ſanè Chriſtus à terrenis ad cæleſtia, propoſitis nobis pane & vino, quorum participatione corporali cæleſtis illa noſtri cum Chriſto κοινωνία in mentibus noſtris obſignatur. Sed quum illo conceſſo colligit Illyricus externam illam quam imaginatur ipſius corporis Chriſti ſumptionem, eam videlicet quæ ore fiat, eſſe manducationem quandam ad alteram illam internam & ſpiritualem quæ ſit mentis & animi, quis non videt, ipſum pro conceſſo ponere illud ipſum de quo controuertitur, nempe falſam & ridiculam & verè Cyclopicam illã oralẽ manducationẽ? Deinde quis iſtas ineptias ferat, in his etiã verbis, Edite, Bibite, conſtitui Sacramenti eſſentiã, quũ tamen illis verbis non quid detur, ſed quid faciendum ſit deſcribatur? Quod autẽ rurſus pari vel inſcitia vel improbitate fruitionem Chriſti cum eiuſdem ſumptione ſpirituali confundit, ſæpius iam eſt à nobis refutatum.

AD X.

FINIS ſuo modo præſtantior eſt ſuo medio ſiue inſtrumento. Sed nihil eſt pretioſius ſpirituali manducatione ac fruitione corporis Chriſti: vtpote quæ ſit ipſiſſima vita ac felicitas noſtra ſumma. Igitur ſpiritualis manducatio corporis Chriſti non eſt medium inſtrumentum perceptionis Chriſti, eóque minimè collocari debet in eſſentia Sacramenti, ſed in effectu.

Respondeo hæc omnia puerilibus paralogiſmis ſcatere. Primùm enim rẽ Sacramenti interdum vocamus illud ipſum cui ſignificando adhibetur ſymbolum externum. Et hoc reſpectu, propriè loquendo, rem Sacramenti eſſe dicimus ipſum corpus & ipſum ſanguinem Chriſti, ſiue ipſum Chriſtum, non autem eius bonorum perceptionem: quia non dixit Dominus, Hoc eſt efficacia mortis meæ: ſed, Hoc eſt corpus meum, quod traditur pro vobis. Interdum verò rem Sacramenti generaliter vocamus totum id, cuius cauſa illa actio eſt à Chriſto inſtituta. Hoc igitur reſpectu panem hunc cum Paulo eſſe dicimus communicationem corporis Chriſti,

quam

quam etiam ſpiritualem manducationem & fruitionem corporia Chriſti vocamus. Præterea nomen Manducationis dupliciter accipitur: interdum quidem vt actio, quo ſenſu non dicimus manducationem Chriſti eſſe rem Sacramenti, quum ſit illud potiùs, quod agēdo rem Sacramenti percipimus: interdum verò pro ipſo effectu, quo ſenſu quum Chriſtum manducaſſe nihil aliud declaret quàm fide Chriſtū in Sacramento oblatum apprehendiſſe, ſiue Chriſto incorpotatum eſſe, ad vitā æternam ex eo hauriendam, cuius rei gratia tota hæc myſtica actio eſt à Chriſto inſtituta, iſtam Chriſti manducationem meritò illud eſſe dicimus quò externa illa omnia reſpiciunt. Poſtremò quum inter ſpiritualem manducationem Chriſti & vitam æternam nō diſtinguit Illyricus, in hoc ipſo verè peccat, quod in nos falsò reprehēdit: quum aliud ſit Chriſtus, aliud ſiue eius manducatio ſpiritualis, ſiue corporalis, ſiue quancunque imaginari velit: aliud denique ipſa felicitas & gloria, ſi ſingula propriè, vt ipſe vult, conſiderentur. En quò recidant ſutiles argutiæ.

Apologia M. Illyrici.

CONTRA hanc demonſtrationem non tam pueriliter paralogiſas Beza, quàm fraudulenter lectorem abis rapis.

Primùm enim dicis de re Sacramenti quæ ſit ambigua locutio, quum ego rei Sacramenti ne meminerim quidem, imò etiam vti ea formula non ſoleam. At ipſi, quia ambigua eſt, vbique eam inculcant.

Secundò duplicem ſignificationem manducationis diſtinguens, ſeſe & lectorem prodigioſis obſcuritatibus & contradictionibus intricas. Dixerat Rem ſacramenti, modò ſignificare Chriſtum, modò eius beneficia. Hic verò, Manducatio, *inquit,* eſt illud quod agendo, Rem ſacramenti percipimus. *Quæro quid ſit Rem ſacramenti agere. Num Chriſtum agere, aut beneficia eius agere?*

Verba eius hæc ſunt: Nomē manducationis dupliciter accipitur. interdum vt actio, quo ſenſu nō dicimus manducationem Chriſti eſſe rem Sacramenti, quum id ſit potiùs quod agendo, rem Sacramenti percipimus. *Quæro ex omnibus ipſius diſcipulis atque adeo ex ipſomet, quódnam genus peregrinæ feræ hic deſcribat, ſiue velit dicere Manducationem eſſe actionem qua ſit id quod percipimus, ſiue quòd res Sacramenti ſit id quod agendo rem Sacramenti percipimus.*

Tertiò accuſas me ſophiſticæ, quòd non diſcernam manducationem Chriſti à vita æterna. Reſpondeo me ſic loquutum eſſe cum Chriſto, qui inquit, Hæc eſt vita æterna vt te Deum verum agnoſcant, & quem miſiſti Ieſum. Agnoſcere verò & apprehendere Chriſtum, fruitio & manducatio eius eſt, At eam dicit Chriſtus eſſe vitam æternam.

Defensio Th. Bezae.

AD primum obiectum reſpondeo idem eſſe rem Sacramenti & eſſentiam Sacramenti, etiamſi hoc potiùs quàm illud dicere malit Illyricus, ac proinde aptum & idoneum fuiſſe meum reſponſum, quum in ſua demonſtratione contenderit de ipſius Sacramenti eſſentia.

Ad ſecundum, dico Illyricum non minus inſanire quàm Pentheum illum cui furenti duplicea Thebæ videbantur. Dixi manducationem ſi pro actione accipiatur, non ſignificare ipſam rem Sacramenti, putà corpus ipſum Domini, ſed id quod agēdo, id eſt quod quum agimus, ſiue cuius actionis interuentu Rem ſacramēti, ipſum videlicet Chriſtum percipimus. At quærit ex me Illyricus quid ſit Rem ſacramenti agere, quod cui tandem in mentem venit vt diceret? Excipio igitur me nullam feram peregrinam deſcribere, ſed aſini caput lauare.

Ad tertium, non nego vitæ nomine interdum declarari non vitam ipſam, ſed id quod vitam æternam ſuppeditat, quo modo dicit Chriſtus tum ſeſe, tum ſui cognitionem vitam æternam eſſe, & quidem eo tropo cui iſte infenſiſsimus eſt, quem Grammatici Metonymiam appellant. Sed addidi in mea reſponſione, quod iſte veterator de induſtria prætermiſit, nempe iſti diſtinctioni, qua Chriſtus à manducatione, & hæc rurſus à vita æterna diſcernitur, tunc locum eſſe quum ſingula propriè, ſicut hic factum oportuit, conſiderantur. Eſt autem mihi Chriſtus ipſe iſtius diſtinctionis author locupletiſſimus, quum inquit, Qui manducarit carnem meam, viuet in æternum: quibus verbis neceſſe eſt carnem à manducatione, & ab vtraque rurſus vitam ex manducata carne prodeuntem diſtinguere.

AD XI.

RERVM ordo diligenter obſeruandus eſt. Sacramenta porrò nos deducunt ad recordationem ſeu fidem. Fides verò ad mortem, vnde habemus ſpiritualem fruitionem Chriſti. Igitur peruertunt ordinem qui vltimum, nempe ſpiritualem fruitionem, aut manducationem primo loco collocant in ipſam eſſentiam Sacramenti.

RVRSVM omnia confundit Illyricus, cui ſi credimus, corporalis ſiue externa, quam imaginatur carnis Chriſti manducatio præibit fidei, & fidem ſequetur ſpiritualis Chriſti perceptio. Atqui præterquam quòd rurſus recordationem cum fide ſtolidè confundit, corpotalem illam manducationem priùs probatam eſſe oportet, non autem tanquam δεδομένον aſſumere quod eſt ζητούμενον. Deinde quum monet Apoſtolus oportere vt primùm omnium probet ſeipſum homo, ac tum demum edat ex illo pane, quis non videt ſacram hanc actionem à fide inchoandam eſſe? Verum eſt tamen fidē ſic augeri & confirmari, quia nimirum ſicut Chriſtum apprehendimus fide, ſic etiam apprehēſum eadem quotidie augeſcente retinemus. Poſtremò ipſe ſibi monſtra fabricat Illyricus. Neque enim vt toties iam dixi, fruitionem Chriſti, ſed ipſum Chriſtum, qui ſpiritualiter per fidem fruendus offertur, rem ſiue eſſentiam Sacramenti vocamus.

Apologia M. Illyrici.

PRIMVM ad hoc quod dicit Beza me præponere corporalem aut externam manducationem fidei, ac proinde me petere principium, reſpondeo me nullam hîc planè fecere corporalis manducationis mentionem.

Secundò, quum vrget fidem præcedere Sacramentum, quia Paulus dicat, Probet ſe homo, ſibiipſi contradicit, vt qui ſuprà affirmauerit fidem eſſe filiam & alumnam verbi & Sacramentorum. Præterea illa ſui ipſius probatio ante Sacramentum, eſt magis propriè agnitio ſui & ſuorum peccatorum, quæ eſt legalis quædam notitia potiùs. Ideò dicit Paulus, Probet ſe homo: non dicit, edat priùs fide Chriſtum. Et diſcrimen eſt inter illos primos motus fidei vbi eſt aliqua pia notitia Chriſti, & illos vltimos iam ſibi per verbum & Sacramenta Chriſtum cum ſuis meritis applicantis.

Tertiò, ipſemet potiùs Beza ſibi monſtra fabricat, vt qui Schuenckfeldiano more doctrinam ac Sacramenta habentia initium & finem, cum Filio Dei confundit, dum hoc ipſe loco dicit Chriſtum eſſe rem aut eſſentiam, materiam ſiue ſubſtantiam Sacramentorum. Item in eo monſtra fingit, quòd negat ſe fruitionem Chriſti in eſſentia Chriſti collocare, quum in illis verbis, Edite, Bibite, Hoc eſt corpus meum, tantùm ſpiritualem fruitionem aut manducationem Chriſti intelligat, quæ tamen verba vel maximè eſſentiam Sacramẽti exprimũt, ſicut ipſemet ſuperiùs conceſſit.

Defensio Th. Bezae.

NON temerè ſcripſi corporalem perceptionem ab Illyrico præponi fidei, quum hoc diſertè ſcripſerit demonſtratione ſexta & nona: nec aliter ipſe explicare poſsit quod ait in hac vndecima, Sacramenta nos deducere ad recordationem ſiue fidem.

Secundò, quòd dictum Pauli, Probet ſemetipſum homo, de ſola conſciẽtiæ per Legem ſiue ſenſum peccati vulneratione interpretatur, quis tandem ferat? Etenim Legiſne an Euãgelii σφραγῖδες ſunt Chriſtianorum Sacramenta? Euangelii ſanè, ſicut promiſsio illis adiecta teſtatur. Num verò facinoroſus quiſpiam à iudice damnatus ſeſe ad carnificem vitæ ſeruandæ cauſa contulerit? Atqui talem ſibi Deum ipſum, id eſt iudicem inexorabilem, neceſſariò proponit quiſquis vel vnam Legis vocem extra Chriſtum ſibi applicat. Quònam igitur ille ad Sacramenta confugerit? Sed ponamus acceſſurum vt attoniti interdum ſolent quoquò confugere. Si hoc Paulus cuiquam faciendũ ſuaſerit, annon vel ſuo ipſius ore conuincetur ad peccatũ homines eſſe cohortatus, ſiquidem quicquid ſine fide fit, eodem ipſo teſte, peccatum eſt? Deinde quid facies Iacobo Illyrice? Dicit enim eos qui in incertum precentur, indignos eſſe qui quicquam obtineant. & eos te auctore exiſtimabimus ritè vel cum fructu accedere ad Sacramenta, qui ſeſe duntaxat peccatores eſſe cognouerint? Quid eſt autem indignè etiam panem hunc ſumere ſi hoc non eſt? Requirit ab Eunucho baptizando Philippus an credat, alioqui nimirum illum, vtpote iam adultum, non baptizaturus. Et tu minus quippiam Paulum ab eo requirere exiſtimas qui ad Cœnam Domini accedat? Si verum eſt hoc tuum dogma, quid neceſſe eſt aliud quàm Legem docere homines priuſquam ad Cœnam accedant? Imò quid ſupereſt niſi vt quemadmodum Papiſtis rerum iſtarum ſacrarum penitus imperitis religio eſt quoſuis ad Baptiſmum ſtatim non admittere, ita etiam & Turcas & Iudæos ad menſam Domini admittatis, modò in Chriſtum non blaſphemẽt? Nam & iſti ſerio peccatorum ſuorum ſenſu affici poſſunt. Sed audio quid excipias, imò iam te audio vociferantem magnam tibi iniuriam fieri, quum dicas diſcrimen eſſe conſtituendum inter eos quos tu vocas primos fidei motus, ſiue piam quandam Chriſti notitiam, & fidem iuſtificantem. Verùm quid iſta te iuuant, quum Apoſtoli verba dixeris ſolam illam legalem notitiam intelligi? Num verò fides hiſtorica filios ab exteris diſcernit? eſtne Cœna Domini filiorum an exterorum, & iam ingreſsis, an verò ingreſſuris exhibenda? quis autem verè ingreſſus in Eccleſiam dicendus eſt niſi qui credidit, id eſt vera viuáque fide Chriſtum eſt amplexus? Itaque ſi per illos primos motus, intelligis non tantùm illam peccati notitiam ex Lege, ſed aliquod fidei iuſtificantis initium, nobiſcum ſentis & teipſum oppugnas: ſin verò potiùs, vt tu non obſcurè dicere videris, hos motus negas eſſe fidem iuſtificantem, qua fronte audebis iſtos ad menſam Domini, id eſt ad ſanctiſsimæ rei prophanationem inuitare? At nos quanto rectius docemus, ſicuti qui puer eſt, homo tamen eſt, ſic eum qui veræ fidei qua vna Chriſtus tum in verbo, tum in Sacramentis apprehenditur, motibus quantumuis exilibus & lãguidis præditus fuerit, verè in Chriſto iuſtificatum eſſe, nec alios vllos ritè ad Cœnam Domini accedere, quàm qui cũ illo lunatici patre dicant ex animo, Credo, ſed tu Domine, ſuccurre incredulitati meæ? Nec enim idcirco ad Cœnam accedimus vt credamus, quum nulli niſi credentes Chriſtum percipiant, ſed vt in fide corroboremur. Hæc quum non magis intelligas, quàm ſi nunquam de religione Chriſtiana cogitaſſes, quæ hæc tua eſt in omnibus reprehendendis impudentia? quæ illorum vanitas qui te doctore vtuntur?

Tertiò, quod mihi de Schuenckfeldiano errore obiicis, ſanè non ſatis intelligo, vt qui nullos vnquam hominis illius libros legerim, cuius tamen teterrimos de Chriſti carne & verbo Dei, errores à doctiſsimis & optimæ fidei hominibus confutatos, toto pectore deteſtor. Sed iſta quid ad me? Num verò Sacramenta cum Chriſto cõfundit qui Sacramenta dicit ſigno conſtare & re ſignificata, (quæ idcirco vera eſt res & materia ac veluti nucleus ſignorum) & hanc ab illis ſedulò diſtinguit? an non tu potiùs omnia fœdè perturbas, qui Sacramentorum nomine nihil aliud quàm externa quædam initium & finem, vt tu loqueris, habentia intelligis? Denique vnde tandem hoc accepiſti nos iſtis verbis Edite, Bibite, tantùm ſpiritualem manducationem intelligere? Quis enim noſtrũm vnquam aliter docuit quàm ſignorum corporalem, & rei ſignificatæ ſpiritualẽ ſumptionem

nem ſic præcipi? Et quum dicimus his verbis, Hoc eſt corpus meum, declarari quæ ſit Sacramenti eſſentia, ſiue quænam illa res ſit cuius ſignificandæ & nobis communicandæ cauſa totus ille ritus inſtitutus eſt, cedò in quo tandem vel tuis deliriis fauemus, vel à nobis ipſis ſiue à veritate Chriſtiana diſſentimus?

AD XII.

In iſta locutione, Fide ſpiritualiter comedere corpus Chriſti, vel frui eo ad recordationem paſſionis illius eſt inepta ταυτολογία, quum hæc ambo Fide frui Chriſto, & Spiritualiter meminiſſe paſſionis eius, ſint vna & eadem res. deinde eſt etiam in iſta fœda balbutie contradictio, quia nihil fit in ſui ipſius memoriam.

EGREGIE nimirum hæc quoque Illyricos, optimos ſcilicet docendi magiſter, dummodò ſuũ antecedens probet, quod quidem faciet ad Calendas Græcas. Res autem ita ſe habet. Fide etiam in ſimplici & nudo verbo totum Chriſtum apprehendimus, quæ alioqui nos nunquam iuſtificaret nec ſeruaret. Quoniam autem tanti beneficii memoria facilè nobis effluit, & imbecilla noſtra fides aſsiduis adminiculis eget, idcirco myſteria hæc à Chriſto ſunt inſtituta, in quibus & Chriſtus ipſe quanuis à nobis ſupra cælos euectus, & eius ſacrificium quanuis iampridem peractum, & omnia eius beneficia quanuis ſpiritualia, oculis fidei noſtræ, velnti corporaliter, propoſitis illis externis tum ſymbolis, tum ritibus, contemplanda proponuntur: vt hoc modo & altiùs infigatur animis noſtris tantorum bonorum memoria, & fides nouis ſubinde collectis viribus nos magis ac magis Chriſto vnitos, ſimul efficiat omnium ipſius bonorum participes.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

Non intelligo quod antecedens putet Beza, niſi fortè illud intelligat Memoriam in verbis Cœnæ eſſe fidem, quod ſatis ſuprà probaui.

DEFENSIO TH. BEZAE.

Hoc ipſum eſt quod tu rectè conicis Illyrice, & tam facilè probaris quàm idem eſſe mendacium & veritatem.

AD XIII.

Media ſiue inſtrumenta quæ fidem antecedunt, communia ſunt piis & hypocritis. Nam fides primum incipit illos diſtinguere. Itaque tota illa actio ſicut & prædicatio ſeu lectio verbi, vtraſque communis eſt, quæ fit ad memoriam, eámque antecedit quam eſſe fidem diximus, ſed vera piáque notitia, memoria ac fructus aut effectus, non item.

IAM mihi gratificandum eſt Illyrico, cuius totum argumentum concedo, ſi ſtolidam illam Fidei cum Memoria confuſionem excipias. Concedo, inquam, tibi Illyrice communia eſſe piis & hypocritis externa illa inſtrumenta, id eſt verbi prædicationem & Sacramentorum adminiſtrationem. Sed quod tu inde effici ſuſpicaris potius quàm dicis, nempe externam, quam tu ſomnias, corporis Chriſti perceptionem quiddam eſſe fidem antecedens, & piis ac hypocritis commune, tum demum nobis perſuaſeris, quum ſymbola & rem per ſymbola ſignificata vnum & idem re ipſa eſſe probaris, quod nunquam certè facies, ne ſi in Papiſtarum quidem caſtra tranſieris. Sed vnum præterea ex te quæro, cur pios & hypocritas, potiùs quàm pios & impios inter ſe committas. Nempe (niſi fortaſſe fallor in explicandis tuis iſtis non ſanè euidentiſsimis demonſtrationibus, ſed planè ænigmaticis næniis) vt eorum dogma ſequaris, qui quod olim ſentiebatis ſine exceptione omnibus dignis & indignis eſſe commune, tandem, ipſa veritate coacti hac addita acceſsione emollierunt, vt impios quidem fateantur nihil præter ſignum accipere: illam autem ab ipſis excogitatam, externam oris & dentium manducationem piis & hypocritis (id eſt, non ſatis vt par eſt dignè accedentibus) communem eſſe velint. Atqui ſtare hoc dogma cum reali illa & ſubſtantiali conſubſtantiatione nullo modo poteſt. Siquidem quæ ſemper ſimul ſunt & dantur realiter & corporaliter, id eſt, externis inſtrumentis, ore putà & manibus ſumenda, certè ab omnibus ſumantur neceſſe eſt qui manus & os afferunt, ſiue planè impii, ſiue hypocritæ tantùm fuerint. Sed de hac controuerſia, ſi libuerit, inter vos tranſigetis.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

Habendæ ſunt gratiæ Bezæ, quòd quæ oppugnare prorſus non poteſt, concedat. Sententia autem meæ demonſtrationis hæc eſt.

Idem ſemen cadit in malum & bonum ſolum. Idem Baptiſmus integer contigit Iudæ, Simoni Mago, & Simoni Petro. Sic & ſacra Cœna eadem quo ad eſſentiam ſeu exiſtentiam ſuam contingit piis & hypocritis, ſed fructus & ſpiritualia bona non item. Eſt verò fidei comeſtio aut fruitio Chriſti, vel maximus ſpiritualis fructus. Igitur ea manducatio non poteſt intelligi in his verbis Comedite, Hoc eſt corpus meum, quæ propriè ipſam exiſtentiam Sacramenti deſcribunt, communem credentibus & hypocritis.

Quærit Beza cur pios cum hypocritis comparem potiùs quàm pios cum impiis. & hîc neſcio quid lepidus homo diuinat. Reſpondeo Impios intelligi vel planè alienos à Chriſti nomine, vel prorſus ac propalam Epicureos inter Chriſtianos, qui quum nec verbum nec Sacramenta curent, quid eos attinet in vſu huius Sacramenti nominare, quod ſoli veri & ſimulati Chriſtiani frequentant, quos ſolemus pios & hypocritas nominare? Diuinet hinc Beza quod volet per otium, aut ſomniet etiam.

DEFENSIO TH. BEZAE.

Ego verò Illyrice quod concedendum fuit, neque tibi neque cuiquam vnquam negaui, & au-

ſim dicere te, niſi natura ingratus eſſes, habere de quo mihi meritò gratias agas quod manifeſtè plagia tua demonſtrant. Non eſt tamen quòd te glorieris quicquam nobis extorſiſſe quod pro tuo fanatico dogmate faciat, quum id vnum tibi conceſſerim quo teipſum euertis.

Audiamus tamen quid noui depromas. Idem, inquis, ſemen cadit in bonum & malum ſolum. Concedo. Sed quum perpetuum bellum tropis indixeris, agè, mi homo, ſimpliciùs loquamur, & pro ſemine verbum ipſum Domini ſubſtituamus. Hoc enim, opinor, intelligis, Chriſti veſtigiis inſiſtens. Sed primùm falleris, ſi Sacramenta putas ſemini comparari. priùs enim ſatos eſſe oportet quibus Sacramenta tribuuntur, quum ſint promiſsionis appendices, & adultos doceri ac etiā exemplo Eunuchi illius à Philippo baptiſati profiteri fidem oporteat priuſquàm ad Baptiſmum admittantur, nedum vt ſatio incipiat à Domini Cœna. Sed hoc mittamus, quod tibi in mentem non venit. Verba quibus feriuntur aures inficiari nō potes, quod natura ipſa duce verè docuit Philoſophus, eſſe ſigna quibus animi conceptus exprimuntur. Sonus igitur ille externū quiddam eſt auribus incidens, cuius veluti materia & ſubſtantia eſt illud quod per eum auribus exceptum animus intelligit. Agè igitur, num quicunque externum illum ſonum percipit, etiam quid dicatur intelligit? nequaquam ſanè, ſed is demum qui & certi alicuius idiomatis eſt peritus, quod exaudit, & præterea vel ea de quibus agitur iam intelligit, vel eorum intelligēdorum eſt capax. Itaque, exempli cauſa, vt vnus & idem ſermo Gallicus in Galli & Germani cuiuſpiam aures ſimul incidat, tamen iſte duntaxat alteram verbi partem, exteriorem videlicet ſonum, ille verò etiam rem ipſam ſiue materiam ſermonis percipiet, modò ſit quidem vel eius intelligens, vel ad eam percipiendam idoneus. Quidni verò in Sacramentis idem ſtatuamus? Scitè enim Auguſtinus idcirco Sacramentum definiūt eſſe verbum viſibile, vtpote quod menti per oculos idem annunciet atque ſonitus per aures eidem ſignificat. Quod igitur ſcribis eundem Baptiſmum integrum contigiſſe Simoni Petro & Simoni Mago falſiſsimum eſt. Integer enim Baptiſmus duabus partibus conſtat, ſigno videlicet exteriore, (id eſt aqua.) & ſanguine per illam ex inſtitutione Domini ſignificato, cuius fructus & effectus eſt peccatorum remiſsio, & veteris hominis mortificatio, & noui hominis creatio. Ergo vnus quidem & idem Baptiſmus integer eſt & Mago & Petro oblatus, at non integer vtrique contigit, ſed illi duntaxat exterior, huic verò totus, ac præterea etiam totius fructus. Ergo duplicem hîc errorem admittis, vnum in eo quòd partem & quidem non potiorem ac quæ per ſe nihil prodeſt, pro toto accipis: alterum quòd rem Sacramenti ſiue per ſignum externum ſignificatam, cū eius fructu ſiue effectu permiſces. eadē eſt prorſus alterius Sacramēti, nempe Cœnę Domini ratio, quæ tota quidē quibuſuis offertur, à ſolis autem piis integra, ac proinde cum fructu percipitur.

Quod autem de impiis cum piis potiùs comparandis quàm cum hypocritis dixeram, tute noſti, Illyrice, vanum ſomnium non eſſe, quod quum aſtutè diſsimules, ecce tibi regero, vt veſtrum iſtud dogma de externa carnis Chriſti manducatione omnibus ad Cœnam Domini accedentibus communi, ἀσύστατον eſſe inficiari non poſsis. Etenim ſi panis & corpus Chriſti ita vt vultis reali, ſubſtantiali & inſeparabili præſentia copulentur per ſacramentalem vnionem, quòd alioqui ſigna euacuentur, certè ſine diſcrimine quicumque ſignum acceperit ſiue Turca ſiue Epicureus, ſiue homo denique ſiue canis (vt etiam Papiſtæ falſiſsimè quidem, ſed tamen ἀκολούθως ſentiunt) corpus quoque Domini, ore (ſi quod eſt os canibus) ſumpſerit. Atqui ſecùs docent ex veſtris etiam nonnulli, & ii quidem vel præcipui, vt Eberus, idcirco duos indignorum gradus propterea conſtituentes. quem nodum tibi expediendum relinquo.

AD XIIII.

Priores Sacramentarij voluerunt tantùm accipi in Cœna panem & vinum, non etiam corpus ac ſanguinem Domini.

NISI notus eſſet omnibus Illyricus, mirari poſſet aliquis rancidam iſtam calumniam à quoquam nunc reponi potuiſſe. Quoties enim, obſecro, & ab ipſo D. Zuinglio, & ab aliis innumerabilibus veritatis patronis refutata eſt? Vnus ſit pro omnibus locus ex fidei expoſitione ad Galliæ Regem, *Aſſerimus*, inquit piæ & ſanctæ memoriæ vir D. Zuinglius optimus ſuæ ſententiæ interpres, *non ſic carnaliter & craſſè manducari corpus Chriſti, vt iſti perhibent, ſed* VERVM CHRISTI CORPVS CREDIMVS *in Cœna ſacramentaliter & ſpiritualiter edi à religioſa fideli & ſancta mente, quod & D. Chryſoſtomus ſentit, & hæc eſt breuis ſumma noſtra, imò non noſtra, ſed ipſius veritatis ſententia de hac controuerſia.* Hæc ille, quæ ſiue ab ipſo ſcripta neges, ſiue fatearis, Illyrice, an non dignus iam es quem nemo deinceps nec loquentem nec ſcribentem ferat?

APOLOGIA M. ILLYRICI.

Profero duos locos Caluini ex quibus appareat Zuinglianos priores ſuſtuliſſe ex ſacra Cœna corpus Domini, ac proinde me non eſſe calumniatorem. Cal. ergo in 6. Iohan. ait, Non rectè ſentiunt qui Chriſti carnē prodeſſe dicunt quatenus crucifixa eſt, comeſam verò nihil nobis afferre: quin potiùs comedere eam neceſſe eſt, vt crucifixa proſit. *Idem in Inſtitutione,* Neque illi mihi ſatisfaciunt qui nonnullam nobis eſſe cum Chriſto communionem agnoſcentes, eam, dum oſtēdere volūt, nos ſpiritus modò participes faciunt, prætèrita carnis & ſanguinis mentione. quaſi verò illa omnia de nihilo dicta forent, carnem eius verè eſſe cibum, ſanguinem eius verè eſſe potum, non habere vitam niſi qui carnem illam manducauerit, & ſanguinem biberit, & quæ eòdem pertinent. *Hæc an non contra Zuinglianos dicta ſunt?*

Defenſio Th. Bezae.

Nequaquam ſycophanta, quamuis illud non ſit inficiandum, initio iſtorum certaminum non ita perſpicuè & enucleatè ſcripta fuiſſe omnia, vt poſtea facere nos docuerunt aduerſariorum calumniæ. Inter cæteras autem iſta vel præcipua calumnia fuit, quòd qui manducationem corporis externam & propriè ſic appellatam meritò reiiciebant, perinde arguebantur ac ſi corporis ipſius omni communione excluſa ſolùm ſpiritum, id eſt ſolam energiam Chriſti pro re ſacramenti ponerent: quem errorem à nonnullis arreptũ ſedulò repulit Caluinus, docens neq; à carne ſpiritum, neque à ſpiritu carnem ſeparari oportere, vt Chriſtus ſit nobis reipſa viuificus: illud tamen adiiciẽs non ore & ventre, ſed mente & fide chriſtum ipſum, totum ſpiritualiter comedi, id eſt nobis communicari & applicari, vt vitam æternã in nos inſtillet. Hæc ſi nõ intelligis, cur te ſacris iſtis immiſces impure? ſin intelligis toties iam clarè & ſonorè inculcata, quæ tua hæc impudentia eſt?

Huius, inquit, *erroris inſtaurator aut etiam corruptor Caluinus, duo contraria ſenſa ex iiſdem verbis violenter conatur extorquere. Verba enim illa Accipite, &c. modò vult metonymicè accipi, perinde ac ſi ſcriptum eſſet, hoc eſt ſignum corporis & ſanguinis mei: modò contrà vult ibi verum ac ſubſtantiale corpus ac ſanguinem dari, ſiue* ID QVOD IPSAMET VERBA SONANT. *Atqui cuiuſuis textus non niſi vnus, proprius, ac genuinus ſenſus eſſe ſolet, ac poteſt. Ergo aut dicit Chriſtus ſe dare ſignum tantùm corporis ac ſanguinis ſui, quod vult illa Metonymia: aut contrà affirmat Dominus ſeſe, quod ſonant verba, ipſummet ſuum verum ac ſubſtantiale corpus ac ſanguinem dare, & ſic tantùm noſtra ſententia de ſubſtantiali præſentia & corporali ſumptione corporis Chriſti vtraque manu retinenda eſt. Volens ergo nolens cogitur in alterutro tantùm ſenſu perſiſtere. quod quum non faciat, pugnat tum cum textu, & eius authore, tum denique ſecum ipſe.*

OMISSIS conuiciis, (quis enim miretur Illyricum viuis & mortuis conuiciari?) ad rem veniam. Si ſignum dare corporis ſui, & verum ſuum corpus dare, ita ſunt inter ſe repugnantia, vt vtrunque ſimul ſtare non poſsit, quid obſtabit quominus Illyricus ſuo ipſius gladio iuguletur, quo nos confodere voluit? Nam certè neceſſe eſt, vt vel ipſe apertè cum Papiſtis neget ſigna, id eſt panem & vinum in Cœna præberi, aut ſi præter ſigna res etiam ipſas ſignificatas verè dari confitetur, ipſum contra ſeſe ſententiam ferre, quum quæ optimè inter ſe conſentiunt vt contradictoria in nobis redarguit. Concedo igitur illi hanc verè eſſe euidentiſsimam non eius rei quam putat, ſed ipſius quam minimè animaduertit vanitatis & amentiæ demonſtrationem. Quid autem obſtat, dicet aliquis, quominus conſentiatis, quum vtrique & ſignum & rem ipſam dari fateamini? Hoc videlicet, quòd illi contra fidei analogiam de carnis Chriſti ſupra cælos extra omnia huius mundi ſpatia ſublatæ veritate, & contra Sacramentorum vſum qui ſpiritualis eſt, & ad ſpiritualem vitam nos deducit, rem ipſam, id eſt Corpus & ſanguinem Chriſti, ſtatuunt corporaliter & realiter, vt ſigna ipſa corporalia, manibus & ore ſumi: nos autem, ſeruata carnis Chriſti veritate, & retento vero Sacramẽtorum vſu, ſurſum animos attollentes, dicimus ſpiritualiter nobis dari, & per fidem non à corpore, ſed à noſtris mentibus percipi, quod corporalibus ſignis ac etiam ritibus adhibitis nobis Dominus promittit: corporis videlicet ac ſanguinis ſui non iam in terris ſed ſupra omnes cælos collocati communicationem, vt & ipſo, & omnibus ipſius bonis ad vitam æternam potiamur. En cur nos vt impia & abſurda ſentientes Illyricus allatret.

Apologia M. Illyrici.

Non dixi vnquam Dare ſignum, & etiam ſimul Rem ſignatam, eſſe contraria. Poſſet quis vel mille ſigna ac ſignata in vnum ſaccum congerere, & alteri tradere. Sed dixi contradictorium eſſe, ſi vnum ſimplicémque textum modò per Metonymiam ita transformes, vt dicas tibi dari alicuius rei ſignum, modò contrà in propria ſignificatione accipias, vt dicas, Do tibi rem ipſam. Dixi, vt denuò repetam, vni ac ſimplici ſententiolæ, Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum, tam pugnantes ſenſus tribuere, eſſe contradictoria dicere, neque id vllam linguam admittere. Vnum de vno affirmatur, verúmque eſt. Si dicitur ſignum, non eſt res ſignata. Sin contrà eſt res ſignata, non eſt ſignum. Quid ſibi vult ergo iſta diabolica ſophiſticandi libido?

Item ad id quod ſcribit Beza noſtram ſententiam pugnare contra Sacramentorum vſum qui ſpiritualis eſt, & ad ſpiritualem vitam nos deducit: reſpondeo ipſorum potius ſententiam pugnare contra Sacramentorũ naturam, quorum ſubſtantia aut exiſtentia, aut vt ita dicam, corpus, quum ſit externum quid & veluti corporale, ipſi id faciunt vel maximè ſpirituale.

Præterea dico quòd his pauciſſimis verbis ſemetipſos damnent. Scimus enim aliud eſſe rem quamcunque & aliud vſum eius: ſiue aliud eſſe id quod deducit aliquem, & aliud terminum ſiue metam ad quam illud nos ducit: ſicut aliud eſt nauis, aliud vſus nauis, aliud ciuitas aut portus ad quem nauis aliquem deducit. Igitur ſi Sacramentorum vſus eſt ſpiritualis, illáque nos ad ſpiritualem vſum deducunt, ipſamet Sacramenta non ſunt ſpiritualis manducatio aut fruitio Chriſti aut vita, ſed ad Chriſtum ducunt vt eum apprehendamus, eiúſque bonis perfruamur.

Defenſio Th. Bezae.

Fruſtrà eluctari ſtudes, Illyrice. Nec enim contradictoria eſſe poſſunt Dare ſignum, & Dare rem ſignatam: quod vtrunque ſemper diximus, quamuis illud quidem ori corporaliter, iſtam verò menti ſpiritualiter dari docemus. Ex quo efficitur Metonymiam ſacramentalem, qua ſigno

ſic tribuitur nomen rei ſignificatæ, vt vtruoque ſacramentaliter ſit coniunctiſsimum, nihil prorſus contradictionis in ſe continere. Sed ſi verum eſſet quod tu in demonſtratione quidem expreſſiſti, in Apologia verò aſtutè præteriiſti, nempe ſic à nobis exponi Chriſti verba, vt modò quidem nihil dari niſi ſignum corporis, modò dari etiam rem ipſam ſignificatam dicamus, tum certè meritò nos vt nobiſipſis repugnantes coargueres. Sed hoc ſanè tam facilè nos vnquam docuiſſe probauerit, quàm lucem eſſe tenebras.

Quod autem exiſtimas Sacramentorum exiſtentiam eſſe externum quiddam & corporale, id eſt, vt te quidem interpretari neceſſe eſt, corporeis ſenſibus perceptibile, in eo, veterator, ſophiſtam agis. Etenim Sacramenti nomine interdum quidem ſigna ipſa duntaxat & per ſe intelliguntur, vt quum panem illum & vinum illud dicimus eſſe Sacramenta: interdum verò Sacramentum vnà cum ſigno rem quoque cuius ſignum eſt declarat, propter mutuā ſigni & rei ſignatæ relationem. quo ſenſu rectè dixit Irenæus, Sacramenta duabus rebus conſtare, vna terreſtri quæ etiam Elementum vocatur, cuiuſmodi eſt panis & vinum, quæ demum in corporis ſenſus incurrunt, altera cæleſti, putà corpore & ſanguine Domini, quæ ſolus mentis oculus intuetur, & ſola fidei manus apprehendit. Vnde & illud, In Sacramentis aliud videri & tangi, aliud intelligi & credi. Nec igitur transformamus Chriſti corpus in Spiritum, nec veritatem corporalium ſignorum tollimus, quum hæc quidem corporalia eſſe dicimus & corporaliter præberi, corpus autem Domini nonniſi cæleſti & ſpirituali modo nobis communicari affirmamus. Tu verò planè ineptis, quum Sacramentorum vſum ſiue finem prorſus ſpiritualem eſſe faſſus, nihil tamen in iis niſi externum & corporeis ſenſibus obiectū conſideras. Quanto rectiùs Auguſtinus, Quid paras, inquit, os & dentes? crede, & manducaſti. Corpus enim Chriſti, cibus eſt non ventre, ſed mente perceptibilis.

Denique quum vſum rei à re ipſa, & nauem à portu diſcernis, rectè facis. Sed quorſum hæc in nos dicuntur? Quod enim ais à nobis doceri, ſpiritualem manducationem aut fruitionem eſſe Sacramenta, non minùs impudenter quàm falsò comminiſceris.

Ne tamen videatur Illyricus nihil ſine ratione dixiſſe, quoniā nouit à nobis hanc calumniam ſic redargui, vt dicamus ſigna in rebus ſacris non eſſe nuda, ſed præter ſigna rē etiā ipſam id eſt Chriſtum ſpiritualiter per fidem percipiendum dari, primùm ſuo more conuiciatur, & hanc regulam clamitat arcem eſſe ſiue cauernam ſiue latibulum, vnde per latrocinia Sophiſmatum in veritatē graſſemur: quæ quum ſcriberet Illyricus, Dalmatiæ ſuæ fortaſsis meminerat. Deinde mirabili demonſtratione mendacii nos coarguit. *Dicimus*, inquit, *Sacramenta quantum ad ſuam eſſentiam aut cauſam formalem poſſe eſſe nuda ſigna, & poſtea ratione effectus aut fructus nihilominus ſua bona ſecum apportare.* Et mox, *Nequaquam nudum ſignum foret, etiam ſi tantùm panis & vini ſumptio inſtituta eſſet, quandoquidem illum tantum theſaurum beneficiorum Chriſti in poſteriore teſtamenti Domini parte ſecum afferret, & quaſi in tergo apportaret. Exemplo nobis ſit Sacramentum Baptiſmi, vbi primum eſſentia eius eſt baptizari aqua in nomine Patris, ac poſtea effectus eius & promiſſio eſt, in remiſſionem peccatorum. In eo Sacramento aqua lotio ſignificat nos ſic ſpiritualiter per hoc Sacramentum ablui ſanguine Chriſti ab omnibus peccatis. At non propterea neceſſe eſt ibi ſomniare ſubſtantialis aut realis ſanguinis Chriſti veram realémque præſentiam, aut lotionem in ipſa eſſentia huius Sacramenti, quia id verba huius Sacramenti nō pollicentur. Nec tamen propterea Baptiſmus nudum ſignum aquæ aut lotionis eſt, quandoquidē (Deo id agente) tantos in nobis theſauros operatur ac velut in tergo affert.*

HAEC ille: quæ non adſcripſi quaſi refutatione egeant, ſed vt inſigne diuinæ excæcationis exemplum in iſto miſero omnes contemplentur.

PRIMVM enim quòd eſſentiam ſiue rem ſiue materiam Sacramentorum cum forma confundit, certum eſt læſæ mentis & erepti ſenſus communis argumentum.

DEINDE manifeſta eſt impietas, Sacramenta pro nudis ſignis habere, ſiue Sacramenti nomen accipias pro ſacra & myſtica tota actione, veluti quum duo eſſe dicimus Chriſtianæ Eccleſiæ Sacramenta, Baptiſmum & Cœnam Domini: ſiue pro ſymbolis & rebus ipſis ſimul ex inſtitutione Domini ſacramentaliter iunctis, quo ſenſu dicimus Euchariſtiam duabus rebus conſtare, vna terrena, altera cæleſti: ſiue denique pro ipſis duntaxat ſymbolis, veluti quum Sacramentum à quibuſuis accedentibus, rem autem Sacramenti à ſolis fidelibus ſumi. Quocunque, inquam, modo Sacramenti vocem accipias, nuda in ſeſe dici Sacramenta non poſſunt, quoniam nunquam abſque re illa ne impiis quidem offeruntur, cui ſignificandæ adhibentur: ideóque impii, quanuis rem cum ſigno, ſua culpa, non percipiant, tenentur tamen imprimis ſpretæ rei contemptu.

PRAETEREA quis eſt iſte ſtupor, poſtquam affirmaris Sacramēta poſſe eſſe nuda, ſtatim negare nuda fore ſigna etiamſi tātùm panis & vini ſumptio eſſet inſtituta? Quid verò quòd hoc quoque falſum eſt? Nam ſi ita eſſet id eſt ſi tantùm inſtituta eſſet panis & vini ſumptio, cui perſuaſerit Illyricus illam potuiſſe nobis theſauros Chriſti, vt ipſe loquitur, ſecum afferre?

POSTREMO quum Baptiſmi eſſentiam eſſe dicit Baptizari aqua, rurſus formam cum eſſentia ſtultè permiſcet. Res igitur ſiue ſubſtātia Baptiſmi, ſi externam actionem reſpiciamus, eſt aqua: ſin verò internam, Chriſtus ipſe, vt & ſimplicis Verbi & alterius Sacramenti. Hallucinatur enim Illyricus, iíque omnes ex quibus hunc errorem hauſit, quum aliam realem præſentiam Chriſti in Cœna quàm in Baptiſmo imaginatur, quod alibi à noſtris & ex Dei verbo & ex veterum Orthodoxorum teſtimoniis eſt probatum. Tantùm in eo eſt diſcrimen, quòd in verbo Chriſtus ſimpliciter & abſque ſignis, in Baptiſmo verò vt lauacrum noſtrum, in Cœna denique vt ſpiritualis & viuificus cibus & potus nobis datur.

Bene eſt interea quòd ex ipſius Illyrici teſtimonio conſtat calumniatores eſſe omnibus modis quicunque dicunt nos nuda & vacua ſigna in Cœna conſtituere, inter quos quum ſit & ipſemet Illyricus, agè ſuo ipſius teſtimonio conuictus teneatur.

Apologia M. Illyrici.

Imò quis non nouit præter Bezam formam rei eſſe ipſam eius talem eſſentiam ſiue exiſtentiam? Vnde ſunt illæ celebres ſententiæ, Forma dat eſſe rei, & Forma eſſentialis? Quis dicet aliud eſſe ollam, quàm talem eius formam? Contrà ſi quis cum Beza confundat materiam cum eſſentia ſiue exiſtentia rei, ac volens propriè loqui, dicat lutum eſſe ollam, aut contrà, an non deſipiet? ego verò non confundo materiam Sacramentorum cum forma. ſed dico Materiam eſſe Elementa & corpus ac ſanguinem Domini, formam autem ipſam ſeriem rerum & actionum ſic diuinitus ordinatam, & ad certum vſum, Accipite, Comedite, Bibite, Hoc eſt corpus meũ &c. directam, & totam illam rerum actionúmque ſeriem vocc eſſentiam Sacramenti. Hinc iudicet lector vter communi ſenſu careat.

Defensio Th. Bezæ.

Quomodo differant, Eſſe & Tale eſſe, quod ſit οὐσίας & ὑπάρξεως diſcrimen, & quo ſenſu dicatur Forma eſſe rei alicuius eſſentia an in ſeſe videlicet, an verò quòd cauſam exiſtentiæ tribuat, diſputare ſubtiliter nec huius eſt temporis nec loci. Eſſentiam enim Sacramenti disertè appellaui materiam, ſiue illud ex quibus illam cõſtare ipſemet Illyricus teſtatur: neque temerè ſum ita loquutus, quum ipſemet Cicero non ſemel in Timæo οὐσίαν, quod ad verbum Eſſentiam declarat, Materiem ſit interpretatus. An verò materiem cum forma cõfundat Illyricus, vel ex eo intelligi poteſt quòd in hac ipſa apologia Baptiſari aqua, non autem ipſam aquam conſtituat pro Sacramenti eſſentia. quo nomine ſi materiem ipſam ſacramenti intelligit, obtinui quod dico : ſin verò formam duntaxat, vt ipſe nunc excipit, ergo non aqua Baptiſmi, ſed ipſius aquæ aſperſio fuerit Sacramentum, neque panis & vinum, ſed panis & vini datio & acceptio fuerint Sacramenta: vel certè ſicut neque materia abſque forma, nec forma abſque materia quicquam conſtituit, ſic etiam dicendum erit, aquam Baptiſmi non niſi acceſſione ipſius aſperſionis, itémque panem illum & vinum illud nonniſi dationis & acceptionis interuentu, fieri Sacramentum. Hoc autem quàm ſit falſum & abſurdum vel ex eo liquet quòd ita fiet vt Sacramentum non exiſtat priuſquàm detur & recipiatur. Itaque ſi Illyrico credimus, quid eſt ille panis poſtquam ei benedicit miniſter? non certè confectũ Sacramentum, ſed mox ſcilicet conficiendum, nempe poſtquam porrectum fuerit & acceptum, quandoquidem hæc eſt eius eſſentia ſiue cauſa formalis. Ergo non pendebit ſacramentalis confectio corporis & ſanguinis Domini, ab ordinatione his verbis concepta, Hoc eſt corpus meum: ſed ab his verbis, Accipite, Comedite, Bibite. Ergo, inquies, Sacramentum putas extra vſum, id eſt finita actione, habere Sacramenti rationem? Minimè verò, quum ea demum conditione fiant & dentur, vt iis certo ritu vtamur. Sed tamen hoc dico, ex inſtitutione Domini panem communem mutari in Sacramentum, priuſquam eo quiſpiam vtatur, quum fides quam præire ſumptioni legitimæ oportet, in panem aut vinum non vt in res communes, ſed vt in Sacramenta reſpiciat, quod certè immeritò faceret, niſi reuera iam eſſent confecta Sacramenta. Ergo Sacramenta non facit ritus aut ipſe eorum vſus: imò non niſi iam factis Sacramentis rite vtitur, vel ipſe miniſter illa præbens, vel fidelis illa percipiens. Rectè itaque Auguſtinus, Verbum accedat ad elementum, & erit Sacramentum. Verbi nomine videlicet, non ritum ſiue actionem dandi & accipiendi, ſed ordinationem & promiſſionem Domini intelligens, quæ vera eſt formalis cauſa Sacramenti.

Apologia M. Illyrici.

Quòd Beza dicit manifeſtam eſſe impietatem dicere Sacramenta eſſe nuda ſigna. & ſtupori tribuit quòd quum affirmarim Sacramenta poſſe eſſe nuda ſigna, ſtatim negem fore nuda ſigna, etiam ſi tantùm panis & vini ſumptio eſſet inſtituta: reſpondeo me dixiſſe Sacramenta in ſuo eſſe, exiſtentia, aut, vt ita dicam, corpore poſſe eſſe nuda, modò interim adſit ampliſſimus effectus aut fructus qui ea veſtiat. Sunt ergo in eſſentia nuda ſigna, ſed in effectu afferunt gratiam cuius ſunt ſigna. Sic dixi in Baptiſmo inſtitutam eſſe realem, nudámque lotionem aquæ, at non realem præſentiam aut lotionem ſanguinis, ſed porrò in effectu aut fructu, ex ordinatione Dei afferre ablutionem aut remiſſionem peccatorum. Cur ergo Beza maleficis ſophiſmatibus dilucidas ſententias inuoluit? Circuncisio teſte Paulo, fuit ſignum & ſigillum circuncisionis. Si igitur Sacramenta in ſuo fructu aut effectu afferunt iuſtificationem, nequaquam erunt nuda ſigna.

Quod Beza eſſentiam Baptiſmi vult eſſe aquam, & non ipſum baptiſari aqua, & quod dicit non aliam eſſe manducationem corporis Domini in Cœna quàm in Baptiſmo, quum id non probet, nunc omittam, poſtea in appendice prolixiùs ea de re aliturus. In inſtitutione ſacræ Cœnæ clarè de dato cibo dicitur, Hoc eſt corpus meum: de aqua baptiſmi, nequaquam. Sacrilega ergo hæc audacia quiduis temerè affirmandi deteſtanda eſt, præſertim in Theologo, rebúſque diuinis.

Poſtremò de Bezæ vltimo cauillo reſpondeo. Accuſant eos alij quòd in eſſentia huius Sacramenti, ſeu cauſa formali, nuda ſigna collocent, à qua accuſatione eos non libero. In finali verò cauſa hoc eis non perinde obijcitur. Diſtinguat igitur Beza, & ſoluetur dubium, concidétque eius ſophiſma.

Defensio Th. Bezæ.

Dixeram Illyricum manifeſtè ſeipſum inuoluere, quum diceret Sacramenta eſſe nuda ſigna, & tamen negaret eſſe nudum Baptiſmum, vel nuda fore ſigna Cœnæ etiam ſi tantùm panis

& vini ſumptio inſtituta eſſet. Quid reſpondet demonſtrator? nuda poſſe eſſe ſigna in ſua exiſtentia, at non ratione ſui effectus aut fructus. Sicut, inquit, in Baptiſmo inſtituta eſt realis & nuda lotio aquæ: at non realis præſentia aut lotio ſanguinis, ſed porrò in effectu aut fructu ex ordinatione Dei affert ablutionẽ ſiue remiſsionem peccatorũ. Quę ſint autẽ hic myſteria, dicã, ſi diuinare potero quid homo iſte ſibi velit, & in cogitãdo perplexus, & in dicẽdo perobſcurus, ac planè barbarus. Nũ ignorat nobis impingi ſolere ꝙ ſigna Cœnæ Domini euacuemus, ſiue vacua & nuda eſſe ſtatuamus, idque duobus modis: vno, quòd corpus & ſanguinẽ cũ pane & vino nõ ſtatuamus eodem loco & ſitu adeſſe, imò verò (quod veriſſimum eſt) tanto ſpatio hæc ab illis abeſſe quanto abſunt cæli in quo eſt recepta caro Chriſti vſque ad vltimum illum diem, à terreſtribus illis locis. altero, quaſi corpus & ſanguinem Domini dicamus in Cœna tantùm ſignificari, non autem reipſa, id eſt verè communicari. quod falſiſsimè & calumnioſiſsimè in nos dicitur. Hæc autem diſsimulans iſte veterator, admittit nuda eſſe poſſe ſigna in Sacramento, quod ad formalem cauſam attinet, quam vocat, id eſt ad externum ritum, ſicut eueniat in Baptiſmo, in quo realis lotio aquæ interueniat, at non ſanguinis, quod tamen ſignum externum non ſit nudum, ſi effectum ſpectes, nempe remiſſionem peccatorum qua veluti veſtitur. At de Cœnæ Domini ſignis quid ex illius doctrina ſtatuemus? nempe neutro modo nuda eſſe, quum de dato cibo dicatur HOC EST CORPVS MEVM, ac proinde ori præbeatur & ſignum & corpus, & præterea annexum habeant theſaurum beneficiorum Chriſti, quem, inquit argutus & elegans ſcriptor, in tergo, id eſt in poſteriore Teſtamenti Domini parte apportet. Imò, aſine prorſus dignus es qui clitellas geſtes, & cuius coſtæ fuſte dedolentur, vt ex Eccleſia Dei tanquam impura beſtia ſemel abigaris. Quis enim te docuit ſigna vocare nuda quibuſcum res ſignificata veriſſimè offeratur? Sint ſanè nuda, vana, inania Sacramenta quæ hominum auctoritas inſtituerit, veluti chriſma, aqua luſtralis, & alia huiuſmodi. De Baptiſmo verò ſiue de vllo vero Sacramento, quis te ſic loqui docuit? Sed hoc nimirum te fefellit, qui tamen omnia ſoles demonſtrare, quòd nihil niſi externum in ipſa Sacramentorum materia imaginaris, ideóque in Baptiſmo nullam materiam præter aquam, imò nullam realem in Baptiſmo ablutionem ſanguinis Chriſti fieri ſomnias, ac proinde niſi in Cœna Domini ſtatuatur externa tum corporis tum panis manducatio, euacuari ſigna quod ad materiam attinet, exiſtimas. Atqui res longè ſe aliter habet. Sunt enim idcirco inſtituta omnia Sacramenta, adeóque hæc eſt ſpecifica & communis omnium Sacramentorum & ante & poſt Legem ratio, quòd viſibilibus ſignis ſpiritualia, id eſt Chriſtum & eius beneficia menti veluti contemplanda proponãt. quod niſi verũ eſſet, luſiſſe ſanè Dominus cũ Eccleſia ſua meritò videretur. Exẽplo ſit Circunciſio externa carnis, quicum interna Circunciſio cordis fide percipienda verè offerebatur. Non fuit igitur nudũ ſignum, ſed externa Circunciſio internam adumbrabat, ac propriè quidem caro, metaphoricè verò cor circuncidi dicebatur. Sic in Baptiſmo aqua ſignum eſt, minime nudum, ſed quicum verè datur ſanguis Domini. carnis itidem ablutio ſignum eſt, ſed minimè inane. ablutio enim à peccatis ſimul offertur. ſed corporaliter quidem aqua, ſpiritualiter verò ſanguis adeſt & præbetur fidei, & caro quidem noſtra propriè, animus autem tranſlatitiè ablui dicitur. At tu, niſi vtraque ablutio fiat exteriùs, ita videlicet vt ſicut aqua, ita etiam realiter præſentis ſanguinis ipſius aſperſione homo ſimiliter eluatur, nudũ illud ſignum eſſe ſtatuis, qui craſsiſsimus eſt error, ac planè etiam indignus qui refutetur. Eandem autem eſſe dico Cœnæ Domini rationem, cuius etiam ſigna minimè nuda ſunt, nec tamen aliter quàm in Baptiſmo veſtita, Sacramentali videlicet coniunctione coniuncta, cuius non ea vis eſt quam putas, vt eodẽ loco ſignum & res ſignificata ſiſtantur, ſed vt quod ſignis corporaliter ſignificatur, animo ſpiritualiter offeratur. Itaque non eſt illa tua duplex ſtatuenda vel datio vel ſumptio externa, vna quidem ſignorum putà panis & vini illius, altera verò rerum, id eſt, corporis & ſanguinis Domini, ſicut tu Cyclops imaginaris: ſed vna quidem oris & ſignorum, eáque prorſus naturalis, altera verò mentis ſeu fidei & rerum ſignificatarum, ac proinde vera quidẽ ſed ſpiritualis: & illa quidem ſumptio propriè vocatur eſus & potus, iſta verò trãſlatitiè, appoſitiſſimè tamen & ſignificantiſſimè, vt intelligamus carnem & ſanguinem Chriſti nobis ad vitam æternam id præſtare quod communis cibus ſuo modo efficit ad hanc caducam vitam ſuſtinendã. Nulla igitur quod ad Deum offerentem attinet, nuda ſunt ſigna, ſiue materiam ſiue, vt tu loqueris, formam ſpectes, ſed nõ ſunt eo modo veſtita quo tu putas, qui externa à ſpiritualibus diſcernere nondum didiciſti. Verùm quod ad accedentes attinet, poſſunt illi nuda ſigna percipere, quæ tamen nunquam ſola ſiue nuda dentur: cuius rei hæc ratio eſt, quòd ſigna quidem corpori, res autem ſignificatæ fidei offerantur, vnde conſequi neceſſe eſt, vt qui nihil præter corporia inſtrumentum afferunt ſola etiam ſigna, rebus ipſis ſignificatis neglectis, percipiant. At tu quoniam vtraque ſomnias in Cœna corpori offerri, idcirco carnem quoque Chriſti ab omnibus accedentibus mãducari ſtatuis. Eſt autem hic error ſanè craſsiſsimus, quum ſi fide percipi Chriſtum concedis, ſiue in verbo ſiue in Sacramentis neceſſariò etiam tibi concedendum ſit, incredulitate reſpui. In eo verò quòd dicis, nunquã eſſe nuda ſigna in effectu, neceſſe eſt velis nolis, vt mihi cõcedas diſcrimen ſtatuendũ eſſe inter Deum offerentem, & homines Sacramẽto vtentes, quum Deus ſemper effectum ſiue (vt tu vocas) vtilitatem, vnà cum re offerat, quam tamen ſoli fideles percipiant.

At enim, inquit Illyricus, clarè in Cœna Domini de dato cibo dicitur, HOC EST CORPVS MEVM. de aqua Baptiſmi nequaquam. Imò, Illyrice, ne id quidem in verbo Dei totidem verbis dicitur, Baptiſmum aut Cœnam Domini eſſe Sacramenta. Quid ſupereſt igitur, ſi nihil admittis niſi quod diſertè & prorſus expreſsè in verbo Dei ſcriptum eſt, quin Sacramenti nomen

& Ba-

& Baptiſmo & Cœnæ ipſi tribuendum neges? Neque inficiari potes, hoc ipſum nobis ab aduerſariis calumnioſè obiici, quum affirmamus omnem ſalutis ſcientiam verbo ſcripto contineri. Res autem ita ſe habet, ſcriptum cenſeri quod ex ſcripto neceſſariò conſequitur. Sic Myſterii ſiue Sacramenti nomen tum Baptiſmo tum Cœnæ Domini tribuimus, quoniam ex Dei verbo apparet ſigna eſſe corporalia, ſpiritualibus rebus ſpiritualiter applicandis deſtinata, quæ communis eſt omnium Sacramentorum ratio, adeóque generis inſtar eſt in illorum definitione, adeò quidem vt ſicut homini non magis quàm beſtiæ competit animalis nomen, ita etiam eadem communi prorſus ratione tum Baptiſmus tum Cœna ſint dicantúrque Sacramentum. Quòd ſi vnum eſt altero excellentius, non hoc oritur ex genere, quaſi hoc ſit magis Sacramentum quàm illud, ſed ex proprio ſiue differentia: ſicut homo non præſtat beſtiæ quatenus eſt animal, ſed quatenus ipſe quidẽ eſt rationis particeps, iſta verò rationis capera. Itaque aquam illam Baptiſmi tam eſſe ſanguinem Domini dico, quàm panis ille eſt illius corpus, & vinum illud eſt eiuſdem ſanguis, Sacramentali videlicet tum ſignificatione tum coniunctione, quamuis illud diſertis verbis de Baptiſmo non extet perſcriptum. Quòd ſi libeat etiam quærere vtrum Sacramentum ſit præſtantius, non temerè diſceſſerim à D. Martyris ſententia, qui maius quiddam eſſe dicit gigni quàm nutriri, ac proinde hoc reſpectu excellentius videri poſſe regenerationis quàm nutritionis noſtræ Sacramentum. Certè non minus eſt Chriſtum induere, ablui à peccatis, commori, conſepeliri, reſurgere denique cum Chriſto, quàm Chriſti carnem edere & ſanguinem bibere, & carnem ac ſanguinẽ eiuſdem participare. Differentia porrò Baptiſmi & Cœnæ Domini, non in eo poſita eſt quod iſte ſomniat, quaſi videlicet ſanguis ſit abſens ab aquæ ſigno, præſens autem in, ſub, vel cum pane & vino ſit corpus & ſanguis: ſed in hoc demum quòd illic quidem vt lauacrum & ingreſſus in domum Domini, hic verò vt cibus & alimentum, vnus idémque Chriſtus præbetur. Ex his colligere, vt ſpero, licebit, vter ſit ſacrilegæ audaciæ reus.

Sed vltimum iſtud præcipuè dignum eſt quod expendatur, *Accuſant nos*, inquit iſte, *alÿ, quòd in eſſentia huius Sacramenti ſeu cauſa formali nuda ſigna collocent, à qua accuſatione eos non libero.* Neque verò tu is es qui nos abſoluere vel damnare poſſis, vel eo ſaltem nomine quod idem accuſator eſſe & iudex nec potes, nec debes. Sed quid ſi tibi ad te damnandum non alio iudice quàm teipſo opus eſt? Nam tu ipſe quid aliud inculcas, quàm Sacramentorum eſſentiam nihil aliud eſſe quàm ſignum? adeò quidem vt ipſum corpus Domini velis eſſe alterius rei ſignum. Quid tu igitur aliud eſſe vis Sacramenta quàm ſigna? quæ ſi, ne nuda ſint, aliis ſignis veſtias, quis tandem erit iſtius multiplicationis ſignorum finis? Sin verò mutuis effectu veſtiri ſigna, te ipſo teſte & iudice, nuda ſigna non ponimus. Subiicis enim, *In finali verò cauſa hoc perinde ipſis non obÿcitur.* En quàm bene definire ac diuidere noueris, egregie demonſtrator.

AD XV.

SACRAMENTA ratione ſuæ eſſentia ſunt σφραγῖδες, id eſt ſigna promiſſa iuſtificationis. Signum verò & ſignatum ſunt res diuerſa. Ergo illa ſpiritualis manducatio non poteſt habere locum in deſcriptione ipſius eſſentia Sacramenti, nempe in verbis, Accipite, Comedite, &c.

RESPONDEO tot hic eſſe pudendos errores quot ſunt vocabula. Primùm enim, vt nihil dicam de eo quòd σφραγῖδας ſigna ambiguo vocabulo interpretaris, contra Pauli mentem, qui duobus vocabulis σημεῖα & σφραγῖδος eodem loco non temerè vtitur: omnino ridiculum eſt quod ſcribis Sacramenta ratione ſuæ eſſentiæ dici σφραγῖδας: quum ab vſu potiùs & effectu cui deſtinata ſunt, ſic nominentur, non autem à ſui eſſentia, ſiue ſymbola ſiue ſignificata ipſa ſpectemus. Quod igitur paulò antè dixi de Baptiſmo, de Cœna etiam dico: materiam videlicet externam horum Sacramentorum eſſe panem & vinum, rem autem & ſubſtantiam internam ſiue ſignificatam eſſe Chriſtum ipſum, cuius communicatio ſpiritualiter per fidem in credentium cordibus ſic velut impreſſo ſigillo obſignatur. Si hoc negat Illyricus, cum eodem Paulo litiget, qui in his paucis ſed verè precioſis verbis, *Panis quem frangimus, &c.* tum eſſentiam, tum vſum ac finem præcipuum huius Sacramenti planè ac perſpicue explicauit. Fateor tamen, quod etiam ſuprà attigi, ſubſtantiam interdum & rem Sacramenti vocari quicquid inde fructus conſequimur, ſed hæc diſtinctio Illyricum nihil iuuat, qui hoc loco voluit eſſentiam ab effectu diſtinguere, quum neutrum tamen intellexerit.

ALTER error in eo poſitus eſt, quòd promiſſæ tantùm iuſtificationis meminerit, prætérito eo vnde ipſa iuſtificatio hauritur, Chriſto videlicet, cuius in primis nos fieri participes oportet, vt fiat nobis iuſtitia. Neque quicquam Illyricum ſubleuat Pauli authoritas, qui in illo Abrahami exemplo Sacramentariam cauſam ex profeſſo non tractat, ideóque eum demum vſum ex multis ſelegit, qui ad propoſitum argumentum, nempe ad probandam gratuitam iuſtificationem, pertinebat.

PRAETEREA, quum prioribus verbis illis, Accipite, Comedite, &c. dicamus & ſignum & rem ſignificatam, panem videlicet & corpus per panem Sacramentaliter ſignificatum: ac prætereà etiam quid nobis ex parte noſtra ſit agendum, declarari: poſterioribus verò illis, Quod pro vobis traditur, &c. vſum ipſum & fructum iſtarum rerum explicari: vbi hæc in doctrina noſtra perturbatio quam ſomniat Illyricus?

Apologia M. Illyrici.

DIXERAM in mea demonſtratione Sacramenta eſſe ſigna ſpiritualis fruitionis, igitur non eſſe ipſam fruitionem. Huius argumenti ſummam omittit Beza, quæ tamen ſemper primo loco in ſolutione argumentis ponenda eſt, monſtrato vitioſo modo.

Secundò dicit Beza me ambiguo verbo σφραγῖδος contra Pauli mentem abuti: neque tamen hoc declarat vel probat, vel ad mei argumenti vitioſitatem applicat, fugitans nimirum lucem, quũ clarè adſcripſerim Signum, vt vocem σφραγῖδος exponerem.

Tertiò ad id quod dicit ridiculum eſſe me, quum dico Sacramenta ratione ſua eſſentiæ eſſe ſigna. Reſpõdeo ipſam exiſtentiã illorum eſſe ſignum, eatenus quatenus ad ſignificandum aliquid eſt deſtinata. Nã in poſteriore parte Cœnæ fine in fructu collocat Dominus ipſam fruitionem ſui per fidem, quæ per Sacramenta ſignificantur. Num ergo meum fuiſſet expungere fructus ex vſu Sacramentorum, & ibi ſigna Sacramentorũ collocare? Nónne & ipſi vſque ad tædium ingeminant panẽ & vinũ eſſe ſigna, & definiendo dicũt, Sacramẽtum eſſe ſignũ, ponentes id pro ipſo genere? Num effectus alicuius rei poteſt et tribus pro genere in ipſius definitione? Itaque rurſum dico Sacramentorum eſſentiam ſiue exiſtentiam eſſe ſignũ quoddam, vſum autem & effectum ipſam ſpiritualem fruitionem Chriſti cum ſuis bonis, quæ bona per hæc ſigna ſignantur.

Defenſio Th. Bezæ.

Contendere ſe dicit Illyricus ipſam fruitionem non eſſe Sacramentum. Et quis hoc vnquam cogitauit, nedum vt diceret, aut ſcriberet? Imò hæc ipſa ſunt eius verba, *Aduerſarij nuſquã non nobis occinũt, affirmantes Sacramenta eſſe ſigna fruitionis corporis, non ipſas res aut beneficia ſeu ſpiritualem fruitionem Chriſti.* Ergo vel tua ipſius confeſſione, ὦ *** , abſoluimur, vtqui affirmemus fruitionem ipſam Chriſti non eſſe Sacramentum. Sed quod tu nos affirmare dicis, nempe Sacramenta eſſe ſigna fruitionis corporis, tuam ſiue inſcitiam ſiue impudentiam multò etiam magis coarguit, niſi diſtinctione te vſum eſſe dicamus, quam tamen tibi non fuiſſe cognitam res ipſa conuincit. Si Sacramenti nomine, elementa intelligis, id eſt panem illum & vinum illud, quo modo ſæpe loquuntur ſacri omnes ſcriptores, non dicimus, Illyrice, hæc eſſe ſigna fruitionis Chriſti, ſed ipſius corporis & ſanguinis Chriſti, ſicuti loqui nos Apoſtolus ipſe docuit. Sin verò Sacramenti nomine totã illam ſacram actionem intelligis, ſæpe concedimus eam huc reſpicere vt Chriſto ad vitam æternam magis ac magis potiamur, quod quum ne tu quidem inficieris, aduerſus quem tandem telum hoc imbelle, vt & cætera omnia, ſine ictu iacularis? Nam quod tu hinc elicis, ſpiritualem manducationem aut fruitionem nequaquam poſſe habere locum in deſcriptione ipſius eſſentiæ Sacramenti ſiue ſigni: nempe in verbis, Accipite, Comedite, &c. certa rurſum eſt tui ſtuporis demonſtratio, qui manducationem ab ipſius fructu, id eſt fruitione diſtinguere neſcias, quum tamen non ignores aliud eſſe comedere quàm nutriri: & præterea ignores hæc verba, Accipite, Edite, Hoc eſt corpus meum, &c. partim quidem dici ſenſibus & corpori, vt ita loquar, corporei ſigni ſumendi & comedendi reſpectu, partim verò menti & fidei, habita rei ſignificatæ & ſpiritualiter exhibitæ ratione, quod ipſa Sacramentorum natura & finis ipſe neceſſariò flagitant.

Ad ſecundum reſpondeo, me vno verbo ſatis & declaraſſe & probaſſe tuum alterum craſſum errorem, qui σφραγῖδα interpreteris ſignum, quum Paulus ad Romanos capite quarto, ex quo iſtud deſumpſiſti, non temerè vſurpet diuerſa duo nomina, quum dicit σημεῖον περιτομῆς fuiſſe σφραγῖδα, id eſt illud quod obſignaret iuſtitiam fidei. Niſi enim inter hæc duo diſtinxeris, quid fuerit abſurdius iſta ταυτολογία? Itaque Paulus σημεῖον, id eſt ſignum vocás Circunciſionem, oſtendit fuiſſe Sacramẽtum, nomen autem σφραγῖδος quorſum id inſtitutum fuerit declarat, nempe obſignandæ iuſtitiæ fidei cauſa: quæ quum in eum locum ſcribens, pluribus explicarim, nolo nunc ea perſequi. Tantùm dico me non fugere lucem in quam te pertrahere fruſtrà ſtudeo.

Ad tertium quid potiùs reſpondero, quàm vt ſi me reſpondere vis, ſic loquaris vt poſſis intelligi? Sacramentorum exiſtentiam eſſe ſignum, quum dicis, idque probas ex eo quòd Sacramentum ſignum eſſe definiamus, quid agis, bone vir? Nam certè diſcere te oportuit priuſquam affectares magiſterium in Iſrael, ſignum accipi in iſta Sacramenti definitione, duplici ſenſu, nempe & actiuè & paſsiuè, vt in ſcholis loquimur. Itaque ſigna ſunt ſignificantia, panis & vinum: ſignificata verò, corpus & ſanguis Domini. Et hæc quidem eſt ipſa ſiue eſſentia, ſiue materia Sacramẽti, his verbis deſcripta, HOC EST CORPVS MEVM, HOC EST SANGVIS MEVS. Forma verò & modus vtẽdi, qui & ipſe ritus Sacramẽtalis eſt, declaratur his verbis, Accepit, Fregit, Dedit, Accipite, Cõedite, Bibite. Vſus verò ſiue finis ipſe eſt, cõmunicatio corporis traditi & ſanguinis effuſi ad vitã æternã. Quid hîc inuenies Illyrice, quod arrodas? Quod autẽ quæris an effectus alicuius rei poni poſsit pro genere in ipſius definitione, ſi nolis ex Dialecticis diſcere, ſaltem cognoſce ex Paulo, qui vtrunque illud panis & vini Sacramentum deſcribens, κοινωνίας pro genere poſuit. Subiicit autem poſtea Illyricus, *Euaneſcit etiã iſta bulla figmentis Bezæ de certo errore, quòd promiſſæ tantùm iuſtificationis meminerim, præterito eo vnde ipſa iuſtificatio hauritur. Sentio ſcilicet non iuſtificari hominem per Chriſtum. Imò volui ſtudio vti verbis Pauli, ne viderer aliquod meum commentum afferre. At enim, inquit ille, non te ſubleuat Pauli authoritas, quia noluit ibi ex profeſſo ſacramentariam cauſam tractare. Reſpondeo me quoque noluiſſe ex profeſſo in omnibus lineis omnia quæ coniungi poſſunt enumerare.*

Denique perturbatio quam negat Beza eſſe in ſua doctrina, inde eſt quòd ſpiritualem fruitionem ſiue manducationem Chriſti, qui primarius eſt totius Chriſtianæ religionis fructus, in prima parte Cœnæ collo-

collocent, vbi tantùm deſcribitur ſignum ſiue Sacramentum in ſua eſſentia. Itaque ſpiritualis manducatio in vſu Sacramenti vel fructu collocanda eſt.

At ego te dico, Illyrice, fruſtrà tergiuerſari. Nam vt nolueris ſingula omnibus locis enumerare, an idcirco te ex profeſſo differentem de Sacramentorum materia, forma, & vſu, omittere oportuit quod præcipuum eſt, Chriſtum ipſum videlicet cuius propriè ſignum eſt panis, non autem iuſtificationis, niſi ex effectu vel conſequenti?

De iſta verò perturbatione quam ſomnias, quid amplius dicam? His verbis Accipite, Comedite, ſicut centies iam repetij, docemus vtrauque præbitionem & ſumptionem, nempe tum corporalem ſignorum, tum ſpiritualem rerum ſignificatarum præcipi: his autem verbis, Hoc eſt corpus meum &c. declarari quid præbeatur, ori videlicet panis, mẽti verò & fidei verum Chriſti corpus. Quæ hîc perturbatio eſt? quid nõ ſuo loco dictum, quum Chriſti veſtigia penitus ſequamur? At tu neque ſignum ab actione, neque à ſigno rem ſignificatam, neque mãducationem à fruitione diſtinguens, bellus es ſanè tantorum myſteriorum demonſtrator.

SED quid iſte poſtea ſubiiciat audiamus, vt quàm ſit iſtarum rerum peritus vel ipſi pueruli cognoſcant.

Ergo, inquit, *dicent illi fortaſſe, Si Sacramenta ſunt ſigna, non ſunt ipſummet corpus Chriſti aut eius perceptio. Reſpondeo. Sicut illa lotio externa eſt ſignum internæ ſimul & imputatæ ablutionis, quæ non eſt ipſa eſſentia Baptiſmi, ſed eius effectus: ſic & Sacramentalis externáve manducatio panis & corporis, vini & ſanguinis Domini, eſt ſignum, medium, inſtrumentum & memoriale ſpiritualis manducationis ſeu fruitionis Chriſti, ſicut ipſemet Chriſtus ſcopum [...]ſem aut rem ſignificatam huius Sacramenti dicit eſſe memoriam paſsionis. Itaque nõ eſt Sacramen[...]m propriè ſignum ipſius corporis, ſed beneficiorum ex paſsione prouenientium, ſeu illius ſpiritualis fruitio[...]ꝗue fit per ſolam fidem.*

OBSECRO verò an cuiquam Chriſtiano, nedum in eccleſia Chriſtiana magiſtro potuerunt iſta excidiſſe? Centies iam inculcauit Illyricus, imò ab hoc ipſo exorſus eſt bellas iſtas demonſtrationes, quòd his verbis, HOC EST corpus, &c. vſque ad verba, QVOD pro vobis traditur, eſſentia Sacramenti deſcribatur: nunc verò ſuiipſius oblitus, poſteriorem partem, id eſt memoriam paſſionis, vult eſſe rem ſignificatam Sacramenti.

SOLET perpetuò inculcare ſe τὸ ῥητὸν retinere. Atqui panis dicitur eſſe corpus, non memoria paſſionis corporis. An autem aliud eſt ESSE alicuius quàm ipſiuſmet ESSENTIA?

SACRAMENTVM rectè definitur viſibile verbum. At iſte ipſam corporis Chriſti manducationem non pro re ſed pro ſigno accipit: an verò audebit ipſe dicere non tantùm hunc panem, ſed etiam ipſum corpus viſibiliter edi? Nec tamen ignoro Auguſtinum quodam loco duplicem facere corporis Chriſti ſumptionem, vnam viſibilem, alteram inuiſibilem: ſed viſibilem ab eo vocari ſymbolorum non autem rei ipſius reſpectu, nemo negare audebit, niſi qui ipſum corpus eſſe viſibile in Cœna Domini dixerit.

INTER ſigna & res ſignificatas oportet eſſe analogiam, cuiuſmodi eſt planè diuiniſſima inter panem & corpus, inter vinum & ſanguinem, inter ritus illos externos & ea quæ intus præſtat Spiritus ſanctus: at inter corpus ipſum & beneficiorum Chriſti memoriam, quæ tandem eſt Sacramentalis analogia? Sed dicet fortaſſis non corpus ipſum ſed corporis manducationem à ſe poni pro ſigno. Hoc verò ſi exiſtimat, ſimili ratione non panis ipſe, ſed panis manducatio ſignum erit.

ET cuius rei erit ſignum ipſe panis, ſi non eſt corporis ſignum? quòd [...] corporis eſt ſignum, & corpus quoque ex Illyrici theologia eſt ſignum, quid aliud erit panis quàm Sacramenti Sacramentum?

ET quæ inſania eſſet id cuius manducatio ſignum ſit, ſignum eſſe negare?

CORPVS ſiue humanam naturam Chriſti conſtat velut ſubiectum eſſe cui omnia illa beneficia inſiut. Quis autem adeò vnquam inſaniit, vt ſubiectum diceret eſſe accidentium Sacramentum? Et quis erit tandem iſtiuſmodi ſtultitiæ finis?

DICIT Irenæus, & quidem rectè, Euchariſtiam duabus rebus conſtare, vna terrena, altera cæleſti. Iam conſtituat Illyricus quo loco Chriſti corpus habeat. Nam ſi rem terrenam eſſe vult, blaſphemus eſt. Supereſt ergo vt cæleſtem eſſe velit. Illud autem quo conſtat aliquid, neceſſe eſt vt eſſentiam eius eſſe fateatur. Eſt ergo duplex vocis Sacramenti ſic accepti eſſentia, vna terrena, externa, viſibilis, putà panis & vinum, quæ ob eam cauſam Sacramenta propriè id eſt viſibilia ſigna dicuntur: altera cæleſtis, & noſtræ nunc ſoli menti per fidem viſibilis, nempe corpus & ſanguis Domini, quæ hac comparatione, non Sacramenta ſed Sacramentorum res dicuntur, ſiue res per Sacramenta ſignificatæ: & quemadmodum terrena nõ niſi corporaliter manibus & ore, ſic cæleſtia non niſi ſpiritualiter animo per fidem ſumuntur.

QVOD tamen dicit Illyricus externam manducationem eſſe interioris ſignum, veriſſimum eſt rectè intellectum. Neque enim duntaxat panis & vinum, ſed etiam omnes illi ritus, fractio videlicet, datio, acceptio, manducatio, effuſio & hauſtio, myſticæ res ſunt, & ſua habent efficaciſſima ſignificata, adeò vt non multò minùs peccarint qui auſi ſunt ſacris illis & ſubſtantialibus huius ſacræ actionis ritibus aliquid adiicere vel detrahere, quàm qui noua corporea ſigna ſunt commenti. Verùm præter illa quæ modò reprehendi, in eo quoque peccat Illyricus, quòd corporis quoque & ſanguinis externam manducationem comminiſcitur.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

MIHI pro mea tenuitate nō videntur iſta inter ſe pugnare, Eſſentia Sacramenti deſcribitur his verbis, Dedit cibum & potum dicens, Comedite, Bibite, Hoc eſt corpus meum: & illa etiam eſt ſignum. Fructus verò aut effectus ſitus eſt in verbis, Quod pro vobis traditur, & in memoriam meæ paſsionis, quæ ſunt aut certè per ea indicantur ſignificata bona huius Sacramenti.

DEFENSIO TH. BEZAE.

Quæſtio eſt num, ſicut tu vis, corpus ipſum Chriſti ſit aliquid ſignificandi cauſa adhibitū, quod tu ineptè defendis, fortaſſis hauſtum ex Lombardo, quem ſanè non intelligis. Ego contrà contendo, corpus Domini eſſe quidem ſignum, ſed paſſiue, id eſt quoniam ſignificetur per panem. Tu verò in iſta tua demonſtratione, quum te de corpore ipſo dicere oportuerit, tranſis ad eius manducationem, & ludens in Eſſentiæ nomine, quam ab effectu, me quidem minimè repugnante, diſtinguis, quum per eam potiùs intelligi oportuerit illud quod eſt in materia præcipuum, nempe rem ſignificatam, concludis iſtam & materiæ & formæ & effectus permiſtionem nihil in ſe abſurdi continere. Deinde quis te vſqueadeò pendentem à verbis vt nullum prorſus tropum admittas, verba Chriſti ſic peruertere docuit? Addit poſtea Illyricus,

Poſt hunc terrificum fumum vanitatis ſubiicit Beza alia quædam bella ſophiſmata, quæ percenſebo.

Primum eſt hoc: Solet perpetuò Illyricus inculcare ſe τὸ ῥητὸν retinere: Atqui panis dicitur corpus non memoria paſſionis corporis. An aliud eſt ESSE *alicuius, quàm ipſiuſmet* ESSENTIA? *Reſpōdeo. Hæc directè contra ipſum pugnant: ſi dicitur eſſe corpus, non dicitur ſignificare corpus. Si eſſe alicuius* EST *ipſiuſmet eſſentia, non eſt ſignificantia aut vmbra, aut figura aut ſymbolū. Hæc nihil contra meam demonſtrationem ſed contra Bezam vehementer certant.*

DEFENSIO TH. BEZAE.

Sic ego collegi: Hæret Illyricus in verbis. Verba dicunt panem illum eſſe corpus. Ergo corpus eſt eſſentia illius panis. Eſſe enim alicuius, eſt eiuſdem eſſentia. Mentitur ergo Illyricus quum inquit Memoriam paſſionis eſſe rem ſignificatam huius Sacramenti. Huius autem argumenti duplex eſt firmamentum, Vnum, quòd eſſe alicuius rei, ſit eius eſſentia, alterum, quòd in Sacramentis eſſentia & res ſignificata, vnum & idem ſint. Horum duorum prius quod negare non potes, in me contorques, de quo mox dicam: alterum autem explicatione indiget. Eſſentiam igitur appello τὴν οὐσίαν, id eſt illud ex quo Sacramenta, tanquam ex materia compoſita ſunt, id eſt ſignum terrenum panis & vini, & rem ſignificatam cæleſtem, corpus videlicet & ſanguinem Domini, inter quæ duo quum iſta longè præſtet tum ſui ipſius natura, tū idcirco quòd ſignū adhibeatur rei ſignificatæ cauſa, non autem è contrario res ſignificata propter ſignum, idcirco eſſentiæ nomen præcipuè iſti tribuitur, qua nimirum ſublata ſignum fuerit res veluti non ſubſiſtens, id eſt fruſtranea & inutilis, ſicut loquitur Apoſtolus ad Hebræos ſcribens, vbi veteris legis Sacramenta per ſe & ſeorſim conſiderat. Itaque quum Memoriam pro re ſignificata ſtatueres, num, obſecro, ſanus eras? Nec enim hoc vocabulo ſignificatur quid nobis Sacramentaliter detur, ſed potiùs quorſum quod nobis datur à nobis accipiatur, nempe vt eius memoria in nobis obſignetur, & quomodo nos eſſe affectos oporteat vt ritè illud accipiamus.

At tu, bone vir, iſtis omiſſis, quæ ad rem pertinebant, putas me gladio meo iugulari. Nam, inquis, ſi eſſe alicuius eſt eiuſdem eſſentia, non eſt eius, vt tu loqueris, ſignificantia, aut vmbra, &c. At cur tu potiùs non ſic ſcripſiſti, Si eſſe alicuius eſt eiuſdem Eſſentia, non eſt eius ſignum? nempe ne teipſum confoderes, vt qui iam toties & tam disertè ſcripſeris, ipſam eſſentiam Sacramentorum eſſe ſignum quoddam. Itaque ſi tibi creditur, mentiris quum ſic colligis, Si eſt eſſentia, non eſt ſignum. Sed hæc agè tibi tam egregio demonſtratori condonentur. Ego aliter & veriùs reſpondeo quod modò dixi, nempe panem nuſquam dici eſſe memoriam, ergo memoriam non eſſe Sacramēti eſſentiam, ac ne proinde quidem rem ſignificatam, quum res ſignificata ſit iſtius myſterij primaria pars ac præcipua, ipſáque adeò Sacramentorum anima.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

Secundum ſophiſma eſt hoc ad verbum, Sacramentum rectè definitur viſibile verbum. At iſte ipſam corporis Chriſti manducationem non pro re, ſed pro ſigno accipit: an verò audebit ipſe dicere non tantum hunc panem, ſed etiam ipſum corpus viſibiliter edi? Reſpondeo: etiamſi ab aliquibus dicantur Sacramenta viſibilia verba, non tamen ita definiuntur eſſentialiter, quaſi tota ratio Sacramenti ſit ea definitione expoſita. Num enim negabit iſte, eſſe vllam particulam huius aut alterius Sacramenti, quæ non ſit viſibilis? Vbi manebit promiſsio & reliquum verbum vocale, quod eſt elemento adiunctum, quódque eſt veluti cor Sacramenti? Num & illud erit viſibile? Denique iſta definitio vel maximè contra ipſum facit: nam ea manducatio externa aut oris, quam nos ſimpliciter Chriſto aſſentiendo credimus, eſt magis quiddam corporale, & (vt ita dicam) in ſenſus, ſi non planè externos, at ſaltem internos incurrens, quàm illa ipſorum fidei fruitio aut manducatio, ſeu incorporatio, quam nulla cogitatione aſſequi poſſunt, quam ipſi ex ſua Metonymia cudunt. Vides pie lector, quomodo ſemet iſta bella ſophiſmata conſumant.

DEFENSIO

DEFENSIO TH. BEZAE.

Rurſum aberras à ſcopo. Sic enim collegi: Sacramentum eſt viſibile verbum. Ergo vt corporis manducatio ſit non res ſignificata, ſed, ſicut ſomniat Illyricus, ſpiritualis manducationis ſignum, oportet illam corporis manducationem corporalem eſſe viſibilem, quod ne ipſe quidem Illyricus dicere audeat. Quid tu ad hæc, egregie demonſtrator? primùm negas ſic definiri Sacramentum eſſentialiter, quum non ſit viſibilis omnis particula Sacramenti, putà verbum vocale, quod eſt veluti cor Sacramenti. Et quis hîc tuam audaciſſimam inſcitiam non miretur? Quænam enim eſt eſſentialis definitio ſi hæc non eſt? Sacramentum eſt Verbum. hîc habes genus, veluti quum dicis, Homo eſt animal. Nec enim Sacramentum eſt conſiderandum vt materia quædam naturalis cuiuſmodi eſt panis & vinum, ſed vt ſignum ex pactione ſiue κατὰ συνθήκην, ſicuti ciuitatis alicuius appoſitum inſtrumento ex cæra ſigillum non vt cæram ſed vt publicæ auctoritatis teſtimonium habetur. Hoc autem in hac definitione intelligitur nomine Verbi, id eſt diuinæ inſtitutionis, quæ Verbo Dei ſcripto & in ipſius eccleſia ritè promulgato & vſurpato continetur. Additur Viſibilis vocabulum pro differentia, veluti quum Rationale adiicitur Animali in hominis definitione. Sic enim ſignificatur, aliam quandam eſſe veluti ſpeciem verbi quod auribus receptum animis informet & inſculpat illud cuius ſignificandi cauſa enuntiatur, à qua ſpecie diſtinguatur hæc altera quæ adiunctis ſignis in ipſos oculos incurrentibus, idipſum veluti ſpectandum præbeat, & hominum mentes quaſi in rem ipſam adducat. Quum igitur negas omnia in Sacramentis eſſe viſibilia, aſſentimur. nec enim hoc dicit definitio, quum verbum auribus non oculis obiiciatur. Sed viciſſim te nobis aſſentiri oportet, quum ex hac definitione colligimus non omnia eſſe in Sacramentis audibilia, vt ſic loquar, quum aliquid ſit viſibile. Ergo, inquies, vici. Tui enim argumenti firmamentum eſt, ſi corporalis manducatio ſtatuitur in Sacramēto, oportere eam eſſe viſibilem. Imò tu falleris, Illyrice. Nec enim dictum volui, quicquid eſt aut fit in Sacramento, eſſe viſibile, ſed quicquid eſt ſignum ſiue ſignificans in Sacramento, eſſe viſibile, id eſt incurrere in oculos oportere, ſicut Verbum in aures, & per aures in mentem incidit, vt animus & verbo per aures edoctus, & ſignis verbo adiunctis ampliùs & efficaciùs de eo quod dicitur certioratus, eò ardentiùs ad rem ſignificatam & inuiſibilem, id eſt ad id per fidem amplectēdum feratur ad quod & per verbum quod audit & per ſigna quæ videt mente aſſurgit. Sicut enim quicquid ſigni rationem habet in Sacramentis eſt tum oculis viſibile, vt ſymbola ipſa, tum auribus perceptibile, vt verbum: ita quicquid & oculis per ſymbola, & auribus per verbum ſignificatur, ſolo intellectu fide prædito comprehenditur.

Altera autem tua reſponſio magis etiam eſt abſurda. Nam tua illa corporis Chriſti Cyclopica ſiue quæ per os fit manducatio quam imaginaris, ſi in internos duntaxat, id eſt in ſolos mentis oculos incurrit, qua tandem ratione Signum ſignificans non autem res ſignificata vocabitur? niſi fortaſſe vis aliquid in Sacramentis animis noſtris aliter quàm per externos ſenſus annuntiari, id eſt Sacramenta Sacramenta non eſſe. Et quum tu ſubiicis iſtam eſſe quiddam magis corporale quàm ſpiritualem fruitionem ſiue manducationem ſiue incorporationem, quorſum vel in quos iſta dicis? Nec enim quiſquam noſtrûm eſt qui iſta vel pro ſignis vel pro re ſignificata ſtatuerit, quum id potiùs declarent quod & ex corporali ſignorum & ex ſpirituali rei ſignificatæ perceptione conſequimur.

Tertium ſophiſma eſt, quòd inter ſigna & res ſignificatas oporteat eſſe omnino analogiam, id eſt, ſimilitudinem quandam: Ac inter panem & corpus eſſe pulchram conuenientiam. Sed inter corpus Chriſti & beneficiorum memoriam nullam eſſe conuenientiam. Reſpondeo, ex quo tandem oraculo petiit iſtud principium? Num Apollinis Delphici aut Deli? Quæ eſt ſimilitudo inter ſigna tempeſtatum aut morborum aliarúmque rerum & ſignificata eorum? Quæ eſt conuenientia inter Iridem & diluuium? Circuncisio fuit ſignum fœderis & fauoris diuini ac iuſtificationis: agnus paſchalis fœderis & etiam tranſitus angeli: quæ verò ſimilitudo aut analogia eorum eſt?

Plus ſatis et concinniſſimam analogiam oſtendi in mea demonſtratione, quomodo manducatio Sacramentalis corporis Chriſti poſſit eſſe ſignum ſpiritualis manducationis hiſce meis verbis.

Sicut Baptiſmus, ſeu illa lotio externa eſt ſignum internæ ſimul & imputatæ ablutionis, quæ etiam effectus Baptiſmi eſt, non ipſa eius eſſentia. Sic & ſacramentalis externáve manducatio panis & vini corporiſque ac ſanguinis Domini eſt ſignum, & etiam medium aut inſtrumentum, ſeu memoriale ſpiritualis manducationis aut fruitionis Chriſti, quæ ſola fide peragitur, ſicut ipſemet Chriſtus ſcopū aut finem aut rem ſignificatam huius Sacramenti dicit eſſe memoriam paſſionis, ſeu illius Sacramento apprehenſi PRO VOBIS DATVR, PRO VOBIS EFFVNDITVR.

Obſerua etiam contradictionem: Dicit hîc eſſe diuiniſſimam analogiam inter panem & corpus, inter vinum ac ſanguinem, inter illos externos ritus & ea quæ præſtat intus Spiritus ſanctus. At ſuprà ſolutione tertia dixit panem quidem eſſe deſtinatum ad ſignificandum corpus, ſed & fractionem eius ad ſignificandam paſſionem. Ita et ritus fractionis & diſtributionis modò paſſionem modò internas operationes Spiritus ſancti indicabit.

Eum verò qui analogiam ſignorum & rerū ſignificatarum in iſto præſertim argumento neget, quid tandem pudeat tum dicere tum ſcribere, quum vel ipſo vno communi ſenſu refellatur? adeò quidem vt iſta refellere me planè pudeat. Si de naturalibus rerum ſignis agitur, quid tandem ex obiecto poterit ſenſus animo nuntiare vel notitiæ vel reminiſcentiæ cauſa, niſi quod in phantaſia fuerit informatum? quid autem obiecta res illa in fantaſiā velut inſculpſerit, niſi hoc ipſum cuius

ſignum eſt? & cuius rei ſignum eſt, niſi eius quam conuenientiſſimè refert? Sed de his non eſt huius loci vel temporis diſputare. Sin de iis agitur quæ Data vocat Auguſtinus, id eſt quæ non natura ſed ex impoſitione & inſtituto id ſignificant cuius ſigna ſunt, etſi illa ſunt in multiplici differentia, tamen quò maiorem habent cum rebus ſignificatis conuenientiam, eò iuſtiore de cauſa ſigna dicuntur, vt inclinatio corporis appoſitum ſignum eſt ſubiectionis animi: deiectio oculorum, modeſtiæ, quaſi ſeſe indignum iudicantis alicuius qui alium intueatur, cuiuſmodi alia ſunt plurima. Sed quoniam in Sacramentis de quibus agimus, non id propriè agitur vt ex ſignorum conſpectu cogitatio ad id quod oculus intuetur cogitandum moueatur, veluti ad cogitandum panem & vinum, ſed ſimul adiicitur verbum Dei, quo animus ad aliquid longè præſtantius conſiderandum, atque adeò complectendum ſibíque applicandum cogatur, vnde tamen iſta conſideratio, & quæ illam conſequitur comprehenſio, niſi ex ſignorum & rerum ſignificatarum conuenientia? Nam propterea etiam ſigna in Sacramentis præter illam ſignificationem, videntur quodammodo illud ſecum annexum habere, cui ſic ſignificando adhibētur, vt res ipſa quanuis animo & ſpiritualiter, non minùs tamen verè quàm corpori ſigna externa offerantur. Denique ſi ſignum eſt ſimilitudo quædam, quomodo ſignum non ſuſtuleris ſublata analogia propter quam ſimilitudo vocatur? Hæc ſi tibi non ſatisfaciunt, audi ſaltem non Apollinem illum tuum Delphicum, ſed Auguſtinum ſic ſcribentem epiſt. 23. *Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent, ex qua ſimilitudine plerunque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt.* Idem etiam alibi, *Signa*, inquit, *videntur illarum rerum perſonas quas ſignificant ſuſtinere.* Quid amplius? quum ſeſe panem, vitem, petrā vocaret Chriſtus, nullámne ſuipſius cum iſtis rebus analogiam notabat? Et quum inquit Apoſtolus nos multos eſſe vnum panem, non ſignificauit iſtius Sacramenti cum noſtra in Chriſtum coadunatione conuenientiam? Denique, audebis inficiari, illa panis & vini ſymbola ipſis penè oculis noſtris, propter illam cibi cæleſtis cum terreno conuenientiam, carnem & ſanguinem Chriſti, ſpiritualis videlicet vitæ veram cauſam, ſubiicere? Audiamus tamen quid muſſites. *Quæ eſt*, inquis, *ſimilitudo, inter ſigna tempeſtatum aut morborum, aliarúmque rerum, & ſignificata eorum?* primùm quid hoc ad rem? nec enim de ſignis naturalibus agimus. Itaque tam appoſite loqueris quàm ſi de homine rogatus, de beſtiis reſponderes, quoniam & homo & beſtiæ ad commune genus, animal videlicet, referuntur. Sed tamen hîc quoque conueniētia quædam cernitur, tum ea videlicet quæ naturæ ipſius eſt inter cauſam & effecta, vt ex humidis vaporibus aſſurgentibus imbrem ſequuturum coniicimus: tum etiam illa quæ in particularium obſeruationum congruentia conſiſtit, vt ſolent agricolæ multas tempeſtates conijcere, quoties aliquid ei ſimile quod antea obſeruarunt intuentur. Pergis poſtea & audes etiam penè ridens quærere quæ ſit inter Iridem & diluuium analogia. Si Iridem voces diluuij ſignum, ſicut illam poetæ vocant imbriferam, & pluuiarum prænuntiam, falſum & ineptum eſt quod dicis, quum Iris non ſit ſequuturi, imò verò nunquam futuri diluuii ſacramentum. Analogia verò mirifica eſt huius ſigni & rei per eam ſignificatæ, nempe quæ ex contrariorum comparatione elicitur, ac ſi ex ipſis nubibus oſtentans arcum Dominus diceret, En quid vobis minetur aeris diſpoſitio, diluuium videlicet aquarum, niſi fœderis mei memor illas cohiberem. Hic igitur arcus ſuapte natura pluuiarum prænuntius, ſit nunc vobis teſtis meæ de compeſcendo diluuio promiſſionis. Quum autem quæris quæ fuerit agni & trāſitus angeli, itémque Circunciſionis analogia cum fœdere ac fauore diuino, haud ſatis ſcio ſtultiúſne tuam inſcitiam an impudentiam demirer. Ecquis enim omnium Chriſtianæ religionis non penitus imperitorum hominum, præter te fortaſſis vnum, non animaduertit externa illa Circunciſione præputij velut oculis repræſentari natiuæ illius noſtræ labis, & omnium inde conſequutorum peccatorum abolitionem & reſectionem ἀχειροποίητον vt loquitur Apoſtolus? Quid verò? aſſus ille agnus & totus illius comedendi ritus vnà cum azymis panibus, non illum ipſum repentinum ex Ægypto diſceſſum penè oculis Iſraelitarum repræſentabat? Deinde Agnus idem ille integer, à grege ſeparatus, cuius ſanguine illitas fores non attingeret Angelus ille exterminator, non ipſum Chriſtum Paſcha noſtrum, vt inquit Paulus, non eius ſanguinis aſperſionem quam teſtificatur Petrus, ipſis penè oculis ſubiicit? & azymi illi panes quàm conuenienter declarent ſynceritatem illam vitæ quæ in nobis requiritur, non ſatis expreſſè ſcribit Apoſtolus?

Sed illud quod ſubiicis cuiuſmodi tandem eſt? Quum te vrgerem vt vel analogiam inter Chriſti corpus quod tu ſignum eſſe vis, & memoriam beneficiorum Chriſti quam tu ais rem ſignificatam eſſe, nobis oſtenderes, vel ſententiæ tuæ abſurditatem agnoſceres, ridens inficiatus es requiri aliquam inter ſigna & res ſignificatas analogiam. Cur igitur poſtea hoc ipſum oſtendere conaris? Sed videamus quàm appoſitè id facias. *Sicut* (inquis) *externa ablutio in Baptiſmo, eſt ſignum internæ ablutionis, ita etiam externa manducatio panis & vini, corporíſque & ſanguinis Domini, eſt ſignum & memoriale ſpiritualis manducationis Chriſti quæ ſola fide peragitur.* Atqui vt nonnulla hîc verè dicas, non reſpondes tamen ad id de quo quærebamus. Neque enim quæſiui de ritu vel Baptiſmi vel Cœnæ, quem & ipſum tamen ſacramentalem eſſe non nego, ſed de ipſius ſignorum materiæ cum rebus ſignificatis analogia. Itaque ſic tibi reſpondendum fuit, Sicut aqua in Baptiſmo ſignum eſt ſanguinis Chriſti, veri noſtri lauacri, ita panis & vinum in Cœna ſignum eſt corporis & ſanguinis Domini, veri noſtri cibi & potus. quod reſponſum vt defugeres, tranſiuiſti ad rituum Sacramentalium comparationem. Sed hîc rurſum vide quàm parum conſentanea loquaris. Nam vt ſibi conſtet iſta rituum inter ſe collatio, ſicut aſperſionem externam aquæ cum ſanguinis ablutione ſpirituali & interna, ſic etiam manducationem externam panis & vini cum manducatione ſpirituali

corporis

corporis & ſanguinis comparare neceſſariò nobiſcum debuiſti. Quod quom non facias, ſed ſicut ſignorum id eſt panis & vini, ita etiam rerum ſignificatarum nempe corporis & ſanguinis manducationem quandam eaternam ponas, quaſi tibi conceſſam, quid aliud dixerim quàm te rurſum pueriliter id ipſum aſſumere de quo quæritur?

Denique iſtam quam mihi attribuis contradictionem cur tandem agnoſcam? Dixi ad tertiam tuam demonſtrationem quod adhuc dico, fractionis panis ritum quem in Eccleſiis veſtris negligitis deſignare Chriſti mortem ſæuiſsimis animi & corporis cruciatibus plenam. Num verò id repugnat ei quod hîc dixi, nempe analogiam eſſe inter ritus & ea quæ Spiritus ſanctus intus præſtat? *Sanè, inquis, quoniam ita fiet vt panis fractio* (quam tu rurſus ineptè cum diſtributione confundis) *modò paſſionem, modò internas operationes Spiritus ſancti deſignet.* Num verò, Illyrice, iſta inter ſe pugnant, paſsionem deſignare, & hac deſignatione fidem in nobis accendi? Deinde an vnicus eſt & ſingularis iſte ritus fractionis, ac non potiùs Dare, Recipere, Comedere, Bibere ſunt etiam inter myſticos ritus cenſenda? Quo igitur pudore quod de his ritibus vniuerſaliter dixi, ad panis fractionem vnicam trahis? Subiicit autem poſtea Illyricus,

Caluinus in Exod. 24, ait ſanguinem Chriſti in ſacra Cœna eſſe ſigillum eius fœderis: Et in 1. Corint. 11. itémque Hebr. 9, & 10, Eſſe pignus fœderis confirmatorium. Cur igitur ægre fert Beza ſanguinem eiúſve potionem eſſe ſignum? An ſigillum non eſt ſignum? & pignus quid aliud tandem eſt quàm ſignum eius rei aut contractus cuius eſt pignus?

Reſpondeo quod & ipſe ſenſus communis dictat, σημεῖον videlicet (id eſt id quod adhibetur alterius rei ſignificandæ cauſa,) & σφραγὶς, (id eſt quod alicuius rei confirmandæ gratia apponitur) non re quidem ſed tamen ratione differre, quum aliud ſit ſignificatio quàm confirmatio & ad illam quidem σημεῖον, ad iſtam verò σφραγὶς reſpiciat, adeò quidem vt non quicquid eſt Signum, ſit etiam σφραγὶς rei ſignificatæ. Quo ſenſu verò corpus & ſanguis Chriſti poſsint etiam Signa vocari, paulò antè diximus, quatenus videlicet ſignificantur, nõ quòd aliquid ſignificẽt. Et ſanè imprudẽs ipſe Illyricus ipſa veritatis vi adactus poſtea cogitur non ipſas res, id eſt corpus & ſanguinem, ſed ritus ipſos Cœnæ, id eſt corporis manducationem & ſanguinis hauſtionem pro ſignis ſtatuere, in hoc tamen rurſus aberrans à veritate, quum corporis ipſius & ſanguinis potio non ſit ſignum ſignificans (eſſet enim viſibilis & ſenſu corporeo perceptibilis) ſed illud ipſum quod externa elementorum ſumptione verè & efficaciter ſignificatur. Quod autem pignus dicit tantùm eſſe ſignũ contractus, magis etiam ridiculum eſt quàm vt refutatione indigeat. Nec enim duntaxat ſigni cauſa pignus adhiberi conſtat, ſed vt creditori caueatur. Addit autem poſtea,

Quæris porrò etiam Beza, Cuius tandem rei erit panis ſignum, ſi non erit corporis? Reſpondeo, Omnia elementa ſunt ſigna totius ſui Sacramenti, vt Circuncſio ſui fœderis, Paſcha ſui, Iris ſui. ſic & panis ac vinũ ſunt ſigna totius ſacræ Cœnæ. Præterea eſt ſignum gratiæ & iuſtificationis ſicut & Circuncſio. Quid horũ negare poteſt? Paulus quoque 1. Cor. 10, vocans Eccleſiam Panem, oſtendit certè, vt iſti volunt, eam ſignificari per panem, id eſt, vt iſte malè vrget eius ſenſum, docet panem ſignificare noſtram coniunctionem cum Chriſto. Quin potius ipſe ſibimet hiſce ſuis verbis reſpondeat, Panis eſt efficax teſſera noſtræ cum Chriſto CONIVNCTIONIS. *En audis panem eſſe ſignum noſtræ coniunctionis cum Chriſto, non igitur corporis ipſius propriè: De qua re Auguſtinum poſtea audiemus.*

Rogatus Illyricur cuius rei panis etit ſignum, ſi non eſt ſignum corporis, reſpondet eſſe ſignum ſui Sacramenti. Atqui paulo antè dixit Sacramenti nomine nihil aliud quàm ſignum intelligi. Sic ergo panis Illyrico ſignum ſui Signi. Sed poſtea paulo planiùs loquitur, quum inquit panem & vinum eſſe ſigna totios ſacræ Cœnæ. Quaſi verò quæſierim in qua actione adhibeantur, ac non potiùs cui rei ſignificandæ in ſacra Cœna adhibeantur. Præterea, inquit, panis eſt ſignum gratiæ ac iuſtificationis ſicut & Circunciſio. Atqui non in quem vſum & finem ſeu effectum inſtituta ſit ſacra Cœna vel Circunciſio ex te quæſiui Illyrice, ſed cuius rei ſignificandæ cauſa panis & vinum in Cœna præbeantur. De hoc igitur non de illo, ſiue περὶ τοῦ σημείου, non περὶ τῆς σφραγῖδος, reſpondere te oportuit. Sic poſtea colligit Illyricus, Panis eſt ſignum, ſiue vt ipſe Beza loquitur, efficax teſſera noſtræ cũ Chriſto coniunctionis, nõ igitur ipſius corporis propriè. Quaſi verò vnus & idẽ panis non poſsit pluribus ſignificandis rebus adhiberi, quod quidem in Cœna Domini diſertè obſeruauit Apoſtolus, & poſt eum omnes verborum illius interpretes. Panis enim Cœnæ modò vt ea res cuius interuentu & perceptione cum Chriſto magis ac magis vnimur, ipſius videlicet Chriſti Sacramentum: modò vt noſtræ mutuæ in vnum veluti corpus coalitionis ſignum & teſſera conſideratur. Illo igitur modo ipſum illud corpus, quod Chriſtus pro nobis tradidit, iſto verò, Eccleſiam ſiue myſticum Chriſti corpus Sacramentaliter fidei noſtræ repræſentat. Et ad illud quidem reſpexit Apoſtolus quum panem eſſe diceret communicationem corporis Chriſti: ad hoc verò quum diceret nos eſſe vnum panem, & vnum corpus. Sic etiam duplex eſt panis cum re ſignificata cogitanda analogia. Quatenus enim panis eſt ſubſtantia nutritioni deſtinata, eatenus habet cum carne Chriſti conuenientiam, vt quæ ſit verus & vnicus æternæ vitæ cibus. Quatenus autem panis eſt vnum quiddam ex multis granis ſimul piſtis confectum, eatenus ἀναλόγως Eccleſiam ex pluribus hominibus in vnum veluti corpus conflatis compoſitam repræſentat. Sed tuæ illius memoriæ, Illyrice, quam tu vis per panem ſignificari, quæ tandem eſt cum pane analogia? Sed audiamus quid etiam porrò ſubiicias.

Dicit Beza humanam naturam Chriſti eſſe ſubiectum omnium eius beneficiorum, Igitur non poſſe eſſe Sacramentum. Reſpondeo, Non tantùm humana natura, ſed & tota perſona eſt ſubiectum, aut fons ſuorum beneficiorum: nec ego dixi, humanam naturam eſſe Sacramentum aut ſignum ſuorum accidentium: ſed Sa-

cramentalem corporis Domini manducationem eſſe ſignum ſpiritualis aut fruitionis fidei : pugnat quoque hac dicendo, ſecum, quia ſi non poteſt eſſe Sacramentum, non poteſt etiam eſſe eſſentia Sacramenti, vt ipſe contendit.

Carnem Chriſti negaui eſſe Sacramentum beneficiorum quæ certum eſt ipſi ineſſe tanquam ſubiecto, quoniam ſubiectum non eſt ſuorum accidentium Sacramentum, quod poſterius quum tu verbo concedas, ipſa veritatis vi adactus, re tamen negas, vt te ipſo teſte de tua inſania cunctis conſtet. Non eſt, inquis, humana duntaxat natura, ſed ipſa Chriſti perſona ſubiectum aut fons ſuorum beneficiorum. quaſi verò nos perſonam diuidamus, quum naturę proprietates diſtinguimus. Eſt autem inter [illegible] & [illegible] (hæc enim ſanè aptius Græcè quàm Latinè dicũtur) hoc minimè negligendũ diſcrimen, quòd nulla propriè dicũtur ineſſe Deitati, ne ſit quiddam ex ſubſtantia & accidentibus compoſitum, quod prorſus repugnat ſummæ illi Deitatis ſimplicitati. Ideo quanuis neque Chriſtum diuidam, neque ignorem quæcunque Chriſti caro accepit ſine menſura (quoduis videlicet perfectiſſimum donum ſupra res omnes creatas) à Deitate ipſi ὑποστατικῶς coniuncta emanare: quia tamen humana natura eſt veluti Caſtellum quoddam in quod redundãs iſte benedictionum omnium fluuius, inde poſtea ad nos vſque pro noſtra menſura effunditur, idcirco verè & propriè naturam humanam dixi eſſe veluti ſubiectum cui omnia illa inſint. Sed hæc penè παρέργως dicta ſunto, quandoquidem iſte ſic voluit. Audiamus ergo num quidpiam magis appoſitè reſpondeat. Non dixi, inquit, humanam naturam eſſe Sacramentum ſeu ſignum ſuorum accidentium. Dic igitur, Illyrice, quid tibi fuerit corpus & ſanguis Chriſti in Cœna, ſi neque ſignum eſt, neque res ſignificata? Imo, inquis, dixi Sacramentalem corporis Domini manducationem eſſe ſignum ſpiritualis manducationis ſeu fruitionis per fidem. Cedò verò Illyrice, manducatio iſta externa non ſignorum, (hanc enim concedimus) ſed ipſius realis corporis Domini quam tu ſomnias, éſtne ſubſtantiale quidpiam? quæro, inquam, non an reale corpus Domini ſit aliquid ſubſtantiale, ſed an illius manducatio qualiſcunque tandem ſit, ſolidum ſit quidpiam & ſubſiſtens. Non eris, opinor, tam impudens vt hoc dicas, quum manducatio ſit corporis actio, ac proinde quiddam [illegible]. Ergo te auctore Sacramenta nihil aliud fuerint quàm accidentia aliorum accidentium ſigna, vt quanuis à Papiſtica tranſſubſtantiatione diſſideas, tamen in eo etiam craſſiùs erres, quòd nihil præter accidẽtia ſtatuas in Cœna Domini habere Sacramenti rationem. ſiquidem ita fiet vt ne ipſa quidem elementa ſint Sacramenta, ſed eorum duntaxat manducatio, cuius tamen nullam à te mentionem factam video. Poſtremò quum ſic colligis, Si corpus Chriſti non eſt Sacramentum, ergo non eſt eſſentia Sacramenti, quis te non derideat? An enim exempli gratia, rectè dixeris animam quia homo non eſt, non eſſe partem hominis & quidẽ præcipuam, imò etiam formalem eius cauſam? Cæterùm de varia vocis Sacrãmenti notatione antea diximus, qua videlicet interdum ſola externa ſigna, interdum & ſigna & res ſignificatæ, nonnunquam etiam tota actio ſacra deſignatur, vt nullus tuis iſtis paralogiſmis locus relinquatur. Sic denique ſcribit præterea Illyricus,

Poſtremum ſophiſma hoc loco ex Irenæo texis, dicens, Euchariſtiam conſtare duabus rebus, vna terrena, altera cœleſti, & quæris ex me, quo loco ego corpus Chriſti collocem? Reſpondeo, quum Irenæus ipſe non ſatis ſignificata duorum iſtorum nominum, terreni ac cœleſtis, explicuerit, quo iure ego compellor, vt exponam quid ille vel terrenam vel cœleſtem rem vocauerit?

Sed quod quæris de corpore Chriſti ex me, dico eſſe ambiguitatem in vocabulis, & corpus Chriſti alia ratione poſſe dici terrenum, alia cœleſte. Terrenum eſt, quia certè initio ex elementis conditum, & hic in terris de mortali mortale natum eſt ſicut & noſtra corpora. Cœleſte autem, quia eſt ſanctum, quia glorificatum, & quia viuificum fidelibus.

Vt etiam ego quæro ex te, Beza, qua conſcientia tu audes externam corporalémve manducationem corporis Domini autoritate Irenæi oppugnare, cùm ipſe eam clarè eo ipſo loco aſſerat, affirmans non tantùm animas noſtras, vt vos vultis, ſed corpora ipſa ali corpore Domini?

Irenæus, inquit iſte, *non ſatis explicauit duorum iſtorum nominum ſignificata, itaque quo iure compellar ego illa exponere?* Bellum ſanè effugium, quaſi non ſatis conſtet idem dicere Irenæum, atque cæteros alios, quum in Euchariſtia aliud videri aliud intelligi docent, & elementum à re ſignificata, panem videlicet à corpore diſtinguunt. Sed ſi Illyrico credimus, vnum & idem reale corpus Chriſti erit res terrena & cæleſtis, diuerſo reſpectu. quod ſi verum eſt, Ergo Euchariſtia ſolo reali corpore dupliciter conſiderato conſtabit. Quid igitur fiet pani & vino, quæ ſi exiſtimas non eſſe Euchariſtiæ partes, cur illa tanquam ſuperuacanea non expungis cum Papiſtis? Sin verò partes illius ſunt, ſicuti ſanè ſunt, cur tandem illa prætermiſerit Irenæus, hac ipſa de re diſſerens?

Diſputat poſtea Illyricus veluti ἐκ περιουσίας, vt externam id eſt Cyclopicam ipſius carnis manducationem ex Irenæo & Tertulliano confirmet, quorum etiam nonnullos locos adſcribit. Sed quid ait Irenæus? carnem etiam noſtram ali à corpore & ſanguine Domini. quaſi verò quum dicimus Chriſtum nobis ſpiritualiter per fidem communicari, non ſtatuamus totum hominem ſic viuificari. Quis enim ignorat totius hominis ſeruatorem eſſe Chriſtum? Sed tibi nimirum vel idem eſt Chriſtum manducare, & Chriſto ali, vel ſi duo iſta ſunt, ſic tamen ea exiſtimas eſſe cohærentia, vt cuiuſcunque corpus ali dicitur carne Chriſti, is etiam corpus Chriſti dicatur corpore manducaſſe. Nam alioqui corrueret iſta tua conſequutio, Aluntur corpora noſtra carne Domini: ergo corpore quoque carnem ipſam Domini manducamus. Sed vide ſi potes, quantum hallucineris. Nam quæ eſt effectus alimenti, eadem quoque eſt & alimenti, & perceptionis ipſius ratio. At effectus illius manducationis corporis Chriſti non eſt corporalis, ſiue ad corporalem hanc & caducam

cam

cam vitam, ſed ad vitam illam ſpiritualem & æternam pertinens. Ergo neceſſe eſt vt & illius ſumendi cibi, & nutrimenti ipſius tota ratio ſit ſpiritualis, ac proinde non corporis, ſed mentis ac fidei inſtrumento hæc omnia conficiantur. Quorſum ergo tua iſta oris manducatio, qua panis deglutitur, ſicut interna eſt animi, quamuis vita ex carne ſpiritualiter manducata proueniens, totum hominem ſpirituali vita viuificet? Deinde vide quãtopere à teipſo diſſideas. Nam ſi exterius manducare corpus Chriſti, & eo intus ali ſemper cohærent, conſequetur viuificari etiam indignos ad Cœnam Domini accedentes, ſi alteri tuo dogmati aſſentiamur, quo ſtatuis manducationem corporis ipſius externam, tum dignis tum indignis omnibus eſſe communem. Sin verò contra vis ex alimento concludi externam manducationem, id eſt exteriùs manducaſſe realem Chriſti carnem, quicunque ea aluntur, efficietur extra ſacræ Cœnæ vſum neminem viuificari, ac proinde Cœna fuerit etiam infantibus diſtribuenda, & ſextum Iohannis caput cogẽris de Sacramẽtali perceptione intelligere. Quod autem addit Irenæus eõdem loco, panem illum videlicet qui eſt è terra, non amplius eſſe communem, quis noſtrûm vnquam eſt inficiatus? Nam certè noſtrum nõ eſt Sacramenta à rebus communibus non diſtinguere. Simile eſt alterum eiuſdem Irenæi dictum, augeri & conſiſtere carnis noſtræ ſubſtantiam ex ſanguine & corpore Chriſti, quod quum tu, Illyrice, ad illam tuam externam ſiue oralem ſiue Cyclopicam manducationem trahis, teipſum deridendum omnibus ſanis hominibus præbes, qui neque cibum, neque ipſius cibi perceptionem à nutritione diſtinguas, & quæ merè ſpiritualiter fiunt, corporaliter interpretaris. Hæc enim de ſpirituali augmento & vita æterna eſſe intelligenda ſicut & illud Pauli dictũ de Chriſto in nobis augeſcente illa ipſa quæ ſtatim apud Irenæum conſequuntur apertè oſtendunt, & res ipſa conuincit. Sed quid ad illud Tertulliani reſpondebimus, Caro noſtra corpore & ſanguine Domini veſcitur, vt anima Deo ſaginetur? Nam ſic prorſus videtur euerti quod dicimus, animam videlicet eam eſſe quæ ſola corpore & ſanguine Domini veſcatur, vnde ipſum etiam corpus in vitam æternam ſaginetur. Nempe manifeſtè apparet Tertullianum nomine corporis & ſanguinis non res ipſas, ſed earum Sacramenta intellexiſſe, ſicut Auguſtinus corpus Chriſti fieri, conſumi, in terram cadere Sacramẽtali metonymia dixit, cuius ipſe Chriſtus auctor eſt, alioqui quorſum Deum carni opponeret, & animam potiùs quàm corpus diceret ſaginari?

AD XVI.

Chriſtus omnia ſuæ paſſioni neceſſariò coniuncta per ſe, in ſe, & per ſuum proprium verúmque corpus peregit. Itaque verum natiuúmque ſanguinem ac corpus ſuum nobis in ſacra Cœna impendit.

CONCEDIMVS omnia hæc, Illyrice, ſed clariore addita explicatione. Quoniam enim conſpicuus nobis factus eſt λόγος in carne, vt in ea, & per eam peractis omnibus quæ ad noſtrã cũ Deo reconciliationem ſpectant, ſeſe & ſua nobiſcum communicãdo, nobis fieret Seruator, dico oportere nos imprimis fieri ipſiuſmet participes, vt in ipſo vitam æternam conſequamur. Quorſum hæc igitur aduerſum nos? nempe vt tuo ipſius teſtimonio manifeſtæ calumniæ conuincaris. Interea verò tu videris in qua ſchola iſtam demonſtrationem didiceris. Datur nobis in Cœna verum corpus & natiuus ſanguis. Ergo corporalis & externa eſt eius manducatio, ac proinde impij ſunt qui ſpiritualiter tantùm Chriſti carnem manducari, & Chriſti ſanguinem bibi docent.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

Reſpondeo, Beza, quum concedas dari nobis in ſacra Cœna ab ipſo Chriſto ſuum verum corpus ac natiuum ſanguinem, vt eo confirmetur illud Teſtamentum, reliquum etiam ex Cœna verbis clariſſimus habetur. Nam Dominus dans corpus & ſanguinem ſuum, dicénſque Comedite, Bibite, manifeſtiſſimè loquitur de externa ſeu corporali comeſtione & hauſtione. Igitur habemus quod volumus tum ex tuo ore, tum etiam multo magis ex ipſius filij Dei vnici magiſtri noſtri verbis.

DEFENSIO TH. BEZAE.

Imò, bone vir, neque ex Chriſto neque ex me vnquam tale quippiam audiuiſti. Sed ecce te tuis ipſius, id eſt ex Buceri verbis conuincam, quæ ſic ad verbum deſcripſiſti in apologia demonſtrationis 28. vt ſis præfatus illius ſententiam cum tua congruere. Sic igitur ille teipſo deſcriptore & approbatore: *In his locutionibus Accipite, Comedite, &c. tropus Synecdoche eſt.* (Iam igitur, Illyrice, in tropiſtarum quos vocatis caſtra tranſiiſti, nec cauſa eſt cur τὸ ῥητὸν tam præciſè vrgeas.) *Quum enim ait, Accipite, Comedite, Bibite, duas res offert, & ſumere iubet ſimul comprehenſas, terrenam & cæleſtem, perceptibilem ſenſibus & perceptibilem mente:* (Audis igitur, Illyrice, duas res illas ſic offerri & accipi ſimul, vt duplex ſit quoque offerendi & accipiendi modus, vnus videlicet ad corpus non ad animum, alter verò ad animum non ad corpus reſpiciens? Nam alioqui ſi vtraque res & corpori & menti offerretur, ab hac & ab illo percipienda, nullus fuiſſet iſti diſtinctioni locus.) *terrenam & patentem ſenſibus, panem & vinum: cæleſtem, oblatum fidei corpus & ſanguinem Domini, atque his conſtans nouum Teſtamentum.* (Audis rurſum, Illyrice, rei cæleſtis nomine intelligi non corporis corpoream comeſtionem, quæ nuſquam eſt, & quam tu ſomnias eſſe ſpiritualis alterius ſumptionis ſignum, ſed ipſummet corpus & ſanguinem? Audis etiam rem iſtã non corpori ſed mẽti, & quidẽ nõ niſi fideli offerri, nec corpore ſed mẽte perceptibilẽ eſſe? Aut igitur à Bucero diſſides,

ac proinde falsò dicis illius ſententiam cum tua congruere, aut a te me ipſo diſſentis. Et quum [illegible] iam pridem notis, qua fronte paulo antè dixiſti obſcurum eſſe tibi illud [illegible] dictum, & vtramque rem illam, terrenam videlicet & cæleſtem, de Chriſti corpore es interpretatus? *Iſta ſymbola, hae res ſymbolorum, & vera dona ſunt.* (Audis præterea, Illyrice, te illas terrenas vocati ſymbola? & quid Græcis eſt in hoc argumento ſymbolum aliud quàm Signum, & Latinis Signum aliud quàm Sacramentum? Quo igitur pudore ſic auſus es alibi ſcribere, *Quis vnquam ſanæ mentis dixit iſta, Panem, vinum, & aquam eſſe Sacramenta?* At ego quæro, quis vnquam præter Illyricum ſic inſaniuit, vt Panem illum & Vinum illud & Aquam illam negarit eſſe Sacramenta. Sed ſola illa, inquies, nō ſunt Sacramenta. Concedo. Nam & ipſi Sacramentales ritus, Sacramenta ſunt, totaque illa actio externa interdum Sacramenti nomine intelligitur. Sed manet tamen illud, panem illum, vinum illud, & aquam illam, (differunt enim illa plurimum a communibus rebus) eſſe ſymbola ſiue ſigna ſiue Sacramenta. Cuius autem rei? corporis & ſanguinis Domini, reſpondet Bucerus, quum ait hæc eſſe res ſymbolorum. Cur tu me igitur ferre non potes per rem Sacramentorum intelligentem ipſum corpus & ſanguinem Domini? Item quo tandem colore tuum dictum illud, Illyrice, vnà cum tota eiuſdem proditionis coniuratis, ſic occultabis, vt veſtra illa turpitudo conſpici non poſſit, tuum illud, inquam, dictum quod extat in veſtra confeſſione Antuerpiæ edita? *Falſum eſt*, inquis, *interpretatio Zuinglianorum qui ita ſacroſanctum Teſtamentum Chriſti torquent, tanquam dixerit, Hic panis eſt ſignum corporis, quum ille contra claris verbis teſtatus ſit totam illam ſacram actionem ſeu ſumptionem panis ac corporis, vini & ſanguinis Domini eſſe ſignum memoriale ipſius, & paſſionis eius.* Et rurſus in eadem confeſſione. *Chriſtum ipſemet teſtatur propalam, non panem eſſe ſignum corporis, ſed ipſam illam actionē, ſeu etiam panis ac corporis, vini & ſanguinis eſſe ſignum memoriale ſui ſuorúmque beneficiorum.* Deus bone, quis tam inſcientem, ſimul & tam impudentem quenquam eſſe potuiſſe exiſtimauerit? Multis locis, & quidem ſua confidentia hic quoque vt in aliis multis deceptus D. Lutherus cauſam mat [illegible] iam factam Anthropomorphitis, quaſi non ita craſſe ſentire potuerint vt ipſis impingitur. Atqui non minus ſa[illegible], inepta, craſſa eſt iſta corporalis perceptio rei quæ ſoli intellectui per ſignum corporale offeratur, & mente non corpore ſit perceptibilis, quam ſi quis rem incorpoream corporea forma induat, quum quæ corporis ſenſibus obiiciuntur, vt corporaliter percipiantur, quæcunque tandem ſint, forma corporea apparere & ſentiri oporteat: ſicut è contrario quæ intellectui offeruntur, etiam ſi ſuapte natura ſint corporata, tamen incorporea quodammodo fieri oportet, vt ab intellectu comprehendantur: vnde illud philoſophorum vetiſsimum axioma, Eum demum recte & verè de rebus iudicare, qui bene poſsit a materia abſtrahere. Sed quorſum aberro? Nec enim dubito quin me declamitans ille quaſi in cogitationum humanarum labyrinthis oberrantem ad Theologiæ ſepta reuocet, quum tamen iſta ne tantillum quidem a vera Theologia de Chriſti corpore diſsideant. Redeo igitur ſi libet ex mea aberratione, & hoc dico, (vel teipſo conſitente, ſi ex animo aſſentiris Bucero) recte eum ſentire qui panem illum & vinum illud dicat eſſe corporis & ſanguinis Domini ſigna, quæ proinde res ſint illis ſymbolis deſignatæ, & eum qui contraſtetur, quod alibi teſtaris, à teipſo plane diſſentiens, pene indignum eſſe qui audiatur. *Ita habet pronomen ſuum ad eſt Hoc. Id enim non modò panem & poculum* (corpori videlicet & corporaliter) *ſed ſimul ac præcipue demonſtrat & exhibet corpus & ſanguinem Domini ac Teſtamentum nouum,* (intellectui videlicet, & [illegible] ſiue ſpiritualiter vt mox ſequitur) *Duplex enim demonſtratio eſt,* ergo & præbitio & acceptio, *ad ſenſum,* (panis videlicet & vini, rerum terrenarum) *& ad intellectum,* (corporis nimirū & ſanguinis ad nouum fœdus fide in animis noſtris per illa ſanciendum) *ita vt in omnibus ſic locutionibus, quibus per aliquod ſignum* corporali videlicet *viſibile, oſtenditur & exhibetur* (animo nimirum ſeu intellectui) *res inuiſibilis,* ac proinde ſolo animo perceptibilis. Vbi igitur corporalis illa & oralis, ſiue Cyclopica ipſius corporis & ſanguinis datio, acceptio, manducatio?) *Ita Epiſcopi tradentes ſacerdotem ſacri ordinis, & in academiis facultatem profitendi bonas artes, præbendo librum, pileum, vel pedum præbendo, & huiuſmodi, aliud ſignis viſibilibus, oculis aliud verbis intellectui demonſtrant & exhibent. & ſicut aliud, ita etiam aliter vnum quàm alterum neceſſariò.) Ita erat & illud Domini ad diſcipulos, Accipite Spiritum ſanctum, quum inſufflaret in eos. Duas enim res ſimul* (Sacramentaliter videlicet coniunctas) *exhibebat & tradebat,* diuerſa videlicet duobus diuerſis *ſenſibus afflatum, mentis Spiritum.* Appoſita quidem ſimilitudo ad illam Sacramentalem ſynecdochen explicandam, quem tropum effugere vos non poteſtis, illud *τὸ ῥητὸν* quoties libuit tam ſolicite retinentes, ſed manca tamen, neque ſufficiens ad explicandum qua ratione dicatur Signum eſſe illud ipſum quod ſignificando ſimul & quamuis ſpiritualiter vere tamen exhibendo accommodatur, vt ſit neceſſario ad Sacramentalem metonymiam, auctoribus etiam Auguſtino & Theodoreto, deueniendum. Deinde non eſt longius trahendam hanc ſimilitudinem quam vt communem loquendi formulam declaret, vel ex eo liquet, quòd facultas Theologiam aut literas docendi & interpretationi [illegible] nō ſint res aliquæ ſubſtantiales. In Cœna Domini vero fide participamus ipſum corpus & ſanguinē Domini, quamuis prorſus myſticus ſit iſtius [illegible] modus, & eū ſpectans non vt ex conſorporatis ſubſtantiis vnum corpus euadat, ſed vt ex Chriſto ſpiritualiter nobis adiuncto vitam æternam ac ſempiternam hauriamus.

AD XVII.

Vetus Teſtamentum vmbris, ſignis, & vmbraculis rebus ſanctum eſt. At nouum ipſa demum rerum ſignificatarum veritate & ſubſtantia, ſicut diſertiſsime Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos vrget, [illegible]

fœdus multo meliore ſanguine ſancitum confirmatúmque eſſe quàm illud prius. Scelerate ergo peruertitur ſacroſanctum Teſtamentum Chriſti, dum eius verba à vero ſanguine in typicum & figuratum violenter transferuntur.

HIC quoque ſe prodit tum craſſiſſima inſcitia, tum incredibilis calumniandi libido. quod vt planiùs intelligi poſſit, breuibus perſtringam quod ſit in re Sacramentaria veteris & noui Teſtamenti diſcrimen, repetita eorum ſumma quæ aduerſus Heshuſium iam pridem demonſtraui.

PONO autem tria poſtulata. Vnum, nunquam niſi ex ſola gratia & miſericordia vllum hominem fuiſſe Deo conditori gratum. Alterum, nemini vnquam fuiſſe factam gratiam, niſi in vnico Mediatore Ieſu Chriſto. Tertium, Deum nunquam eſſe homines ludificatum.

HIS poſitis, iam hoc ego ſuperſtruo, vtriuſque fœderis vnum eſſe authorē Deum, vnicam ſubſtantiam Chriſtum, vnicum finem gloriam Dei cum ſalute electorum coniunctam, ac proinde impios eſſe ac blaſphemos Sophiſtas, qui dicunt veteris fœderis Sacramenta (vt ipſi loquuntur) fuiſſe ſignificatiua, noui verò eſſe exhibitiua. Nam neque illa inaniter Chriſtum ſignificarunt: neque hæc abſque ſignis & ſymbolis eundem nobis offerunt. Itaque concludo vtrunque fœdus, vnicum eſſe & ſingulare fœdus, ſiue authorem, ſiue materiam ac ſubſtantiam ipſam internam, ſiue finem & ſcopum vtriuſque conſideres. Sola forma ſupereſt, quam ego genere eandem, circunſtantiis autem plurimùm fateor differre. Vtrobique enim & verbum & externa ſigna docendis hominibus; & obſignando in credentibus fœderi adhibentur, ac proinde forma vniuerſaliter & in genere eadem eſt. Sed iam audiamus circūſtantiarum diſcrimina. Quod ad verbum attinet, locutus eſt Deus patribus πολυτρόπως καὶ πολυμερῶς, idque admodum plerunque obſcurè, nobis vero planiſſimè totum conſilium Dei à Filio eſt patefactum: & illic quidem promittitur Chriſtus, adeò vt ad futuram clariorem reuelationem remittantur homines, hic verò Chriſtus mundo exhibitus omnes promiſſiones adimplet.

Quod autem ad typos attinet & Sacramenta, Vetus Teſtamentum penè habuit infinita; & alia quidem temporaria (cuiuſmodi fuit tranſitus maris rubri, nubes, manna, petra, & cætera eius generis) alia verò fixa & immota vſque ad noui fœderis promulgationem, cuiuſmodi fuit Circunciſio & totus ille ceremonialis cultus. Fuerunt autem omnes iſti typi minimè inanes, vtpote quibus adiuncta fuit veritas, id eſt Chriſti venturi participatio: ſed vmbræ & figuræ vocantur, quoniam erant duntaxat Chriſti, & ipſius beneficiorum veluti σκιαγραφίαι, vt loquitur & copioſè explicat Chryſoſtomus. Neque enim in illis emicabat plenus ille lucis Euangelij fulgor, ſed erant veluti ſcintillæ duntaxat in tenebris emicantes, quæ Chriſtum verè quidem & ſatis efficaciter ad ſalutem commonſtrarent, ſed eminus tamen, nec adhuc re ipſa apparentem. Nouum autem fœdus quum ſolem ipſum exortum nobis contemplandum præbeat, omnes illas figuras & vmbras quæ venturum ſolem prænuntiabant, ſuſtulit: habet tamen quædam Sacramenta propter imbecillitatem noſtram, re quidem paria veteribus, (vt inquit Auguſtinus, & manifeſtè Paulus oſtendit, quatenus videlicet idem Chriſtus in his & in illis ſignificatur) ſed ſignis diuerſa: numero pauciora, vtpote duo tantùm: ſignificatione auguſtiora, virtute præſtantiora. En igitur quatenus duo dicantur fuiſſe fœdera, quod ſit illorum diſcrimen, & quo ſenſu prius dicatur abrogatum.

HAEC autē ita ſe habere præterquam quod res ipſa clamat, partim etiam rationibus neceſſariis, partim expreſſis teſtimoniis euincitur. An enim Patres ludificatus eſt Dominus? an fruſtranea eſt promiſſio, ERO DEVS TVVS? an verò in quoquam alio quàm in Chriſto rata eſſe potuit? Quid verò expreſſius quàm quòd dicitur Chriſtus fuiſſe heri & hodie? Agnus ab origine mundi occiſus? Circunciſio σφραγὶς iuſtitiæ ex fide? Abraham vidiſſe diem Domini? quòd denique Patres in nube & mari baptizati fuerint, & in manna eandem atque nos eſcam ſpiritualem comederint, & ex petra eundem atque nos potum ſpiritualem hauſerint? quid denique quòd Apoſtolus rupem illam apertè Chriſtum fuiſſe, ſacramentaliter nimirum, teſtatur?

TRIA tamen hìc nobis opponunt qui aliter ſentiunt. Fatentur enim quod ad Chriſti efficaciā & beneficium attinet, Veteres quoque per fidem fuiſſe eius participes, ac proinde hoc demum reſpectu dici re paria noſtris fuiſſe Veterum Sacramenta: Chriſtum autem ipſum realiter & ſubſtantialiter illis tum communicatum fuiſſe negant. Primùm, quia natura ipſa humana ſiue caro Chriſti nondum extabat. Deinde, quia non temere dicit Paulus, Patres habuiſſe rerū futurarum vmbras, nos autem corpus. Tertiò, opponunt antitheſin illam vtriuſque fœderis in Epiſtola ad Hebræos copioſiſſimè explicatam, ad quæ omnia ſic paucis reſpondeo:

CONCEDO igitur carnem Chriſti antequam in vtero virginis conciperetur non fuiſſe in rerum natura, verùm quominus propterea ſentiam Chriſti ipſius non fuiſſe patres factos participes, ſed tantùm efficaciæ Chriſti, multa impediunt. Nam illud quoque quod nondum eſt in ſeſe, nihilominus & Deo promittenti ac danti, cui futura omnia ſunt præſentia, & fidelibus verbo Domini non ſecundùm carnis ſenſum, ſed ſecundùm Spiritum credentibus eſt præſentiſſimum. Deinde & illud certum eſt, nō poſſe nos alio iure frui Chriſti fructibus quàm quia ipſe noſter eſt: noſtrum autem Chriſtum fieri ex Patris dono neceſſe eſt. Perinde igitur faciunt qui Patres exiſtimant beneficiorum Chriſti non autem ipſius Chriſti factos fuiſſe participes: acſi dicerent illos non fuiſſe Chriſti membra, & nihilominus ipſius ſpiritu & vita vixiſſe, ſiue (vt in Sacramentali locutione permaneamus) fuiſſe eius cibi vigore ſuſtentatos, quem tamen non comederint. Vidit Abraham, inquit Dominus, diem meum. An verò Chriſtum ipſum non vidit ſed eius tantum efficaciam qui diem eius vidit: & viſio iſta quid aliud eſt quàm fides, & ea quidem ad apprehendendum obiectum ipſum quàm efficaciſſima? Eandem eſcam comederunt, inquit Paulus, & eundem potum

hauſerunt Patres. at qualem eſcam & potum? efficaciam Chriſti naſcituri, inquiunt iſti. Aſſentimur. Sed nutrimentum à cibo non eſſe ſeparandum docet Apoſtolus, quum illos nobiſcum in re ipſa componens, diſertè inquit, Petra autem erat Chriſtus.

SIC igitur ſtatuamus. Patres, quamuis tunc ipſo, vt aiunt, actu non ſint facti vnum cum ea carne quæ nondum erat in rerum natura: tamen quum & Deo danti & fidei accipienti ſint futura præſentiſſima, facti ſunt Chriſti ipſius venturi membra, ſiue Chriſti naſcituri, quod ad ius attinet, verè participes, vt in eo venturo & ipſi iuſtificarentur & ſanctificarentur. Nũquam enim in alio quàm in Filio illo primùm incarnando & promiſſo, deinde incarnato & exhibito acquieuit Pater: nec vllus vnquam in Filio iuſtificatus & ſanctificatus eſt, quàm qui cum ipſo per fidem ſpiritualiter coaluit, adeò vt ſublata in eum inſitione nullus ex eo ſuccus ad nos poſſit dimanare. Tantùm in eo differentia eſt, quòd illi quidem initio Chriſto ipſo, iure tantùm promiſſionis & ſpei, nunc verò poſt illum mundo exhibitum & illi & nos de facto, vt aiunt, in vitam æternam potiamur.

QVOD autem ad vmbras & corpus attinet, comparatiuè hoc eſt accipiẽdum, ne alioqui Deum putemus populo ſuo, vt Iouem illum poeticum Ixioni, nubem, id eſt inania quædam pro re firma & ſolida propoſuiſſe. Neque igitur vmbras illi habuerunt ſolidæ veritatis expertes: neque nos hodie corpus habemus abſque vllis Sacramentorum vmbris. Sed ſi comparetur eorum cõditio cum noſtra, nos demum rem ipſam præſentem habemus, quoniam illi per ſpem penderũt ab eo qui verè ac reipſa nobis eſt exhibitus.

DENIQVE ſciendum eſt quoties & in Epiſtola ad Hebræos & alibi ceremoniæ legales perinde vt res externæ & carnales extenuantur, tum eas ex aduerſariorum hypotheſi cenſeri, à Chriſto videlicet ſeparatas, quem vnum ſuis temporibus exhibendum tota illorum ſignorum vis reſpiciebat. Iſta igitur partim aduerſus eos dicta ſunt qui ſtultè rebus illis externis tribuebant quod iam tum vnius erat Chriſti per illas adumbrati: partim verò in eos etiam ſcripta, qui cum Chriſto exhibito ſtare poſſe credebant, quæ dumtaxat ad illius venturi ſpem fouendam erant inſtituta. Ex his autem Chriſtum venturum iam tum non fuiſſe credentibus donatum, quamuis in futurum tempus reſpiceret eius exhibitio, nemo ſano iudicio præditus collegerit. Imò hoc ipſum quoque de noſtris Sacramentis dicere nunc licere, quòd videlicet per ſe extrinſecus ab eo quod ſignificant ſeparata nihil proſint, vtpote quæ ad animum vſque penetrare non poſſint, tum illud Ioannis dictum probat, *Ego quidem vos baptizo aqua*, tum etiam illa apud Petrũ exterioris & interioris ablutionis peruulgata diſtinctio: cuiuſmodi etiam illud eſt quod affirmat de corporis & ſanguinis Chriſti Sacramento Auguſtinus, Sacramentum à re Sacramenti, tractatu in Ioan. 26. & alibi paſſim rectè diſtinguens.

Ex his quanta ſit Illyrici in his rebus ignorantia cuiuis iam conſtare puto, quibus & hoc addã, inſigni iniuria nos ab eo affici, quum verum ſanguinem comminiſcitur ſcelerate à nobis in typicum transferri. Neque enim in Cœna Domini vllum alium ſanguinem quàm illum ipſum pro nobis effuſum agnoſcimus, cuius Sacramentum ſit vinum. Imò etiam quamuis Baſilius & Theodoretus noſtra Sacramenta vocent ἀντίτυπα, idque ſignificatione aliquantulùm diuerſa à Petri loco vbi Baptiſmum vocat liberationis ex diluuio ἀντίτυπον, & Ambroſius de calice myſtico loquens Typi nomen vſurpet: libenter tamen ab hoc vocabulo vt nimium diluto abſtinemus, tantum abeſt vt veteris fœderis typos noſtris Sacramentis exæquemus. Ipſe verò Illyricus ipſius etiam corporis & ſanguinis manducationem externam ſtatuens pro interioris manducationis ſigno, viderit potiùs quomodo verum ſanguinem in typicum non transformet.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

Dum Beza mihi conuiciatur, non animaduertit ſe ſibi contradicere, tum ignorantiam tum calumniam mihi tribuendo. Qui enim peccat per ignorantiam, certè non peccat per ſtudium calumniandi.

DEFENSIO TH. BEZAE.

Non conuiciatur, Illyrice, qui ſcapham appellat ſcapham. Dixi & verè dixi, ſummam tuam & inſcitiam & calumniandi libidinem ſimul ſe prodere, quia videlicet tuæ improbitati, cuius teſtis eſt magno ſuo malo vniuerſa Germania, non reſpondet ex æquo peritia earum rerum de quibus malitioſè ſoles controuerſias & turbas mouere: quòd ſis nimirum iuſto dei iudicio excæcatus, inſtar ferarum beſtiarum quas ſolent hiſtriones erutis priùs oculis circunducere. At tu de iis diſputas qui per ignorantiam. id eſt inſcientes & incogitantes peccant, quum nihil minùs ſit illis propoſitum. Quodnam autem certius tuæ inſcitiæ argumentum, quàm hoc tuum reſponſum? pergis poſtea & inquis,

Sententiam Bezæ de vtroque Teſtamento Heshuſius potentiſſimis & euidentiſſimis argumentis, imò efficaciſſimis oraculis ac fulminibus prorſus proſtrauit. Quare remitto lectorem ad aureum illum & etiam proprium Heshuſij librum.

Nempe, Illyrice, mutuò muli ſcabunt. De quibus autem iampridem cum Veſphalo & Heshuſio tam multa egi, quid attinet inculcare? Subiicis poſtea,

Inter cætera non poſſum prætermittere quòd Beza citans locum Pauli, Quòd omnes patres eandem eſcam

eſcam ſpiritualem ederent, & eandem ſpiritualem potum biberint, addis de ſuo bis, ATQVE NOS, *quum Paulus prima collatione manifeſtè ſolos Iſraelitas inter ſe conferat, & poſtea demum eam collationem ad nos applicet.*

Item, Malo eſſe puſillus Chriſti diſcipulus duo eſſe teſtamenta aut fœdera toties affirmantis, quàm Bezæ eruditiſſimus diſcipulus, qui contrà expreſſiſſimum Dei verbum contendit vnicum re vera teſtamentum eſſe, niſi quòd ritibus quibuſdam varient.

Tibi igitur, Illyrice, manifeſtum eſt & planè ληρεῖς quicquid ſomnias, ſed ratiocinanti fortaſſe credam, ſomnianti nunquam, ac multo etiam minùs apertè, quiduis comminiſcẽti. De re ipſa mox dicam aliquid quandoquidem nos cogis eadem ſæpe inculcare. Tantùm hîc te iubeo, velis nolis, agnoſcere tuam impudentiam, qui contra conſcientiam ſcribere iam toties auſus fueris nos arguere quaſi illud ATQVE NOS auſi ſimus ſacris literis inſerere. Si de ipſo Pauli contextu hoc intelligis, omnes codices noſtræ interpretationis reſtabuntur Illyricum ſuo more, id eſt impudentiſſimè mentiri. Sin de ipſa potiùs expoſitione hoc accipis, primùm quis nobis hanc legem præſcripſit vt qui in ſacris tabulis exponendis vſus fuerit quibus & quot verbis viſum erit ad explicandam animi ſui ſentẽtiam ſacras tabulas dicatur corrupiſſe? Hoc enim illud eſt quod ſcribis me de meo & id quidem bis illud ATQVE NOS adieciſſe, quod à me Deus auertat. Deinde, vt noris quos per latus meum confodias, tu inquam, qui tantum hîc tibi acumen vendicas, vt tanquam de re extra controuerſiam omnem poſita pronunties, audi, ſi tuæ dignitati libet, quid ſcribat hac ipſa de re Auguſtinus, præ te ſcilicet cæcutiens, tractatu in Ioann. 45, *Eundem potum ſpiritualem biberunt, ſpiritualem eundem, corporalem non eundem. Quid enim illi bibebant? Bibebant de ſpirituali ſequente petra. petra autem erat Chriſtus. Videte ergo. Fide manente ſigna ſunt variata. Ibi petra Chriſtus, nobis Chriſtus quod in altari ponitur* (panis & vinum videlicet vt illic petra, & quidem vtrunque (velis nolis, Illyrice) ſignificatione, vt mox ſequitur.) *Et illi pro magno Sacramento eiuſdem Chriſti, biberunt aquam profluentem de petra, nos quid bibamus, norunt fideles. Si ſpeciem viſibilem intendas* (mannam videlicet & petram) *aliud eſt,* (nobis enim eſt panis & vinum) *ſin verò intelligibilem* SIGNIFICATIONEM (Chriſtum ipſum videlicet Sacramentis ſignificatum) *eundem potum ſpiritualem biberunt.* Requiris etiam aliquid apertius, vt illud ATQVE NOS noueris me ex eodem ipſo autore deſumpſiſſe. Audi rurſus eum ſic ſcribentem in tractatu De pœnitentiæ vtilitate, quem γνήσιον eſſe non video cur dubitemus. *Eundem,* inquit, *cibum manducauerunt. Quid eſt* EVNDEM *niſi* QVEM ETIAM NOS? Audis hoc, Illyrice, non eſſe à Beza neque à tuis quos vocas aduerſariis excogitatum. Sed mox etiam idem multò planiùs, *Suffecerat,* inquit, *vt diceret cibum ſpiritualem manducauerant. Eundem inquit. Eundem non inuenio quomodo intelligam, niſi eum quem manducamus & nos.* Sed Illyrico ſcilicet monitore Auguſtinus indigebat, vt conuenientius quidpiam intelligeret. Tuam verò de vnico Teſtamento calumniam, quaſi vnum quidem vetus, alterum autem Nouum fuiſſe, contra expreſſum Dei verbum negem, tunc refutabo Illyrice, quum hoc me ſenſiſſe, ſiue quum te bonum virum eſſe & iſtarum rerum vel mediocriter intelligentem eſſe probaueris. Sed audiamus etiam aliquid amplius.

Illud non poſſum non deteſtari, quòd Beza epiſtolam ad Hebræos, & alias ſcripturas glorioſiſſimè noui Teſtamenti myſteria & Sacramenta veteribus præferentes eo fuco eludit, quòd illa dicant ex hypotheſi cogitationum aduerſariorum intelligenda: quaſi tantùm propter illos aduerſarios dicta ſint, & non potius propter ipſam rei veritatem. Talibus præſtigiis ſi admittantur, & non potius (vt digniſſima ſunt) anathematiſentur, quæuis ſcriptura eludi poſſunt. Mox enim dicent hæretici, non propter ipſius rei veritatem, ſed tantùm propter prauam neſcio quorum hominum opinionem illa dici.

Bona verba, mi homo, quanquam certè tua anathemata non video cur quicquã moueat. Prophetas peruerſam eorum opinionem paſſim reprehendere qui ſigna à rebus, id eſt ceremonias à Chriſto ſeparantes, in opere, vt loquuntur, operato fiduciam ſuam collocabant, tùne inficiari audebis, eóque reſpectu ſacrificia ritúſque omnes Legis vſqueadeò depreſſiſſe, vt etiã à Deo requiri negarint? Miſericordiam volo, inquit apud Hoſeam Dominus, non ſacrificium. Et apud Ieremiam, Non ſum loquutus cum patribus veſtris, neque præcepi eis ab eo die quo ipſos eduxi è terra Ægypti, verba de holocauſto & ſacrificio. Denique vix vlla reprehenſio frequentiùs apud Prophetas occurrit. Quid verò? Apoſtolum aduerſus pſeudoprophetas agentem, qui Chriſtum negabant abſque Circuncisione prodeſſe, non oportuit oſtendere ne tum quidem quum ceremoniæ vigebant illas per ſe vllam iuſtificandi hominis vim habuiſſe? In epiſtola verò ad Hebræos, quæ totum hoc argumentum pertractat, & quam auſim dicere (abſit verbo inuidia) ab iis quos tu aduerſarios appellas, multo diligentiùs, pleniùs, accuratiùs, quàm à quoquam tuæ factionis homine explicatam, quem noſtrûm vnquam dixiſſe comperies Legis vmbras cum Euangelij luce ex aliqua peruerſa hypocritarum opinione conferri, ac non potiùs iſta inter ſe, ea ſui natura comparari? In iſta tamen collatione ſæpe oportuiſſe veterum rituum haberi rationem per ſe & ſeorſim; id eſt abſque Chriſto, ſiue extrinſecus duntaxat conſideratorum, ſi negas, eo ſaltem conuinceris quòd Apoſtolus inutilem fuiſſe Legem dicit, & interdum non aliam quàm carnis ſiue externam purificationem illi attribuit, quod niſi intelligas de externis ritibus per ſe ex hypotheſi conſideratis, vix blaſphemiæ crimen vel teipſo reſte effugeris. Etſi enim locum illum de Legis inutilitate imperitè admodum in illis tuis ſcholiis exponis; quum inutilitatem ab infirmitate non diſtinguis, & quod de cibis vnis dicitur [illegible], vt de Lege quoque morali ſcriptum interpretaris, tamen hoc tibi veritas ipſa extorſit, *Hoc ſanè de omnibus illis Moſaicis ritibus ſentiendum eſt, quòd licet* PER SE *ſuáque natura fuerint egena & caduca quadam elementa* (rectiùs dixiſſes inutilia & carnalia) *tamen quatenus Chriſtum eiúſque beneficia monſtrarũt* (ergo PER SE QVATENVS

CHRISTVM MONSTRARVNT, ſiue quatenus vt Sacramēta conſiderantur, id eſt ad res ipſ ſignificatas relata, te ipſo teſte inter ſe opponuntur:) *eatenus illa ipſa bona* (imò & Chriſtum ipſum naſciturum etiam fidei præſentem) *omnibus credentibus tanquam quadam illorum Sacramenta applicarunt.* Neque verò nos aliud hac de re diximus vnquam aut dicimus, vt te iam oporteat vel Sacramentarium fieri, vel à teipſo diſſentire. Deinque hoc etiam adiicis,

Negat Beza ſuos ſanguinem & corpus quo hoc fœdus ſanciatur, in typicum transformare. Atqui ſupra abundè probauimus ex ipſorum ſcriptis, corpus Chriſti in ſacra Cœna per metonymiam ab illis transformari in figuram, ſignum & ſymbolum corporis. Sed quum Apoſtolus dicat Vetus illud teſtamentum à Moſe ſanguine typico victimarum ſancitum eſſe externa illa aſperſione, vt ſolent ſacramenta externis quibuſdam notis obſignari: addátque hoc nouum Teſtamentum meliori victima ſanciri, concedant tandem neceſſe eſt, hoc eſſe ſignum aut ſigillum exteriùs communicatum, & nouum fœdus confirmans, ſicut & illud olim à Moſe externo opere fuit Iſraelitis communicatum.

Scilicet, Illyrice, quum dicimus panem illum eſſe Sacramentum corporis, ſiue Sacramentaliter eſſe corpus (hæc enim duo prorſus vnum & idem valent) corpus ipſum in rem aliquam imaginariam transformamus. Nec te ſic nugari pudet in re tam ſeria? Deinde, quid ſibi vult iſta Dalmatica non balbuties, ſed barbaries, Sacramenta quibuſdam notis obſignari? Nam certè ſic oportet vt infinita ſignorum ſigna & totidem obſignationes imaginemur, aut quid tibi velis non ſatis pro meo ſtupore percipio. Illud verò de potioribus victimis quàm appoſitè à te citatur? Oſtendit Apoſtolus terreſtre tabernaculum, librum, vaſa, qui typi fuerunt, non res ipſæ, fuiſſe terreſtris quoque ſanguinis aſperſione conſecrata. quibus poſtea opponit cæleſtia, ipſum videlicet Chriſtum verū Deitatis domicilium, & cælum ipſum quod nobis ſanctificauit, denique totum ſpirituale Chriſti regnum, quod in futura vita perficietur, quæ omnia ſanguine longè potiore alio, ipſiuſmet videlicet filij Dei conſecrari oportuit, ſicut dicitur Chriſtus ſemetipſum nobis ſanctificaſſe, & viā in cælum ſanguine ſuo dedicaſſe, & per ea quę paſſus eſt τελειωθῆναι, id eſt veluti ſacerdotio illo ſuo initiatum. Quorſum hæc verò ad tuum vaniſſimum iſtud commentū, quòd ſiue corpus ſiue corporis externa quædam manducatio ſit in ſacra Cœna pro ſigno, non pro re ipſa conſtituenda? Diſce igitur aliter ratiocinari, aut cum ſolis beſtiis agito.

AD XVIII, XIX, & XX.

ILLYRICVS his tribus demonſtrationibus probare inſtituit verum Chriſti corpus & verum ſanguinem nobis communicari, quoniam videlicet ipſo ſanguine agni Paſchalis, qui typus erat noſtri veri Paſchæ, ſignabantur domus & poſtes. Item quoniam in fœderibus vtraque pars confœderandorum ipſa eiuſdem fœderalis victimæ carnes ipſúmque ſanguinē participabat: ac nominatim quidē in veteri fœdere cautum fuit, vt victimæ ſanguis in populum ipſiúſque adeò fœderis librum ſpargeretur.

HAEC omnia verò norit Illyricus aduerſum nos nō dici qui veri corporis & ſanguinis ipſiúſque adeò Chriſti communicationē quam diſertè ſtatuit Apoſtolus, minimè inficiamur. Sed quod inde colligit, nempe corporalem & externam eſſe iſtam κοινωνίας, quam nos contrà ſpiritualem eſſe & ſola fide percipi affirmamus, & in terra id realiter eſſe quod Scriptura non niſi in cælis nunc eſſe teſtatur, tum demum credemus quum nobis fuerit ex Dei verbo demonſtratum.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

HAS tres demonſtrationes vtinam ex animo admittat Beza, probaui enim in illis euidenter quòd ea communicatio corporis & ſanguinis in ſacra Cœna fiat, quæ non tam rationem beneficij aut fructus huius beneficij obtineat, quàm externi ſigni ſiue ſigilli eam confirmantis.

DEFENSIO TH. BEZAE.

QVID verò dici potuit vel obſcuriùs vel ineptiùs? Communicatio corporis, inquis, in Cœna non eſt ipſum beneficium ſiue fructus ipſe quem percipimus, ſed ſignum ſiue ſigillum eam confirmans. Quam tandem, obſecro, confirmans? num Cœnam ipſam? Erit igitur ſignum ſigni, quum Cœnæ actionem negare non poſſis eſſe μυστήριον. Num verò ſe ipſam confirmans? Erit igitur ſuiipſius confirmatio. Et cui tandem præter te vnum in mentem venire potuit vt diceret, rem ipſam præſentem eſſe ſuiipſius ſignum? Deinde non oportuit te ſcribere EAM CONFIRMANS, ſed SEMETIPSAM CONFIRMANS, vt intelligi poſſes. Verùm quis iam ineptè loqui hominē miretur, cuius tam abſurdæ ſint cogitationes? Quid ergo probaſti Illyrice? te videlicet prorſus inſanire, de quo tamen minimè dubitabam. pergis tamen & inquis,

Sicut in ſanciendo Sacramento Paſchatis, & in pangendo Sinaico fœdere vnde hæc verba ſacræ Cœnæ, Hic eſt ſanguis noui Teſtamenti, tranſumpta ſunt, de ſanguine illius fœderalis victimæ populo Deo communicatum eſt, non vt fructus aut meritum oblationis, ſed vt ſignum tantum, aut ſigillum, aut teſtimonium.

Rurſum, quæſo, hóccine eſt loqui, an perplexa ænigmata muſſitare? Sanguinis enim victimæ cōmunicationem, obſecro, quid te vocare exiſtimabimus? aſperſionē opinor. Nec enim aliud poſſum diuinare. Eam dicis te probaſſe non fuiſſe fructum aut meritum oblationis, ſed teſtimonium. Cuius verò rei teſtimonium? oblationis opinor. Cur ergo non addidiſti relatiuum EIVS? Sed age,

vt il-

vt illud additum fuerit, quid tandem ſibi vult iſte fructus, ſeu iſtud meritum oblationis? & nomine oblationis, quid tandem intelligis? num actionem ipſam offerendi, an illud ipſum quod offertur? Vtrouis autem modo accipias, fateor me iſta tua ænigmata non poſſe vllis coniecturis aſſequi. Sanguinem ſanè illum beſtiarum quo populus aſpergebatur, agnoſco illud non fuiſſe cuius vel oblatione Deus reconciliatur, vel aſperſione populus ſanctificaretur, ac proinde externam illam oblationem fuiſſe alterius illius Sacramentum, quæ ſuo tempore ab ipſo Chriſto præſtita eſt: ac proinde, externam quoque illam ſanguinis beſtiarum aſperſionem fuiſſe quoque Sacramentum interioris illius ac merè ſpiritualis aſperſionis veri illius ſuo tempore fundendi ſanguinis, quæ iã tum credentes mundabat. Sed quod inde vis effici, nempe nunc quoque realem & externam ſanguinis Chriſti aſperſionem in Cœna fieri, quæ ſit alterius interioris ſignum, quo tandem argumento demonſtraſti, vel vnquam demonſtrabis? Iſto ſcilicet,

PERPETVVS hic mos ac ius fœderum fuit, vt de eiuſdem fœderalis victima carnibus, & ſuo modo etiam ſanguine, vtraque pars confœderandorum participaret: Quare & hic Chriſtus ſuum corpus ac ſanguinem tum Patri in ſua paſſione obtulit, tum & nobis veſcendum in communione tradidit. Qua de cauſa etiam ſacroſanctum hoc fœdus cum ſua paſſione coniunxit, vt ita vno eodémque tempore vtrique parti per ſa dus hoc coniungenda ſua fœderalis victima ſanguinem tradere poſſet.

Quòd ſi diuerſis victimis aut ſanguinibus ſanxiſſet hoc fœdus erga Patrem, quàm erga homines, non perinde vtraque pars ad id teneretur ac obligaretur, certáve de eius veritate ac valore eſſe poſſet: Certum igitur eſt eundem ſanguinem Teſtamenti, aut fœderalis victimæ vtrique parti exhibitum eſſe. Quibus adijce & illud, quòd Chriſtus fuit Mediator non tantùm noſter erga Deum, ſed & Dei erga nos, nec tantùm cum Patre noſtri cauſa egit, ſed etiam nobiſcum Patris gratia, vt nos ipſi viciſſim adiungeret, nóſque de Patris voluntate confirmaret. Sicut ergo Patri ſeſe obtulit placando eum, & feriendo noſtro nomine cum eo fœdus, ita etiam ad nos conuerſus nobis ſeſe, dato corpore ac ſanguine ſuo, in ſanciendo hoc nouo fœdere aut teſtamento communicauit.

X X. Demonſtratio.

Illud argumentum eſt etiam in priori ſcripto, ſeu in fideli admonitione expoſitum, quod tamen hîc quoque breuiter repetemus, quandoquidem maximi momenti eſt ad conſtabiliendam veritatem, nempe quòd in veteri Teſtamento in feriendo fœdere de eiuſdem fœderalis victimæ ſanguine tum Deo oblatum eſt, tum & in populum atque adeò etiam librum fœderis ſparſum. Quin etiam iiſdem verbis illud fœdus ſancitum eſt quibus Chriſtus in dando nobis ſanguine ſuo vſus eſt, quæ habentur, Hebr. 9, τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, Hic eſt ſanguis Teſtamenti, &c. Idem etiam Angelus ac mediator Chriſtus tum quoque populum per Moſen duxit, & illud fœdus inter Deum & homines ſanxit. Omnia ergo, in hac quidem parte, iſtorum duorum fœderũ conueniunt, eadémque ratio feriundi fœderis vtrobique eſt. Vel potiùs hoc nouum ex illo transſumptum eſt, eóque eius naturam ac proprietates in hac conditione refert, ac in ſemet continet.

Quare conſenſus actionis ac verborum fœderis huius cum illo, oſtendit hoc fœdus inde ſumptum eſſe, eiúſque naturam referre, eodémque modo hîc quoque fœderalis victimæ ſanguinem vtrique parti confœderanda exhibitum, ac perinde quoque verba ſacræ Cœnæ propriè accipienda eſſe, & non figuratè, ſicut & ibi propriè accepta ſunt quandoquidem eadem ac in ſimili re ibi vſurpata ſunt, nempe, Hic eſt ſanguis Teſtamenti, &c. Euidentiſſimè igitur iſta duorum fœderum collatio, in ſacra Cœna exhiberi communicationem corporis Chriſti demonſtrat. Hactenus recitaui duas meas demonſtrationes, quas ſe concedere Beza affirmauit. Expendatur igitur earũ ſenſus veriſſimus, ſicut & 18. Iubet nihilominus in fine, vt probem corpus Chriſti in terris eſſe, & externo opere fieri. Ego autem dico id ſatis in iſtis ipſis demonſtrationibus demonſtrari, quia nota aut teſſera confirmantes fœdus, vt eſt ſanguis fœderalis victimæ coràm idque externo opere adeſſe debeat. Tum porrò Chriſtus in terris dixit teſtatúſque eſt, & quotidie in ſacra Cœna in terris per os miniſtri ſui dicit affirmátque de illo coràm exhibito cibo ac potu, Hoc eſt corpus, hic eſt ſanguis meus. Cuius verbi teſtimonióque ſi quis aſſentiri non vult, is ſanè in ſua pertinacia perſiſtat, & meditetur dies noctéſque ſophiſmata, quibus ſe alióſque, remouens ex oculis verbum Filii Dei, decipiat & excæcet. vt iſti profectò ſtrenuè ſedulóque factitant.

Summam tuorum argumentorum ſic concipio, ex iis quæ rurſum perplexè & obſcurè, tuo more ſcribis, *In antiquo fœdere quod eſt noui typus & exemplar, oblatus fuit Deo realis ipſe victimæ ſanguis. Ergo etiam in nouo realis ipſe ſanguis Chriſti oblatus eſt Patri, ab ipſomet videlicet qui pontifex eſt & victima.* Totum hoc ſanè concedo, & Marcionitarum δόκησιν toto pectore deteſtor. Adiicis poſtea, *In antiquo fœdere populus fuit externo actu & reali victimæ ſanguine aſperſus,* (adde etiam ſi vis, *realiter & corporaliter ipſius victimæ partibus ſibi conceſſis veſcebatur.*) *Ergo oportet etiam ſub nouo fœdere, nos vera carne Chriſti realiter veſci, & vero ipſo ſanguine exterius quoque rigari, & ſicut externa victimæ ſanguinis aſperſio erat ſignum interioris & ſpiritualis ablutionis in iis qui credebant, ita etiam externam carnis ipſius præſentis manducationem, & ipſiuſmet præſentis ſanguinis hauſtionem, oportet eſſe ſignum ſpiritualis noſtræ per fidem cum Chriſto communicationis.*

Ego verò hactenus hoc poſterius concedo, vt fatear oportere nos verè carnem ipſam Chriſti edere, & ſanguinem bibere, ſiue ipſiuſmet Chriſti participes fieri, quod ſemper & corde & ore profeſſi ſumus, vt typo planè reſpondeat veritas: ſed externo ſiue corporis actu id fieri, ſiue ad vllam ſubſtantiarum ipſarum coalitionem, ac σύμφυσιν: hoc verò pernegamus. At tu, inquies, hoc quoque conceſſiſti in oblatione Patri ab ipſo Chriſto facta. Fateor. Cur non igitur (dices) in perceptione quoque, ſiue in communicatione id concedis? Quia finis ſiue ſcopus oblationis, eſt reconciliatio noſtri cum Patre, ad quam mors etiam illa corporea & externa requirebatur: finis verò perceptionis Chriſti eſt ipſius coniunctio nobiſcum, non per quam ipſius ſubſtantia in noſtram traiiciatur,

& corpus hoc noſtrum ſubſtantiali illius carne & ſanguine nutriatur (quæ omnia ſunt Capernaitica,&,vt loquitur Auguſtinus,ſceleris plena,quum crudele ſit ac prorſus Cyclopicum,non Chriſtianum, ſiue viſibiliter ſiue inuiſibiliter humana carne externo actu veſci) verùm vt nobis verè quidem,ſed ſpirituali modo ac myſticè(Eſt autem verè magnum hoc myſterium ſpiritualis coniugii Chriſti & Eccleſiæ, vt loquitur Paulus ad Epheſios) cum capite noſtro coniunctis, ipſíque adeò concorporatis,inde quoque ſpiritualiter omnia ad ſpiritualem æternámque vitam neceſſaria,tum imputationis tum interioris energiæ ſpiritus vi hauriamus.Quorſum igitur iſtam externã manducationem,quæ corporis & corporeæ vitæ tota eſt?At enim,inquies,ita fiet vt analogia veteris & noui fœderis in altero tantùm membro,in oblatione videlicet vigeat.Imò veriſsimè alterum alteri ſic quoque reſpondebit, & ita quidem vt noua multò præſtent veteribus, re quidem paria,vt rectè ſcribit Auguſtinus,quatenus vtrobique Chriſtus pro re ſignificata ſtatuitur,ſed ſignorum ſimplicitate præſtantiora,& ſignificatione auguſtiora. Mactabatur victima externo actu ſub veteri fœdere Chriſti carnem adumbrans,& credentium oculis veluti ſubiiciens quaſi iam ſũ Patri oblatam:non tamen reipſa,ſed ſpiritualiter,& quidem duntaxat de iure ἐπαγγελτικῶς.Sic in nouo verè quoque panis externo actu frangitur & vinum funditur: ſpiritualiter autem repræſentatur ipſius Chriſti veræ victimæ,ſemel ſuo tempore nõ tantùm ἐπαγγελτικῶς,ſed etiam πραγματικῶς mactatæ oblatio,in quo poſteriore elucet illa noui fœderis ſupra vetus eminentia. Itẽ, In vetere fœdere victimarum carnes verè & externo actu comedebantur, & verè externóque actu earundem ſanguine adſtantes aſpergebantur,qua manducatione & aſperſione corporali, Sacramentaliter & ſpiritualiter ſignificabatur & obſignabatur, non autem corporaliter præſtabatur,interna veræ illius victimæ ſuo tempore nobis tradendæ communicatio,ſignificabatur inquam,non de facto,vt loquuntur,ſed de iure. Sic in nouo fœdere vinum & ſanguis verè & externo actu nobis dantur, & à nobis accipiuntur,eduntur,bibuntur,quibus ſpiritualiter repræſentatur,& in credentium animis obſignatur,ſpiritualis quidem vt & illa altera, ſed veriſsima, neque vt antea de iure tantùm, ſed etiam de facto,veri illius pro nobis reipſa traditi,& ſanguinis pro nobis re ipſa effuſi communicatio ad vitam æternam. Viden',Illyrice, vt ſingula ſingulis,ſigna ſignis,corporalia corporalibus,ſpiritualia ſpiritualibus reſpondeant? Viden' etiam rerum ipſarum ſignificatarum, propterea quòd vtrobique vnæ & eædem ſint(Chriſtus videlicet & eius beneficia)nullam fieri collationem, ſed duntaxat perceptionis illarum modum vtrobique quidem merè ſpiritualem neque corpus ſed intellectum reſpicientem: verùm ſub Legis vmbris obſcuriorem & imperfectiorem,ſub luce autem Euangelii multò ſimpliciorem & perfectiorem dupliciter ſpectari? Quòd ſi requiris perfectã in ſingulis partibus vtriuſque fœderum collationem, quid ſupereſt niſi vt etiam cum Papiſtis dicas, ſicut repetebatur victimarum oblatio realis , ita etiam repetendam realem corporis Chriſti oblationem?& quemadmodum victimarum carnes manducatæ corrumpebantur,& aſperſus ſanguis tandem euaneſcebat,idcóque oportebat iſta ſæpius iterari,ſic etiam tuearis ipſam Chriſti carnem comeſam & ſanguinem hauſtum corrumpi quoque in nobis,ac proinde vitam æternã nobis nõ afferre,quum ipſamet ſint corruptibilia?quæ omnia quum abſurdiſſima ſint, vt teipſum agnoſcere non dubito, vides, opinor, te non ſatis adhuc animaduertiſſe cuiuſmodi ſit iſtarum rerum collatio,& quibus finibus ſit circunſcribenda.

AD XXI.

IN hac demonſtratione multas paginas conſumit Illyricus , vt oſtendat quomodo Corinthij indignè ad hunc panem & hoc vinum accederent,quòd nimirum hunc cibum & potum à vulgaribus non diſcernerent, ac ſi tantùm panis & vinum illis in Cœna Domini apponerentur , in quo etiam errore nos verſemur quos ſacramentarios vocat.Deinde multùm laborat , vt illam à Paulo inſtitutam tranſitus maris,& nubis,itémque mannæ & aquæ è petra profluentis cum noſtris Sacramentis collationem eneruet:quaſi videlicet quædam ſit duntaxat ſimilitudo , quòd illa non religionis ergò,ſed propriè externæ vtilitatis ac dignitatis cauſa,ſiue ad corporalem ſuſtentationem Iudæis data fuerint.Poſtea tandem colligit, ſicut illi tum digni tum indigni ſumpſerunt non tantùm carnalem, ſed etiam ſpiritualem eſcam ac potum, nec tamen propterea omnes ſaluati ſunt: ſic etiam dignos & indignos non tantùm panem & vinũ ſumere, ſed & corporis & ſanguinis Domini fieri participes.

RESPONDEO probabile non eſſe Corinthios ſaltem pleroſque adeò fuiſſe imperitos, vt Sacramenta à rebus communibus nullo modo diſtinguerent:ſed in eo potiùs quod grauius etiam erat peccaſſe,quòd quum ſacras illas epulas ſcirent lõgè alterius rei cauſa quàm communis conuiuia à Domino inſtitutas eſſe,(nempe ad ſanciendam noſtri cum capite noſtro Ieſu Chriſtu coniunctionem,qui viſibilibus illis adhibitis ſymbolis ſeipſum nobis impertiat) tamen ad illas agapas,quarum pars erat Cœna Domini, nec fide nec charitate inſtructi, nec aliàs ritè comparati accederent. Inde verò Apoſtolus ſuo more ad generalem doctrinam de vſu & abuſu Cœnæ Domini tranſiturus, ipſam Domini inſtitutionem pro veri vſus norma & regula proponit. Non rectè igitur Illyricus iſta permiſcendo,diuerſas indignitatis ſpecies prætermiſit : & decimum caput illius Epiſtolæ cum vndecimo ſtultè connectendo , Corinthiis iniuriam fecit. Sit tamen ita,ſi libet, & adeò fuerint illi rudes & imperiti , vt ſomniauit Illyricus , quid hoc ad nos qui Chriſtum ipſum pro re Sacramentorum ex verbo Dei ſtatuimus?

QVOD autem nugatur res illas non tam fuiſſe religionis ergò quàm terrenæ & corporalis vtilitatis cauſa Iſraelitis datas quis tandem Illyrico credet, potiùs quàm Paulo ſpirituales illas vocanti,

canti, ipſique adeò petræ, nomen ipſius Chriſti tribuenti? Imò quis iſtam profanam Illyrici audaciam non execretur?

POSTREMO, quòd tā dignis quàm indignis, & illa quondam Iſraelitas, & iſta nunc nos percipere idcirco arbitratur, quòd eos etiam qui perierunt, dicat Apoſtolus ſpiritualem illam eſcam ediſſe, & ſpiritualem illum potum ex petra quæ Chriſtus erat, bibiſſe, verum quidem eſt, ſed longè alio ſenſu quàm putet Illyricus. Quum enim eſca illa & potus ſpirituales dicantur, quatenus Sacramenti non autem terreni vſus rationem habent: & Sacramenta multis etiam indignè accedentibus, (quorum videlicet non eſt detecta indignitas) non minùs quàm ritè accedentibus offerantur, meritò dicuntur hoc reſpectu vtrique tum digni tum indigni, ſpiritualem eſcam & potum, id eſt Sacramenta, quorum ſpiritualis non terrenus eſt vſus, percipere. Sin verò per ſpiritualem eſcā & potum, non ſacra ipſa ſymbola, ſed res ipſas putà Chriſtum intelligamus, vt intellexit Illyricus: tum verò non minùs abſurdum fuerit arbitrari incredulos rem illam ſpiritualem percipere, quàm ſi quis eum veſci cibo corporali dixerit, qui tamen nec ore vllo, nec dentibus, nullo denique ad eſum neceſſario organo ſit præditus.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

OSTENDI Corinthios laboraſſe Sacramentario errore de nuditate panis, & abſentia corporis Domini, adeò vt ne Paulum cum quadam acerbitate rogaſſe Corinthios an negarent aut ignorarent poculum benedictionis, & panem fractum eſſe participationem corporis & ſanguinis Domini. Itaque Paulus aliorum quoque impiam opinionem redarguit, qui corpus Chriſti à Cœna tanto ſpatio ſeparant, quanto abeſt cælum à terra.

DEFENSIO TH. BEZAE.

ERGO, egregie demonſtrator, quandoquidem patefieri vis tua dedecora quæ cōtexeram, tuas iſtas demonſtrationum ἀνάγκας conſideremus.

PRIMO, *Corinthij*, inquis, *non diiudicarunt corpus Domini, id eſt, non cogitarunt eſſe ingens diſcrimen inter id quod in illa Cœna comedebant & bibebant, & quod in alijs cœnis aut conuiuiis ſumerent.*

DEFENSIO TH. BEZÆ.

ARGVIT igitur illos incogitantiæ. Et quis, oro, cogitarit quod neſcit? Si laborabant iſti errore iſto quem tu, nobis ſanè non repugnantibus, Sacramentarium vocas, quòd exiſtimarent nullum eſſe inter panem communem & panem illum diſcrimen, cur reprehenderentur quòd de iſto diſcrimine non cogitarent? At enim fortaſsis, inquies, id ſcire debuerunt. Et ſanè, ſicut mox dicemus, probè ſciebant. Sed tibi demus neſciuiſſe. Ergo cauſa cadis. Nec enim de eo fuerint arguēdi, quòd de re incomperta non cogitarent, ſed affectatæ potiùs ignorantiæ, vt ii quos dicit Petrus, volētes ignorare quod ſcire ipſos oportuit, de fine ſeculorum. Sed quid ſi hoc etiam regeram, quod certiſſimum eſt, nempe Paulum ab hypotheſi Corinthiorum ad theſin, id eſt ad eos omnes progredi quā ad ſacratiſſimas iſtas epulas accedunt aliter comparati quàm tantarum rerum dignitas mereatur, nec tamen in hoc numero comprehenſos videri quos tu ſtolidè profectò, vnos hic ſignificari voluiſti? Quomodo enim diſcernat aliquis quod non intelligit? ac proinde cur adeò acriter reprehendantur hoc loco, qui quoniam putant panem illum à communi non diſcrepare, idcirco hunc ab illo non diſcriminant? Hoc enim adiiris,

Cogitauerant ibi eſſe tantùm temporalem panem & vinum, & nihil aliud: ideo incogitanter epulantes non diſcreuerunt corpus ac ſanguinem Domini ibi ſumptū, à pane & vino alioqui comeſo. Hoc autē ſi ita eſſet, quis in Corinthiis aliud præter ignorantiam arguerit? Neque tuum iſtud INCOGITANTER hîc quadrat. quo vocabulo non notantur quicunque de re aliqua ſicuti oportuit non cogitarunt, ſed qui de quo cogitare potuerint, illud prætermiſerint. Audiamus alteram demonſtrationem.

Non diiudicabant ſeſe, putantes ſumptionem communis cibi non indigere tanta præparatione.

Imò quis eum grauiter culpet, qui cibum quem vulgarem putat, non dignetur aliquo exquiſitiore apparatu?

Tertiò, inquis, *Quaſi eſſet tantùm panis & vinum vtrobique, ideo ſe putarunt ſimiliter in templo idolorum & Eccleſia ſine noxa & crimine panem Cœnæ manducare.*

Quartò, Nihil minus indicarunt quàm ſe comedendo illum purum panem, & illud purum vinum quæ coràm cernebant, fieri reos corporis & ſanguinis Domini, quæ nec videbant, nec adeſſe credebant.

Quintò. Non potuerunt cogitare quòd Deus iraſceretur, aut eos puniturus eſſet, ſi paulo liberiùs & paulo minus reuerenter aut religioſè ſumerent panem & vinum.

REDARGVAT te Paulus ipſe diſertis verbis, qui explicaturus Cœnæ finem ac ſcopum vel præcipuum, quum ab eo fructus omnis quem inde percipimus emanet, vtitur hac præfatione, ὡς φρονίμοις λέγω, κρίνατε ὑμεῖς ὅ φημι. Vt intelligentes alloquor, iudicate vos quod dico. Tibíne igitur vaniſsime demonſtrator, an ipſi Apoſtolo credemus? tibi, inquam, tam impudenter mentienti, Paulū rogaſſe Corinthios an hoc myſterium negarent aut ignorarent, an ipſi Paulo teſtanti, ſeſe ſcribere intelligentibus, & eos conſtituere ſibimetipſis iudices? Nam longè profectò grauius eſt eorum peccatum, qui re ſatis ſibi perſpecta, quoquo id modo fiat, abutūtur, quàm qui falſa opinione perperam agunt. Itaque iſta duo quæ ſubiicis, rurſum ſua ſponte concidunt.

Sextò, inquit, *Si credidiſſent Corinthij ſe corpus Domini ibi ſumere, quid attinuiſſet ita per interrogationem non ſine acerbitate ipſis inculcari, panis fractionem eſſe communionem corporis, & vini benedicti ſumptionem eſſe communionem ſanguinis?*

ſteria, multo magis perſpicuè fuerunt nobis (ſicut paſsim apparet) enarrata: vt ea illarum etiam vmbrarum cum noſtra luce collatione, tanto magis erudiremur. Neque etiam negari poteſt copioſè tum à Patribus initiò & poſtea in Synagogis explicatas rituum & aliarum rerum ſcripturæ allegorias, ore potius quàm ſcriptis traditas. Sic fuit Circuncisio ſigillum iuſtitiæ ex fide Abrahamo, qui etiam vidit diem Domini. Sic ex fide ante Abrahamum ſacrificauit Abelus, iam tum videlicet pro reuelationis modo in Chriſti ſacrificium intuitus. Hinc illud Circuncisionis cordis & Circuncisionis præputii diſcrimen. Hinc Sabbathum tanquam ſignum inter Deum & populũ. Hinc infinitis locis Dauid & Prophetæ varios ritus Legales & externos ad ſpiritualem vſum trahunt, vt vnctionem Aaronis ad Spiritus ſancti donum Chriſtum effuſa, ſacrificia iuſtitiæ, labiorum vitulos, & infinita alia, quæ licet apud Moſeum non legamus explicata, neceſſe eſt tamen fuiſſe in Synagogis peruulgata. Neque quum hæc dico, faueo Iudæorum Cabalæ ſuperſtitioſiſsimæ, vel à verbo ſcripto tanquam manco & mutilo homines abduco, ſed hoc dico, non omnes verbi ſcripti enarrationes fuiſſe deſcriptas, quæ tamen tum ex locorum inter ſe comparatione, tum ex iis facile intelliguntur quæ Apoſtoli poſtea planiùs & clariùs in plenitudine temporum expreſſerunt.

Veniamus ad Ambroſium, & vnum & alterum, quorum authoritate confirmas ſpiritualia hæc dici, quoniam extraordinaria virtute cæleſti aut creata ſint, (vt manna & fortaſsis aqua ex petra) aut ſaltem peracta, vt tranſitus maris rubri, & rupis diſciſsio. Verum vt ratione non authoritate pugnemus, quem habere poſsimus magis idoneum illius epitheti interpretẽ quàm Paulum ipſum? Spiritualis autem petra, inquit, erat Chriſtus. An non igitur, obſecro, ſpiritualis dicitur, quoniam erat Chriſtus? an verò petra eſt Chriſtus quia cæleſti virtute fiſſa aquas effudit, ac non potiùs quoniam erat Chriſti Sacramentum? Etſi verò idem de altero id eſt de manna ſpirituali eſca non dicitur, quis tamen non videt de ſimilibus ſimiliter eſſe ſtatuendum? Itaque, tu ipſe hoc præſentiens, addidiſti alteram etiam rationem, ſed planè inuitus, quum ſic ſcriberes, *Addat ſi cuis vult, quia fuit typus futurorum ſpiritualium beneficiorum.* At ego dico, & ex Apoſtoli verbis expreſsit probo nihil ad rem pertinere illam priorem explicationem, ſed in altera prorſus immorandum, quod tu nunquã refelles. Dico etiam hinc duo liquere. Vnum, quum hanc eſcam & hũc potum ſpiritualem Apoſtolus ideo vocarit quòd eſſent Chriſti & eius vitæ quæ ex Chriſto vno hauritur Sacramenta, eadem prorſus ratione & nubem illam & mare debere ſpirituales intelligi, quoniã eius ſymbola fuerint in quo vno verè fuerũt baptiſati, id eſt idipſum adepti quod in Baptiſmo poſtea inſtituto adipiſcimur. Alterum, ſic te cogi neceſſariò ad pronomen iſtud EANDEM & EVNDEM ſic interpretandum, vt non ſic Corinthii duntaxat inter ſe, ſed nobiſcum comparentur. Ni enim ita eſſet, cur Baptiſandi vocem tranſitui maris accõmodaret, & petram diceret Chriſtum Patribus fuiſſe, id eſt cur Sacramentorum nomina permutaret, niſi vt & illorum cum noſtris Sacramenta, & nos viciſſim cum illis compararet? Itaque eadem ratione concidit tuum illud figmentum, quòd typi quidẽ nobis, id eſt noſtro reſpectu fuerint noſtrorum videlicet Sacramentorum exemplaria, ipſis autem veteribus non fuerint Sacramenta, ſed corporalia tantùm beneficia: ſicut, exẽpli gratia (hoc enim te dicere voluiſſe opinor) duplex Abrahami coniugium fuit duplicis teſtamenti typus nobis, non Abrahamo. Atqui ſi hoc verè abs te diceretur, ineptè dixiſſet Apoſtolus ipſos Patres fuiſſe baptiſatos in nube & mari & petram illam ipſis fuiſſe Chriſtum, quum hæc ſanè illos non nos reſpiciant, niſi quatenus mutuo cum illis comparamur. Nihil autem obſtare quominus vna & eadem res & illis fuerit Sacramentum, & nobis noſtrorum Sacramentorum figura, tum ex ipſa Circũciſione apparet, quæ quum illis Sacramentum vel præcipuum fuerit, tamen vſqueadeo fuit noſtri Baptiſmi typus, vt Paulus Baptiſmo noſtro differens, Circunciſionis nomen illi applicarit, quum nos diceret circunciſos circunciſione ἀχειροποιήτῳ. Idem de agno Paſchæ ſentiendum eſt de quo Apoſtolus, Paſcha noſtrum, inquit, immolatum eſt, nempe Chriſtus. Sed agè, videamus etiam quàm tibi faueat veterum authoritas.

Ille ipſe Ambroſius cuius verba citas, loquens de tranſitu maris, & nubis obumbratione, *Per mare,* inquit, *& nubem purificati, præparati ſunt ad Legem accipiendam, in formam futuri Sacramenti noſtri.* Audis illo tranſitu fuiſſe purificatos, Illyrice, & negare audebis illa non tantùm fuiſſe noſtri reſpectu typos quidem, verùm ipſis etiam Iſraelitis Sacramenta eius ipſius purificationis in Chriſto naſcituro, cuius & nobis in Chriſto reipſa exhibito Sacramentum eſt Baptiſmus? Sed & idem quũ dixiſſet ſpiritualia illa vocari quoniam non mundi lege ſed Dei virtute parata ſunt: addit, *habentia in ſe figuram futuri myſterii quod nunc nos ſumimus in commemoratione Chriſti Domini.* Quam verò figuram, num inanem & effectu vacuam, ac non potiùs qua & ipſa fierent naſcituri Chriſti ſuo modo participes? Nec enim nobis, ſed illis petra erat Chriſtus ex qua bibebant.

Auguſtinus tractatu in Ioannem 45, *Eundem potum ſpiritualem biberunt, ſpiritualem eundem,* (nõ igitur ſpiritualem propriè, quia ex mundi lege non eſſet paratus, quum noſter potus, vinum videlicet, dici non poſsit hac ratione ſpiritualis) *ſpiritualem eundem, corporalem non eundem. Quid enim illi bibebant? Bibebant de ſpirituali ſequente petra, petra autem erat Chriſtus. Videte ergo. Fide manente, ſigna ſunt variata. Ibi petra Chriſtus, nobis Chriſtus quod in altari ponitur.* Ergo authore Auguſtino, ſic panis ille eſt corpus, & vinum illud eſt ſanguis, vt petra erat Chriſtus, nempe quatenus ſigna ſunt, ſiue Sacramentali modo. *Filii pro magno* SACRAMENTO EIVSDEM CHRISTI, *biberunt aquam profluentem de petra: nos quod bibamus norunt Fideles. Si ſpeciem viſibilem intendas, aliud eſt, ſi intelligibilem* SIGNIFICATIONEM, EVNDEM *ſpiritualem potum biberunt.*

Idẽ in Pſal. 77, *Idem in myſterio cibus & potus illorum qui noſter, ſed* SIGNIFICATIONE

idem non ſpecie, quia IDEM ipſe Chriſtus ILLIS in petra figuratus, nobis in carne manifeſtatus eſt. Et mox, *Omnes eundem cibum ſpiritualem manducauerunt, & eundem potum ſpiritualem biberunt, id eſt ſpirituale quiddam SIGNIFICANTEM.*

Idē De ciuit. Dei, lib. 10. c. 15, *Lex cum diſtributione temporum data eſt, quæ priùs haberet promiſſa terrena, quibus tamen SIGNIFICARENTVR æterna, quæ viſibilibus SACRAMENTIS celebrarent multi, intelligerent pauci.*

Idem tractatu in Ioann. 26, *Hunc panem* (id eſt Chriſtum) *SIGNIFICAVIT manna, hūc panem ſignificauit altare. Sacramenta illa fuerunt, in ſignis diuerſa ſunt, ſed in re quæ SIGNIFICATVR paria ſunt. Apoſtolum audi, Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt: ſpiritualem vtique eandem. Nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud, &c.* (nempe panem & vinum.) *Et adiungit, Omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili quidem, tamen hoc idem SIGNIFICANTE virtute ſpirituali. Quomodo enim eundem potum? bibebant, inquit, de ſpirituali ſequente petra: petra autem erat Chriſtus. Inde panis, inde potus. Petra Chriſtus in ſigno, verus Chriſtus in verbo & in carne.*

Chryſoſtomus autem manifeſtè cum cauſa efficiente finalem quoque, & quidem vt primariam coniungit his verbis, *Quid ſignificatur illa particula, In Moſe baptizati ſunt? ſicut nos qui Chriſto credimus, in eius reſurrectionem baptiſamur: ita & ipſi iiſdem communicantes myſteriis.* Et mox, *Sicut tu corpus Dominicum comedis, ita & illi manna manducauerunt: & ſicut tu ſanguinem bibis, ita & illi aquam de petra biberunt. Quamuis enim SENSV quæ dabantur perciperentur, SPIRITVALITER tamen dabantur, non ſecundum naturæ conſequentiam, ſed ſecundum muneris gratiam,* (hæc eſt cauſa efficiens) & *cum CORPORE etiam ANIMAM in FIDEM adducendo.*

Nec te pudet ſacrilegæ tuæ audaciæ, qua veterum Sacramenta, re nobiſcum eadem, ſignis tantùm diuerſa, euacuas, authoritatem Patrum apud imperitos obtendere? & tam efficacia fidei ac ſalutis inſtrumenta, inficiari partes religionis fuiſſe?

Ex his autem & illud manifeſtè intelligitur, quo ſenſu negarit Chriſtus mannam eſſe viuificum cibum, quatenus videlicet per ſe, neque vt Sacramentum, ſed vt cibus paſcendis corporibus deſtinatus habebatur, ſicut dicit idem Auguſtinus in tractatu De pœnitentiæ vtilitate, *Quicunque in manna Chriſtum intellexerunt, eundem quem nos cibum ſpiritualem manducauerunt. Quicunque autem de manna ſolam ſaturitatem quæſiuerunt* (quales tu omnes Iſraelitas fuiſſe comminiſceris Illyrice) *patres infidelium, manducauerunt & mortui ſunt. Sic etiam eundem potum. petra enim erat Chriſtus. Eundem ergo potum quem nos, ſed ſpiritualem, id eſt, qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur.* Hæc ille, perſpicuè etiam tuam, Illyrice, corporalem ipſius corporis Chriſti manducationem coarguēs, ac proinde oſtendens tum dignos tum indignos ſigna quidem viſibilia pariter percipere, rem autem ipſam ſolo intellectu perceptibilem, id eſt Chriſtum, fidelium duntaxat cibum eſſe.

AD XXII, XXIII, XXIIII, XXV.

ISTIS itidem vanitatis ſuæ demonſtrationibus Illyricus conſtituit reprehendere ordinem cauſarum noſtræ ſalutis, vt eſt à fideli Chriſti ſeruo D. Ioanne Caluino ex Dei verbo ſanctè & cōſtanter expoſitus. Solet igitur Caluinus primo loco ex gratuita Dei prædeſtinatione per efficacē vocationem patefacta conſtituere fidem, per quam Chriſtum ipſum in primis apprehendentes, ſiue noſtrum efficientes, deinde omnia poſtea ex eo in nobis habitante hauriamus: quæ beneficia ad duo capita, iuſtificationem videlicet ac regenerationem reuocantur, vt hoc modo ad æternam ipſius gloriam ſeruemur.

HIC ordo ſic diſplicet Illyrico, vt eum nullo modo ferre poſsit. Sed quibus rationibus eum oppugnet, operæpretium eſt animaduertere.

Anteſignanus Sacramentariorum, inquit, (nos autem omen libenter accipimus, quoniam inter Sacramentarios & Chriſtianos nullum diſcrimen animaduertimus.) *vt tollat veram Sacramentalem ac corporalem manducationem corporis Chriſti ex verbis Cœnæ, ſpiritualem ſiue myſticam quandam ſubſtituit, quæ deſcribitur Epheſ. 5. vt fiamus caro, &c, atque hanc incorporationem facit medium, aut inſtrumentum apprehendendi meriti Chriſti & iuſtificationis.*

HAEC eſt accuſationis grauiſsimæ ſumma, in qua quis tandem non miretur accuſatori non veniſſe in mentem illud ipſum à ſe defendi quod in alio accuſat? Hoc enim eſt ipſius dogma, primùm omnium corporaliter ore manducari corpus illud ipſum Chriſti crucifixum, & ſanguinem illum pro nobis effuſum, itidem corporaliter ore ipſo bibi, tum à dignis tum ab indignis: quā ſumptionem ſequatur in credentibus fruitio ſpiritualis omnium Chriſti beneficiorum, quam ipſe cū ſpirituali manducatione confundit. Hoc verò ſi ita eſt, an non docet hoc ipſum quod docemus, oportere videlicet vt priore loco fiamus ipſius corporis Chriſti, deinde verò ipſius beneficiorum participes? At enim dicet, Volo hanc manducationem eſſe corporalem, quam vos ſpiritualem eſſe dicitis. Hoc quidem verum eſt, ſed quum in re conueniamus, nempe ipſum Chriſtum ſumi, ſiue id corporaliter, id eſt corporali & externo modo fiat, vt vult Illyricus, ſiue ſpiritualiter, id eſt ſpirituali modo, & animo vera fide prædito, vt nos ſentimus: manet ſemper illud, credentes ante omnia fieri ipſius Chriſti participes, ſiue cum Chriſto ipſo antè coaleſcere quàm eius dona in ipſo conſequantur, ac proinde ex Illyrici quoque dogmate conſequi illud ipſum quod in nobis oppugnat.

DEINDE, vbi tandem apud D. Caluinum reperit noſtram cum Chriſto vnionem eſſe apprehendendi meriti Chriſti inſtrumentum? Neque enim certè ſic loqui ſolemus, quoniam ineptū eſt nomen inſtrumenti tribuere illi ipſi rei cui apprehendendæ inſtrumentum adhibetur, id eſt fides

& ea

& ea per quæ fidem in nobis S. Spiritus gignit ac fouet.

SED agè, condonentur iſta. Adiamus quibus argumentis ſeipſum oppugnet.

PRIMVM clamitat Oſiandricum hoc eſſe delirium. Quaſi verò non ipſe D. Caluinus præ cæteris omnibus perſpicuè ac ſolidè inſani illius hominis portenta detexerit, refutarit, damnarit, tum de eſſentiali iuſtitia Dei, quam ille præterita Chriſti ſecundum carnem iuſtitia & obedientia conſtituit: tum de plenæ iuſtificationis nobis imputatæ, & ſanctificationis in nobis inchoatæ diſcrimine ab eo ſublato: tum etiam de eſſentiæ Chriſti cum noſtra commixtione. Quæ ſi fortè in illius verè diuina & aurea inſtitutione legit Illyricus, l. 2, cap. 11, à quinta ſectione ad decimam tertiam vſque, quis non mirabitur tantam hominis impudentiam? Sin verò non legit, quid eſt ipſo accuſatore iniquius? Audiamus tamen quàm grauibus teſtimoniis illum ordinem impugnet, non qualem Oſiander, ſed qualem ex verbo Dei Caluinus conſtituit.

Epheſ. 5, inquit, vnde maximè probat ſuam myſticam manducationem, primùm lauatur & mundatur Eccleſia, deinde demum ſiſtitur Chriſto vt glorioſa ſponſa, eique coniungitur, fitque caro de carne eius, ſiue ipſe in ea habitante in illum incorporatur. Præcedit ergo remiſſio peccatorum, & ablutio per ſanguinem Chriſti, ſiue iuſtificatio iſtam inhabitationem, quæ eſt iuſtificationis effectus: ſicut Ezech. 16. plenius ſcribitur, vbi Chriſtus primùm inuenit eam deſertam & immundam, deinde eam educauit, mundauit, veſtiuit & ſibi tandem adiunxit.

Ergo, ſi Illyrico credimus, priùs iuſtificamur quàm Chriſtum ipſum poſſideamus adeò quidẽ, vt iuſtificatio Chriſtum, non autem Chriſtus iuſtificationem nobis conferat: ſitque adeò Chriſti ipſius datio effectum iuſtificationis, non autem iuſtificatio à Chriſto nobis dato proficiſcatur: priùs denique iuſtificemur quàm fiamus Chriſti membra.

QVID eſt autem furere ſi hoc non eſt? & quorſum hæc omnia Illyricus? vt doceat hæc verba, ACCIPITE, COMEDITE, BIBITE, eſſe de propria & corporali manducatione intelligenda, vt apertè loquitur demonſtratione 24. Hoc verò ſi ita eſt, an non ipſemet putus & putus eſt Oſiandriſta, vt qui corpus corpori, ſubſtantiam ſubſtantiæ corporaliter & propriè coniungat? An nõ etiam manifeſtè à ſeipſo diſſentit, quum nunc præire iuſtificationi corporalem corporis manducationem velit, nunc verò iuſtificationem ſequi? Antea enim, ac in primis demonſtratione nona, cẽſuit externam iſtam & craſſiorem (vt ipſemet fatetur & loquitur) manducationem & hauſtionẽ corporis & ſanguinis Domini deducere nos ad internam, ſiue ſpiritualem ac ſubtiliorem, quæ ſit nimirum illius effectus. Aut igitur nos doceat Illyricus iuſtificationem non eſſe vnum ex Chriſti beneficiis quæ ſpiritualiter percipiantur: aut ſi ita eſſe fatetur, agnoſcat ſe iuſtificationem quam nunc maledicendi ſtudio, facit inhabitatione Chriſti priorem, paulò antè feciſſe corporali & craſſa manducatione poſteriorem: quod quidem tanto craſſius eſt eo quod nunc ipſe in nobis reprehendit, quanto corporalis ipſius modus eſt noſtro ſpirituali craſſior. Vnum tamen Illyrico effugium patet, vt qui omnino videatur mãducationem corporalem ab inhabitationis ſiue incorporationis manducatione, quam vocat, tanquam effectum à cauſa diſcernere. Sed rurſus, obſecro, cuius eſt iudicii, quod corporaliter & realiter ore deglutitum in ventriculum traiiciatur, negare in illo ipſo corpore verſari tantiſper ſaltem dum inde excernatur? Et quæſo aperi nobis etiam hoc craſſum myſterium, Illyrice, quò tandem corpus illud corporaliter, vt tu vis, ab ipſis etiam indignis ſumptum euadat, quum id nihilominus nolis in iis inhabitare.

SED quum ad dignos ſiue fideles ventum eſt, quid hic tandem prætexes? iſtos enim Chriſto incorporari, & quidem ab ipſo corporalis tuæ manducationis momento, qua tandem fronte negaueris? Vis autem poſtea demum ſequi beneficiorum perceptionem, inter quæ non potes non recenſere iuſtificationem. Ergo te ipſo iudice, inhabitatio & incorporatio iuſtificationem præcedit, quod tamen in nobis oppugnas. Imò verò iam etiam audi quod tibi longè magis nouum & peregrinum videbitur, & tamen veriſſimum eſt.

QVAERO ex te, Illyrice, primùm, an poſſit aliquis extra Eccleſiam ſeruari: deinde, an nõ quiſquis eſt in Eccleſia ſit Chriſti membrum & templum: tertiò, an non quiſquis credit, etiam ſi ſacrã Cœnam, abſque tamen contemptu, nunquam participauit, in Eccleſia ac proinde Chriſti membrũ cenſeatur. Horum autem nihil eſſe dico quod negari à quoquam Chriſtiano poſſit: ac proinde eſſici dico, quum nullus ritè ad ſacram Cœnam accedere poſſit abſque fide; & fide verè & reipſa fiamus Chriſti membra & tẽpla, nullũ ritè ad Cœnã accedere, niſi qui iã antea ſit & ipſi Chriſto verè & reipſa incorporatus, & conſequenter in eodẽ iuſtificatus ac ſanctificatus, tantùm abeſt vt tua iſta quã ſomnias corporalis mãducatio, inhabitationi & ſpirituali fruitioni vllo modo præeat. Neque enim (vt tu putas) ad Cœnam accedimus, vt tunc primùm Chriſto incorporati, percipiamus Ipſius bona (quum & iam antea in Baptiſmo ipſum induerimus, vt in ipſo ablueremur ab omnibus peccatorum ſordibus, & peccato mortui in nouam vitam reſurgeremus: & poſtea verbo vitæ per fidem apprehenſo, rurſus propiùs cum eo coaluerimus) ſed vt Chriſti magis ac magis participes facti, in ipſo adoleſcamus: ſiue vt quod iam obtinuimus, in nobis magis ac magis obſignetur. Si nobis non credis, Auguſtino ſaltem crede ſic ſcribenti, Nulli dubitandum eſt vnumquenque fidelium CORPORIS ET SANGVINIS eſſe participem, quando in Baptiſmate MEMBRVM efficitur Chriſti: nec alienari ab illius panis calicisque conſortio, etiamſi antè quàm PANEM illum CALICEMQVE bibat, de hoc ſeculo migrarit in VNITATE CORPORIS CHRISTI conſtitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando in ipſo ID QVOD SACRAMENTVM SIGNIFICAT, inuenitur. Et de his quidem hactenus, vt quàm peritè de his myſteriis publicus iſte omnium

viuorum & mortuorum accuſator loquatur, omnes intelligant. Nunc ad illos Pauli & Ezechielis locos accedo.

DICIT Apoſtolus Chriſtum ſola dilectione gratuita motum erga Eccleſiam, id eſt electorum cœtum, pro ea mortem ſubiiſſe, vt eam aquæ lauacro per Verbum, id eſt ſecũdùm ſui verbi tenorem per fidem apprehenſi repurgatam ſibi ſegregaret, condonatis videlicet ipſius peccatis, eamque per ſancti Spiritus ſui virtutem conſecrata, vt eam demum ſibi plenè glorioſam ſiſtat.

In his verò quid aliud dicit Apoſtolus, quàm quod nos ex ipſo ducemus? Fons noſtri ſalutis, ipſúmque adeò principium, medium & extremum eſt gratuitus Chriſti amor erga Eccleſiam, id eſt Patri electos. Hinc fit vt eam velut ex Patris manu acceptam ſibi in Baptiſmo Chriſtus adiungat, in quo ipſa ſanctificatur, id eſt iuſtificatur & regeneratur, vt tandem abſque ruga & macula comperta, cum ſponſo ſuo in æternum regnet. Hæc ille ſelectus à Chriſto Apoſtolus, à quo ablit vt vel tantillum in docenda Eccleſia aberremus. Sed vult Illyricus mundationem præire inhabitationi. Ergo & ſanctificationi. Præcedit enim participium *καθαρίσας*, & ſequitur conſtructionis ordine *ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ*. Itaque hac ratione priùs purgaremur, deinde ſanctificaremur, quũ tamẽ ſanctificatio in ipſa purgatione ſit poſita. Nec enim duo diuerſa commemorat Apoſtolus, ſed quomodo Eccleſia ſanctificetur docet, nimirum dũ à Chriſto purgatur, cuius beneficiĩ pignus eſt Baptiſmus. Illud autem in primis illum fefellit quòd hæc verba *ἵνα παραστήσῃ* ad incorporationem retulit: quaſi priùs nos ſanctificari, deinde Chriſti membra fieri oporteat, quum è contrario & iuſtitiæ imputatio & vis illa ſanctificans, à Chriſto in eos demum promanet qui per fidem cum ipſo coaluerunt. Quomodo igitur illa interpretabimur? nempe tum ex illo Zachariæ dicto, *Vt ambulemus in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo* (hoc enim eſt coram Domino ſiſti, dum ad ſanctificationis metam contendimus) tum verò maximè ex illis Apoſtoli verbis, *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto*: & illis, *Adhuc ſumus in corpore, peregrè abſentes à Domino*: & ſimilibus aliis. Etſi enim iam re ipſa ſumus in illo & ipſe in nobis, & templa ipſius & ſponſa ipſius, tamen per comparationem, donec Deus ſit omnia in omnibus, deſponſa potiùs videtur huic Viro Eccleſia quàm nupta, quum vetus ille homo & maritus noſter nondum penitus interierit. Nec melior nobis quærẽdus eſt interpres quàm ipſe Ezechiel, qui hunc ordinem ſequitur: *Et quum tranſiſſem per te, vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amorum, & expandi alam meam ſuper te.* En coniugii & cohabitationis pactum ex honeſta apud Hebræos loquendi conſuetudine, ſicut etiam apparet ex Ruth. 3. b. 9, quod perſpicuè & ſine vlla figura mox exponit Propheta, ſubiiciens, *& iuraui tibi, & inii tecum fœdus, & facta es mea*. Audis, Illyrice, Deũ inchoare à connubio. Sequitur deinde, *Ego laui te aquis, Et ablui ſanguines tuos à te, & vnxi te oleo, &c.* Quæ quum ita ſe habeant, & tamen te non pudeat ordinem mutare, quaſi Deus primùm eam mundauerit, veſtierit, & poſtea tandem ſibi adiunxerit, deprehenderis falſarius, Illyrice, & manet inuicta Dei veritas.

PERGIT Illyricus, & alium locum ex Io. cap. 4. verſ. 23 citat, *vbi*, inquit, *Chriſtus primùm ponit obſeruationem ſermonum Dei, id eſt veram fidem, poſtea dilectionem ſiue fauorem Dei erga ſeruantem, id eſt iuſtificationem credentis, poſtremò cohabitationem Dei ac Filii eius cum credente. Igitur incorporatio eſt effectus iuſtificationis.*

ITERVM riditulè Illyricus effectum accipit pro eo quod Conſequens appellant. Sed præterea quis eum hic ferat? obſeruationem mandatorum Dei interpretatur verã fidem: at cur non potiùs ſanctam & honeſtam vitam? Certum enim eſt Dominum ibi agere de fidei & veri in Deum amoris fructibus. Poſtea per dilectionem Patris, iuſtificationem intelligit. Nec videt ineptiſſimus homo, ſi hoc verum eſſet, fore vt priùs aliquis ſeruet Dei mandata quàm fuerit à Deo dilectus & iuſtificatus. En quò nos abducant Illyricanæ demonſtrationes. Denique vult inhabitationem ſiue incorporationem illud vtrunque ſubſequi, vt hoc modo priùs aliquis ferat bonos fructus (hoc enim eſt ſeruare Dei ſermones) deinde fiat bona arbor (hoc enim eſt iuſtificari) ac tandẽ Chriſto inſeratur: hoc enim eſt Chriſto incorporari. Et quis iſtas impias & blaſphemas inepias diutius ferat? Saltem enim meminiſſet Illyricus iſtorum quæ mox apud Euangeliſtam ſequuntur, *vt palmes non poteſt fructum edere niſi manſerit in vite, ſic neque vos niſi in me manſeritis.* Quomodo verò in vite manebit qui priùs in vite non fuerit? Imo ſi ex hoc verſiculo ſic colligendus eſt cauſarum noſtræ ſalutis ordo, vt comminiſcitur Illyricus, nos priores Deum diligimus. Sic enim loquitur Dominus, *Qui diligit me, ſermones meos ſeruabit, & Pater meus diliget eum.* Quid igitur? nempe ibi, vt paulò antè iam aliquoties fecerat, promittit Dominus gratiæ incrementum iis qui verè ipſi adhæſerint, quod quidem ex fidei fructibus, id eſt vita ad mandatorum Dei regulam compoſita, perſpicitur.

QVOD autem de gratiæ progreſſu dictum eſt, Illyricus imperitè ad initium transfert. Nec obſtat quod dicit Dominus, VENIEMVS, quaſi antea abfuerit: ſiquidem altero ſuperiore verſiculo ſic etiam locutus eſt, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & meipſum ei patefaciam*, quæ verba non poſsis ad initium dilectionis & patefactionis Chriſti referre, quin & à nobis prioribus Chriſtum adhuc incognitum diligi, & nos demum poſtea à Patre & Chriſto amari, ac poſtremò tandem ad Chriſti cognitionem introduci dicas, quæ omnia nõ tantùm falſa & blaſphema, ſed etiam ridicula ſunt, & abſurda. Non diſsimiliter Paulus cùm Epheſios credidiſſe & ſancto Spiritu obſignatos eſſe dixiſſet, mox Deum precatur, vt det eis ſapientiæ ſpiritum, & oculos mentis ipſorũ illuſtret. quæ ſi tu noſti, Illyrice, quo pudore nobiſcũ agis? ſin verò ignoras, tuum eſt profectò potiùs in Eccleſia Dei tacere, quàm non modò loqui, ſed etiam viuos & mortuos inceſſere.

At enim, inquit, *primùm mundatur & conſecratur tẽplum Domino, poſtea ipſe in eo habitat, vt 2. Corin. 6. plenius*

6, plenius ſcribitur, & 2. Timot. 2. Si quis ſe ab his expurgauerit, erit vas Domino.

HIC quoque miror, Illyrice, qua fronte hæc ſcribere audeas. Inſpice locos obſecro. *Ero (inquit Dominus) illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Quomodo verò illorum Deus? *habitabo*, inquit, *in eis, & inambulabo.* Audis, Illyrice, nos tum fieri Dei populum, quum ille in nobis habitare cœpit vt ſit Deus noſter? Nec obſtat quod ſequitur, *Separamini, & ego excipiam vos.* nec enim his verbis aliud declaratur, quàm quomodo nos ſibi ſanctificet Dominus vt in nobis habitet, nempe dum nos ab aliis impuris ſancti ſui Spiritus voce ſegregat. Idque ex his etiam quæ ſequuntur diſcere optimè potuiſti, *Ero*, inquit, *vobis Pater & eritis mihi filij.* Audis enim nos fieri filios, quoniam ille priùs fit nobis Pater. Quorum autem Pater eſt? an non eorum demum qui vnico illi Filio ſunt incorporati, & cum ipſo vnum facti? Alter autem Pauli locus quid tandem aduerſum nos concludit? Dicit enim Apoſtolus nos fieri vaſa Domino, id eſt inſtrumenta ad ſacros ipſius vſus apta, quum ab illis ſordibus repurgamur. Sed vnde hæc repurgatio, niſi ex Chriſti in nobis habitantis Spiritu?

PRAETEREA ſic etiam argumentatur hic noſter demonſtrator: *Iſta piorum myſtica incorporatio nihil aliud eſt quàm renouatio hominis per ſancti Spiritus inhabitationem: At renouatio ſeu inſtauratio hominis per inhabitationem diuinitatis, eſt reuera effectus aut certè conſequens iuſtificationis, non antecedens aut cauſa efficiens, alioqui bona opera non ſequerentur iuſtificandum, ſed ſequerentur iuſtificatum. Inhabitatio enim & incorporatio in Chriſtum, idem ſunt atque renouari, & fieri os de oſſibus & carnem de carne Chriſti.*

RVRSVM quæro, Illyrice, qua fronte de tãtis rebus adeò imperitè ſcribas & loquaris, nec procul abeo vt teipſum refellam. Nam hoc ipſo loco hæc quoque ſcribis, *Conditio & creatio ad bona opera fit per inhabitationem Chriſti eiuſque Patris & ſpiritus ſancti in nobis.* An igitur ſanus es, quum ſtatim ſubiicis, inhabitatione Chriſti in nobis & renouatione noſtri rem vnam & eandem ſignificari? Quid enim? an cauſam efficientem & effectum habes pro vno & eodem? Deinde an non ſaltem in ſcholis diſcere debuiſti, nec quicquid antecedit eſſe cauſam efficientẽ, nec quicquid aliud conſequitur, propterea eſſe antecedentis effectum? & quo tandem iure ſanctificationem ſiue regenerationem habebis pro iuſtificationis effectu? Nam ſi iuſtificationem generaliter accipias, vt interdum vſurpatur ab Apoſtolo, ſanctificatio non erit eius effectus, ſed pars aut ſpecies: ſin verò pro iuſtitiæ tantùm imputatæ dono, ſiue gratuita peccatorum remiſsione, tum ſanctificatio alterũ erit donum quod prius illud ſemper conſequitur, quoniam quicunque gratis in Chriſto iuſtificatur, idem quoque eius Spiritu ſanctificatur. Vtriuſque autem doni vnus & idem fons eſt, Chriſtus ipſe nimirum per fidem noſter factus, & in nobis ſpiritualiter inhabitans. Neque hîc multùm nobis contendendum eſt, vtra ordine præcedat, quum vno eodémque momento Chriſtus per fidem apprehenſus, & ſua iuſtitia gratis imputata nos iuſtificet, & ſuo Spiritu nos ſanctificare incipiat. Illud enim Auguſtini dictum, bona opera non præcedere iuſtificandum, ſed iuſtificatum ſequi veriſſimum quidem eſt: ſed à te valde imperitè detorquetur. Suo enim more Auguſtinus iuſtificationem pro gratia regenerationis accipit, quod poſtea Sophiſtæ temerè ſequuti à veritate aberrarunt. Denique tu videris quàm propè abſis ab Oſiandriſmo, quum inhabitationem diuinitatis, potiùs quàm carnis Chriſti commemoras.

SVBIICIT præterea Illyricus, *Etiam Scriptura nos docet per fidem iuſtificari & non per renouationem aut inhabitationem. Ergo inhabitatio non præcedit, ſed ſequitur iuſtificationem.*

RESPONDEO, Illyrice, nos ne per fidem quidem iuſtificari, ſi fidem cum renouatione compares, id eſt ſi fidem vt qualitatem inhærentem conſideres, quoniam nulla inſita qualitate iuſtificamur, ſed ſolo Chriſto per fidem vt inſtrumentum apprehenſo. Fateor autem vnicum hoc inſtrumentum eſſe fidem, non renouationem, vtpote quæ vna ſit ex Chriſti ipſius per fidem apprehenſi effectis, vt & ipſa iuſtificatio. Sed duo hic tibi demonſtranda ſunt. Vnum, Qua ratione inhabitationem Chriſti, cum hoc Chriſti inhabitantis effecto confundas, quod regenerationem, ſiue renouationem, ſiue ſanctificationem vocamus: alterum, In qua tandem Dialectices ſchola ſic argumentari didiceris.

ALIVD Illyrici euidentiſſimum argumentum eſt huiuſmodi: *Renouatio per inhabitationem eſt obſignatio ipſius iuſtificationis, Non eſt igitur medium ad apprehendendam iuſtificationem.*

BENE eſt, Illyrice, quòd iterum teipſo iudice perperam renouationem & inhabitationem vnum & idem eſſe paulò antè dixeris, quum illam per hanc effici nunc confitearis. Sed in eundem errorem impingis in concluſione. Vnde enim didiciſti renouationem à nobis conſtitui pro adipiſcendæ iuſtificationis medio?

ARGVMENTATVR poſtea Illyricus à ſufficienti partium enumeratione. *Triplex enim eſt*, inquit, *manducatio corporis Chriſti, Vna, qua eſt perceptio fructuum ſiue efficacia aut meriti Chriſti, quam exploſit Caluinus. Altera, inhabitationis ſiue incorporationis qua fit ad alteram illam priorem aditus, quam ex prædictis apparet eſſe explodendam. Tertia, Sacramentalis aut corporalis, qua exploſis illis ſola ſupereſt, vtpote à Chriſto inſtituta & ſancita.*

RESPONDEO, Illyrice, hîc ſi vſquam alibi, quo Spiritu ducaris ipſos etiã pueros cognituros. Primùm enim falſum eſt quod dicis priorem illam manducationem à D. Caluino exploſam eſſe. Nam ſi ita eſſet, vbi tandem ſalus noſtra conſiſteret? Sed hoc docuit aſſentientibus omnibus Caluinus, beneficiorum Chriſti perceptionem ab ipſiuſmet Chriſti communicatione minimè ſeiungendam eſſe, quum hæc ſit illius fundamentum, quia videlicet Chriſtus ipſe datur nobis tanquã fundus ex quo poſtea fructus illos omnes colligamus. Sunt autẽ iſta coniunctiſſima, nedũ vt vnum

ab altero explodatur. Deinde manducationem, quam vocas, inhabitationis ſiue incorporationis, ſi tu exploſiſſes, quid, quæſo, effeciſſes? nempe vt tertia illa tua commentitia, de qua nos dicam, ſubſiſtere nullo modo poſſet. Niſi enim ſiamus ipſius crucifixi corporis & effuſi ſanguinis participes, id eſt, niſi Chriſtus ipſe noſter fiat, quid erit tua corporalis manducatio corporis præter inanem & incomprehenſibilem chimæram?

Erit enim certè ſubſtantialis abſque ſubſtantia, realis abſque re, corporalis denique abſque corpore, & ſanguinea abſque ſanguine. Itaque prorſus hîc videris ita in tuis demonſtrationibus fuiſſe occupatus, vt Chriſti corpus μονόγραμμον effeceris, adeóque propoſitæ quæſtionis ſis oblitus. Nec enim an corpus & ſanguis, ſiue an ipſe Chriſtus communicetur controuerſiam eſſe millies iam ſurdis repetii: ſed ſpiritualitérne per fidem à mente fideli, an verò corporaliter ore & dentibus à quibuſuis percipiatur. Præterea vbi tandem hæc duo epitheta, SACRAMENTALIS & CORPORALIS, vt tu quidem accipis, ſynonyma eſſe didiciſti? Conſtat enim idcirco inſtituta eſſe μυστήρια ſiue Sacramenta vt corporeis ſignis propoſitis aliquid arcanum & ſpirituale animo inſculperetur. Denique apageſis cum tua illa tertia manducatione, quam cum corporis Chriſti veritate & ſalutis noſtræ myſterio nonquam certè magis quàm lucem cum tenebris congruere demonſtrabis.

POSTREMO Illyricus D. Caluinum palpabilis contradictionis arguit, immemor, vt exiſtimo, palpabilia iſta craſſæ, vt ipſemet loquitur, manducationi ſuæ potiùs quàm noſtræ ſpirituali conuenire. Eſt autem quod dicit eiuſmodi: *Dicit Cal. Epheſ. 5. Sacramenta nos ducere ad Chriſtum. Nota igitur ad Chriſtum adducere non eſſe Sacramenti eſſentiam, ſed effectum & fructum. Item in Harmonia docet potione ſanguinis Chriſti ſanciri hoc fœdus vt ſit efficax, quod idem eſt acſi diceret, potionem ſanguinis præcedere omnino efficaciam huius Sacramenti. At ipſe rurſus, contrà paſſim docet inhabitationem Chriſti in nobis qua renouamur vt ſiamus caro ex carne eius, eſſe vnum ex præcipuis ipſius beneficiis, quæ poſtquam ad Chriſtum adducti ſumus, ab eo accipiamus. Itaque palpabiliter ſecum pugnat dum iſtam manducationem Chriſti iam facit eſſentiam Sacramenti* (hoc falſum eſt, Illyrice: aliud enim eſt D. Caluino manducatio, quæ eſt actio, quàm illud ipſum quod manducatur, ſpiritualiter nimirum per fidem, nempe ipſe Chriſtus qui res eſt & eſſentia Sacramentorum) *iam effectum ex eius efficacia prouenientem:* hoc quoque falſum eſt, Illyrice. Nec enim tune D. Caluino manducatio eſt effectum, ſed actio: qua interueniente, ſpirituali nimirum & per fidem, Chriſtus ipſe fiat noſter: quæ demum participatio ſiue κοινωνία eſt effectum, vt hoc pacto ex noſtro Chriſto iuſtitiam & vitam hauriamus. *Iam facit eâ nos deducere primùm ad Chriſtum.* Iterum hoc falſum. Nec enim dicit D. Caluinus manducationem corporis nos ad Chriſtum deducere, quum nos potiùs ad eum deduci ſiue per fidem accedere oporteat priuſquam ipſum percipere poſsimus. Sed à Sacramentis, id eſt à ſymbolis illis ſacris nos ad eum deduci, illud eſt quod D. Caluinus docet, quoniam nimirum ipſorum officium eſt Chriſtũ noſtræ fidei oculis efficaciter commonſtrare, vt hoc modo excitata tãtò ardentiùs ad ipſum accurrat. *Iam facit beneficium ac donum Chriſti, quod poſtquam ad eum adducti ſumus à Patre conſequamur.* Hîc rurſus, Illyrice, quòd inhabitationem ſeu potiùs incorporationẽ rurſum pro vno ex ipſius effectis, id eſt, pro renouatione accipis, ſcito, Illyrice, & abſurdè & præter D. Caluini ſentẽtiã à te fieri. En palpabiles noſtros errores. Eum porrò qui in re tam conſentiente cõtradictiones inuenit, quis tandem exiſtimare poſſit vel cum ſemetipſo, vel cum quoquam alio poſſe conſentire?

APOLOGIA M. ILLYRICI, AD XXII. demonſtrationem.

Oſtendi Caluinum & Oſiandrum eandem rationem iuſtificationis ſtatuere, nempe inhabitationem Chriſti, totiuſque diuinitatis in nobis, idque probaui prolixè ac bona fide recitatis eorum teſtimoniis, quæ ſæpe ita ad verbum conueniunt, vt penè ſuſpicari poſſis alterum ex altero aliquid deſcripſiſſe. Ad hoc nihil aliud reſpondet Beza quàm vt dicat Caluinum præ omnibus aliis præclarè Oſiandrum refutaſſe: ad quod reſpondeo fieri poſſe vt Caluinus aliquos Oſiandri errores, aut erroris partes refutauerit, in aliquibus autem cum eo ſenſerit, aut poſtea rectius edoctus aliorum ſcriptis, ſententias ſuas emendauerit, vt omittam quòd Caluinus qui vix duas pagellas ei ſcriptioni impendit, hanc Oſiandri ſentẽtiam in ſuis inſtitutionibus quod ad ipſam ſubſtantiam attinet non reprehenderit, ſed tantùm quandam eius proprietatem taxet, ſicut & Beza ſubinde Oſiandricè inculcat, oportere nos Chriſtum intra nos recipere, vt poſtea ex eo in nobis INHABITANTE *omnia* HAVRIAMVS. *Caluinus certè ante complures annos literis ad clariſſimum virum ſcriptis miris laudibus meam Oſiandri refutationem extollebat, & tempore Interim & Adiaphororum ab illis hominibus celebrabar, qui vbi ſenſerunt me ſuam opinionem improbare, repente me tum peſſimum tum indoctiſſimum hominem proclamare cœperunt, quod ideirco recenſeo vt puſilli agnoſcant quàm iſti diuini heroes non ſyncero ac candido iudicio, ſed tantùm prauis affectibus interdum impellantur vt quiduis de quouis audaciſſimè pronuntient.*

Iuréne an iniuria tibi (ἀλάστωρ) & inſcitiam & improbitatem, non nos duntaxat ſed paucisſimis exceptis, ij omnes quibus vitam ipſam ſecundùm Deum debes, imò etiam eorum nonnulli quos in illis turbis ſuccentores habuiſti, obiiciamus, teſtatur vniuerſus terrarũ orbis, vt nobis nulla excuſatione ſit opus. Itaque ad rem ipſam veniam. Si cum Oſiandro, imò cum profligatiſſimis etiam hæreticis quacũq; de re ſentire, errare eſt, des igitur nobis hæreticos oportet qui nihil prorſus veritatis ſuis mẽdaciis permiſcuerint, quod vix profectò, imò ne vix quidẽ inueneris. Itaque quicquid

hic

hîc garris fundamento caret, niſi in eo quod in nobis reprehendis, erraſſe Oſiandrum oſtenderis. Vnum quidem certè nos oportere cum Chriſto Deo & homine fieri conſtat, ſpiritualiter quidem & myſticè, ſed tamen veriſsimè & efficaciſsimè. Nec enim eò ſpectat hæc myſtica *κοινωνία* vt vlla fiat ſubſtantiarum permixtio, ſed vt, quum ipſemet & quæcunque habet non minùs noſtra facta fuerint quàm ſi nobiſipſis propriè ineſſent, tum imputatione iuſti in illo ſiamus, tum etiam ipſius Spiritu innouati viuamus in ipſo & ipſe in nobis, tantiſper dum plenè cum eo collecti in ipſo quoque gloriſicemur vt et cohæredes. Hanc Chriſti *κοινωνίας*, ſiue Dei in ſanctis habitationem ſic pulchrè deſcribit Auguſtinus epiſt. 57. *Deus qui vbique præſens eſt, & vbique totus, non in omnibus habitat, ſed in ijs tantùm quos efficit beatiſsimum templum ſuum, eruens eos à poteſtate tenebrarum, & transferens in regnum filij charitatis ſuæ, quod incipit à regeneratione.* Item. *Quum habitationem Dei cogitas, vnitatem congregationis ſanctorum cogita, maximè in cælis, vbi præcipuè dicitur habitare, quia ibi fit voluntas eius, perfecta eorum in quibus habitat obedientia.* Sic ipſe Chriſtus, de credētibus loquens, Veniemus, inquit, Pater & ego, & manſionem apud eum faciemus. Hæc ſi fortè negas, quod non arbitror, quis te Chriſtianus ferat? Quòd ſi hanc inhabitationem aliter intellexit Oſiander, quaſi videlicet eſſentia ipſa deitatis aut noſtræ vniatur, aut euadat habitus quiſpiam iuſtitiæ in nobis, ipſe viderit. Nihil enim hoc ad noſtrûm quenquam. Deinde quòd idem Oſiander quum de iuſtificatione agitur, iuſtitiæ nomine intelligit eſſentialem Deitatis iuſtitiam, quum ne habitus quidem iuſtitiæ, cuius ſubiectum eſt Chriſtus quatenus homo, ſic ſignificetur, ſed obedientia illa potiùs quam ille nobis in carne ſua præſtitit, quid hoc rurſum ad Caluinum ſolidum & acerrimum iſtius erroris refutatorem? Poſtremò quum ille imputationis donum cum ſanctificationis in nobis inchoatæ munere confundit, alios ſanè quærat ſui vaniſsimi commenti adſtipulatores. Tu verò impurus eſto & maneto ſycophanta.

APOLOGIA M. ILLYRICI ad XXIII. Demonſtrationem, & DEFENSIO TH. BEZAE.

Dicis Bezā me eam ipſam ſententiam profiteri quam in ipſo oppugnem, vt qui præponam illam ſacramentalem ſiue corporalem manducationem ſpirituali fruitioni.

SANE dico, quoniam hæc ipſa ſpiritualis fruitio, eſt vera illius inhabitationis deſcriptio.

Reſpondeo. Tripliciter differre meam & illorum ſententiam. Atqui etiam vt centripliciter differat, manet tamen firmum id quod tibi obieci, ſi id ipſum quod in me oppugnas, ex tuo dogmate conſequitur, ipſius videlicet Chriſti perceptionem & inhabitationem præire iuſtificationi & omnibus in genere quæ ex Chriſto nobiſcum communicato haurimus, ſicut animæ cum noſtro corpore cōiunctio ordine cauſarum vitam hanc noſtram antegreditur. Sed triplicem hanc differentiam agedum audiamus.

Primùm, inquis, *ego loquor de ſubita Sacramentalique perceptione ſiue manducatione quæ ibi veluti ad vnum momentum fit, vt ſit ſignificatiſſima certiſſimáque teſſera confirmans illud fœdus quod eſt noui Teſtamenti. Illi verò loquuntur de perpetua quadam inhabitatione, & incorporatione.*

Egregium ſanè reſponſum, quaſi quæratur fiat iſta perceptio vno momento an aliquo longiore temporis interuallo, item num ſit res perpetua an verò ſtatim euaneſcat. Sed heus tu, quis tu homo es? Si tam citò euaneſcit iſtius tuæ Cyclopicæ manducationis effectum, quorſum de illa tantopere contendis? Longè aliter Chriſtus, qui de ipſa merè ſpirituali (nullo videlicet ſacramentali eſu vel potu adhibito facta) manducatione diſſerens, teſtatur eum habere vitam æternam qui carnem ipſius ederit, & ſanguinem biberit. Neque etiā dicit dūtaxat de credentibus loquens, Ego & Pater veniemus, ſed addit, & manſionem apud eum faciemus. Et te, negabis, Illyrice, prorſus inſaniuiſſe, quum tam falſa, támque abſurda reſponderes?

Secundò, inquis, *ego non facio illam manducationem medium quoddam neceſſariò apprehendens iuſtificationem, quandoquidem etiam impij ſacramentaliter corpori Domini communicant, nec tamen propterea ſpiritualia beneficia percipiunt.*

SI Sacramentaliter accipis pro Sacramento ſiue ſigno tenus, & Signi nomine, Panem illum & Vinum illud duntaxat intelligis, nobiſcum facis, qui ſolos fideles docemus eſſe rei ſignificatæ participes. Sin verò Sacramenti nomine corpus etiam ipſum Domini intelligis, cuius perceptio ſit in nonnullis inutilis, non minus falſum eſt quod dicis, quàm ſi diceres quempiam eſſe anima præditū qui tamen non viuat. O miſerum igitur diſputatorem qui ab ipſo mēdacio cogatur cauſæ ſuæ defenſionem mutuari! Verùm vt hoc quoque tibi largiar, cadis tamen cauſa. Nā in credentibus ſaltem verum fuerit quod tibi obiicio.

Poſtremò (inquis) *ingens diſcrimen in eo eſt quòd illi ſuam illam incorporationem ſiue inhabitationem volunt eſſe vnicum, perpetuum & ordinarium modum apprehendēdorū beneficiorum Chriſti. Ego verè dico illam Sacramentalem manducationem eſſe quiddam nouum, extraordinarium, non inde à condito mundo exiſtentem, ſed tantùm in hoc Sacramento inſtitutum, ſine quo innumeri ſeruati ſint & adhuc iuſtificentur & ſeruentur.*

Vt tibi rurſum hæc concedā, nū effeceris Illyrice, falſum eſſe oportere Chriſto priùs nos adhærere ſiue Chriſtū in nobis habitare quàm ipſius donorū participes ſiamus? Itaque ne hoc quidem *ὀρθῶς*. Deinde non vides te præuaricari? Nec enim ignoras hoc quoque à nobis dici, ſalutem noſtram non eſſe Sacramentorum vſui per ſe & ſimpliciter alligatam. Sed quum Chriſtus, teipſo fatente, carnem ſuam dicat abſque Sacramentis etiam manducari ad vitam æternā, & alibi teſtetur

ſe manſionem facere apud eos qui crediderint, an negare potes ex tua quoque ſententia nos abſolui, quum dicimus Chriſti per fidem inhabitationem iuſtificationi præire? Itaque tam perpetua certáque eſt iſta enuntiatio, Nemo niſi inhabitante Chriſto ſeruatur: quàm iſta, Nemo abſque fide ſeruatur: & iſta, Extra Chriſtum inhabitantem non eſt iuſtitia, neque ſalus. Quomodo verò infantes fide ſeruari dicantur, alia quæſtio eſt ad hunc locum non propriè pertinens. Denique quòd ſacramentalem manducationem dicis in iſto demum Sacramento fuiſſe inſtitutam, ſicut verum eſt ſi nomine Sacramenti hæc vna Cœnæ Domini myſteria intelligis, ita etiam falſiſsimum eſt ſi generaliter à te accipiatur, quum veteres (vt paulo antè ex Paulo & Auguſtino declarauimus) eandem atque nos eſcam ſpiritualem, quamuis ſub aliis ſignis, (Chriſtum ipſum eundem videlicet) manducarint. Subiicis poſtea,

Accuſat me Beza quòd dixerim eos affirmare inhabitationem eſſe medium ſiue inſtrumentum, negans ſic Caluinum loqui aut eſſe inſtrumentum inſtrumenti. Atqui Caluinus vtitur voce Medij. Præterea poteſt aliquod eſſe inſtrumentum inſtrumenti, vt Verbum eſt inſtrumentum ad fidem, & fides ad percipienda Chriſti beneficia.

Quis verò neſcit ita eſſe comparata inſtrumenta, vt alia aliis ſubſeruiant? Sed hoc dixi, Illyrice, inſtrumenta non ſatis propriè & perſpicuè dici eas ipſas res quas efficere vel conſequi per inſtrumenta ſtudeamus: ac proinde Chriſti inhabitationem non rectè dici abs te modum ſiue inſtrumentum iuſtificationis, quum potiùs dicendum ſit fide apprehendi Chriſtum vt in nobis habitet, & iuſtitiam ac vitam ex ipſo per fidem apprehenſo nobis tribui. Neque verò hæc tam minuta ſunt quàm putas. Sed agè propius tandem ad rem ipſam accedamus.

Dixi, inquis, ex Epheſ. 5. & Ezec. 16, Primùm lauari Eccleſiam & mundari, deinde ſiſti Chriſto, eique vt glorioſam & mundam coniungi, fieríque carnem de carne eius & os de oſſibus eius, ſeu ipſo in ea habitante in illam incorporari. Itaque remiſſionem peccatorum & ablutionem per ſanguinem Chriſti præcedere illam ipſam incorporationem ſiue ſummam ſponſi cum ſponſa cohabitationem: ac proinde nos non iuſtificari per illam inhabitationem diuinitatis, ſed è contrario inhabitationem eſſe iuſtificationis effectum. Horum teſtimoniorum impetum declinat Beza, & colligit ſiue fingit néſcio quæ abſurda, vt lectores à conſideratione meorum argumentorum abducat.

Primùm ergo dicit Beza ſi remiſſio peccatorum præcedit Chriſti in nobis inhabitationem, hinc ſequi nos priùs iuſtificari quàm Chriſtum poſſideamus, adeò vt nobis iuſtificatio Chriſtum, non autem Chriſtus iuſtificationem tribuat. Ego reſpondeo hæc non ſequi, & Bezam vt illum Plautinum coquum res diuerſiſſimas confundere. Aliud enim eſt quòd Deus quidem vnigenitum nobis tradiderit ab æterno antequàm eius carnem comederemus, imò etiam antequàm conciperetur, ipſo verò pro inimicis nobis ſponſorem ſeſe obtulit Patri, in ſe reatum noſtrum ſuſcipiens, & pro nobis natus & mortuus ſua paſſione redemptionem æternam nobis inuenit, quem theſaurum in ſuum cæleſte tabernaculum, vt id inde diſtribuat, tranſtulit, quòd beneficium agnoſcendum eſt vera fide, vt per legatos eius inuitati feſtinemus ad thronum gratiæ, ſibíque per & propter illum mediatorem de ipſius theſauro remiſſionem peccatorũ conſequamur. Et aliud eſt rurſum quòd Chriſtus inſuper nos repurgat in templum ſibi ac Patri ac Spiritui ſancto, vt ſimus ſancta membra ſancti eius corporis. Et denique aliud eſt inhabitatio Spiritus ſancti in cordibus noſtris.

Imò verò, Illyrice, prorſus aliud eſt appoſitè reſpondere, quàm facere quod facis. Quorſum enim iſta earum rerum diſtinctio quas nemo vnquam noſtrûm permiſcuit? Sint ſanè res diuerſæ, Patris εὐδοκία in nobis ſeruandis, Filii ſatisfactio pro peccatis inimicorum ſuorum, fides, remiſsio peccatorum, ſanctificatio, Spiritus ſancti denique in nobis inhabitatio. Quid iſta diſtinctio te iuuat? An enim ſatis eſt nobis à Patre datum Filium, & Filium pro nobis mortem ſubiiſſe? nequaquam, inquies, idcirco adiici oportere grata fide illa beneficia agnoſci. At cur nõ etiam apprehendi & percipi? Verùm quid iſtis attinet immorari? Iſta, iſta, inquam, Illyrice, quæ neceſſariò tuum dogma conſequi dico tibi vel oſtendendum fuit ex eo quod ponis non effici, vel neque abſurda eſſe neque falſa. Nempe non Chriſtum ipſum vtendum, fruendum, ſed eius duntaxat dona credentibus offerri ad remiſsionem peccatorum. Item, nobis priuſquàm Chriſtum poſsideamus, remitti peccata. Item, quum ſi quis in Chriſto non eſt, non ſit etiam Chriſtus in ipſo, mundari nos & conſequi remiſsionem peccatorum per Chriſtum quidem, ſed extra Chriſtum. Item, nos fructus percipere ante ipſius fundi poſſeſsionem. Item, fide qua iuſtificamur, Chriſtum duntaxat agnoſci, non autem nobis applicari. Et quàm multa poſſent huiuſmodi congeri? Sed progrediar etiam longiùs. Aliud eſt, inquis, renouari ſeu nouos homines fieri, quàm peccatorum remiſsionem in ipſo conſequi. Sanè ita eſt. Duplex enim eſt hoc beneficium, quorum iſtud ſola imputatione noſtrum eſt, illud verò quiddam eſt nobis ex dono inhærens. Sed dic quæſo, bone vir, iſtam renouationem negabis eſſe Spiritus Chriſti in nobis inhabitantis effectum? minimè opinor. Atqui Baptiſmus eſt peculiare iſtius nouæ natiuitatis Sacramentum. Ergo in Baptiſmo incorporamur Chriſto. Eſt autem Baptiſmus quoque expreſſum ablutionis ſiue remiſsionis peccatorum Sacramẽtum. Et negare audebis nos ſimul ac eodẽ Sacramento tum remiſsionem peccarum tum ſanctificationem ex Chriſto in nobis inhabitante conſequi? Ergo ſicut cauſa effectum, ſic quoque noſtra in Chriſtum coalitio quicquid in ipſo conſequimur, ordine cauſarum antecedit. aut tu nobis aliquos oſtende priùs iuſtificatos quàm Chriſti membra fierent. Vos ſextum Iohannis caput vſqueadeo dicitis de Cœna nihil continere, vt vix quicquã vehemẽtiùs vrgearis. Ita eſto. Quid ſibi volunt iſta Manducationis carnis & potionis ſanguinis verba? nihílne, quæſo, præter nudã fidei agnitionẽ declarãt (vt tu admodum dilutè ſcribis:) qua nõ Chriſtus ipſe nobis inſinuetur, an verò vera & integra ipſius κοινωνία ſic declaratur ſimilitudine à corporali cibo ſumpta? Itẽ quũ cõmunis

vita

vita noſtra ſiue remiſſionē peccatorū ſiue noſtri renouationē ſpectes, à Chriſto tanquā ſpiritnali cibo promanet, cui perſuaſeris percipi poſſe alimentum ex eo cibo quem non reipſa ſumpſeris?

Denique paſſine potes, Illyrice, vt tuum falſiſſimum iſtud dogma ſemel iugulem, quo iam pertinaciter defendis prius alicui remitti peccata quàm Chriſtum poſſideat ſiue ſit Chriſto concorporatus?

Fides anteeat remiſſioni peccatorum neceſſe eſt. Ergo & renouatio, cuius vel præcipuū donum eſt fides. Atqui renouamur vt tu ipſe teſtaris, dum ſimus membra Chriſti, ac proinde dum ipſi incorporamur. Efficitur ergo nos cauſarum ordine priùs Chriſto incorporari, quàm remiſſionem peccatorum, id eſt iuſtificationem conſequamur. Quomodo tamen fidei primordia nobis in Chriſto apprehendendo nec dum tamen apprehenſo donentur, ſuo loco diximus. Vidén', Illyrice, nobis nihil minùs propoſitum fuiſſe quàm languidiſſimos illos argumentorum tuorum ictus eludere, vel lectores aliò auertere? pergis tamen poſtea, & inquis,

Blaſphemè præterea quærit Beza quò perueniat illud corpus à nobis ore ſumptum, an excernatur, &c. Reprimat eum Filius Dei potenter. Nos tantum de hac re credimus ac decemus quantum Filius Dei docuit, nempe cum de illo in externam manducationem dato dixiſſe, Hoc eſt corpus meum, &c.

Scilicet, Illyrice, blaſphemus eſt qui veſtra Cyclopica commenta ex analogia fidei & ſcripturarum collatione confutat. & quoties non habes quod reſpondeas, ſatis fuerit tibi dicere cū Iudæis, blaſphemauit, reus eſt mortis. Repono igitur tibi hoc argumentum ex tuis ipſius ſcriptis erutum. Dixit Illyricus demonſtratione nona, eternam illam quam comminiſcitur manducationem corporis deducere nos ad interiorem, ſiue ſpiritualem, qua Chriſti beneficia ac proinde iuſtificationem aſſequimur. Iuſtificatio igitur, ex illa priore Illyrici ſententia ſequitur corporalem manducationem. Quod ſi corporalem Chriſti manducationem ſequitur, ergo & eiuſdem inhabitationem, quum id quod ore ipſo manducatur, neceſſe ſit, aut intus, adeóque in corpore in quod immiſſum eſt, permanere, aut inde excerni. Si permanet, ergo inhabitatio ſaltem corporalis, ſi non ſpiritualis, iuſtificationem antegreditur, ac proinde Illyricus à ſeipſo diſſentit, vt qui in hac 24. demonſtratione contrarium tuetur, nempe inhabitationem eſſe iuſtificationis effectum extra Chriſtum. Sin verò non permanet, ergo excernitur. & quò tandem id deuenire dicet Illyricus? Hoc ego dilemma in te cōtorquere tuipſe me docuiſti, egregie demōſtrator. Reſpōde, quid taces? An te vſque adeò vrit ius iſtud meum, vt illud concoquere non poſſis? blaſphemas, inquis. Nempe quia tu Cyclops es carniuorus, idcirco blaſphemus eſt Beza. Credo, inquis, tantum quantum dixit Filius Dei. Anathema verò ſit qui huic fidei quicquam adiecerit, aut detraxerit. Tantum certè credo & ipſe quantū ille dixit: ſed hoc etiam credo, longè aliud eſſe Illyrici ſomnia quàm Chriſti verbū. Sed audiamus etiam aliquid amplius.

Pergit me vrgere Beza quibuſdam quæſtionibus quibus id tandem efficit, nos antequam ad Cœnam perueniamus iam credere & Chriſto incorporatos eſſe, eiúſque membra exiſtere, eóque non præire ſacramentalem aut externam manducationem ſpirituali.

At cur tu illas quæſtiones præteris? Illa igitur noſtra ſic tibi repono: Nemo ſeruatur extra Eccleſiam. Quiſquis eſt in Eccleſia, eſt Chriſti membrum & templum. Quiſquis credit etiam ſi nō potuit participare Chriſti Cœnam, in Eccleſia tamen eſt, ac proinde membrum Chriſti eſt. His poſitis concluſi, quum nemo niſi fide præditus, rite ad Cœnam accedat, & quiſquis fide præditus eſt ſit Chriſti membrum ac templum, nullum rite ad Cœnam accedere niſi iam Chriſto vere incorporatum, & conſequenter in ipſo iuſtificatum. Falſum eſt ergo quod docet Illyricus, iuſtificationem præire inhabitationi. Falſum & illud, corporalem externámque manducationem præire ſpirituali. Citaui præterea expreſſum locum Auguſtini, in quo diſertè dicit, dubitandum non eſſe quin *vnuſquiſque fidelium in ipſo Baptiſmo fiat particeps corporis & ſanguinis Chriſti & eiuſdem membrum.* (Eſt enim certè Baptiſmus ſacramentum & remiſſionis peccatorum & noſtræ renouationis, quod nullis niſi Chriſto incorporatis obtingit.) *& alienus non ſit à panis calicíſque conſortio, etiam ſi antequam panem illum edat & calicem bibat, de hoc ſeculo migrarit in* VNITATE CORPORIS CONSTITVTVS. Quid reſtitas Illyrice? Tute hoc tibi ius intriſti. Aut reſpōde, aut da gloriam Deo. Audiamus tamen quid muſſites.

Hi tragici clamores, inquis, *nihil ad meam demonſtrationem faciunt, in qua non diſſero quomodo res, actiones, aut partes huius ſacramenti ſe inuicem conſequantur, ſed quod in genere aut tota Chriſtiana pietate, in doctrina iuſtificationis inhabitatio diuinitatis aut Chriſti non ſit iuſtificationi præponenda. Aliud enim eſt ſimpliciter ſiue in genere de rebus vera pietatis diſſerere, aliud de partibus & actionibus huius Sacramenti. Cur ergo tam ſophiſticè & importunè Beza res diuerſiſſimas miſcet ac confundit?*

Imò verò, Illyrice, quorſum iſta? num ego de partibus huius ſacramenti quicquam dixi? num hac de re in hac demonſtratione quæritur? Deinde quid ſibi vult iſta bis iam abs te inculcata diuinitatis inhabitatio? Chriſti & quidem ſecundum carnem κοινωνίαν, & eiuſdem ſpiritualem in nobis ἐνέργειαν vrgeo, qui etſi vnus eſt & Deus ac homo ſimul, tamen nobiſcum propriè ſecundum carnem cohæret, ſicut carne interueniente nos cum altero extremo putà Deo ipſo copulat, vt ſit verè Medius & mediator. Itaque tuam iſtam diuinitatis inhabitationem vt αἰνιγματώδη tibi ſanè totam habeto. Sed audiamus num quid aliud magis appoſitum tibi in mentem venerit.

Beza dixit ſolutione ad decimam demonſtrationem, totam ſacram Cœnam ad hoc inſtitutam eſſe vt Chriſtum ibi apprehendamus, manducemus eíque incorporemur. Hîc autem dicit ſe omnino eius rei gratia ad ſacram Cœnam non accedere. Sic ſolent qui falſa dicunt, ſibi ſæpe contradicere.

Imò tu falſarius es, Illyrice. Nec enim, vt tu ipſe exſcripſiſti, negaui nos ad Cœnam accedere vt

Chriſto incorporemur, quum panis ille ſit communicatio corporis Domini, ſed hoc dixi, nos non accedere vt tum primùm ei incorporemur, quoniam & in Baptiſmo eum induimus, quod æquipollet incorporationi: & in verbo prædicato & credito potimur etiam ipſius carne & ſanguine, ſicut diſertè recitaui ex Auguſtino, *quoniam* (inquit) *PARTICIPATIONE ac beneficio Chriſti non priuatur is in quo id quod Sacramentum SIGNIFICAT inuenitur.* Argueris igitur manifeſtæ falſitatis, Illyrice, addo etiã inſcitiæ. Nam etiã ſi tibi largirer nos cum Chriſto nõ niſi in Cœna incorporari, an tamen tu dicere auſis quod dicitur panis ille eſſe communicatio corporis Domini, ad eam demum ſacram Cœnam pertinere ad quam primùm aliquis accedat, an vero fateberis toties hoc reipſa præſtari quoties aliquis panẽ illum ſumat? Ergo neceſſe eſt & hoc fatearis, aliquem dici incorporari, qui tamen iam antea fuerit incorporatus: non quòd illa priore incorporatione acciderit, ſed vt magis ac magis Chriſto adhæreat. Sic precatur Apoſtolus gratiam & pacem Eccleſiis, id eſt gratiæ & pacis incrementum & confirmationem. Sic Epheſiis precatur à Deo illa ipſa quibus eos iam eſſe præditos iiſdem gratulatur. Denique vix aliud quicquam frequentiùs occurrit hoc dicendi genere in Sacris literis, quo illa ipſa petimus quæ iam accepimus, nempe vt in iis magis ac magis creſcamus atque confirmemur. Sed audiamus præterea nouas ineptias.

Quis, quæſo, inquis, *vnquam audiuit clarius redargui Sacramentarium errorem quàm hic ipſe eius patronus facit? Si enim qui iam antea Chriſtum ſpiritualiter fide comederunt, omnino illi incorporati ſunt, nec volunt ad Cœnam huius rei gratia accedere, ſed tantùm vt iſta iam facta manducatio in eis obſignetur, qua igitur conſcientia declamitant in illis huic Sacramento propriis verbis, Accipite, Comedite, Bibite, Hoc eſt corpus meum, ſpiritualem illam manducationem eſſe inſtitutam?*

Imò, Illyrice, quis rurſum certior teſtis eſſe potuerit inauditæ tuæ inſaniæ? Tu ipſe cum tua tota factione an non quæ ſexto Io. capite de manducatione carnis & ſanguinis Chriſtus commemorat, de merè ſpirituali perceptione intelligis? An non tu quoque tuam illam externam manducationem vis ſignum eſſe interioris & ſpiritualis alterius? Ergo ex tua ipſius ſententia abſoluor, quum dico nos ad Cœnam accedere vt quod iam antea ſpiritualiter eramus adepti, rurſum ſpiritualiter accipiamus, id eſt vt ſpiritualis iam facta manducatio magis ac magis in nobis obſignetur. Et quod de ſpirituali manducatione verè dicitur, cur non itidem de ipſius conſequenti, nempe de noſtra in Chriſtum incorporatione, dicatur? Deinde quoties iam tibi inculcatum eſt, non his verbis Hoc eſt corpus meum (quibus nihil agere iubemur, ſed quid nobis præbeatur Dominus ipſe declarat) ſed iſtis, Accipite, Edite, Bibite, duplicem acceptionẽ, comeſtionẽ & hauſtionẽ præcipi, quarum vna (nempe ſignorũ) ſit corporalis, altera nempe corporis & ſanguinis ſit ſpiritualis? Et tamen continere te non potuiſti quin hæc quoque longe ineptiſſima ſuperioribus adiiceres.

Beza iam antea habet illam manducationem, (habet ſanè, quia Chriſtus non eſt mendax qui carnem ſuam & ſanguinem ſuum manducari fide dixit, etiam in ſimplici verbo, & nullis Sacramentis veſtito) *nec planè eius cauſa* (eius quidem tunc primùm exercendæ vel applicandæ cauſa, quum nemo rite accedat ad Cœnam, niſi qui fide Chriſtum iam apprehendit) *ad ſacram Cœnam accedit. Quæ igitur tandem manducatio Domini ibi remanet?* (nulla ſanè noua quod ad ipſum Dominum attinet, qui nuſquam niſi fide tum in verbo tum in Sacramentis percipitur, ſed quod ad modum manducandi planè noua, nempe ſacramentalis, adhibitis Panis & Vini ſignis.) *Noſtram illam ſacramentalem non admittit* (ſacramentalem planè admitto, quæ duplex eſt, vt tu ipſe ex Bucero citaſti, vna videlicet oris externa, quæ panis illius eſt & vini illius: altera fidei & mentis, putà ipſius Chriſti) *ſuam illam ſpiritualem iam habet. Reliquum eſt ergo vt nullam planè manducationem corporis Domini ibi relinquat, ſed tantùm ſymbolorum perceptionem.* Imò ſic efficitur non minus verè percipi ſpiritualiter per fidẽ id quod Pane illo & Vino illo ſignificatur, quàm ipſa ſigna ore ſumũtur, & intolerabilem eſſe Illyrici tum impudentiam tum inſcitiam.

Locum porrò Apoſtoli Eph. 5, ſum ita interpretatus, vt dicam primo loco ſtatui dilectionem Filij, ſecundo paſſionem eius qui nos tantopere dilexit, tertio, illius paſſionis à nobis per fidem in verbo & Sacramentis apprehenſæ effecta, nempe iuſtificationem & ſanctificationem, denique vltimo loco finem & ſcopum omnium iſtorum, videlicet vt tanquam caſta quædam ſponſa purè in ipſius conſpectu vitam tranſigendo tandem cum ſponſo noſtro prorſus coniungamur, æternum ipſo fruituri. Hæc verò ſic redarguit Illyricus:

Fluctuat, inquit, *Beza, inconſtanter volens per hæc verba, Vt eam ſibi, &c. intelligi modò nouam huius vitæ obedientiam, modò futuræ gloriam, quæ res ſua ſpte natura diuerſa ſunt, atque adeò ex Bezæ ſententia, contraria, quia modò facit vitam piorum eſſe præſentiam coram Domino, modò abſentiam ab illo, quo nihil magis contrarium eſſe poſſit, vt Beza ſeſe palpabiliter redarguat & euertat. Præterea non dicit Apoſtolus vt eam PATRI ſiſteret, quod de vita æterna intelligi poſſet, ſed SIBI, ſponſæ videlicet ac marito, ad coniunctionem.*

Imò rurſum, Illyrice, palpabile eſt falſi crimen quod hîc quoque admittis. Nec enim locum illum dixi intelligi vel de nouæ vitæ obedientia, vel de futuræ gloria, quaſi duas interpretationes afferens, quod tamen quiſquis facit non peccat, quum vnus & idem locus diuerſiſſimas interdum interpretationes admittat: ſed hoc dixi, iam nunc coram Chriſto nos ſiſti, quum coram ipſo ambulamus in ſanctitate & iuſtitia, ſed quaſi ſponſam quandã nondum nuptã, quoniam plena nuptiarum coniunctio in tempus noſtræ glorificationis integræ differtur, quo videlicet prorſus illi reipſa ſiſtemur & adiungemur. In his verò quid tandẽ inter ſe non conſentaneum, aut verbo Dei non penitus conſentiens? At ita, inquis, ſtatuimur modò ipſi præſentes, ſi quidẽ SISTENDI verbum ad nouæ vitæ coram ipſo obedientiam referatur, modò autem ab ipſo abſentes, ſi de futura glorificatione

ficatione illud ipſum verbum accipiatur. Sunt autem repugnantia ESSE PRAESENTEM ALICVI, & ESSE ABSENTEM AB ALIQVO. Redargue igitur Spiritum ſanctum toties teſtificantem ſanctos illos patres ambulaſſe in conſpectu Domini, refelle Dauidem qui ſe dicat ſemper poſuiſſe Dominum in conſpectu ſuo, reprehende Chriſti verba de Abrahamo quòd viderit diem Domini, & omnes iſtos oppone Apoſtolo teſtanti nos adhuc peregre abeſſe, & ad Chriſtum à quo videlicet abſimus, anhelare: vel potiùs omnibus iſtis teſtibus tua tum inſcitia tum impudentia ſemel vel vniuerſo mundo pateſiat. Quæ etenim hæc inſcitia eſt, præſentiam mentis & fidei in ſpe poſitam, & cuius arrhabonem habemus Spiritũ adoptionis, ab illa corporali & reali nõ diſtinguere, qua tunc demũ potiemur quũ occurremus illi in nubibus, vt reipſa vnà cum illo in æternum ſimus? At non dixit PATRI, ſed SIBI. Concedo, nec enim Pater ſed Filius perſonam Humanam ſuſtinet, vt tunc demum plenè impleatur quod illi flagitanti conceſſit Pater, nempe vt reipſa ſimus vbi eſt. En quàm ſolidè nos redarguat Illyricus. Ipſe verò quomodo tãdem hunc locum exponit?

Prætermiſſa dilectione, quæ eſt primaria omnium conſequentium cauſa, ſtatuit primo loco paſſionem Chriſti, ac deinceps iuſtificationem, id eſt remiſſionem peccatorum in his verbis, Vt ſanctificaret eam &c. deinde inhabitationem in his verbis, Vt ſiſteret eam ſibi: ac demum vltimo loco renouationem, in his verbis, Glorioſam, non habentem rugam nec maculam.

In his verò mirum eſt eum non animaduertere rerum cõiunctiſſimarum diſcerptionem. Quis enim neſcit Baptiſmum tam eſſe noſtræ renouationis quàm remiſſionis peccatorum ſacramẽtum, imò propria & peculiari quadam ratione noſtram in Chriſtum inſitionem, ac proinde veteris quidem hominis mortem ac ſepulturam, noui autem reſurrectionem in nobis obſignare? adeò quidem vt hoc multo expreſſiùs in Baptiſmo quàm in Cœna Domini repræſentetur, quum Cœna idcirco ſit inſtituta vt Chriſtus quem iam in Baptiſmo induimus, ac proinde cuius membra facti iam ſumus, in nobis adoleſcat, ſicuti cibum corporalem non ideo ſumimus vt viuere incipiamus, ſed vt vita in nobis conſeruata, creſcamus, donec ad perfectam ſtaturam perueniamus. At ſi iſti non tam certè Theologo quàm ſtipiti credimus, In Baptiſmo mundamur tantùm à peccatis per Chriſti ſanguinem, imputata videlicet nobis ipſius morte, nec ſimus adhuc membra ipſius. Poſtea verò incipit in nobis habitare, ac tandem renouamur in ipſo. Sed dic, bone vir, vnde, ſi non à Baptiſmo, inchoabis iſtã inhabitationem & renouationem? num ab illa tua externa manducatione in Cœna Domini? ergo te auctore nemo fuerit membrum Chriſti, ac proinde nemo fuerit renouatus antequàm ad Cœnam acceſſerit, ideóque multi ſeruabuntur etiam antequam ſint Chriſti membra. Num verò à prædicatione verbi inter Baptiſmum & Cœnæ adminiſtrationem intercedente? Ergo, te ipſo conſentiente ſpiritualiter priùs incorporabimur Chriſto quàm corporaliter eius corpus manducauerimus, ac proinde à te ipſo diſſentis, qui paulò antè tantopere exagitaſti quod dixeram nos videlicet non accedere ad Cœnam vt tum primùm incorporemur, ſed vt iam antea incorporati fortiùs ac efficaciùs cum noſtro capite coaleſcamus. Et certè negare non potes fidem eſſe Spiritus illius nos regenerantis, ac proinde Chriſto inſerentis opus, quum nemo credat niſi ex renouationis dono. Reſtat ergo vt Baptiſmo fateatis nos ſanctificari, quoniã Chriſtum in eo credentes induimus, vt inde non tantùm remiſſionem peccatorum imputatam, verùm etiam renouationem Spiritus conſequamur, ac proinde intolerabile eſſe tuum iſtud dogma quo non ordinem modò peruertis beneficiorum Dei, ſed etiam res quanuis diſtinctas, tamen in eodem Sacramento coniunctiſſimas diſcerpis. Poſtremò, quum iſta, *Non habentem rugam nec maculam*, ad noſtræ renouationis initium trahis, quæ ad eius complementum pertinent, vide quàm propè abſis ab illo Pelagianorum dogmate ab Anabaptiſtis renouato, de nouæ obedientiæ in hac etiam vita perfectione, item à Papiſtis affirmantibus Eccleſiam errare non poſſe.

Iam autem videamus quanto rectiùs locum Ezechielis 16, interpreteris. Verba Prophetæ ſunt,

Et tranſiui iuxta te, & vidi te fœdatam ſanguinibus tuis: (*Hæc eſt* (inquis) *extrema iniuſtitia tum actualis tum originalis*) & dixi tibi, In ſanguinibus tuis viue, dixi (inquam) tibi, In ſanguinibus tuis viue. (*Dixit,* inquis, *tranſiui iuxta te, non autem dixit, Intraui in te. Quid eſt autem iſta vita in medio ſanguinum, aliud quàm remiſſio peccatorum, qua nobis per imputationem iuſtis, pronuntiatis, vita & ſalus donatur?*)

Reſpondeo totum hunc Prophetæ ſermonem allegoricum eſſe, in quo declaret Dominus miſerabilem illam conditionem populi in Ægypto, quo tempore cum illo fœdus inſtaurauit, iam pridem cum patribus initum, ſed diuturna illa in Ægypto commoratione & duriſſimæ ſeruitutis fœditate veluti obſoletum, quum in ipſos Ægyptiorum mores penè degeneraſſet populus, ſicut poſtea in deſerto reipſa, erecto vitulo & neglecta Circumciſione, comprobauit. In hac tamen miſerrima conditione Dominus ſemel ac iterum teſtatur, ſeſe fœdi illius populi ſui miſertum, nihilominus eum ſaluum ac incolumem ſeruaſſe, adeò vt non modò nõ ſit abolitus, quod machinabantur Ægyptij, verùm etiam ſupra modum & pluſquam admirabiliter excreuerit. Huc ſpectare Prophetam totus contextus declarat. Quòd igitur iſta trahis ad veteris hominis ſeu peccati originalis ſordes, prorſus ἐδὲν νεώτερον.

Subijcit poſtea Propheta. Tranſiui iuxta te, & aſpexi te, & ecce tempus tuum tempus amorum, & extendi oram veſtis meæ ſuper te, & operui turpitudinem tuam. (*Hîc verò* (inquis) *obſeruanda ſunt duo malitioſa Bezæ ſophiſmata, vnum quòd per illam formulam Extendi oram, &c. vult intelligi coniugalem copulam, contradicente patre ipſius Caluino, qui ait infirmam eſſe hanc diuinationem: alterum quòd*

citans Beza hunc textum, excludit apertè hac verba Et texi nuditatem tuam: quibus verbis (teſte Caluino) non ſignificatur nuptialis coniunctio, ſed contectio turpitudinis noſtræ, id eſt remiſſio peccatorum per non imputationem ſicut inſtar turpis nuditas parentum noſtrorum tecta eſt excoriata ouis vellere.

Quis verò te docuit, Illyrice, ouillas fuiſſe iſtas pelles quibus obtecti ſunt noſtri parẽtes, potiùs quàm bubulas aut caprinas, aut cuiuſmodi vſus eſt Iohannes Baptiſta? illa nempe audacia qua multis eiuſmodi ſpeculationibus planè inanibus & vanis pulcherrimum præſertim illum Moſis librum tu tuique ſimiles iam pridem non deſinitis conſpurcare. Sed hæc quidem περιέργως. Caluinum ſcio malle hęc duo, Expandi alam, &c. & Obtexi fœditatem tuam, referri ad miracula quibus populum ſuum cohoneſtatum aſſeruit Dominus ab Ægyptiorum contumeliis & probris: & ſequentia illa Et iuraui &c. demum referre ad inſtaurationem fœderis ſiue Legis promulgationem, quæ fuit ſolennium nuptiarum inſtar. Ego verò quoniam alibi inuenio de cõiugio id eſſe dictum, vtrunque id eſt tum hoc dictum de alæ expanſione, tum id quod ſequitur, ad coniugium retuli, quòd Deus populum ſuum de nouo, vt vulgo loquuntur, in illa ſolenni promulgatione fœderis ſibi quodammodo deſponſarit, omnibus illis probris deletis quibus illam antiquam adſcitionem veluti obliterarant Ægyptij. Diſſentis igitur, inquis, à tuo parente. Ergo hinc diſcendum tibi eſt, Illyrice, me in nullius hominis verba iuraſſe, ſed ita venerari Dei dona in ipſius ſeruis, qualem illum verè incomparabilem hominem fuiſſe libens & vt minimè tui ſimilis diſcipulus agnoſco & prędico, vt quod illo ipſo viuo & minimè improbante ſemper feci, adhuc faciam, id eſt quod conſentaneum veritati eſſe iudico in aliquorum locorum Scripturæ interpretatione ingenuè & abſque ἀπροσωποληψίᾳ profitear. Verùm quod eſt hoc noſtrum diſſidium? num in re ipſa? minimè profectò, quum ille ipſe hanc contectionem referat ad virtutes in populi liberatione editas, quas vult fuiſſe quaſdam ad hoc ipſum coniugium præparationes. Siue autem illius ſiue meam interpretationem ſequaris, quæ vtraque, ſicut dixi, eòdem ſpectat, neque quod ad Prophetæ mentem attinet quicquam diſcrepat, quid hoc te iuuat qui ſtultè & ineptè per iſtam alæ expanſionem putas remiſſionem peccatorum, & quidem abſque renouatione Spiritus intelligi? Etſi verò in illis paucis verbis quibus tibi reſpondi, illa Prophetæ verba, *Et texi fœditatem tuam*, non expreſſi, an conſequitur malitioſè fuiſſe à me diſſimulata, quum nihil prorſus vel contra meam ſententiam, vel pro te faciant? Adiicis poſtea,

Secundum quod hic pronuntiat Ezechiel, eſt coniugium factum inter Dominum & iſtam iuuenculam, cuius fœditatem veſte ſua texerat: quod coniugium ſanè ſit iſta ſpiritualis manducatio, inhabitatio, & incorporatio.

At tu dic, Illyrice, fidem eſſe iſtius ſpiritualis manducationis inſtrumentum non tuipſe confiteris? Atqui fide apprehenditur remiſſio peccatorum. In quo verò? nempe in Chriſto. Hoc enim eſt fidei obiectum, ſiue illud ipſum in quod fides fertur, non autem ipſa peccatorum remiſſio. Ergo fide apprehendatur ipſe Chriſtus oportet (de cauſarum ſerie & ordine loquor,) priuſquàm quod in ipſo eſt adipiſcamur. At fide Chriſtum apprehendere quid eſt aliud quàm Chriſtum ſpiritualiter manducare? vnde dicebat Auguſtinus, Crede & manducaſti: verbo Credendi non ipſum fidei donum ſed eius actionem deſignans. Qua fronte igitur audes remiſſionem peccatorum (vt illam tuam ineptiſſimam expoſitionem tibi concedam) ſpirituali manducationi præponere? Dicis præterea,

Illi verò incorporationi Propheta mox in illis verbis, Et laui te aquis, & mundaui ſanguinem tuum abs te, & vnxi te oleo, *lotionem renouationis, & ornamenta variorum donorum Spiritus ſancti adiungit.*

Scilicet hoc eſt rem acu tangere, ac non potiùs iſta mundatio oppoſita ſuperiori fœditati, declarat illam beneficentiam Dei qua populum ab illa ſeruitute & tot probris liberatum proſequutus eſt, tot támque illuſtribus beneficiis illum exornans vt exteris etiam populis admirationi fuerit. Itaque tum illa ſolennis promulgatio decalogi, tum illa tabernaculi & rituum ſacrorum magnificentia, tum politia planè admirabilis, tum denique ſtupenda illa miracula in deſerto & ipſa terra Canaan edita, iſtam ſuperioris turpitudinis expurgationem declarãt. Quod ſi etiam tibi concedam, quod non inuitus facio, hanc imaginem quodammodo ἀλληγορικῶς nobis competere, quos labe peccati ab ipſo exortu contaminatiſſimos non dubitat tamen pro bonitate ſingulari ſua ſibiipſi adiungere, gratis nos iuſtificans & ſanctificans, quid hoc te iuuat, nomen mundationis trahentem ad ſolam ſanctificationem, quum vel maximè remiſſionem peccatorum declaret? Nec enim propriè ſanctificationis in nobis duntaxat in hac vita incoatæ, ſed gratuitæ potius remiſſionis dono prorſus ἄμωμοι καὶ ἄσπιλοι in Chriſto ſplendemus.

Veniamus ad illa Iohannis verba cap. 14, 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus*, quæ quum ſic expoſuiſſet Illyricus ac ſi fidem primo loco ſtatueret Chriſtus in his verbis, *Sermonem meum ſeruabit*, deinde verò iuſtificationem credentis in his itidem verbis, *Pater meus diliget eum*, ac demùm cohabitationem Dei ac Filij eius cũ credẽte, in hac poſtrema parte, *Et veniemus, &c.* ex eo cõcludens incorporationem eſſe effectum iuſtificationis, ſiue priùs nos iuſtificari quàm Chriſti membra ſimus: age videamus ſigillatim quibus rationibus hanc ſuam expoſitionem tueatur.

Primùm ſum præfatus vt perſpicuitati ſtuderem quæ in iſtis præſertim diſputationibus omnino requiritur, ineptè illum vſurpare nomen Effectus pro eo quod Conſequens vocamus. Nec enim quicquid ex altero conſequitur, vt ex cauſa efficiente conſequitur. Audiamus quid reſpondeat.

Non eſt

Non eſt (inquit) *mei propoſiti ſingula mea verba tueri, aut negare me nuſquam impropriè loquutum. Sed tamen hoc affirmo, rectè poſſe dici Iuſtificationem eſſe cauſam omnium beneficiorum ſequentium. Nam Iuſtificatio eſt plena reconciliatio cum Deo, quæ nos facit ex hoſtibus filios Dei.*

Quoties hac in re pecces, homo & verborum & rerum plerunque ignarus, abſit vt vel noſſe ſtudeam, nedum vt ſigillatim obſeruem. Hic verò quum ipſa conſcientia conſtrictum teneri te oportuerit vt errorem corrigeres, quæ hæc pertinacia tua eſt? *Affirmo*, inquis, *iuſtificationem eſſe cauſam omnium ſequentium beneficiorum.* Quid autem vocas iuſtificationem? reconciliationem cum Deo. At ego quæro vnde tandem didiceris idem valere Iuſtificationem & Reconciliationem. Nam hoc certè non minùs eſt abſurdum quàm ſi dicerem reditionem in gratiam idem eſſe atque eius qui mecum in gratiam redierit liberalitatem. Hoc igitur diſcere te oportuit, Illyrice, antequã de iſtis myſteriis diſputares. Patris reconciliationem nobiſcum duobus modis conſiderari: vno quatenus per ἀνθρωποπαθῶς is qui antea nobis erat infenſiſsimus, ira depoſita, conſtituit noſtri miſereri, cuius beneuoli in nos affectus cauſa eſt obedientia Chriſti, qua Pater factus eſt nobis propitius: altero, quum ita erga nos beneuolè affectus, ſeſe verè ac re ipſa nobis reconciliat, condonans nobis peccata propter Filium fide apprehenſum. Neutro autem modo idem eſt Reconciliatio ac Iuſtificatio. Nam prioris ſignificationis habita ratione, reconciliatio nihil aliud quàm depoſitionem iræ, & propenſionem ad nobis benefaciendum propter illam Filii obedientiam declarat. Altero autẽ modo ſignificat illius, vt ita dicam, beneuolentiæ executionem, quando videlicet pro illa ſua gratuita beneuolentia nos iuſtificando, reipſa nobiſcum in gratiam redit, vt non minùs differat Reconciliatio à Iuſtificatione, quàm Solutio debiti vel Acceptilatio ab æris alieni liberatione: ſiue Soluiſſe vel Debiti remiſsionem accepiſſe, & creditori ampliùs obſtrictum non eſſe: ſiue alicui per te vel alium ſatisfeciſſe, & cum eo reipſa in gratiam rediiſſe. Deinde, quamuis Iuſtificationis nomẽ interdum generaliter accipiatur pro omnis illius Iuſtitiæ dono, quam à Patre in Chriſto accipimus, quum tamen non ignores diſtingui Iuſtificationem quæ tota eſt ex imputatione & alioqui extra nos, à ſanctificatione ſiue gratia nos innouante, & Iuſtitiam quam Inhærentem vocant in nobis efficiente, cur tandem iſta non diſtinguis, quum ad controuerſiam nobis propoſitam maximè pertineant? Præterea etiam ſi tibi largirer idem eſſe Iuſtificationem atque Reconciliationem, non eſſet tamen Iuſtificatio propriè cauſa beneficiorum conſequentium, ſed primarium tantùm beneficium cætera antegrediens. Poſtremò ſi Remiſsio peccatorum, eſt Iuſtificationis definitio, quod negare non auſis, an audebis dicere Remiſsionem peccatorum eſſe cauſam noſtræ regenerationis, quum ſit potiùs alterum beneficium ab eodem Patre reconciliato in nos collatum? Illud igitur delirium quum affirmas, quid aliud quàm ſtuporem ſummum, & indomitam peruicaciam tuam imprudens prodis & confirmas? Quid quòd iſta quoque adiicis perinde ac ſi illa demonſtrandæ tuæ inſaniæ non ſufficerent?

Quid pluribus, inquis, *opus eſt?* (ſanè opus non erat) *An non adoptio cauſa eſt omnium ſequentium beneficiorum & hæreditatis?* (Eſt ſanè. Niſi enim Pater vſque adeò nobis eſſet beneuolus redditus per Filium, vt nos etiam vellet in eo pro filiis cenſere, ſicut nos ab æterno in Filio elegit, nunquã donaretur nos fide & eius effectis.) *An non Spiritus donatus & inhabitans in nobis, vocatur Spiritus adoptionis aut filiationis, quia tantùm datur filiis Dei factis, & ideo etiam datur hominibus quia filij Dei ſunt facti?* Diſtinguo diuerſam Spiritus adoptionis conſiderationem. Aut enim eo Spiritus dono interueniente adoptamur, ita vt hoc donum nihil aliud ſit quàm fides ipſa oblatam in Chriſto adoptionem apprehendens: aut iam adoptati in adoptione confirmamur eiuſdem ſpiritus ac fidei teſtimonio. Nam duo hæc ſunt, Adoptari & de illa facta adoptione magis ac magis per eundem Spiritum certiorari. Neque verò nobis longè accerſenda eſt iſtorum probatio. Datum eſt nobis, inquit Iohannes, filios Dei fieri. per quem verò Spiritum, ſi nõ per Spiritum adoptionis, id eſt fidem in nobis creantis, qua promiſſionem adoptionis, ac multo magis eum apprehẽdamus in quo vno nobis vnito adoptamur? Et ne longiùs abeamus, agè iudicator ex ore tuo. Nam ſi non datur Spiritus adoptionis niſi filiis iam factis, ergo priùs fuerimus filii quàm adoptati. Nũ igitur ſumus Patri ὁμοούσιοι, vt ille non iam vnigenitus, ſed etiam ſecundùm deitatem primogenitus ſit inter multos fratres? Quæ hæc tua igitur inſania eſt? Sin verò tuipſe abſurdiſſima hæc eſſe agnoſcis, quid ſupereſt niſi vt quum antea nos adoptari oporteat & quidem per Spiritus donum, tute fatearis Spiritum adoptionis dupliciter conſiderari, nempe & quatenus eius dono, fide videlicet, adoptamur, & quatenus eam adoptionem in nobis idem Spiritus teſtificatur & confirmat? Deinde vide quomodo præterea teipſum cædas. An enim filius Dei eſſe poſsit, qui non ſit Chriſti membrum in quo fuerit adoptatus? an, inquam, qui adhuc extra Chriſtum eſt, ſiue in quo nondum eſt Chriſtus, ſiue qui cum Chriſto nondum coaluit, ſiue in quo Chriſtus nondum habitat, (hæc enim omnia idem pollent) filius Dei adoptiuus dici poteſt? Et tamen tu vis Chriſti inhabitationem eſſe effectum ſiue conſequens adoptionis: cuius dicti abſurditatem ſi non percipis, non eſt cur tecum pluribus quiſquam contendat. Audiamus tamen quid iſta veluti præfatus, de re ipſa ſentias.

De prima huius dicti parte, Si quis me diligit, dicit Beza, ſi ordo verborum exactè hic ſpectetur, ſequeretur aliquem priùs diligere Deum quàm ab eo diligatur. Reſpondeo ſicut non ſæpe ſolent verba Hebræa ſine definita ſignificatione temporis, non eſſe ſpectandum tempus præſens vel futurũ in verbo Diliget, quo ſignificatur verus cultus: vt ſit ſenſus, Si quis volet eſſe meus verus & ſyncerus cultor, ſiue, Quicunque vult eſſe verè ſtudioſus mei meiũ ſue ſectator, ſiue diſcipulus.

Ego verò tecum diſceptare nunc nolo de tuis infinitis fictitiis Hebraiſmis, neque de diſtinctio-

ne dilectionis & cultus Dei, imò concedo tibi dilectionem Dei eſſe diuini cultus veluti epitomen. Verùm hoc dico, ne ſic quidem te poſſe elabi, quin, ſi ordini verborum ita vt tu vis penitus inhæreamus, fateri cogaris, aliquem priùs velle eſſe cultorem Dei quàm à Patre diligatur, vnde conſequeretur ipſum Bene velle non proficiſci à Deo nos diligente, ſed contrà idcirco nos à Patre incipere diligi, quoniam nos comperit velle eſſe ſui ſtudioſos: quod dogma non ignoras Pelagianum eſſe, non Chriſtianum. Quòd ſi etiam, vt tu vis, per hæc verba Pater meus diliget eum, intelligamus iuſtificationem, quam tu rurſus vis præire inhabitationi & renouationi, duo etiam penè abſurda conſequentur, nempe priùs nos eſſe bona rectáque colendi Dei voluntate præditos quàm iuſtificemur, & priùs credere quàm mente renouemur. Erit igitur & bona voluntas & fides à nobis. Res autem ita ſe habet: Diſtinguit Dominus veros ſui cultores à falſis, docens veram ſui dilectionem patere ex mandatorum ſuorum obſeruatione, cuiuſmodi homines Pater & ipſe viciſſim magis ac magis diligent & amplectentur. Quorſum hæc autem, Illyrice, ad tua ſtabilienda deliria?

Secundò (inquis) *reprehendit Beza quòd per Cuſtodire ſermones, intelligam veram fidem. Vult enim ſic potiùs ſignificari obſeruationem mandatorum. Reſpondeo, Quis te, Beza, ferat tam audacter inuertentem verba Chriſti? Chriſtus dicit, Seruabit ſermones: Beza dicit, Obſeruabit mandata. Vide audaciam ſubita falſationis ac corruptionis verborum Chriſti.*

Mira ſanè falſatio & tantis clamoribus digna, quòd *Seruare* exponam *Obſeruare*, & *Sermones* interpreter *Mandata*. Et te prorſus inſanire negas?

Non eſt certum (inquis) *quòd hic agatur de fructibus charitatis, ſed manifeſtum eſt quòd praeſcribat veram viam & rationem agnoſcendi Deum & apprehendendi eius fauoris. Sic enim etiam Ioh. 17, dicuntur diſcipuli ſeruaſſe ſermonem Chriſti, qui tamen malè praecepta Dei obſeruauerant. Sic etiam hunc locum expoſuit Bucerus.*

Tibi quidem hoc certum non eſt, Illyrice, qui contrarium tibi perſuaſeris. Quem autem alium iſtius dicti interpretem audiemus potiùs quàm Chriſtum ipſum? Sic ille verò in eodem contextu. *Si diligitis me,* PRAECEPTA MEA SERVATE. *Ego autem rogabo patrem, & alium conſolatorem dabit vobis, vt maneat vobiſcum in aeternum.* Et mox, eandem ſententiam inculcans, *Qui tenet* PRAECEPTA MEA & SERVAT EA, *is ille eſt qui diligit me.* (Viden', Illyrice, ex obſeruatione mandatorum colligi dilectionem, vt ex fructibus arbor dignoſcitur?) *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & conſpicuum ei meipſum exhibebo.* Sequitur poſtea Iudæ interrogatio, ad quam vt intempeſtiuam non niſi obliquè reſpondens Chriſtus, diſcipulum reuocat ad id quod abſoluere non potuerat interpellatus, ideóque eandem ſententiam mutatis tantùm in poſteriore vocibus aliquibus repetit. Dixerat enim, *Qui ſeruat mandata mea, is eſt qui diligit me*: dicit in repetitione, *Si quis diligit me, ſermones meos ſeruabit.* Dixerat, *Diligetur à Patre meo*: dicit poſtea, *Pater meus diliget eum.* Dixerat, *Et ego diligam eum, & conſpicuum ei meipſum exhibebo*: dicit mox, *& ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus*, quibus verbis idem prorſus declaratur, quum illa manifeſtatio tota ſit Spiritus illius conſolatoris, magis ac magis ſeſe in eum inſinuantis qui Deo placere ex animo ſtudet. Hæc, inquam, eadem prorſus eſſe ac proinde non hîc agi de modo quo Chriſtus primùm apprehenditur, ſed de vero & falſo Dei amore diſcernendo, quem conſequatur donorum Dei incrementum, ſiue de dignoſcendis quos verè Deus amicos ducat, quis præter te, Illyrice, non perſe animaduerterit? Adiungamus tamen præterea ipſiuſmet Iohannis authoritatem. *Per hoc ſcimus* (inquit) *nos Deum noſſe ſi mandata eius obſeruamus. Qui dicit, Noui eum, & mandata eius non ſeruat, mendax eſt. Qui autem ſeruat eius ſermonem* (Viden', Illyrice, Seruare ſermonem & non ſeruare mandata opponi, ac proinde Sermonis nomine Mandata intelligi?) *verè charitas Dei in eo expleta eſt*, id eſt, is demùm verè & ita vt diligendus eſt, Deum diligit, ac viciſſim à Deo verè diligitur. Item, *Hac eſt charitas Dei, vt mandata eius ſeruemus.* Sed de hoc plus ſatis. *At enim* (inquis) *Seruare ſermonem, ſic ponitur Iohan. 17, id eſt, pro fide, non pro obſeruatione mandatorum. Siquidem diſcipuli malè obſeruauerant Dei pracepta.* Egregium ſanè argumentum. Malè, id eſt non ſatis rectè diſcipuli ſermonem ſui magiſtri obſeruarunt. Ergo non dicti ſunt obſeruaſſe magiſtri ſermonem. Quidni enim ſic quoque liceat abſurdiſſimè argumentari, puerili illo paralogiſmo ab eo quod dictum eſt πῇ, ad id quod ἁπλῶς dicitur? Malè crediderant diſcipuli (vt poſt ipſam reſurrectionem oſtenderunt.) Ergo dicendi non ſunt crediſſe. En quo iure tandem in hæc verba erumpas,

Vter veſtrûm ſit verè ineptus aut etiam malitioſus, hinc iudicet lector. Ego clarè oſtendi per Cuſtodire ſermones, non ſignificari Obſeruationem mandatorum ſed Fidem.

Iudicet ſanè quiuis, vt coram Deo & hominibus magis ac magis fœteas.

Sed Bucerus, inquis, *ita ſenſit.* Imò tu apertè ab illo diſſentis, quum obſeruationem mandatorum à fide non tantùm diſtinguis, ſed etiam ſeparas. Dicis enim expreſſis verbis obſeruationem mandatorum hîc non intelligi. Bucerus contrà vbique fidem & obſeruationem mandatorum ſentit ſignificari. Sic enim in paraphraſi, Iohan. 14. 15, *Si diligitis me, credite in me, agnoſcite me, & ita ſeduló iis qua vobis mandaui incumbite.* Et in annotationibus, *Monet in quo argumentum dare amoris erga ſe debeant, nempe vt ſtudioſè obſeruent qua ipſis mandauerat, hoc eſt, vt ipſi fortiter fidant, mundum contemnant, mutuam inter ſe dilectionem foueant.* Item in eiuſdem capitis verſ. 21, in hæc verba, Qui tenet mea præcepta, &c. *Redit Dominus ad commonendos diſcipulos, vt poſito mœrore potius curarent ſeſe mandatis ipſius accommodare, ſic probaturi ſe erga ipſum dilectione flagrare.* Viden', Illyrice, obſeruationem mandatorum ſtatui à Bucero hoc in loco pro teſtimonio dilectionis, non pro modo apprehendendi

bendẽdi fauoris Dei? Et ne clamites diuerſa hæc eſſe ab eo loco de cuius expoſitione à nobis nunc quæritur, agè manifeſtæ falſitatis hîc quoque te redarguo. Hæc eſt enim Buceri paraphraſis, *Vultis videri mei diſcipuli meique longè amantiſſimi?* (id eſt vultis vos mei amantes verè & reipſa oſtendere?) *Omnibus omiſſis date operam vt ſermones mei à vobis ſeruẽtur, id eſt, fide ſyncera percipiantur, VT EX ILLIS VIVERE TOTIS VIRIBVS STVDEATIS.* Hæc igitur poſtrema verba quibus illa ipſa mandatorum præſtatio ſiue obſeruatio ſyncera ponitur, quam tu vis tolli, quum ſciens prudens expunxeris, quomodo tandem falſi crimen effugies? Neque verò ego quum dicerem illa verba, SERVABIT ſermonem meum, rectiùs de ſancta vita quàm de fide intelligi, fidem excluſi, imò præſuppoſitam eſſe volui, quum fidei fructus ſit charitas. Sed hoc præterea affirmo, neque hîc ſpectari fidem quatenus apprehendit promiſsiones, ſed quatenus ex operibus elucet, neque de ſermonibus tunc primùm fide apprehendendis: ſed retinendis ne effluant iam apprehenſa, adeóque re ipſa præſtandis, hunc locum intelligendum. Subiicis præterea in hæc verba, Pater meus diligit eum.

Non admittit Beza vt ita ſignificetur gratuita iuſtificatio, nec tamẽ exponit quid per ea velit ſignificari.

Imò apertè dixi prolatis ſimilibus Scripturæ locis, ſignificari verbis illis beneficentiæ Dei progreſſum, ſuos à quibus ſeriò diligitur nunquã deſerentis, ac potiùs ſui conſolatoris Spiritus præſidio fulcientis, nouiſque donis quotidie illos cumulantis. Cæterùm ſic eram in te argumentatus, Docet Illyricus per hæc verba, Diliget eum Pater, ſignificari Iuſtificationem. Scribit autem Iohannes fore vt Pater diligat eum qui ſeruauerit mandata. Ergo ex doctrina Illyrici conſequitur, vt priùs aliquis ſeruet Dei mandata quàm fuerit à Deo dilectus aut iuſtificatus. At tu contrà,

Beza vult, non ego, per cuſtodiam ſermonis Dei, obſeruationem mandatorum intelligi: præterea vult dilectionem Dei erga nos, non de gratuita iuſtificatione, ſed de ipſa dilectione accipere. Ergo clarè facit hominem priùs ſeruare mandata quàm diligatur à Deo. Nam Chriſtus hîc clarè ex illa cuſtodia ſermonis deducit dilectionem Dei erga nos, quum dicit fore vt Deus nos propterea diligat.

Audi quid viciſsim reſpondeam. Aſſumpſeram quod quoniam abſque manifeſta inſania negari non poterat, conceſſurum te credideram, nempe hîc indicari à Domino ex quibus teſtimoniis dignoſcantur qui ipſum diligunt, ac proinde cum fide abs te coniungi ipſius fidei fructus, nempe mandatorum obſeruationem. Quum tu verò nunc perſpicuè dicas ſic fidem intelligi ſeorſum in illis verbis, vt obſeruatio mandatorum excludatur, fateor me in eo deceptum, quòd te non vſque adeò inſanire crediderim. Nam ex eo quod tu nunc arripis, ne mihi concedas quod te vltrò conceſſurũ crediderã, vide quid conſequatur. ponamus iſta verba, *Si quis me diligit*, idem valere atque, *quis conſtituit me verè colere*, & iſta, *Seruabit meum ſermonem*, idem pollere atque, *Credat mea doctrinæ*: & iſta denique, *Pater illum diliget*, idem ſignificare atque, *Pater meus illum iuſtificabit*, id eſt remittet illi peccata, an nõ efficietur, priùs ardere homines deſiderio colẽdi Dei, priùs credere, priùs iuſtificari, quàm renouari? Renouationem enim quam perpetuò confundis cum inhabitatione, contendis hæc omnia conſequi cauſarum ordine. Deinde quis tibi concedet, nomine dilectionis ſignificari iuſtificationem, & eam quidem à regenerationis beneficio diſtinctam? Illud autem abſurdum quod inquis meam interpretationem conſequi, quum non ignores calumnioſè abs te dici, vtqui, teipſo teſte, expreſſerim iſtam dilectionem intelligi non de initio, ſed de progreſſu beneuolentiæ Dei erga nos, & cauſam ἀπὸ ὑστέρου expreſſerim, quoniam videlicet neque eum diligeremus, neque ſermonem eius ſeruaremus, quocunque tandem modo id intelligas, niſi prior dilexiſſet nos, quomodo tandem euades calumniæ crimen, quum hæc mihi impingis? Sed negas hanc dilectionem Patris poſſe ad ipſius progreſſum referri. Ergo tuas rationes expendamus.

Beza, inquis, *vult euertere ſenſum genuinum huius pulcherrimi dicti, hoc perfugio, quòd loquatur de progreſſu gratiæ non de initio, ſed hoc non probat, nec vnquam probabit. Nam contrariũ ex eo elucet quòd Dominus non loquitur de ſolis ſuis Apoſtolis, ſed in genere de quibuſcunque mortalibus. Et hûc facit quæſtio Iudæ, quærentis cur ſe tantum ſuis Apoſtolis non etiam mundo patefacere velit, cui reſpondet Dominus, Imò ſum paratus me patefacere omnibus & omnes ſeruare. Cæterùm ſi quis vult per me ſeruari, is ſeruet hũc ordinem, &c. præterea etiam ſi Beza darem hîc agi de incrementis, non initiis gratiæ, nihil efficeret, quum conſtet omnibus piis, motus ſpirituales eodem ordine ſe ſubſequi in exercitiis fidei quo cœperunt initio in prima conuerſione.*

Ego verò quid potiùs ad illa duo priora reſponderim, quàm illud quod aliquando audiui in ſcholis aduerſus tui ſimiles dici, Baculus ſtat in angulo, Chriſtus autẽ natus eſt in Bethlehem, Ergo non licet ſacerdotibus vxores ducere. Nec te tui pudet, inepte? De poſtremo verò reſpondeo, præterquàm quòd id non per omnia nec perpetuò verum eſt, ſiquidem initio deſcẽdimus à cauſis ad effecta, in progreſſu verò ſæpe ab effectis ad cauſas aſcendimus, nihil hoc contra me facere, niſi hæc duo priùs probaueris, nempe hîc agi de conuerſionis cauſis, & quidẽ eo quem imaginaris ordine diſpoſitis. Vtrunque autem iſtorum, illud quidem vt non appoſitè dictum, (quoniam hîc non niſi de teſtimonio dilectionis, qua Deum proſequimur, & Dei in ſuis viciſsim diligendis ac fouendis diſſeritur) hoc autem vt falſum, atque adeò vt ridiculum pernegaui, & pernego. Sed ad poſtremum veniamus, cuius etiam potiſsimum cauſa totum hunc locum deprauaſti.

Poſtremò inquis, *reprehẽdit Beza quòd per hæc verba, Et veniemus, &c. intelligam inhabitationem Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Quid ergo aliud poſſunt hæc verba ſignificare? An vult illos ad nos venire, non autem in nobis habitare, ſed in aliquo fortaſsis ædium noſtrarum angulo?*

Egregium ſanè ſcomma, & arguto iſti ingenio planè conueniens. Sed ad rem: Dixi his verbis promitti gratiæ incrementum iis qui verè ſe Dei amantes eſſe reipſa, vera videlicet obedientia,

oſtēderint. Hinc iſte colligit, me negare hoc modo ſignificari Dei inhabitationem, & ſimul veneranda illa nomina Patris & Filij, & Spiritus ſancti nuncupat, quaſi videlicet anathemate quodam me percuſſurus. Atqui ipſemet inter cætera hoc ipſum in nobis oppugnat, quòd doceamus oportere nos in primis fieri Chriſti participes, Chriſtum induere, Chriſto vniri, inſeri, incorporari, radicari, antequam ipſius bonorum fiamus participes, quæ quidem bona Eccleſiæ toti communis reuocamus ad tria capita, nempe Iuſtificationem ex imputatione, Sanctificationem Spiritus, & vitæ futuræ Glorificationem.

Quæ igitur inter nos controuerſia eſt de huius loci interpretatione? Hæc videlicet, quòd iſtam cum Chriſto capite membrorum coniunctionem, quam etiam imperitè cum ſuis effectis inhabitationis & renouationis confundit, fidei & iuſtificationi poſtponit, quaſi videlicet ex his verbis VENIEMVS & MANSIONEM APVD EOS FACIEMVS, quæ futuri ſunt temporis, ſignificetur iſtius inhabitationis initium, ac non potiùs gratiæ & energiæ inhabitantis Dei progreſſus. Sic enim idem Chriſtus paulò antè quoque dixerat (quem locum antea quoque citaui:) Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego DILIGAM eum: ex quibus verbis, ſi quis colligat nos priùs diligere Deum quàm diligat nos Pater aut Filius, an non apertè conuinceretur ex alio iſto loco, Nō vos priores me dilexiſtis, ſed ego prior dilexi vos? Itaque neceſſe etiam eſt, vt illic quoque DILIGAM ad dilectionis progreſſum & incrementum non ad initium referatur. Similis eſt locus Eph. 3. 16, vbi precatur vt Chriſtus corroboret Epheſios per Spiritum ſuū in interiore homine, *vt*, inquit, *inhabitet per fidem in cordibus veſtris*, quæ verba neceſſariò intelliguntur de inhabitantis Chriſti ſubinde creſcente efficacitate, non de ipſius inhabitationis initio, id quod oſtendit corroborandi verbum. Sed & ineptè ab iſto confundi innouationem cum incorporatione, & inhabitationis gratia, ex eo cuiuis conſtare poteſt, quòd vbique iſtam ex illa tanquam ex conſequente antecedens, colligi Chriſtus docet, vt vnum & idem eſſe non poſsint. Ego ſum vitis, inquit, Vos autem palmites, &c. Et Iohannes loquens de innouatione vitæ, Per hoc ſcimus, inquit, nos in ipſo eſſe. Qui dicit ſe in eo habitare, debet ſicut & ipſe ambulauit, ambulare. Et, Quicunque exercet iuſtitiam, ex ipſo natus eſt. Et, Quicunque ex Deo natus eſt, peccatum non committit, quia SEMEN ipſius in eo manet, nec poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt. Et, Qui ſeruat eius mandata, in eo habitat, & ipſe in eo: & per hoc nouimus eum habitare in nobis, nempe ex Spiritu quem dedit nobis. Quod ſi excipiat Illyricus, hæc intelligenda de merè Spirituali apprehenſione & inhabitatione Chriſti, quam ipſe ab altera corporali diſcriminat, tum illi probandum fuerit, Chriſti Spiritum priùs in nobis eſſe efficacem, quàm Chriſtum in quo eſt, poſsideamus: & priùs iuſtos in Chriſto, quàm Chriſti membra facti ſimus: priùs denique nos cibo ali, quàm cibum ipſum verè ac re ipſa ſumpſerimus.

Citarat præterea Illyricus locum ex 2. Corin. 6. 17, vbi Apoſtolus aliquot Prophetarum locos in vnum veluti corpus compoſitos citat, deſignandæ puritati quæ filios Dei à filiis tenebrarum diſcriminat. Contrà verò exiſtimat Illyricus, his teſtimoniis ſuum delirium confirmari. Sic enim explicat locum Ezech. 37. quem etiam illic videtur Apoſtolus adumbraſſe. Dauid ſeruus meus erit princeps eorum in æternum. (*Sic*, inquit Illyricus, *primum indicat Meſſiam per quem velit ſeruare populum.*) Et ego percutiā cum eis fœdus pacis. (*In hoc fœdere includitur neceſſariò Iuſtificatio ſiue remiſſio peccatorum, iuxta illud Pauli, Iuſtificati ex fide pacem habemus.*) Atque ponam Sanctuarium meum in medio eorum in æternum, & erit habitatio mea in eis. *Poſtremò igitur loco Deus promittit inhabitationem in populo, poſito in eo ſuo tabernaculo.*

Hæc ille, cui reſpondeo Prophetam hîc non promittere liberationem, ſed promiſſa priùs liberatione, eam felicitatem deſcribere qua liberatos illos erat affecturus Dominus. Itaque primo loco dicit Dominus ſe fore illorum principem in Filio ſuo, videlicet illorum vindice & aſſertore, eſtque tacita antitheſis inter miſerrimam illam ſeruitutem qua ſeruierant Chaldæis, & illius libertatis ſuauitatem qua fruituri erant, Domino ſibi rurſum eos tanquam ſuos ſibi vindicante. Deinceps verò cuiuſmodi futura eſſet illa deſcribit, ea videlicet quam pactus erat cum patribus ipſorum ex antiqui fœderis legibus, veluti tunc iterum renouandis, quod illa ſuperiore veluti abdicatione videri poterat penitus abruptum. Itaque nomine pacis intelligitur plena in integrum reſtitutio, cuius duo inſignia teſtimonia exprimuntur, nempe ſeminis multiplicatio & Templi inſtauratio, quod vtrunque penè fieri nunquam poſſe videbatur. Hunc eſſe Prophetæ ſenſum vix exiſtimo dubitari poſſe ab iis qui locum ipſum inſpexerint. Quum autem hæc liberatio & conſequuta reſtitutio populi ſit verè noſtræ redemptionis typus, fateor hæc verè in Eccleſia Chriſtiana impleta fuiſſe, & in ſingulis eius membris quotidie impleri. Ergo quæ de principe Dauid dicuntur, Chriſti in ſuos omne illud imperium declarant, ac proinde vel illud imprimis quod in poſtremum locum ineptus iſte reiecit. Nec enim aliorum propriè princeps eſt Chriſtus, quàm eorum in quibus iuſtificatis & ſanctificatis per Spiritum ſuum regnat. Hinc omne benedictionum genus, ac præſertim pax illa conſcientiæ. Hinc denique illa mundi inſtauratio aduentu Euangelij, per eius prædicationem æternum in Eccleſia domiciliū fixit, iuxta illa ipſius verba, Vbi duo vel tres, &c. &, Ego ſum vobiſcum ad conſummationem vſque ſeculi. Quorſum igitur iſta Illyrice? Nam illud ſaltem meminiſſe oportuerat duo eſſe noui ſeu Euāgelici fœderis capita, Ierem. 31. nempe inſcriptionem Legis in corde, in his verbis, *Et inſcribam legem meam ipſorum cordi*, &c. & remiſſionem peccatorum, in his verbis, *Iniquitatum ipſorum non recordabor.* Cur igitur, Illyrice, in illis Prophetæ verbis nomine fœderis ſolam iuſtificationem intelligis: alteram autem partem à Propheta priore loco poſitā, partim à fœdere diſiūgis, partim etiam in poſtremum locum reiicis? Nūc videamus num rectiùs reliqua Pauli verba ex Eſaiæ 52, deſumpta interpreteris.

Verba Pauli ſunt ex Eſaia, Exite de medio eorum & ſeparemini, & impurum ne attigeritis, dicit Dominus. *(Sic declarat Dominus ſe velle vt ſeruandi ſeparent ſe ab impiis, quod fit per vocationem verbi, & contritionem, qua deteſtantur aliquo modo ſua ſcelera: & denique per fidem accurrunt ad gratiæ thronum.)* Et ego excipiam vos. *(Sic promittit Dominus ſe velle ipſos excipere, id eſt in gratiam ſuam admittere & iuſtificare.)* Et ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias. *(Sic promittit quòd velit cum eis habitare vt pater cum liberis in vno domicilio, eóſque ſpiritu adoptionis donare, qui in eorum corde clamet, Abba pater. Sic Paulus contra Bezam pronunciat.*

Imò ſic Illyricus ſeſe tunc quoque inſanire demõſtrat, quum aliquid veri ſuis commentis aſpergit. Monet Propheta ſacerdotes quaſi imminente exitu ex captiuitate, quam prædicit, vt meminerint ſe vocari ad ſanctitatem, ac proinde cuſtodiant ſe ab omnibus Babyloniorum inquinamẽtis, quod ſi fecerint Dominum eos excepturum, nec aliter habiturum, quàm Pater quiſpiam ſuos chariſſimos liberos. Quorſum autem hoc ad Illyrici delirium? Imò quid commodiùs aduerſus illum dici potuit? niſi fortaſſe fieri poſſe putat cum Pelagio, vt quis ſeſe ſeparet ab huius ſeculi inquinamentis, qui non ſit priùs innouationis Spiritu donatus: quem tamen Spiritum ſaltem oportuerat Illyricum meminiſſe ob hoc ipſum vocari ſanctificationis Spiritum. Et illud verò cuiuſmodi eſt, quòd ante acceptum adoptionis Spiritum, nos iuſtificatos dicit, qui tamen contendit adoptionis Spiritum dari iam filiis factis? quaſi ſcilicet υἱοθεσίας & adoptionis Spiritus, non ſint re ipſa vnum idémque donum. Itaque rurſus illud, *Ero illis in Patrem*, non initium, ſed fructum adeóque experientiam illius adoptionis declarat. ac ſi diceret, tunc demum fore vt ſe Patrem eſſe ſentiant, ac re ipſa experiantur, quòd antea quodammodo ipſos abdicaſſe videretur expoſitos hoſtium crudeliſſimorum libidini. Sed & illud non pigeat Illyricum diſcere, Apoſtolum compellantem non liberandos (vt olim Propheta,) ſed planè liberatos, ſic ad ſcopum ſibi propoſitum accommodare Prophetæ verba, vt vtatur argumento à comparatis, ac ſi diceret, Monuit Dominus ſuos ſacerdotes vt ſi vellent in integrum reſtitui, & re vera Deum ſibi propicium ſentire, cauerent à Chaldæorum ſordibus: quanto magis vos decet quos ille ſuo Spiritu ſanctificatos adoptauit, iſtam puritatẽ ſeruare, veſtri patris memores? Cæterùm quum eodẽ prorſus errore Illyricus citaſſet præterea locum illum ex 2. Timoth. 2, Siquis ſe ab his expurgauerit, erit vas Domino, Mundationis nomine remiſſionem peccatorum, Vaſis autem vocabulo, inhabitationem intelligens, quæſiui vnde ſit illa repurgatio niſi ex Chriſti inhabitantis Spiritu. Ipſe verò reſponſum diſſimulans, quod eludere nunquam poterit, ex quo videlicet neceſſariò efficitur mundationem eſſe inhabitationis effectum, ac proinde iſtam illi præire, reſpondet ſanguinem Chriſti emundare nos à peccatis, quaſi videlicet de re ſeu materia ipſa qua repurgamur, ac non potiùs de vera illam efficiente cauſa quæſierim. Quid igitur hac beſtia facias? Denique quoniam electos & ſanctificatos comparat Apoſtolus vaſis, id eſt inſtrumentis ad honeſtos vſus accommodatis, quærit viciſſim à me acutus iſte homo, qui vſus ſit vaſorum noſtrorum honoratiſſimus, an non, inquit, Dominum habere inhabitantem? Imò, Illyrice, Domini inhabitatio non eſt vſus vaſis, ſed hoc ipſum quod nos ad eos vſus aptat, quibus à Domino deſtinati ſumus: neque Vaſis nomen hîc & aliis plurimis locis declarat quippiam quo aliquid aliud contineatur, vt tu videris crediediſſe, ſed in genere id quod alio etiam vocabulo Inſtrumentum Latini vocant. Obieci quoque Illyrico iſtam contradictionem, quòd modò quidem dixerit creationem ad bona opera fieri per inhabitationem Chriſti, noſtrámque in eum incorporationem, modò verò ſcripſerit inhabitatione Chriſti in nobis & renouatione rem vnam & eandem ſignificari. Eſt autem hæc contradictio palpabilis, quum cauſa efficiens & effectum inter ſe comparata, vnum & idem eſſe non poſſint. Quid igitur reſpondet?

Non ſcripſi, inquit, *rem eandem ſignificari. Hoc verbum tuum eſt, Beza, non meum.*

IMO hæc tua verba ſunt, bona fide deſcripta, ex pagina tuarum demonſtrationum 37. *Iſta incorporatio* NIHIL ALIVD EST *quàm renouatio hominis.* Et ex pagina ſequente, *Non poteſt negari inhabitationem Chriſti in nobis, eſſe* IPSAM *hominis renouationem. Noſtri verò incorporatio in Chriſtum, vt ſiamus caro de carne eius, & os ex oſſibus eius, eſt* IDEM *cum ipſius in nobis inhabitatione.* Certè ſi incorporatio idem eſt atq; Chriſti inhabitatio, & inhabitatio eſt ipſa renouatio, ideóq; incorporatio nihil aliud eſt quàm renouatio, quæ ſingula tu diſertè expreſſè, totidémque verbis ſcripſiſti, nullam tibi iniuriam feci quum te ſcripſiſſe dixi, tribus illis vocibus vnam eandémque rem ſignificari, nec inficiari contradictionem potes, qui eodem penè periodo dixeris, renouationem fieri per inhabitationem Diuinitatis. Itaque alia ſubterfugia, ſed æquè vana captas.

Beza, inquis, *arrodens ſingulas voces, neque ad ſummam argumenti reſpondens, iuſtiùs argui poſſet inſcitia vel etiam malitia, qui non conſideret res iſtas, nempe inhabitationem Spiritus & regenerationem eſſe res myſticas, obſcuras, & inter ſe connexiſſimas.*

Inſcitiam quidem omnem præſtare non poſſe me fateor, Illyrice, vtqui meæ tenuitatis ſim mihi probè, Dei beneficio, conſcius: rectum autem & ſincerum inueniendæ ac tuendæ veritatis ſtudium, bona conſcientia teſtari poſſum, quod etiam æquos omnes lectores animaduerſuros ſpero. Res iſtas quas dicis, nobis ſuapte natura obſcuras eſſe vſqueadeò vt non niſi præeunte Domini Spiritu, à nobis animaduerti poſſint, extra controuerſiam eſt. Verùm quid hoc te ſubleuat? niſi fortè ignorantiam & audaciam illam tuam agnoſcere vis, & rei controuerſæ magnitudine ac difficultate excuſare. Myſticas autem illas eſſe quum dicis, hoc ſanè verbum tibi imprudenti veritas extorſit. de quo ſi ſatis attentè conſiderares, corporalem illam ſiue externam corporis Chriſti manducationem agnoſceres falſam eſſe, & à noſtra cum Chriſto incorporatio-

ne prorſus alienam. Qualis enim eſt modus manducationis corporis, talem quoque incorporationis modum, & tale alimentum inde hauriri neceſſe eſt, quum hæc in iſtis analogia penitus requiratur. Inter ſe quoque coniunctiſſimas illas eſſe tibi concedo, ſed quis tibi propterea vnas & eaſdem eſſe conceſſerit? Quid coniunctius eſt relatiuis Patris & Filii nominibus? an verò propterea excuſabitur Sabellius, qui eundem eſſe Patrem & Filium docuit? Quid amplius?

Nego (inquis) *me idcirco dici poſſe efficientem cauſam & effectum pro vno & eodem accipere, quòd dixerim creationem ad bona opera fieri per inhabitationem Spiritus, quum præpoſitio P E R declarare etiã poſſit cauſam formalem, quæ dat eſſe rei & ipſa res eſt.*

Ego verò, Illyrice, aliquid etiam amplius tibi largior, nempe omne penè cauſæ genus illa particula ſignificari. Verùm túne inhabitantem Spiritum negaueris eſſe verè efficientem noſtræ innouationis cauſam? Vtitur certè Apoſtolus verbo ἐνεργεῖν, de Spiritus donis loquens. Quòd ſi mauis inhabitantem Spiritum ab ipſa eius inhabitatione diſtinguere, ne hoc quidem modo tibi profuerit cauſæ formalis effugium. Præterquam enim quòd non ille, ſed potiùs mortificatio veteris hominis, & reſurrectio noui, eſt noſtræ renouationis cauſa formalis, quum agitur de cauſarum ad alicuius rei conſtitutionem concurrentium diſtinctione, neceſſe eſt formam ab eo quod informatur diſcernere. Quid amplius?

Dixi, inquis, *conditionem ſeu creationem ad bona opera fieri per inhabitationem Christi. Atqui condi ad bona opera, poteſt quiddam ſignificare poſterius quàm primùm renouari. Subinde enim ad diuerſa opera & officia condimur & idonei ſimus, vt Apoſtoli aliquatenus à Spiritu ſancto innouati ſunt ab initio conuerſionis, quibus tamen poſtea contigit conditio ad tantam functionem, quum eſſent induti virtute ex alto.*

VT ſeſe conatur anguis diuerſis gyris euoluere! Verùm quid ſi tanto arctiùs conſtringitur? Enimuerò, Illyrice, aliam eſſe cauſam inchoantis quàm augeſcentis Innouationis, vnde tandẽ probaueris? Imò tu ipſe, eandem vtriuſque cauſam exprimens, an non temetipſum rurſum redarguis? Niſi tibi fortaſſe Chriſti Spiritus, & Virtus ex alto, duo quædam diuerſa ſignificant. Sed nunquid etiam amplius?

Si quum dixiſſem, inquis, *Illuminatio mundi fit per ſolis præſentiam, aliquanto pòſt ſubieciſſem, Solis præſentia in hoc mundo eſt terrarum illuminatio, atqui is arguere me vellet contradictionis ac inſcitiæ, quanta ſophiſtica eſſet?*

IMO quanta hæc rurſum inſcitia eſt ac etiam impudentia? Illud vtrunque rectè & ſine contradictione dicitur, quoniam videlicet Illuminationis vocabulum accipitur tum pro eo quod illuſtrat, tum pro eo quod illuſtratur. Itaque idem eſt ſolis præſentia illuſtrari mundum, & ſolis præſentiam mundum illuſtrare. Tu verò ita ſcripſiſti, *Renouatio hominis fit per Chriſti inhabitationem.* Et mox, *Incorporatio* (idem autem eſt tibi Incorporari atque renouari) *idem eſt cum Chriſti in nobis inhabitatione.* quæ duo dico eſſe contradicentia, quoniam vtrobique Renouationis vox non niſi paſſiuè intelligi poteſt. Ergo ne ſic quidem elaberis. Sed num quid etiam amplius?

Reprehendi illud quoque, quòd Illyricus omnia ſuo more permiſcens, ſcripſiſſet Renouationẽ eſſe iuſtificationis effectum: & quæſiui num quicquid antecedit, putaret eſſe efficiẽs, aut quicquid conſequitur eſſe effectum. Quid iſte verò?

HOC etiam, inquit, *norunt ruſtici. Ego verò, vt tu ipſe deſcripſiſti, dixi, Renouatio hominis eſt vera effectus aut conſequens iuſtificationis. Cur tu igitur, Beza, in ſcholis non didiciſti coniunctionẽ AVT non copulare ſimilia, ſed diſſimilia diſiungere? An qui dicit, Quod cerno eſt bos aut equus, habet equum & bouem pro eadem re, vt quidquid ſit bos, ſit etiam equus? Obſecro, ſit poſthac modus in cauillando & calumniando.*

Bis in eadem iſta demonſtratione 23, ſcripſiſti totidem verbis, pagina 37, *Inhabitatio*, (quæ tibi eſt quoque innouatio) *iuſtificationis effectus eſt.* Tertio autem loco addidiſti, *Aut conſequens*, quod tertium quum præteritis duobus aliis deſcripſerim, res oſtendit quàm procul ab omni calumniãdi ſtudio abfuerim. Sed quod ad coniunctionem AVT attinet, quæſo, quum illius vſum noſſes, qui fit vt illo vbique abutaris? Dico enim nullam eſſe penè libelli tui periodum, in qua non appareant iſtius abuſus exempla, quem tamen vbique tuo deſcribens correxi. Ne longiùs abeam, tua hęc ſunt, *Inhabitatio Diuinitatis, aut Chriſti: Simpliciter aut in genere: Iuſtificatio aut reconciliatio: Sectator aut diſcipulus: Via aut ratio. Iuſtificatio aut remiſſio peccatorum:* in quibus omnibus AVT pro SEV A vſurpas, particula ſimilia copulante, nec aliter loqui conſueuiſti. Quid mirum eſt igitur me ex tuo more iſtam tuam ſententiam eſſe interpretatum? Deinde, vide quò refugias. Nam qui ſic loquitur, *Quod cerno, eſt bos aut equus*, vt incertus loquitur: niſi in aſſumptione alterum ponat, vt ſi ſubiicias. Eſt autem bos. Non eſt igitur equus. Téne verò de tantis rebus in incertum diſſerere oportuit? Nam ſi effectum non eſſe notas, quid neceſſe fuit effectum commemorare?

Tandẽ verò ſic me laceſſit Illyricus: *Peccata ſiue iniuſtitia nos diſiungit à Deo. Ergo iuſtificatio nos coniungit cum Deo, vt ipſe in nobis inhabitet, & nos in eo. Obſerua, lector, iſtud argumentum, quod vel ſolum iſtos redarguere, & inhabitationem iuſtificationi poſtponendam eſſe demonſtrare poſſet.*

Imò, Illyrice, non potuiſti inſaniam tuam apertiùs demonſtrare. Nam ſi coniunctum eſſe cum Deo eſt eum habere inhabitantem, & viciſſim in eo eſſe, quod inficiari non potes, quid abſurdius dici poſſit quàm nos iuſtificatione cõiungi cum Deo, vt cum Deo coniungamur: vel Deum iuſtificatione ſeſe coniungere nobiſcum, vt nobiſcum coniungatur? Et tamen hoc ipſum dicis. Res autem ita ſe habet: Sumus à Deo abalienati ac diſſociati peccatis noſtris. Cũ Deo igitur redimus in

gratiam,

gratiam, atque adeò conſociamur, iuſtitia in locum noſtrarum ſordium ſuccedente. Sed quánam iuſtitia? Chriſti nimirum vnius iuſtitia nobis imputata. Quemadmodum autem qui theſauro in crumena concluſo potiri vult, crumenam demum accipiendo theſaurum accipit, ita Chriſtum ipſum fide apprehendere, & nobiſipſis applicare oportet vt ipſius bonis ditemur, quorum præcipuum eſt iſta iuſtitiæ ſiue obedientiæ ipſius gratuita per fidem imputatio, quæ & iuſtificatio eſt. Etſi verò ſimul eodémque actu Chriſtum & iuſtitiam eius apprehendimus, cauſarum tamen ordine Chriſti apprehenſio, quæ eſt ipſius κοινωνία, tum iuſtificationis tum innouationis beneficium antecedit.

Præterea, quum dixiſſem id quod res eſt, nempe dummodo conſtaret oportere nos in primis fieri ipſius Chriſti participes, vt in eo iuſtificemur & ſanctificemur, non eſſe magnopere laborandum vtrum iſtorum duorum ordine præcedat, Illyricus Caluinum opponit, qui vno loco dicat ſimulatque iuſtificatur quiſpiam, neceſſariò innouationem quoque ſequi: altero verò doceat primum in regnum Dei, id eſt in Eccleſiam ſiue ſpiritualem vitam, ingreſſum eſſe, fieri nouum hominem, & hoc eſſe Chriſtianiſmi initium. Atqui priore loco Caluinus Tridentini Conciliabuli placita refellens, quibus iuſtificatio cum ſanctificationis dono confunditur, non de illorum duorum ordine ſiue ſerie, ſed connexione diſputat, ideóque dicit, ſi quis eſt iuſtificatus, innouationem quoque SEQVI, id eſt neceſſariò concludi, ſi quis eſt iuſtificatus, vt dicatur quoque ſanctificatus. Obſecro verò, ſi dicam, Si viuit quiſpiam, ſequitur vt ſit anima præditus: an inde rectè concludetur, quòd anima præditum eſſe faciam eſſe quiddam vita poſterius? Quòd autem in altero loco dicit Caluinus, innouationem eſſe Chriſtianiſmi initium, non eò ſpectat vt doceamur quo ordine fiamus Chriſtiani, ſiue inſeramur Chriſto, (quoniam alioqui extra Chriſtum apprehenſum adhuc poſiti iuſtificaremur & ſanctificaremur, quòd non minùs abſurdum eſt quàm ſi diceretur quiſpiam viuere priuſquam anima præditus eſſet.) ſed hoc agit vt oſtendat ex quo certo iudicio conſtare poſſit nos eſſe filios Dei factos, ſiue in Chriſto adoptatos nempe ex vitæ nouitate. Hoc igitur Illyricum fefellit, quòd pro effecto innouationis, vitæ videlicet nouitate, ipſum innouationis beneficium intellexit, quum tamen eo loco manifeſtè Caluinus id exprimat quod dixi.

Illyricus inter cæteros iſtius ſuæ demonſtrationis errores, præclaram illam Auguſtini ſententiam, Opera bona non præcedunt iuſtificandum, ſed iuſtificatum ſequuntur: eò detorſit, vt ex eo effici vellet priùs nos iuſtificari, quàm Chriſto incorporemur, quam incorporationem vbique cum inhabitatione & renouatione permiſcet. Hoc autem ego quum reprehendiſſem, & cauſam erroris oſtendiſſem, quòd videlicet non animaduerterit Illyricus, iuſtificationē ab Auguſtino poni pro regenerationis gratia, quod poſtea ſophiſtis perículoſiſſimi iſtius erroris quē nunc defendunt, occaſionem præbuit, quid reſpondet acutus iſte demonſtrator?

Auguſtinum, inquit, *vel vnica litera non nominaui.* nempe tuo illo more peruerſiſſimo, plagiarie, quo ſoles aliena interpolata pro tuis venditare. Iſtud verò quid ad rem attinet? *Citaui autem illam ſententiam*, inquis, *vero ſenſu, non ex ſophiſtarum ſententia.* Verùm vt hoc tibi largiar, neceſſe tamē fuerit Iuſtificationis nomine, renouationem quoque comprehendi, quum bona opera non ſint ipſum regenerationis beneficium, ſed eius effecta, ſiue fructus.

Illyricus denique ſic argumentatur. *Sic ſentiendum eſt vt Scriptura loquitur. Scriptura verò ſic loquitur, vt excludat inhabitationem ex modo ſeu medio iuſtificationis. Ergo ſentiendum eſt inhabitationem excludendam à medio iuſtificationis, contrà quam Oſiander, Caluinus & Beza tradunt. Aſſumptio verò probatur ex eo quòd Scriptura clamat, fidem non inhabitationem eſſe inſtrumentum apprehendendæ iuſtificationis.*

RESPONDI ad hoc argumentum verè vanum & elumbe, fidem non dici nos iuſtificare vt qualitatem. cuius ſolutionis vim quoniā ignorat Illyricus, idcirco pleniùs eam explicabo. Quum ipſamet fides non conſideretur vt qualitas, quando ei tribuitur iuſtificatio, concedo excludi quoque à iuſtificatione renouationem, tum quòd à renouatione pendeat fides, tum etiam quoniam nobis non inhæreat ipſa iuſtificationis vera cauſa, cuius ne inſtrumentum quidem habemus vt ex nobis. Ex hoc autem illud efficitur, ineptè Illyricum contendere de excluſione qualitatis innouationis à iuſtificatione, vt ſtatuatur fides, quum vtraque pari ratione excludatur. Alteram etiam ſolutionem adiunxi, in qua oſtendi vel inſcienter eum confundere inhabitationem Chriſti cum noſtri regeneratione, quum illa ſit Chriſti inhabitantis effectus: vel ridiculum eſſe ipſius argumentum, quoniam ſi Inhabitationis nomine intelligit vel inhabitantem Chriſtum, vel hoc ipſum quòd dignetur Chriſtus nos facere ſui participes, certum ſit tantum abeſſe vt eo quòd fides ſit inſtrumentum iuſtificationis excludatur illa inhabitatio, vt contrà non alio ſenſu dicatur fides iuſtificare, quàm quòd ſit apprehendendi, ſiue participandi ipſius Chriſti inſtrumentum. En quo iure me iſte dicat iſtud argumentum firmum ſcilicet ac ſolidum prorſus non attigiſſe, ſed ad materias peregrinas digreſſum declinaſſe. Audiamus etiam aliud ex eiuſdem planè ingenij penu depromptum.

Inhabitationem oportet aliquo loco eſſe in hominis conuerſione, aut (id eſt ſiue) *pietate. Atqui nemo dixerit illam antecedere fidem. Ergo illam ſequitur. Sed excluditur ex medio ſiue modo iuſtificationis,* (id eſt non ſtatuitur media inter fidem & iuſtificationem.) *Ergo ſequitur tum fidem tum iuſtificationem.*

EGO verò inhabitationem, ſiue, vt clariùs loquar, communicationem Chriſti ſeſe nobiſcum vnientis non aliquo tantùm, ſed etiam primario loco colloco, quum Chriſtus neminem niſi

cui ſeſe inſinuarit iuſtificet, ſanctificet, glorificet. Quòd autem illam Illyricus dicit fidem non antegredi, concedo de fidei primordiis: quæ iam diximus in Christo quidem donari (nihil enim aliunde haurimus) non tamen apprehenſo, ſed apprehendendo. Ergo, inquit, fidem ſequitur. Renouatio certè ſiue regeneratio, ſiue ſanctificatio noſtri in Chriſto fidem ſequitur, quum in Chriſto nonniſi apprehenſo regeneremur. Ergo, inquit, inhabitatio poſt iuſtificationem quoque collocanda eſt, vtpote quæ non ponatur media inter fidem & iuſtificationem. Reſpondeo rurſum, ſi Inhabitationis nomine Chriſti *κατ' οὐσίαν* intelligit, falſiſſimum id eſſe, quum fide non alio nomine iuſtificari dicamur, quàm quòd Chriſtum iuſtitiam noſtram nobis applicet & vniat. Sin verò inhabitationem cum innouatione, id eſt illius effectu, ſuo more confundit, ſimul nos & iuſtificari & renouari dico in Chriſto per fidem nobis vnito & applicato, neque hæc an illa ordine antegrediatur, tantillum laborandum cenſeo, quum vnam ſine altera nunquam recipiamus. Quid amplius?

Deus non habitat, inquit, *in impiis, ſed in iis quos ſibi in templa ſancta Filij ſui ſanguine mundauit Ergo inhabitatio ſuccedit iuſtificationi.*

Respondeo, Illyrice, Deum ipſa Filij ſui communicatione ſuos electos ſibi per Spiritum ſuum mundare, fide, vt inquit Petrus, purificatis cordibus eorum, quoniam fide Chriſtus apprehenſus, fit ſimul nobis iuſtitia & ſanctificatio. Vt ſi dicam, Solem non lucere in tenebris non conſequetur tamen ſolem priùs pellere tenebras, & poſtea lucere, quum ortu ſuo lucens tenebras depellat.

Ad xxiiii. Solvtionem, Apologia M. Illyrici, Cvm Defensione Th. Bezae.

Vetvs & rancida calũnia eſt, nos, quos iſti Sacramentarios vocant, accuſare, quaſi pro re Sacramenti ſola Chriſti merita, vel ſolam eius ſpiritualem virtutem, excluſa ipſius Chriſti vera communicatione, ſtatuamus: quam calumniam quum iſti inde arripuiſſent, quòd panem illum diceremus, vt & dicimus, non poſſe dici propriè eſſe ipſum corpus, ſeu ipſam rem ſignificatam, ſed metonymicè ſic vocari, Zuinglius quidem & OEcolampadius, quorum benedicta eſt corã Deo & omnibus bonis memoria, ſolidè illam calumnioſam obiectionem refutarunt, ſed ita vt ſurdis pleriſq; cecinerint. Eam ob cauſam Caluinus ille, quod ſine inuidia dictum ſit, inter ætatis noſtræ theologos eximius, plenè, ſolidè, apertè, rem totã explicauit: pro re Sacramenti corpus ipſum & ſanguinem Chriſti ſtatuens, quæ tamen non niſi ſpiritualiter ſola fide à Sacramentis excitata & adaucta participẽtur, idque non in alium vſum quàm vt ex eo omnia ad ſalutem noſtrã neceſſaria, alia quidem per imputationem, alia verò per intus agentem efficacitatem hauriamus. Sic perſpicuè diſtinguuntur inter ſe ſigna, res ſignificatæ, & vtrarúmque rerum fructus, in quibus poſita eſt omnis legitima de Sacramentis diſputatio. Hanc autem lucem tenebrio iſte cum ſua factione, quum neque percipiat, neque alios ſinat perſpicere, eandem nobis calumniam repoſuit, fabricatis interdũ quatuor manducationis generibus, vna videlicet phyſica, altera Sacramentali, tertia myſtica, quarta denique ſpirituali: interdum verò tribus, vt hoc loco, vna fructuaria, quam etiam vocat remiſſionis peccatorum, aut (id eſt ſiue) iuſtificationis per fidem, altera verò inhabitationis, aut (id eſt ſiue) incorporationis, tertia Sacramentali ſiue corporali, quæ, inquit, ſola ſupereſt ibi à Chriſto inſtituta, immemor ſeſe quatuor in ſua illa infideliſſima admonitione recenſuiſſe. Hæc autem portenta quid attinet pluribus apud homines aliquo ſenſu præditos refutare? certè non multo magis quàm Valentini *αἰῶνας*. Audiamus tamen quid iſte garriat, *Non dixi*, inquit, *Caluinum exploſiſſe ſimpliciter illam manducationem, quæ eſt remiſſio peccatorum, ſed tantum ex illis verbis Cœnæ, Accipite, Comedite, Hoc eſt corpus meum: exploſiſſe, & in ſecundam partem, nempe, Quod pro vobis datur: reieciſſe.* Enimuerò quæ hæc amentia, quæ inſania, quis furor eſt? primùm aliquam eſſe manducationem, quæ ſit aut vocetur Remiſſio peccatorum, quis præter iſtum inſaniſſimum hominem, vel vnquam ſomniauit, nedum vt dixerit aut ſcripſerit? Deinde quæcunque tandem ſit iſta manducatio, cui tandem niſi prorſus mente capto in mentem venit, vt diceret manducationem ad aliud verbum quàm verbum Accipite, Comedite, referendam? Neque enim aut iſtis verbis, Hoc eſt corpus meũ, aut iſtis, Quod pro vobis datur, præcipitur manducatio, ſed quænam manducanda præbeantur, & quo fructu manducentur, oſtenditur. Hæc quum non magis iſte furioſus intelligat quàm de quibus nunquam audiuit, adeò vt etiam eum non pudeat ſcribere nos confiteri manducationem illam corporis eſſe ſigillum ſiue pignus Sacramenti, quum è contrario & ſacramenta ipſa & eorum ritus ſint manducationis ſiue perceptionis illius ſigilla, num ego ita rurſum inſaniam, vt de iſtis rurſum cum eo contendendum arbitrer?

Ad xxv. Solvtionem, Apologia M. Illyrici, Cvm Defensione Th. Bezae.

Repetit refutata Illyricus, his verbis, *Caluinus aliàs dicit Sacramenta nos primùm ducere ad Chriſtum.* (Non dicit Caluinus primùm, ſed manu ducere.) *Hoc ſanè eſt effectus Sacramenti, qui tamen eſt extra ipſum ſacramentum. Eſto. poſtquam verò ſumus adducti ad Chriſtum, tum demum fide comedendus eſt. Itaque ex hac Caluini ſententia, iſta manducatio Chriſti eſt procul extra ipſam exiſtentiam, aut (vt ita dicam) extra corpus Sacramenti, inter remotiores eius effectus collocanda. ſicut dicit etiam Beza, Sacramenta in eum finem eſſe inſtituta vt Chriſto vniamur.* Fateor Sacramenta idcirco inſtituta, vt viſibilibus illis ſignis additis Verbo promiſſionis excitata fides, id quod præbetur non ori, ſed

intellectui (Chriſtũ videlicet) apprehendat, ſeu potiùs iam apprehenſum magis ac magis cũ ipſius donis in nobis obſignet. Hæc clara & perſpicua ſunt. Quid tu verò nobis hic garrias de propinquo vel remoto, & quid ſibi velit iſta exiſtentia ſiue iſtud corpus Sacramenti, neſcio an ſatis ipſemet intelligas, ego quidem aſſequi præ ſtupore meo non poſſum. Si manducationem pro actione ipſa manducandi accipis, ea certè non eſt effectus Sacramẽti, ſed eſt actio eius qui præcepto Chriſti paret. Sin verò vocem illam pro perceptione ſiue actionis ipſius effectu accipis, dico id propriè tribuendum Spiritui quidem vt veræ efficienti cauſæ, vt qui ſic agat per ſigna, vt tota vis applicationis ab ipſo pendeat: fidei verò vt inſtrumento per Spiritum efficaci, verbo denique & ſignis, vt fidem excitantibus, ſicut obiecta ſenſum mouent. Quorſum autem hæc ad tua ænigmata pertineant, videre me non poſſe vltrò profiteor.

Iterum Caluinus docet potione ſanguinis ſanciri hoc fœdus vt ſit efficax. (Id eſt perceptione & applicatione rei ita ſignificatæ, vt etiam verè detur, ſanciri & obſignari fœdus Dei in nobis, quia quum ſic confirmatior euadat fides, maior etiam eſt eius efficacitas, ac proinde eò arctiùs cum Chriſto coaleſcimus.) *Hoc ſanè eſt ſpiritualem iſtam manducationem ante omnem efficaciam ponere* (Non ante omnem, ſed ante eam quæ à Sacramentorum vſu pendet.) *Idem docet manducationem fidei,* (id eſt quòd per fidem Chriſto vniamur, tum in Verbo ſimplici, tum in Sacramentis) *eſſe vnum ex præcipuis Chriſti beneficiis, quæ poſtquam ad eum adducti ſumus percipimus.* (Et quis hoc negat?) *Palpáſne tam, Beza, quam illi contradictionem obiiciam?* Nequaquam, Illyrice, ſed tuam amentiam & inſaniam palpo. Nam ſubordinata non pugnant. Videamus tamẽ quid illud ſit quod paulò apertiùs in ipſa demonſtratione ſcripſiſti. *Palpabiliter, inquis, pugnat Caluinus ſecum dum iſtam manducationem Chriſti iam facit eſſentiam Sacramenti.* (Vbi verò tandem apud Caluinum hoc inuenies? Eſſentia Sacramentorum de quibus agimus, eſt vna terreſtris & ſignificans aliud, putà panis & vinum, altera cæleſtis & ſignificata, putà corpus & ſanguis Chriſti. Signis ſi libet etiam ritus Sacramentales adiicere, manducatio quoque duplex erit, vna ſignificans aliud, & oris ſiue externa, panis & vini, altera ſignificata & mentis ſeu fidei, ſpiritualis & interna, putà corporis & ſanguinis Domini.) *iam facit effectum ex eius efficacia prouenientem.* (Hoc eſt quod dixi te ludere in Manducationis voce, quæ modo ipſe manducandi actus per fidem intelligitur, modò id quod illa actione interueniente conſequimur, nempe Chriſti fide apprehenſi communicatio, quod qua ratione ſit & Spiritus & fidei & Sacramentorum effectum, paulò antè diximus) *iam facit eam nos deducere primum ad Chriſtum* (Inepte, non dicit Caluinus manducationẽ, ſed Sacramenta nos velut manuducere ad Chriſtum: & iſtud P R I M V M tuum eſt. Quomodo autem nos deducant ad Chriſtum Sacramenta eſt à nobis paulò antè explicatum.) *iam facit beneficium quod poſtquam ad Chriſtum adducti ſumus, ipſius interceſſione* (Rectiùs dixiſſes ipſius communicatione, ſiue in ipſo nobis ſpiritualiter per fidem communicato) *à Patre conſequimur.* (Inepte, manducatio non eſt illud beneficium, ſed beneficium illud eſt quòd fide Chriſtum omniáque in ipſo ſiue, vt loquitur Apoſtolus, cum ipſo nobis donata participemus.) *Longè enim aliud ſunt digitus & ſermo Baptiſtæ agnum Dei monſtrans, quæ ſunt* (id eſt teſte Illyrico, S I G N I F I C A N T) *Verbum & Sacramenta nos ad Chriſtum ducentia, aliud ipſa acceſſio, aut* (id eſt, ſiue) *fides ad agnum & per eum ad patrem, vel* (id eſt, ſiue) *thronum gratiæ: aliud denique beneficia quæ poſtquam ad hunc thronum acceſſi, per vel propter eum impetro à Deo Patre, quæ ſunt, iuſtificatio, Filij eius aut Spiritus ſancti inhabitatio ſeu renouatio, aut* (id eſt ſiue) *noſtri in eum (vt ita dicam) incorporatio, & denique vita æterna.* Ita prorſus Illyrice ex doctrinæ Veritate quam profitemur, differunt inter ſe Miniſter Verbi & Sacramentorum, ipſum Verbum & ſigna externa rem ſignificatam, verum illum agnum videlicet pro nobis immolatum, ipſis penè oculis demonſtrantia: Item Fides (Spiritus ſancti opus) in cordibus noſtris per Verbũ ſata, & tum Verbi tum Sacramentorum vſu excreſcens: Agnus denique ipſe nobis per illa commonſtratus & velut in manus traditus: ſpiritualis per fidem illius agni manducatio & alimentum vitæ inde hauſtum, nempe iuſtificatio imputata, & renouationis Spiritus, ac vita tandem æterna. De his autem ita ſemper ſenſimus, loquuti ſumus, ſcripſimus, &, vt ſpero, huic fidei immoriemur. In illis verò tuis, iſta excuſare non potes, quòd vel acceſsionem & fidem confundis, vel Iſtam illi nõ rectè poſtponis de cauſarum ſerie diſputans: quòd acceſsionem ad Chriſtum & thronum gratiæ ab ipſius communicatione, interiecta etiam iuſtificatione ſeiungis, quum acceſsio iſta ſit veriſsima & arctiſsima illius nobiſcum & noſtri cum illo conſociatio, atque adeò concorporatio: quòd denique iſtam incorporationem ipſi quoque iuſtificationi præeuntẽ cum renouatione confundis.

AD XXVI.

Hîc demum omnes ſuos neruos contendit Illyricus, vt celebrem illum locum Ioh. 6. in quo ſpiritualis manducatio carnis & ſanguinis Chriſti aſſeritur, nobis extorqueat: neque diſsimulat ſe neſcio quid ab aliis antea non animaduerſum, velut εὕρημα quoddam ſibi videri reperiſſe. Eſt autẽ illud in ſumma huiuſmodi, quod vix quatuordecim paginis abſoluit,

P R I M V M negat Chriſtum ibi de ſacra Cœna agere, vt, inquit, centies reſponſum eſt. Quaſi verò viciſsim noſtri millies non reſponderint, ſic ibi non agi de Cœna Domini, vt tamen de eo ipſo agatur quod poſtea in Cœna Domini, adiunctis viſibilibus panis & vini ſymbolis, ſancitum eſt, Id eſt de ipſius carnis & ipſius ſanguinis, qui verus eſt noſter ſpiritualis cibus ac potus, vera perceptione. Qui verò aliter ſentiunt, quid tandem afferunt? hoc vnum videlicet, quòd in illo Ioannis capite appellatione carnis & ſanguinis, non ipſæ res vt in Cœna Domini, ſed earum tantùm virtus & efficacia ſignificetur, quam & ipſi ſpiritualiter ſola fide percipi nobiſcum confitentur. Nam ſic

quoque ſcribit Illyricus demonſtratione 27. *Iohan. 6. quum dicitur, Caro mea eſt cibus, &c. neceſſe eſt intelligi de paſſione & merito beneficiiſque ex ſupplicio corporis & ſanguinis ipſius prouenientibus.* Sed hoc commentum de ſola efficacia abſque ſubiecto participatione, quid attinet pluribus refutare? Ipſe Chriſtus optimus ſuæ mentis interpres, antequam hæc diceret quæ iſti ad ſolam efficaciam detorquent, nempe, *Qui edit carnem meam, &c.* &, *Caro mea eſt cibus, &c.* dixerat, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt quam ego dabo pro mundi vita.*

An verò vel carnem hîc pro alio quàm pro ipſomet Chriſto, vel in proximo & cohærente ſermone Carnem aliter quàm in illo dicto fas erit accipere.

Itaqve concidit prorſus iſtorum interpretatio, quod etiam Patrum conſenſus confirmat, qui propterea hoc loco de Euchariſtia copioſiſsimè diſſerunt, minimè id quidem quaſi ſacramentalis eſus ibi præcipiatur, qui poſtea demum eſt inſtitutus, ſed quia, ſiue in ſolo Verbo ſiue in Sacramentis percipiatur Chriſtus, eadem res eſt, ipſe videlicet Chriſtus: & eadem quod ad rem ipſam attinet manducatio, nimirum ſpiritualis & per fidem, ſtatuitur. Ideóque ſæpe ſum miratus fieri potuiſſe vt in Sacramentaria inſtitutione explicanda, in qua conſtat figuratè pleraque dici, quoniam hæc eſt μυστηρίων natura, nonnulli omnia vt propriè dicta acciperent: contrà verò in ſimplici ſermone, non tantùm panis & manducandi & bibendi vocabula metaphoricè explicarent, in quibus tamen rectè ſentiunt: ſed etiam ipſa Carnis & Sanguinis Chriſti nomina tropicè pro ſola mortis efficacia interpretarentur, quod & falſum & abſurdum eſſe paulò antè ex ipſis Chriſti verbis declarauimus.

Apologia M. Illyrici.

Primùm hîc obſeruetur hyperbole Bezæ, qui dicit me illam demonſtrationem vix quatuordecim paginis abſoluiſſe, quum ſint tantùm ſex pagellæ, quod mendaciolū etſi per ſe leue eſt, tamen eſt indicium eius importunæ & impiæ rhetorices, qua (vt paſſim oſtendimus) non pudet cum ex muſca elephantum facere, & ex elephanto culicem, prout eius affectus ferunt, qua impia impoſtura in ſacris rebus tractandis eſt pernicioſiſſima. Et meritò tales ſophiſtæ vnà cum ſuis ſcriptis omnibus Chriſti amatoribus exoſi eſſe deberent.

Defensio Th. Bezae.

De meis in te ſcriptis non laboro, Illyrice, qui moleſtiam iſtam amentiæ tuæ refutandæ magno redimerem. Te verò qui malè agis, in lucem pertrahi nolle, quis tandem miretur? Sed illud ſanè mirandum eſt, te qui arithmeticen alibi tā bene calleas, audere me mendacii accuſare, cuius turpiſſe vel ab ipſis puerulis redargui poſſis. Inſpice, inquam, excuſas Vrſellis à Nicolao Henrico demonſtrationes tuas anno Domini 1565, & comperies tredecim paginas huic viceſimæ ſextæ tuæ demõſtrationi datas eſſe. Vter igitur reprehendendus? túne qui folia in paginas contrahis, an ego qui eo deceptus quòd tuæ illius demonſtrationis inſcriptio à 42. pagina incipiens in 55. deſinat, pro tredecim quatuordecim numeraui? Et hoc ſcilicet ad rem pertinet. Num tu igitur aliquid poſtea magis appoſitum?

Reſpondet (inquis) *Beza, etſi non agitur Ioh. 6, de ſacra Cœna, agi tamen de eadem corporis Domini manducatione, quod tamen ipſe non probat: nec probabit vnquam, ego verò ſic confuto,*

Sigillis hoc proprium eſt, vt ſint ſuo diplomati coniunctiſſima, illúdque propriè obſignent: ac proinde vbi agitur de alicuius Sacramenti pignore, ibi de eo ipſo Sacramento agitur.

At iſti teſtãtur ſpiritualem manducationem eſſe ſigillum ſacræ Cœnæ, & de illa ipſa manducatione ſpirituali hîc agi:

Ergo ibi agitur de Cœna. Sed hoc eſt falſiſſimum, Igitur & illorum antecedens eſt falſum, quòd videlicet de eadem fidei manducatione agatur in verbis, Accipite, Comedite, &c.

Vel,

Vbi non agitur de ſacra Cœna, non agitur de proprio eius ſigillo.

At Ioh. 6, non agitur de ſacra Cœna.

Ergo ibi quoque non agitur de proprio eius pignore.

Vel,

Ioh. 6, non agitur de ſigillo, pignore ſeu confirmatione ſacræ Cœnæ:

Ergo non agitur de eadem manducatione corporis Domini, de qua in ſacra Cœna, quam manducationem dicunt Caluinus & Beza eſſe ſigillum, pignus, confirmationem, & id quo fœdus illud ſanciatur.

Reſpondeo idque non quatuordecim paginis, ſed paucis.

Primùm omnium planè falſum ac fictitium eſt quod tu mihi tribuis, agi videlicet Ioh. 6, de eadem manducatione corporis Domini atque in ipſa inſtitutione Cœnæ. Mea hæc verba ſunt, *Sic non agitur Ioh. 6, de Cœna Domini, vt tamen de eo ipſo agatur quod poſtea in Cœna Domini, adiunctis viſibilibus panis & vini ſymbolis ſancitum eſt, id eſt de ipſius carnis & ipſius ſanguinis, qui verus eſt noſter ſpiritualis cibus ac potus, perceptione.* Item, *Propterea patres ſummo conſenſu in Ioh. 6, de Euchariſtia copioſiſſimè diſſerunt, minimè id quidem quaſi ſacramentalis eſus ibi præcipiatur, qui poſtea demum eſt inſtitutus, ſed quia ſiue in ſolo verbo, ſiue in Sacramētis percipiatur Chriſtus, eadē res eſt, ipſe videlicet Chriſtus & eadē (QVOD AD REM IPSAM ATTINET) manducatio, nimirū ſpiritualis & per fidē ſtatuitur.* Ex his autem verbis hæc duo potes colligere, vnum, de eiuſdem Chriſti manducatione vtrobique diſſeri: alterum, ſiue in verbo nudo ſiue in Sacramentis proponatur edendus Chriſtus,

non

non niſi fide percipi. Quod autem inde colligis vnum & eundem igitur manducationis modum à nobis ſtatui, tum eum qui merè ſit ſpiritualis, (quum videlicet in ſolo verbo Chriſtus offertur & apprehenditur) tum eum qui ſacramentalis eſt, id eſt qui ſic eſt ſpiritualis quod ad rem ipſam nempe Chriſtum ipſum attinet, vt tamen præter Verbum alia quoque accedant, putà Sacramēta, & altera manducatio, externa videlicet, quibus fides efficaciùs tum permoueatur, tum etiam agat: quum, inquam ſic colligis, non modò conuinceris falſum dicere, ſed etiam prorſus inſanire, ſiquidem apertè diſtinguo ſacramentalem eſum à merè & penitus ſpirituali, quanuis res ipſa eadem vtrobique ſpiritualiter ſumatur.

Deinde vt ad tua illa quæ tantopere iactas argumenta ſemel reſpondeam, quid eſt iſtud, quæſo, monſtri quod pignus, ſigillum confirmationem Sacramenti vocas? Nam ego quidem Sacramenta inuenio dici fœderis *σφραγῖδας*, pignora, teſſeras, & quicquid eiuſmodi voles. Cuius autem rei? nempe noſtræ cum Chriſto *κοινωνίας*, vt diſertè loquitur Apoſtolus. At tu cōminiſceris neſcio quæ ipſorum Sacramentorum ſigilla, id eſt Sacramentorum Sacramenta, ſic ſanè garriens futiliter, vt quid ſentias ne ipſe quidem intelligere videaris. Nam quòd dicis ſpiritualem manducationem à nobis ſtatui pro ſigillo Sacramenti, vbi nos tandem iſtud vel ſomniaſſe comperies? Hoc tu quidē comperies, ſpirituali ſumptione rerum per Sacramēta ſignificatarum præſtari nobis Chriſti *κοινω-νίαν*, ac proinde nouum fœdus in nobis magis ac magis ratum fieri. Inuenies & illud accedente ſignorum externa manducatione fidem noſtram & eius effecta in nobis obſignari. Sed quorſum hoc ad tua illa Sacramentorum ſigilla? Poſtremò quid prohibet me agere de eo quod diplomate quodā continetur, nulla etiā ſigilli appenſi habita ratione? Nec enim dubium eſt quin nuda ſtipulatio legitima valeat, ac multo etiam magis quæ publico inſtrumento teſtata fuerit, etiam priuſquam appoſito ſigillo muniatur. Nec enim apponitur ſigillum vt fortiùs quiſpiam obligetur, ſed vt de inſtrumenti fide ac proinde de pactis conuentis minùs dubitari poſsit. Apage igitur & delirum Illyricum, & delira ipſius commenta.

Dixi mirum ac penè incredibile videri poſſe, Illyricum qui nulla de re nobiſcum in controuerſia Cœnæ magis contendat quàm de ipſiuſmet carnis Chriſti reali præſentia & externa oris ipſius manducatione, ſiue pii ſiue impii ad Cœnam accedant, tamen in explicando capite ſexto Iohannis ſolius efficaciæ mortis Chriſti, excluſo ipſo ſubiecto, id eſt ipſomet Chriſto, participationem ſtatuere, quum tamen ibi Chriſtus expreſſè ipſius carnis ſuæ manducandæ quam traditurus erat, & ipſiuſmet ſanguinis potandi quem effuſurus erat, mentionē fecerit. Quid autē reſpōdet Illyricus?

Beza, inquit, eos reprehendit qui docent carnem Chriſti eatenus nos alere & nobis fieri panem quatenus eſt pro nobis paſſa & vult carnem Chriſti eatenus nobis vitam dare quatenus ipſa ſubſtantia ſua nos paſcat.

Imò, Illyrice, quid rurſum eſt calumniari ſi hoc non eſt? An non tu ipſe antea Caluinum citaſti ſcribentem carnem crucifixam niſi ſit etiam comeſa (ſpiritualiter videlicet per fidem ſiue in Verbo ſimplici ſiue in Sacramento) nobis nihil prodeſſe? Duplex igitur hæc tua calumnia eſt, vna quòd dicis eos à nobis reprehendi qui Chriſti carnem docent nos alere quatenus eſt paſſa: altera quòd alteram partem de illa crucifixa comedenda prætermittis. Carnem enim Chriſti idcirco nobis eſſe viuificam quoniam pro nobis conſecrandis ſemel eſt oblata, adeòque ſacrificii ſui odorem viuificum in nos diffundit, quis Chriſtianus vnquam eſt inficiatus? Sed hoc adiicimus, oportere nos ipſius Chriſti per fidem fieri participes, (quæ participatio nomine eſus & potus tranſlatitiè declaratur, quum animus propriè nec comedat nec bibat) vt inde vitam æternam hauriamus. At vultis, inquit iſte, nos ipſa carnis Chriſti ſubſtantia paſci. quaſi verò ſimul nō exponamus quo ſenſu hoc à nobis dicatur, nempè non quòd vlla realis commixtio, aut transfuſio ipſarum ſubſtantiarum fiat, (quum corpus quidem Chriſti ſit nunc in cælis & non alibi, nos verò in terris & non alibi: & ille ſemper ſuum illud corpus quantumuis glorificatum habeat à noſtro diſtinctum & infinito penè interuallo ſeiunctum) ſed quòd ipſemet (hoc enim intelligitur ſubſtantiæ nomine) vſqueadeo verè nobis credentibus ſpiritualiter donetur, vt nulla ſit naturalis cibi arctior aut ad tuendam vitā efficacior aſſimulatio, quàm hæc ſit Chriſti & fideliū ſpiritualis *κοινωνία*, vt inde vitæ æternæ ſuccū hauriamus. Vti verò nos Subſtantiæ voce veſtræ, Illyrice, calumniæ cogunt, qui ſolā energiam Chriſti à nobis pro re Sacramenti ſtatui tot iam annos, & corporis appellationem in Chimæram transformari clamitatis. Et quæſo, quæ hæc eſt impudentia, nihil æquè vrgere atque hoc vnum, illam ipſam carnem traditam pro nobis ore ipſo corporis præſentem realiter, corporaliter, ſubſtantialiter à quibuſuis panem illum ſumentibus comedi, & illum ipſum ſanguinem ſimiliter bibi: & tamen eos oppugnare qui dicant oportere nos priùs ipſiuſmet Chriſti fieri participes quàm ipſius dona participemus? Expendamus autem quibus hic argumentis vtaris.

Chriſtus, inquis, *adiiciens, Panis quem ego dabo, caro mea eſt: facit tranſitum à ſua perſona ad carnem* (ridiculè. Imò quòd vocarat panem tranſlatè, nunc propriè declarat carnis nomine, ſeipſum deſignans:) *& quum addit, Quam ego dabo pro mundi vita, non vult diſtinguere hanc ſuam carnem ab aliis carnibus, quaſi plures habeat veras ſuas carnes, aut hanc ſit daturus, non alias*, (illud concedo. Cur enim diſtingueretur quod eſt ſingulare? ſed iſtud falſiſſimum eſt. Res enim ipſa clamat Chriſtum opponere victimarum carnes ſuæ ipſius carnis oblationi futuræ, Iam tum innuens ſe fore ſacerdotem ſimul & hoſtiam:) *ſed huc reſpicit vt declaret quomodo dicat ſe ſiue carnem ſuam eſſe panem viuificum, quia hæc caro patietur pro mundi vita, id eſt redimet homines à morte, & acquiret eis iuſtitiam imputatiuā qua vita cauſa eſt.* Illud concedimus, ſed an quia non niſi paſſa viuificat, ideo non oportet ipſam à nobis mãducari, vt viuificet? obſecro, an quia nō niſi hoc vel illo modo præparatus cibus nos alit, cōſequetur ad obtinendā eius cibi alimoniam non requiri neceſſariò vt eoipſo veſcamur? Vides

autem vbique ſeruari à Chriſto in hoc ſermone, cæleſtis & terreni cibi analogiam, quanuis illum iſto longè præſtantiorem faciat, eo quod vitam non iſtam ad tempus proroget, & quidem calamitoſiſsimam, ſed alteram illam beatam ac ſempiternam inſpiret. Deinde quorſum iuſtitiam imputatam prætetita ſanctificatione commemoras? Conſecratus enim eſt ſua morte & æternæ ſalutis cauſa factus ſalutis author æternus ille Pontifex nobis non tantùm iuſtificandis, verùm etiam ſanctificandis, ſicut ipſemet ad mortem properans teſtatus eſt, quum diceret, Pro iis ſanctifico meipſum, vt & ipſi ſanctificentur. Etſi enim ſanctificatione in nobis inchoata non ſeruamur vt cauſa, ſalus tamen nonniſi ſanctificatis datur. Quid amplius?

Non eſt, inquit, *ſcriptum, Subſtantia eius ſanati ſumus aut viuificati, ſed liuore aut* (id eſt ſiue) *plaga.* Sed cuius rei tandem ſi non carnis iſtius liuore? an non verò etiam ſanguine ipſius dicimur purgati? Sanguinis verò nomen tibi, meritum ne mortis, aut mortem, aut potiùs ipſum in morte profuſum ſanguinem declarat? & quis te ferat, ex eo quòd (exempli cauſa) dicant medici, rhabarbari vi ſanari slioſos morbos, concludentem re ipſa igitur non eſſe ſumendum rhabarbarum? Enimuerò ſi ſufficit ad ſalutis energiam quòd Chriſti caro data ſit, id eſt Patri oblata pro nobis, quorſum ille ipſe nobis quotidie tum in verbo ſimplici, tum in Sacramētis fide ſumendus præbetur? Induimur Chriſto vt eius iuſtitia abluamur: commorimur, conſepelimur, conreſurgimus cum Chriſto, vt peccato mortui, Deo viuamus: ſimus os ex oſsibus eius, vt ipſe & nos vnum ſimus. Ergo & vt illa ab iſtis diuerſa ſint, adeóque illa iſtis præeant neceſſe eſt: & ſic oportet etiam nos ipſi viti inſeri vt eius ſucco nutriti fructificemus.

DIXI quid patres mouerit vt ſummo conſenſu in locum iſtum Iohannis de Cœna Domini diſſererent, nempe quoniam quanuis diſtinctus ſit ſacramentalis eſus à merè ſpirituali quod ad formam attinet, idem tamen cibus ſpiritualiter manducandus tum in Verbo ſimplici tum in Sacramentis detur, quid contrà Illyricus?

Hinc etiam nonnulli, inquit, *infantibus dandam Euchariſtiam probare voluerunt. Ergo patrum intempeſtiua declamatio nihil veritati præiudicare debet.*

Oſtendat igitur Illyricus, intempeſtiuam eſſe, & illi aſſentiar. Neque enim ſi illud dogma malè ex hoc loco nonnulli inuexerunt, idcirco alienum fuit de Cœna eo ipſo loco diſſerere. Quid amplius?

Citat Auguſtinum, cui Caluinus aſſentitur, hæc verba, Niſi manducaueritis carnem, &c. figuratè intelligentem de paſsionis comeſtione ſiue apprehenſione, quòd alioqui videretur Dominus flagitium & facinus iubere.

Imò Auguſtinus ſic præcipuè dicit communicandum paſsioni Domini, vt addat eos demum cōmunicare paſsioni qui carnis vulneratæ memoriam in animis retinent, ſatis innuens fidem Sacramentis expergefieri, vt renouata paſsionis memoria eò efficaciùs & caro & paſsionis eius meritum apprehendatur. Caluinus autem corpus à paſsione, & panem à vita quā inſpirat apertè diſtinguit. Sed quis hîc te non videat præuaricari, Illyrice, adeóque tibi ipſi laqueum nectere? Nam ſi facinus & flagitium eſt carnem humanam ore ipſo vorare & ſanguinem bibere, quî fit vt Cyclopicam iſtā lanienam tueri te nihil pudeat? Nam ſiue in ſimplici verbo ſiue Sacramentis adhibitis, ſiue ſolida deuoratione, vt vult Heshuſius, ſiue dentium attritione interueniente, vt vult Nicolaus Paps cui Lutherus etiam, ἀνθρωποφαγικῶς, vt opinor, aſſentitur, ſiue viſibiliter ſiue inuiſibiliter, ore tamen fiat, vnum idémque ſemper facinus & flagitium fuerit, ac proinde Cyclopum eſt τὸ ῥητὸν abſque vllo tropo in illis verbis vrgere. Venio ad particulam QVOMODO, de qua ſic antea reſpondi:

Putauit Illyricus neſcio quid acutius hîc ſibi excogitandum. vult enim Capernaitas his verbis, *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* de modo manducationis non percontari, ſed illud quod dixerat Chriſtus, iſtiuſmodi genere dicendi vt ἀδύνατον repudiare: ac proinde Chriſtum quoque non de modo comedendi diſſerere, vt qui de eo non eſſet interrogatus, ſed tantùm doctrinæ ſuæ, quam illi vt falſam & abſurdam reiiciebant, veritatem iterum atque iterum inculcare.

HAEC ille, in eo quidem rectè ſentiens, quòd Capernaitas arbitratur non quo ſenſu vel modo intelligendum eſſet quod Chriſtus dicebat quæſiuiſſe, vt ij ſolent qui quod ſibi dicitur approbantes, tamen de ipſius modo & ratione percontantur, ſed potiùs Chriſti ſermones vt penitus abſurdos reieciſſe. Sed in eo planè aberrat à vero, quòd non conſideret hac particula QVOMODO, quæ eſt admirantis aut potiùs auerſantis, ſignificari etiam cauſam quæ Capernaitas impulerit vt Chriſti verbis non aſſentirentur.

Quoniam enim vt propriè dicta accipiebant quæ metaphoricè à Chriſto dicebantur (tranſlatione videlicet illa vulgari à CORPORE ad animum facta) idcircò ſtatuebant abſurdiſsimum eſſe Chriſti dictum, ac proinde fieri non poſſe vt ipſe ſuam carnem eis vorandam præberet, adeò vt tanquam abſurdiſsima loquentem alii deriſerint, alii etiam deſeruerint. Chriſtus igitur vt huic malo occurreret poſtquam eandem doctrinam inculcaſſet, duo reſpondit: vnum, inre ſeſe carni ſuæ viuificandi robur tribuere, vtpote quæ diuina virtute ſit perfuſa, quod eſſet aliquando perſpicuè demonſtraturus, quum depoſita omni infirmitate, propter quam ab eis tunc deſpiciebatur, ad Patrem ſuum apud quem erat ab æterno Deus, eam euexiſſet: alterum, ineptè eos facere qui corporali & craſſo modo manducationem illam acciperent, quæ eſſet ſpiritualiter intelligenda, quum ipſe non de hac vita nec de cibo & potu ad hanc vitam pertinentibus, ſed de ſpirituali & æterna vita diſſereret.

HAEC ego tibi ad duas iſtas argutiolas reſpōdeo, nec recuſo quominus ſit penca omnes aliquo

in Scri-

in Scripturis iudicio præditos homines de illis rebus iudicium.

Aſſenſus eram igitur Capernaitas his verbis, *Quomodo poteſt iſte nobis dare carnem ſuam manducandam*, non interrogare de modo illius manducandæ, ſed tum auerſari dictum illud Chriſti cui non credebant, tum etiam ſimul oſtendere cur non crederent, quoniam videlicet perabſurdum atque adeò ἀδύνατον eis videbatur illud Chriſti dictũ. Neque verò malè iudicabant, ſi fuiſſet eo ſenſu à Chriſto prolatum quo ipſi arbitrabantur. Itaque Chriſtus poſtea cogitationibus illorum à corporali intelligentia ad ſpiritualem reuocatis, & ita ſublata incredulitatis ipſorum cauſa, eos demùm docet vnde vis illa æternam vitam tribuendi, ſuæ carnis eſum conſequeretur. Hoc ferre nõ poteſt Illyricus, quod etiam ſophiſticum effugium vocat.

Nam, inquit, *Incredulitas Capernaitarum non tantum præceſſerat, ſed etiam tum ipſorum tum Domini verbis fuerat patefacta longè ante auditum hoc paradoxum.*

O mirificum noſtri demonſtratoris acumen! quaſi verò qui præcedẽtibus Chriſti ſermonibus & factis non crediderant, non potuerint etiam iis quæ poſtea dixit, fidem ſimiliter abrogare, & qui de priore incredulitate ipſos reprehenderat, non potuerit etiam de poſteriore coarguere.

Imò, inquis, *iſtud Quomodo non iudicat cauſam incredulitatis illorum.* (quòd videlicet illa manducatio videretur eis iã abſurda vt etiam ἀδύνατον eſſe iudicarent) *ſed captarunt occaſionem qualemcumque calumniandi ſanam Domini doctrinam vt perditiſſimi ſolent.*

Id eſt planè vt tu, Illyrice, omnium hominum maximè conſueuiſti. Sed quam tandem affers iſtius coniecturæ rationem?

Nam, inquis, *Dominus antea ſatis eorum incredulitatem aperuerat quum diceret neminem poſſe ad ſe venire niſi à Patre traheretur.*

Scilicet, quia niſi Pater nos trahat non poſſumus ad Filium venire, ideo rebellio hominum nõ erit cauſa cur ad Filium non veniamus: & quia naſcitur ex originali prauitate incredulitas, homines ex hoc vel illo dicto malè intellecto non concipient animo non credendi cauſas. Sed quid pluribus hîc opus? Non dicunt Capernaitæ, *Quomodo dabit iſte nobis, &c.* ſed, *Quomodo poteſt iſte nobis dare, &c.* Et negabis clarè & perſpicuè ipſos illã afferre incredulitatis ſuæ cauſam? Nec te, Illyrice, tui ipſius pudet? Imò vt te tanto magis tui pudeat, verba ipſa vltima tuæ demonſtrationis adſcribã.

Sic ſcribis pag. 45. *In hoc dicto etiam illud adiunctum POTEST diligenter conſideretur. Quum enim dicunt, Quomodo poteſt, perinde eſt ac ſi dicerent, plane abſurda & impoſſibilia dicis ac doces. Quis enim ſolet ac poteſt dare ſemetipſum edendum? Igitur ſtultus eſt qui in eum credit.*

Hæc verò ſi vera ſunt, vti ſanè ſunt, cur alium quàm teipſum ad illius tuæ apologiæ refutationem quæramus? En verò aliud etiam eiuſdem vel audaciſsimæ impudentiæ, vel extremæ amentiæ teſtimonium ex tuiipſius penu depromamus.

Si Chriſtus, inquis, *negaſſet eos debere comedere carnem, ſed dixiſſet eos tantùm oportuiſſe percipere fide ſpirituales eius fructus aut beneficia, vt iſti volunt, ſublata tanta abſurditate fuiſſent Chriſto aſſenſi, & cum eo porrò permanſiſſent*

Obſecro verò quis hic ſtupor, quis furor, aut potiùs quæ impudentia eſt? Paulò antè nos grauiſsimè vexaſti, quòd non contenti fructu paſsionis, ipſam quoque carnem diceremus comedi oportere. At tu nos vt errantes eo nomine (falsò tamen) nunc reprehendis, quaſi fructuum ſpiritualium apprehenſione contenti carnem ipſam comedi non concedamus.

Quid plura? ſuſcipit tandem etiam Illyricus illud Chriſti dictum explicandum, Caro nõ prodeſt quicquam, &c. idque plane ἐν αἰνίγμασι.

Verba iſta, inquit, *prorſus nihil de modo edendæ carnis ſonant.*

Scilicet credemus vltro illi ſuæ ipſius amentiæ tam aperto demonſtratori. Quid ergo, inquies? nonne tu ipſe aliter interpretaris? Ego verò quod abſque vlla aliorum doctiſſimorum & verè piorum Eccleſiæ Dei doctorum reprehenſione dictum ſit, hæc verba Caro nihil prodeſt, Spiritus is eſt qui viuificat, exiſtimo ad edendæ carnis modum non niſi ex conſequenti pertinere. Sic enim eò tẽdit Chriſtus vt confirmet quæ de ſuæ illius in æternum viuificæ carnis virtute diſſeruerat, vt interim patefaciat eorum errorem qui eius ſermonis falſa quam conceperant interpretatione decepti ab eo diſceſſerant. Itaque huius reſpõſi ſeriem ab his poſterioribus verbis incipit, *Verba quæ loquor Spiritus & vita ſunt*, id eſt, Memineritis primùm ea quæ de pane, carne, eſu & potu dixi ad aliud vitæ genus quàm iſtud temporarium & caducum referri oportere. Addit deinde (à quo tamen incœperat, vt moris eſt interdum in connectendis rationibus à prima ad cæteras, interdum ab vltima ad priores progredi) *Spiritus is eſt qui viuificat*, &c. quibus verbis meo iudicio declarat, ſe non immeritò carni illi ſuæ tribuiſſe ſpiritualis æternæque vitæ tribuendæ vim, quoniam non eſſet vulgaris aliqua caro quæ nihil ad vitam illam ſpiritualem facit, ſed diuina virtute prædita caro, caro videlicet Dei, σωματικῶς (vt poſtea dixit apertiùs Apoſtolus) in ea habitantis. Sic igitur manifeſtè repudiari carnalem illam ſiue externam carnis mãducationem rectè dixit ſymmyſta fraterque mihi ad hũc diem chariſsimus Caſpar Oleuianus, quem tu nominandum tuo more voluiſti, vbi te exiſtimaſti ex ipſius inſectatione laudem nanciſci poſſe, ego verò appello, vt hoc etiam noſtro inter ipſa conſenſu conuincaris. Nam alioqui vnius alicuius loci interpretationes diuerſas, imò etiam interdum contrarias adferri poſſe, dummodo omnes cum fidei analogia cõſentiant, arbitror quidẽ ego bona conſcientia licere. Tu verò, acutiſſime Theologe, quid tandem affers noui, vt non tam Illyricus quàm ex ipſa vſque Africa videri poſſis aduenisse?

Ea vox, inquis, *non de Chriſti, ſed de noſtra carne accipienda eſt, id eſt de carnali noſtra natura cui ſpiritualem ſiue renatam & Spiritum ſanctum opponit.* Sic tibi quidem videtur, Illyrice, mihi verò nequaquam,

tum ob alias cauſas, tum verò quia pro eo quòd damnari ſolet caro vt regno Dei & Spiritui penitus repugnans, diluta admodum ſententia fuerit, negare eam quicquam prodeſſe, quum nihil æquè ſit noxium. Sed de his alibi pluribus.

AD XXVII.

HIC quoque Illyricus ſua φυλακτήρια expandit quantum poteſt: in ſumma verò multis paginis inculcat articulum τὸ toties in ſacra illa inſtitutione repetitum minimè negligendum eſſe, cuius nimirum ea ſit vis vt ſignificet dari non corpus myſticum, quod eſt Eccleſia: non corporis duntaxat efficaciam: ſed ipſum ILLVD corpus quod traditum eſt in mortem pro nobis, & ILLVM ipſum ſanguinem effuſum pro nobis.

RESPONDEO Illyricum vel inſignem calumniatorem, vel ſummè obliuioſum diſputatorem rurſus hic deprehendi. Quoties enim à noſtris reſponſum eſt, non conſtitui à nobis plura vnius Chriſti eſſentialia corpora, & in primis veri illius ſiue corporis ſiue ipſiuſmet Chriſti communicationem à nobis poni, cuius præcipuè ſanciendæ cauſa ſit tota hæc actio inſtituta? De hoc igitur, Illyrice, ſiue quid in Cœna detur, ſiue quæ ſit res Sacramenti, inter nos non quæritur niſi à rixoſis & contentioſis, qui Eccleſiarum diſſidiis ſatiari non poſſunt. Sed hoc quæritur, an manibus, an ore, an corporali &, vt tu ipſe loqueris, craſſa manducatione à quibuſuis credentibus ſumatur, comedatur, bibatur quod nunc glorioſum eſt ſupra cælos & nuſquam alibi, propter veri corporis modũ, quam tuam ſententiam, vt craſſam, ineptam, & in veritatem carnis Chriſti blaſphemam, non poſſumus non repudiare: an verò Chriſtus verus homo nunc ſupra cælos ſecundùm carnem manens, ſeſe tamen ſpiritualiter in Cœna omnibus quidẽ accedentibus offerat, ſicut & verbo & adhibitis ſymbolis promittit ac teſtatur, ſed à ſolis fidelibus (quoniam ſola fide apprehenditur) ſpiritualiter per fidem illic ſumatur, vt & illum & omnia ipſius bona poſſideant, id quod ex verbo Dei, perpetuóque Eccleſiæ conſenſu ſecundùm fidei analogiam & Sacramentorum naturam docemus.

ERGO, vt paucis abſoluam, abſit vt articulorum vim quoties retinenda eſt, tollamus & quod ad me attinet, habeo quod tibi reſpondeam cur in his verbis τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου & τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου articulum non expreſſerim: illa verò ἡ καινὴ διαθήκη, conuerterim Nouum illud teſtamentum, quoniã videlicet in iſtis verbis diſcernitur nouum illud promiſſum fœdus à vetere quod abolebatur, in illis autem nullus fuit diſcriminis locus, quoniam non niſi vnum eſt Chriſti corpus. Nam quod excipis tripliciter hanc corporis Chriſti vocem accipi, præterquam quòd à te (vt mox oſtendam) non ſatis rectè explicatur, nullo modo huic loco conuenit. Illud enim quod ſubiicitur, nempe τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον ſatis declarat de alio quàm de naturali corpore hîc non agi. Deinde quum ad alterum nempe ad ſanguinem ventum eſt, vides nullum tuæ illi diſtinctioni locum relinqui, quum Eccleſia myſticus ſanguis Chriſti non dicatur. Facis autem, Illyrice, quod homines indocti ſolent. Legiſti magnam interdum vim eſſe articulorum, quod ego quidem quibuſcunque potui, locis, pro iudicii mei modulo, & in mea Interpretatione & in Annotationibus bona conſcientia obſeruaui. Tu verò temere hoc arripiens ſine delectu valere exiſtimaſti, quum tamen propter adiunctas illas determinationes τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, & ἐκχυνόμενον, minimè ſit neceſſarium in Latino ſermone articulos illos, niſi fortaſſe ſignificandæ dignitatis cauſa, retinere. Nam ſi quidem placet propriam articulorum naturam in his verbis obſeruari, vide quò te ipſum præcipites. Ita enim fiet vt non eũ ſanguinem quem nunc glorificatum recepit in reſurrectione Dominus, nec qui fortè intra corpus crucifixum remanſit, ſed eum ipſum duntaxat quem ex ſuis vulneribus effudit, & tunc diſcipulis præbitum, & nunc nobis præberi doceas: à Nicodemo ſcilicet vel alio quopiam collectum, cuius etiam naturales aliquot guttas Papiſtæ apud ſe teſtantur aſſeruari. Quid tu verò ad iſta dices? nimirum hæc eſſe curioſa & profana. Ego verò etiam addo falſa eſſe. Sed hûc nos adigi dico tua illa corporali & craſſa manducatione, & inepta, in vi articulorum explicanda, Grammatica.

IAM autem accedo ad tuum illud triplex Chriſti corpus. *Vis enim corpus Chriſti interdum naturale illud ſignificare pro nobis aſſumptum: interdum autem myſticum illud vbi ipſe Chriſtus ſit caput, ſinguli autem pij membra: interdum autem paſſionis meritum & beneficia ſic etiam vocari.*

NOS in prima ſignificatione tibi aſſentimur. In altera conuenit quoq; inter nos in re ipſa, ſed in eius explicatione tibi nõ omni ex parte aſſentior. Eccleſiã enim lego interdũ (1. Cor. 12, 12) à capite ſuo quod Chriſtus eſt, Chriſtum vocari: ſed hac ratione Eccleſia non corpus myſticum, ſed Chriſtus myſticus appellãda fuerit. Quum autem Eccleſia myſticum Chriſti corpus vocatur res ipſa oſtendit caput à corpore ſiue membris cohærentibus diſtingui, ac proinde in hoc dicendi genere corporis nomine Chriſtum, qui ſit caput huius myſtici corporis, non ſignificari. Quomodo enim corpus eſſet Chriſti, ſi Chriſtus eſſet ipſius corporis pars? quod παρέργως placuit annotare, vt aliam tuam calumniam refellam qua comminiſceris corpus Chriſti naturale, à nobis in illud myſticum transformari, quando noſtri cum Chriſto coniunctionem dicimus illa Sacramentali manducatione ſanciri. Tertiam denique tuã illam ſignificationem carnis & ſanguinis Chriſti tu videris quomodo poſſis ex Scripturis demonſtrare. Sed quod maximè dictum oportuit, à te prætermiſſum fuiſſe dicimus, quoddam etiam eſſe Chriſti corpus Sacramentale, id eſt Sacramentaliter acceptum, quum alioqui, quod ad rem ipſam attinet, ſit illud ipſum naturale. Nec enim ignoras hoc & ſcriptum & explicatum eſſe ab Auguſtino in epiſtola ad Bonifacium millies à noſtris citata, & nihil eſſe apud ſacros ſcriptores iſta ſignificatione vſitatius: niſi fortaſſis exiſtimas corpus ipſum Chriſti naturale frangi, dentibus atteri, in terram cadere, palpari, videri, confici, conſumi, quæ omnia corpori Sacramentali, ſiue quatenus Sacramentaliter ſignificatur, id eſt non ſui ſed ſymbolorum reſpectu, apud eruditam vetuſtatem tribuuntur. Sed de his ſanè nimiùm multa.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

Vrſi in hac demonſtratione articuli prædicato adiúcti vim τὸ σῶμα, τὸ αἷμα, Illud corpus, ille Sanguis meus, quod Beza non admittit, mihi inſcitiam obyciens. Atqui Vvetus ita diſertè ſentit in libro ille prolixo de Sacramentis Geneuæ apud. Rob. Stephanum excuſo.

DEFENSIO TH. BEZAE.

Non dixi exprimi articulum non poſſe, ſi cui ſic liberet, ſed dignitatis tantùm gratia, non autē vt corpus illud ab altero quopiam diſtinguatur, quod vnú ſpectaſti in tua demonſtratione. Et rationē addidi, quoniam proximè ſubiuncta determinatio QVOD pro vobis traditur, &, Qui pro vobis effunditur, ſatis perſpicuè explicat de quo corpore agatur, vt articulo diſcriminis cauſa non ſit opus. quam rationem iſte ſic refutat:

Non eſt, inquit, *rarum aliquid eximium & illuſtre pluribus modis determinare. Sic conuertit Beza, Ecce agnus ille Dei, quamuis ſubnciatur, Qui tollit peccata mundi, & annotauit hunc agnum diſcerni hoc articulo à ceremonialibus victimis.*

Non nego quin pluribus modis aliquid interdum diſtingui oporteat, ne vnum pro altero accipiatur. Sed hoc factum hîc oportuiſſe tibi oſtendendum fuit. Exemplum autem quod profers contra te facit. Nam illa determinatio, Qui tollit, &c. non ſatis erat expreſſa, quum ceremoniales etiā hoſtiæ peccata ſuo modo dicerentur expiare.

Sic conuertit Ecce Filius ille meus dilectus, adiiciens ſic oportuiſſe fieri, vt hic naturalis filius ab aliis qui ſunt adoptiui diſcernatur, quamuis epitheton Dilectus, &c. ſit pro determinatione.

Quorſum hoc quoque, Illyrice, niſi priùs oſtenderis hîc quoque non ſatis alioqui expreſsè corpus & ſanguinem illum determinata videri?

Ad ea porrò quæ de triplici ſignificatione corporis ſcripſerat Illyricus, quoniam ſic reſpondi vt non habeat quod regerat, tamen ne quid noſtrum admittere videatur, irridet quartam ſignificationem vocis corporis, ſacramentaliter nimirū acceptæ. Sed tam mihi facilè eſt eius ſardonios riſus ridere, quàm ipſi difficilè eſt veritatis lucem obſcurare.

AD XXVIII.

SVPERIORE demonſtratione Illyricus (quandoquidem ſua commenta ſic vocat) ne quid ad ſummam audaciam deeſſet, non dubitauit fœdum illud & à ſanioribus etiā Papiſtis impugnatū commentum ex impuris Scoti lacunis hauſtum, de indiuiduo vago & identica propoſitione nobis propinare. Sic enim diſertè ſcribit.

QVONIAM, inquit, *articulus prædicato adiicitur, omnino videtur identicam prædicationem efficere, quòd res ſubiecti ſit ipſamet res prædicati, ea nempe ratione quam prolixius in fideli admonitione expoſui.*

EGO verò, Illyrice, tuam illam admonitionem nondum nanciſci potui, quæ tamen quàm ſit fidelis, ex iſtis quas vocas demonſtrationibus ſatis liquet. Placet tamen expendere quibus coloribus ridiculam iſtam laruam depinxeris.

ADDITVR, inquis, articulus prædicato, ergo eſt identica propoſitio. Vbi verò huiuſmodi dialecticen didiciſti? Ipſe Paulus qui τοῦτο τὸ ποτήριον dicit eſſe ἡ καινὴ διαθήκη, an dicit ſiue poculum ſiue id quod poculo continebatur & nouum Teſtamentum, vnum quiddam, & idem eſſe?

NON eſt maioris momenti Grammatica regula quam tradis, *Poſt pronomen demonſtratiuum ſemper repeti articulum, & addi ei rei quam pronomine demonſtrare volumus.* Vt enim poſsis hanc regulā applicare, dicendum fuerit, τοῦτο τὸ αἷμά ἐστι αἷμά μου. Si mihi non credis, crede Grammaticis quorum regulas neſcio an in Græcis teneas, certè in Latinis plerunque negligis.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

Hic ſaltem nimis clarè oſtendit Beza quàm ſit præceps in damnandis noſtris ſcriptis, quum dixerim me hîc obiter duntaxat mentionem feciſſe identicæ demonſtrationis, quam pluribus expoſui in admonitione mea fideli: quam quum non legerit, vociferatur me Scoti identicam prædicationem eccleſiæ obtrudere.

De tuis ſomniis quicquid blaterare tibi ſingulis Francfurdienſibus nundinis libuit aut poſthac libebit, Illyrice, ſi nobis legendum arbitraris, clamarem ſanè potiùs, Mitte me in latumias. Quis enim iſtas quiſquilias verſare, quis iſtas ſordes contrectare diutius ſuſtineat? vt me quidem magnopere vel huius in tuis redarguendis ineptiis operæ conſumptæ pœniteat. At iniquū fuerit, inquies, quod non intellexeris reprehēdere. Fuerit ſanè. Videamus ergo an quod refello ſatis intellexerim.

Illyricus regularum (non minùs quàm demonſtrationum) planè irregularis artifex quum definiuiſſet identicam eſſe propoſitionem quoties pronomen demonſtratiuum additur ſubiecto & articulus prædicato vt in hac enūtiatione τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, fuit a me refutatus hoc altero exemplo, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη, ad quod ipſe ſic reſpondet.

Certum eſt enim qui ſic loquatur, Hoc vas eſt vinum, acetum, oleum, Hæc pixis eſt piper, Zinziber, crocus, animo reſpicere contentum nulla prorſus habita ratione vaſis, adeò vt tales locutiones propter perpetuam conſuetudinem & ſummam neceſſitatem quoniam illud contentum nec monſtrari propriè poteſt, nec etiam exiſtere, dari aut ſeruari per ſe, potius pro propriis haberi debeant quàm pro figuratis.

Ecce igitur rurſus nobis ab iſto fabricatore binas nouas & adhuc ex fornace calentes regulas, Vnā, Qui duo nominatim demonſtret quorū vnū altero continetur, ad ſolū contentū reſpicere. Alterā, Figuratè dicta quæ vſitata fuerint non eſſe amplius habenda pro figuratis. Quod ad priorē attinet, cui ſanè mentis homini perſuaſerit Illyricus, eū qui duas res diſtinctè nominet ac demonſtret, etiam ſi in vnam præcipuè animum defigat, tamen neque de duabus cogitare, neque duas indicare? En quò recidant inanes iſtius captiunculæ quas regularum ſpecie ſolet imperitis venditare. Imò vt ſeriò ipſum loqui penè exiſtimare poſsis, audet etiam rationes aliquas ſuis nugis

roje

obtendere. Hoc fit, inquit, propter perpetuam conſuetudinem, & ſummam ſic loquendi neceſsitatem, quaſi videlicet ſeorſum prætęritóque continente non poſsint aut nunquam ſoleant res contentæ demonſtrari. An verò quia conſueuit Illyricus perpetuò mentiri & calumniari, idque neceſſariò ſibi faciendum putat, hîc quoque regulam ipſius probabimus? De poſteriore vero regula quid potiùs dixerim, quàm id de quo ſatis quoque conſtat, Vſum videlicet ſic dominari figuratè dictis, vt faciliùs quidem intelligantur, interea verò non magis euadere κυριόλεκτα quàm pictura quæpiam propter antiquitatem poteſt in rem ipſam cuius pictura eſt tranſmutari? Itaque velint nolint troporum hoſtes, tropus tam ſemper tropus eſt, quàm ipſi in veritate oppugnanda ſunt ſui ſimiles. Sed age videamus quomodo ad ſuos illos canonas exigat hoc ipſum de quo à nobis quæritur.

Sic igitur, inquit, *& in Verbis Cœnæ quum legitur Hoc poculum, debet intelligi ipſa potio, nempe vinum & ſanguis, nulla penitus habita ratione aut reſpectu poculi ac vini. Illa verò potio cum adiunctis reuera ſunt Sacramentum ſicut etiam ipſi declamitant, Sacramenta eſſe ſigna. Duplex enim eſt demonſtratio vt poſtea ex Bucero intelligemus, vna ad ſenſum, altera ad intellectum. Illa ad intellectum, propria eſt. Monſtrat enim non poculum ſed potionem ipſam. Rectiſſimè ergo ac propriiſſimè dicitur illam potionem elementa ſiue ſigna cum adiunctis eſſe illud nouum fœdus ſiue teſtamentum.*

HAEC tua ſunt, Illyrice, prorſus ad verbum exſcripta, ex quibus niſi vel ipſis pueris deridendū te totúmque dogma propines, non recuſo omnium hominum maximè inſanus haberi.

Debet, inquis, *his verbis Hoc poculum, intelligi, Hæc potio.* Nempe non κατὰ τὸ ῥητὸν, ſed per Synecdochen, ſi ex animo dicis ſententiam Buceri à te deſcriptam cum tua congruere. Iam ergo mendax toties eſſe deprehenderis, quoties niſi τὸ ῥητὸν in verbis Cœnæ retineatur actum eſſe de religione Chriſtiana apud imperitos declamitas. Sed audi aliud etiam multo apertius & inſcitiæ & impudentiæ teſtimonium. Túne poteris ſynecdochen in his verbis Hoc poculum defendere, ſi nulla poculi habeatur ratio? Cur enim in hac demonſtratione duobus his vocabulis conſtante cenſeri poſsit ſynecdoche, niſi eò quòd ſolo continentis vaſis nomine contentum quoque coniunctum intelligitur? Duo igitur fatearis neceſſe eſt demonſtrari, nempe poculum & potionem. Ergo non ſolam potionem. Neque verò tu ignorare potes abſurdas illas ſimilitudines canthari vino pleni. Sed vt demus ſolam potionem ita ſignificari, ac proinde nullum eſſe Synecdoches tropum, quænam age eſt iſta potio? *Vinum*, inquis, *& ſanguis.* Rectè id quidem, ſi adiiceres illud ſenſui, iſtum intellectui demonſtrari. Sed ſi ita eſt, an non poſtea inſanus deprehenderis, qui eius immemor quod eâdem periodo ſcripſeras, nempe potionem illam quæ hîc intelligitur comprehendere Vinum & Sanguinem, mox ſubiicias nulla habita neque poculi neque vini ratione potionem illic intelligi? Vtrunque enim verum eſſe non magis poteſt, quàm facere id quod facis, & virum bonum eſſe. Quod autem ſubiicis duplicem eſſe demonſtrationem: vnam ad ſenſum, alteram ad intellectum. quum ſic exponis vt per eam quæ ad intellectum refertur, velis potionem intelligi, quam antea definiiſti vino & ſanguine, an non rurſum vertiginoſum ſpiritum prodis? Quis enim tibi aſſentiatur, Vinum, quod eſt altera pars illius potionis, ad intellectum referri? quum ipſe Bucerus iis quæ citas verbis apertè dicat, rem terrenam & ſenſibus perceptibilem eſſe panem & vinum: rem autē cæleſtem & mente perceptibilem eſſe corpus & ſanguinem. Et ſanè ipſa ratio Sacramenti hoc euincit. Quid autem hinc colligis? illam potionem, elementa ſiue ſigna cum adiunctis eſſe nouum illud fœdus ſiue teſtamentum? Obſecro verò quis niſi mente captus dixerit eandem rem eſſe & quidem propriiſsimè, vt iſte loquitur, fœderis σφραγῖδα, & ipſummet fœdus, ſiue ſigillum quod teſtamento apponitur eſſe ipſummet teſtamentum?

Dixerat idem Illyricus ſemper poſt demonſtratiua pronomina repeti articulum, & addi articulum ei rei quam pronomine deſignare volumus. Ego reſpondi vt ſit locus huic regulæ ſic oportuiſſe ſcribi, τοῦτο τὸ αἷμα ἐστὶ τὸ αἷμά μου. Nam ſi dicas, τοῦτο ἐστὶν τὸ αἷμά μου, nulla fuerit articuli repetitio, vtpote qui ſemel fuerit poſitus. Hanc ſolutionem imò ne quid ipſe quidem ſcripſerit intelligens noſter demonſtrator recurrit ad locum epiſtolæ ad Hebræos in qua ſcriptum ſit τὸ τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, quoniam, inquit, non habebat ſcriptor huius epiſtolæ Grammaticen ad manum. At ego te falſi accuſo & conuinco, Illyrice, qui pro τοῦτο ſcripſeris τὸ τοῦτο, vt tuæ illi falſæ & ineptæ regulæ in qua dicis articulum repeti, teſtimonium illud accommodares, qua in re ſimul inſcitiam illam tuā vel flagris dignam patefeciſti. Quis enim ſic Græcè loquatur?

Subiicit Illyricus integram paginam ex Bucero, quam quum ſuprà deſcripſerim & illum planè iugulare oſtenderim, nolo eadem inculcare. Nec etiam iis quæ ex Luthero de identica enuntiatione profert pluribus reſpondendum arbitror. Reprehendit ille dogma quod nobis impingebat, quaſi videlicet pro re ſacramenti, non corpus ipſum, ſed eius duntaxat ſignum ſeu figuram ſtatuamus. Itaque, inquit ille feruore contentionis abreptus, conueniunt iſti & Papiſtæ in eodem errore identicæ prædicationis. Nam hi quidem euertunt ſubiectum per figuram quum dicunt, Hæc figura vel ſpecies panis eſt corpus Chriſti: illi verò prædicatum, dum dicunt, Hic panis eſt ſignum corporis, & nolunt panem & vinum de ſe mutuò verè prædicari, ſeu ſacramentaliter connecti. Hoc verò præterquàm quòd nobis immeritò tribuitur, vt qui è cōtrario hoc vnum præcipuè vrgeamus nonniſi ſacramentaliter dici corpus de pane: etiam falſum eſt, quum neutra illarum enuntiationū identica ſit, quum ſubiectum à prædicato diuerſum & diſtinctum habeat.

AD XXIX, & XXX.

Profers hoc loco magnum quoddam arcanum ex Hebræorum penu depromptum. Vis enim τοῦτο ἐστὶν idem declarare atque Hebræorū הנה ac ſi ſcriptū ſit, Ecce corpus meū, Ecce ſanguis meus,

nempe

nempe vt non panis, non vinum, ſed ſolum corpus & ſolus ſanguis demonſtretur. Nec te iſtorum pudet?

Sic,inquis, Hebræa verba Exo.34, En ſanguis fœderis,cõuertit Epiſtola ad Hebræos, τοῦτο τὸ αἷμα, *& videtur Chriſtus nouum Teſtamentum inſtituens,ad hæc ipſa verba Moſis alluſiſſe.* Concedo vtrunque ita ſcriptũ eſſe.Sed vide quàm appoſitè argumenteris.Ibi Moſes cur aliter, obſecro, loqueretur? nec enim aliud quàm ſanguinem illum demonſtrabat. Sin verò voluiſſet per typum, id eſt per illum ſanguinem pecuinum populo rem ipſam ſignificatam apertè demonſtrare, vt poſtea ſuis diſcipulis fecit Chriſtus apertiùs iam nobis loquens: quis præter te non videt oportuiſſe illum & typum & rem ſignificatam nominare? nam alioqui alterum tantùm nominando,alterum præteriiſſet. Ideo admonui in meis Annotationibus,nõ ſatis rectè nos interpretari HIC EST SANGVIS MEVS, quum omnino dicendum ſit, HOC EST SANGVIS MEVS, vt HOC idem declaret,atque HOC POCVLVM,ſiue,HOC VINVM iſto poculo contentum, ſicut priore loco idẽ pronomen HOC idem declarat,atque HIC PANIS.

DIC enim,quæſo,quam rem vocauit Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem ſuum? an non eam ipſam quam acceperat,fregit,dedit diſcipulis ſuis? Quid autem iubet eos accipere,comedere,bibere? annon quod acceptum & fractum eis in manus porrigebat?

QVOD ſi excipias eum non dediſſe ſolum panem, nec ſolum vinum, concedimus & nos. Dabat enim Sacramentum,quicum erat Sacramentaliter coniuncta veritas. Sed ſi duo dedit, Sacramentum videlicet & rem Sacramenti (quod negare non auſis) cur illud quod in ſenſus externos incurrebat,& de quo præcipuè admonitos diſcipulos oportuit,vt Sacra mẽta à rebus communibus diſtinguerent, prorſus in demonſtratione prætermitteret?

DENIQVE quum Lucas ſcribit τοῦτο τὸ ποτήριον, nullum dubitationi locum relinquit,quin Dominus demonſtratiuo pronomine,Sacramentum ipſum,id eſt,vinum in poculo contentum declarauit:quod quum & Paulus inculcans ILLVM panem quem frangimus, & ILLVD poculum cui benedicimus: & omnes orthodoxi Patres toties inculcantes, cur & quo ſenſu Pani & Vino tribuatur Corporis & Sanguinis appellatio,planiſsimè & ſæpiſsimè expreſſerint,quis nõ miretur adeò poſſe nõnullos ipſo meridie cæcutire? Quid tamen ait Illyricus? *Illa locutio*,inquit,*adeò communis & viſitata eſt qua continens rectiùs quàm contentum oſtendi cernique poteſt,vt propria haberi queat.* Bene eſt igitur quòd tãdem tropum aliquem cogitur Illyricus in re Sacramentaria agnoſcere,& quidem cuiuſmodi? illam ipſam metonymiam alioqui tantopere ipſi inuiſam. Sic enim Grammatici vocant,velit nolit Illyricus,figuram qua continẽs pro contento & ſignum pro ſignificato accipitur. Sed hoc,inquit,tam eſt viſitatum vt proprium haberi queat. Nempe libenter,Illyrice,ſi poſſes hunc etiam tropum in propriam locutionem trãsformares. Quî fit autem vt quum ſigno rei ſignificatæ nomen tam frequenter, quoties de Sacramentis agitur in Scripturis, tribui doceamus, vt nunquam ferè aliter ſcribatur, & cauſas huius metonymiæ grauiſsimas & iuſtiſsimas afferamus, quiduis tamen nonnulli malint quàm apertæ veritati aſſentiri? Quid verò? quum ipſius noui fœderis nomen poculo tribuitur,& panis dicitur Corporis communicatio, an rurſus nullum hîc tropum agnoſcis?

SED ad rem. Etiam ſi poculi appellatione ſignificetur quod in poculo continetur, an effeciſti ſolum ſanguinem fuiſſe à Chriſto propoſitione identica demonſtratum? Nam certè in eo ſaltem à Papiſtis diſſentis, quòd vinum quoque in poculo contentum fuiſſe confireris. Cur non igitur præbito poculo demonſtraret Chriſtus quicquid eo continebatur? & niſi ita ſit, vnde illud IN, CVM, vel SVB PANE ET VINO?

POSTREMO monet Illyricus vt attentè conſideremus quid tũc egerit Chriſtus, & rectè quidem monet. Sed quorſum? vt oſtendat Chriſtum dediſſe comedendum verum ſuum corpus mox cruci figendum,& bibendum ſuũ ſanguinem mox effundendum,& quidem non abſentia, ſed præſentia. Neque nos verò inficiamur quin Chriſtum ipſum totum verè in Cœna percipiamus. Sed vult ipſe præſens corpus cum pane,& præſentem cum vino ſanguinem manibus ſumi, & corporali ac craſſa manducatione comedi,& hauſtione bibi. *Nam*,inquit,*& Moſes quoque præſentem ſanguinem commonſtrabat.* Concedo, Illyrice, ſed præſens ille ſanguis an nõ aliò nempe ad Chriſti ſanguinem Iſraelitas ablegabat,qui non modò corporaliter abſens, ſed ne re ipſa quidem adhuc exiſtebat? Cur ergò ſimilitudinem totam veritati non applicas? Eſt autem huiuſmodi: Sanguis victimarum corporaliter præſens aſperſus,Sacramentaliter ſignificabat abſentem adhuc Chriſti ſanguinẽ quo tamen ſpiritualiter per fidem iam tum in ſpe abluebantur credentes. Ita & nunc panis & vinum corporaliter præſentia & in manus tradita,Sacramentaliter ſignificant corpus illud & ſanguinem illum Chriſti,abſentis quidem à nobis ſecundùm carnem quã ſuprà omnes cælos ſuſtulit,ſed verè tamen exiſtẽtis,(hoc enim differt noſtra conditio à Patrum conditione) & fidei noſtræ præſentiſſimi,vt ſeipſum nobis donet,& noſter factus,nos in ſeſe ſpirituali æternáque vita viuificet. Hoc tamen Illyrico concedimus,Dominum quum primùm Cœnam illam ſuam inſtitueret, verè & reipſa corporaliter fuiſſe diſcipulis & ſymbolis præſentem, ſed ſpiritualem nihilominus illum etiam corporis & ſanguinis eſum & potum fuiſſe vel fateatur neceſſe eſt, vel viſibilem etiã & palpabilem illam manducationem fuiſſe probet, quum ipſe Chriſtus viſibilis adeſſet. Quod quum ita ſe habeat, hoc quoque affirmare non dubito, etiam ſi Illyrico daremus corporalem illam & craſſam ſignorum & corporis ac ſanguinis coniunctionem, nihilominus nec poſſe nec debere in Eccleſia Dei aliam quàm ſpiritualem eius manducationem ſiue perceptionem conſtitui. Si hoc non credit,cũ Auguſtino litiget qui in Pſal. 98, ſcribẽs,& iſtius corporalis mãducationis

figmentum apertè velut ipſius Chriſti ore redarguens. *Spiritu diter*, inquit, *intelligite quod ſum loquutus. Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui, ſpiritualiter intellectum viuificabit vos. Etſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi.*

HAEC ille, & nos quoque de his hactenus. Putidas enim illas & apertè falſas calumnias, quòd in noſtris Eccleſiis diſertè iubeamus homines in inquirenda ſacræ Cœnæ veritate, tremenda illa Teſtamenti Dei verba ex oculis remouere, & noſtris cogitationibus ſpiritúſque relationibus indulgere: quòd quibuſdam locis manifeſtè ſacra Domini verba immutemus, & dicamus, Hoc eſt ſignum corporis mei, aut quidpiam ſimile pro noſtro arbitrio: quòd ſophiſmatibus indu gentes ad ſimplices fallendos nihil nō in verbo Dei immutemus: hæc, inquam, quorum falſitas & ſcriptis & motibus noſtris per Dei gratiam, & publico omnium teſtimonio, qui Eccleſias noſtras ſaltem inſpexerunt, redargui poteſt, quorſum ego pluribus refutarem? Coerceat Satanam Dominus, & eius flabella compeſcat, bonos veritatis & concordiæ amantes inter ſe coniungat, infirmos ſtabiliat, Eccleſiam ſuam denique & ab inteſtinis & ab externis omnibus malis ſartam tectam cuſtodiat.

APOLOGIA M. ILLYRICI.

DIXI hæc verba Τοῦτ' ἐστὶ τὸ αἷμά μου *reſpondere illis Hebraicis ex cap. Exodi 24, 8, quæ Heb. 9, 20, Apoſtolus conuertit,* τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, *ac proinde ſicut particula H I N N E rem ipſam non figuram, eámque præſentem monſtrabat, ita etiam Dominum pronomine* τοῦτο *monſtraſſe ipſum ſanguinem coram exhibitū, neque nos in cœlum empyreum ablegaſſe, vt ibi corpus ſuum quæreremus. Ad hoc ſic reſpondet Beza, vt primum omnium dicat me velle S O L V M ſanguinem demonſtrari per illud pronomen H O C, non etiam panem & vinum. Atqui illud S O L V M nunquam legitur in hac mea demonſtratione, & in mea fideli admonitione prolixè oſtendi dirigi quidem digitum ad panem, ſed præcipuè ad intellectum monſtrari ipſum corpus.*

DEFENSIO TH. BEZAE.

ETSI mihi non dubium eſt quin pronomen τοῦτο velis vtrobique, id eſt in vtraque ſacræ Cœnæ parte ſimiliter explicari, tamen ex demonſtratione tua liquet te alteram propriè partem quæ de ſanguine loquitur, ſpectaſſe, vt planè cum loco illo Exodi congruentem. Vt ergo non appoſueris particulam SOLVM, quum tamen contendas duas iſtas enuntiationes, Ecce ſanguis meus, &, Hic eſt ſanguis meus, idem prorſus valere, quo tandem pudore audes inficiari te vnam tantùm rē, ſanguinem videlicet, demonſtrari voluiſſe? Nam vt in omnes formas te conuertas, qui ſic loquitur, Ecce ſanguis: vel Hic eſt ſanguis, nihil aliud quàm ſanguinem monſtrat. Itaque nihil in tuo ſcripto corrupi, ſed quod tegi voluiſti ne tua contradictio appareret, vtqui paulò antè ſynecdochen in illis verbis eſſe ex Bucero conceſſeras, hoc ego in lucem productum patefeci. Audio tamē quod de digito dicis, quaſi videlicet digitum in vinum intenderit Chriſtus, verba verò in ſanguinem, quo cauillo quid tandem fingi poſsit ineptius? quaſi videlicet aliò feratur digitus, aliò verò vox aliquid præſens demonſtrantis. Quid ſi verò etiam Chriſtum negarem digitum ſuſtuliſſe, vtqui manu fortaſsis vtraque poculum porrigeret? præterea ſi tam præſens eſt nobis ſanguis, quàm poculum & vinum, qui fit vt contrà quàm paulò antè ſcripſiſti, quum potionem duas res complectentem, vinum nimirum & ſanguinem, diceres ad intellectum referri, tu nunc mutata ſententia vinum quidem ad ſenſum, ſanguinem verò ad intellectum referas? An quia ſanguis eſt quidem præſens, ſed inuiſibilis? Fruitor tu quidem, Illyrice, iſtis ſomniis quandiu voles. Nos nullum alium Chriſtū ſecundū carnem, quantumuis glorificatum, quàm viſibili & circunſcripta veréque naturali carne & ſanguine præditū agnoſcimus. Neque enim viſibilē eſſe infirmitatis eſt quā depoſuit, ſed naturæ quam ſeruauit & in æternum ſeruabit. Quanto verò rectiùs diceres, pronomine τοῦτο demonſtrari Vinum ſic, vt ſimul tanquam Sacramentum, ab alio vulgari & communi vino diſcernatur? Hanc enim vim huius pronominis docet nos Apoſtolus pronuntians reos eſſe corporis & ſanguinis Domini, non quicunque indignè ex pane & poculo, ſed qui ex hoc pane & hoc poculo biberint. Subiicis poſtea.

B E Z A ponit ſecundo loco ſophiſma, quòd Moſes tantùm voluerit præſentem ſanguinem monſtrare, non etiam quid ſanguis ille ſignificet, declarare, ideóque vſum eſſe his vocibus, Hic eſt ſanguis Teſtamenti. placet. Hoc contra Bezam facit. Vt enim Beza ſcribit de Moſe, ſic & nos de Chriſto confitemur. Eiſdem verbis vſus eſt Chriſtus, quibus & Moſes in ſanciendo vetere Teſtamento. Sic igitur & Chriſtus voluit præſentem ſanguinem monſtrare, quo fœdus illud nouum ſanciebat, & non eius ſignificationem exponere: quòd ſi voluiſſet alterius aliquos typos monſtrare, aliis verbis vſus fuiſſet. En quanta ſit vis veritatis, vt etiam aduerſarium ſuum pro ſe teſtari cogat.

Tu ſic colligis, Moſes vtens illis verbis præſentem victimarum ſanguinem monſtrare voluit. Ergo & Chriſtus iiſdem verbis vtens, præſentem ſanguinem ſuum monſtrauit: Quòd ſi tibi totum hoc conceſſero, quid contra me faciet? Nec enim præſentiam ſimpliciter tollit, qui Sacramentalē ponit. Sed tamen multò etiam aliter tibi reſpondeo, ne me cauillari exiſtimes. Non erat hoc loco inſtituta inter nos diſputatio, ſit ne præſens ſanguis Chriſti, id eſt eo ipſo loco in quo eſt vinum, an non: ſed de eo quærebatur, pluréſne res monſtrarit Moſes quum diceret Ecce, vel, Hic eſt ſanguis fœderis, an vnicam duntaxat. Si tu plures indicaſſe vis, oſtende vnde tandem hoc poſſis colligere, quod nunquam certè facies: & vt facias, pro me facies. Ergo, niſi contrarium oſtenderis, ſupereſt vt vnicam oſtenderit. At tu ipſe iam ſæpius dixiſti Chriſtum ſic loquentem, duas res demōſtraſſe, nempe vinum ſenſui, ſanguinem intellectui. Ergo ipſemet tibi repugnas, quum id de Chri-

ſto con-

ſto confiteri te dicis, quod de Moſe ſcripſi. In eo verò planè te quoque falſarium oſtendis, quòd particulam TANTVM refers ad verbum MONSTRARE, acſi ſcripſiſſem, Nihil aliud propoſitũ fuiſſe Moſi quàm monſtrare ſanguinem, quum ego particulam TANTVM coniunxerim cum voce SANGVINEM, vt ſi dicam, Moſen nihil aliud voluiſſe monſtrare quàm SANGVINEM illum victimarum. Itaque vt Chriſtum nihil amplius quàm Moſen dixiſſe oſtenderes, ſic potiùs colligere te oportuit, Sicut Moſes illis verbis nihil monſtrare voluit præter ſanguinem, ita etiam Chriſtus. Hoc verò ſi tu ſentis, tibiipſi palàm repugnas, vt paulò antè declaraui. Sed videamus qua in re præcipuè hallucineris, vt ſanè ſtolidum te præbeas, quantumuis in calumniando ſis exercitatus. Sanguis quem vnum dico & affirmo oſtendere Moſen voluiſſe, addito tantùm fœderis epitheto, quo ſanguinem quidem illum quod Sacramentum erat, à communi & profano diſtinguit, ſed obſcurè, vt tum populus ſub vmbris Legis erudiebatur: ſanguis ille, inquam, Illyrice, fuit ne ſignum an res ſignificata? Si rem ſignificatam fuiſſe dicas, duo rurſum quæram: vnum, vt oſtendas quænam igitur res iſtam alteram ſignificatam ſignificauerit: alterum, vt cauſam exponas, cur Moſes illius ſigni rei ſignificatæ nullo modo meminerit. Reſtat ergo vt ſignum fuiſſe cõcedas aliud quidpiam ſignificans. Cedo verò cuius rei ſignum? Fœderis, dices, ſed ineptè. Fœdus enim erat ipſa pactio de remiſsione peccatorum, & innouatione per agnum illum venturum, cuius rei non potuit eſſe σημεῖον ſanguis, quamuis fuerit illius σφραγὶς, id eſt ideirco adhibitus, vt fœderis promiſsionem obſignaret. Differunt enim non re quidem, ſed ratione σημεῖον & σφραγὶς, vt ex Apoſtoli loco, Rom 4.11. antea probaui. Sanguis ergo quem vnum Moſes oſtendebat, erat σφραγὶς fœderis: id eſt Sacramentum idcirco adhibitum & ſenſui oblatum vt eo Sacramentaliter obſignaretur vetus illud fœdus, vetus, inquam, quatenus in Chriſtum venturum & exhibendum reſpiciebat. Sed cuius rei σημεῖον ſiue Sacramentum erat? nempe ſanguinis agni quo vno reconciliamur. Hactenus de Moſe: nunc ad Chriſtum veniamos. Sanguis ille ſiue ſolum ſiue cum vino illum monſtrauit Chriſtus, fuit ne ſignum an res ſignificata? Si ſignum fuiſſe dicas, vt videris exiſtimare, quæro rurſum cuius rei ſit ſignum. Num ſuiipſius? id verò nimis abſurdum eſſet. Num fœderis? atqui, vt modò dixi, aliud eſt ſignificare quàm obſignare. Deinde ſigna ſignificãtia oportet in omnibus Sacramẽtis ſenſuum obiecta eſſe ad aliud intellectui obiiciendum. Itaque viſibilem oporteret eſſe hũc ſanguinem, & ſenſui quoque primò non intellectui offerri, ſicut & vinum, vt ſignum aliquid ſignificans eſſe ac cenſeri poſsit. Denique quum Irenæus dicat Euchariſtiam duabus rebus conſtare, quarum vnam Bucerus, te cõſentiẽte, terrenam appellat, putà panis ac vini elementa, quæ ſenſui, alteram cæleſtem, putà corpus & ſanguinem Domini, quæ ſoli intellectui offeruntur, non erit ſufficiens iſta totius in ſuas partes quas integrantes appellant diſtributio, quoniam nihil niſi ſigna ſignificantia recenſuerit Irenæus, quum tamen ſatis conſtet vel ex ipſa vocabulorum quæ ad aliquid referuntur natura, partem vel præcipuam Sacramentorum eſſe rem intellectui ſignificatam: cuius etiam cauſa ſignum externum adhibetur. Aut certè concedas oportet Irenæum plenè deſcribentem Sacramenta, tum ſigna tum res ſignificatas ſic expreſsiſſe. Hinc efficitur Moſen demonſtraſſe vnum illum ſanguinẽ, qui fuit ſignũ ſignificans, verum illud videlicet illius ſanguinis effundẽdi Sacramentũ, ac proinde in credentium cordibus ſigillum reconciliationis per illum verum ſanguinem futuræ: Chriſtum verò, cuius & doctrinæ fulgor, & Sacramẽtorum multo expreſsior eſt inſtitutio ac declaratio, tum nouum ſignum, putà vinum quod poculo comprehenſum oculis & ori diſcipulorũ præbebat, tum id quod Sacramentaliter eo vino ſignificatum intellectui reuera offerebat per fidem participandum demonſtraſſe: & ita quidem vt quum vellet accedentes non ab eo quod intelligebant ad id quod cernebant, ſed contrà ab eo quod videbant ad id quod ſola fide intelligebant pertrahere, ſigno habentẽ rationem ſubiecti quod in ſenſus incurrit, tribuerit rei ſignificatæ nomen, quæ intellectui ſeſe penè vt ita dicam, contrectandam & palpandam præbet. Viden', Illyrice, quàm verum ſit Chriſtum de induſtria verbis Moſis vſum, ſua tamen myſteria quæ hîc adumbrarat expreſsiſſe, ac proinde ridiculam & ineptam eſſe comparationem illam à te inſtitutam? Viden' quanta ſit vis veritatis, ad te tuis ipſius certis, claris, diſertis teſtimoniis conuincendum?

Monui in meis annotationibus, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, vertendum eſſe, Hoc eſt ſanguis meus: quoniã qui dicit, Hic eſt ſanguis meus, nil præter ſanguinem demonſtrat, Chriſtum autem conſtat duo indicare Sacramentaliter iuncta, nempe poculum, quod expreſſum eſt à Luca, & ſanguinem. Hoc verò non placet Illyrico.

NAM, inquit, omnes tum veteres tum recentiores, ipſéque adeò Caluinus conuertunt, Hic eſt ſanguis meus. Et illud τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, Quod pro vobis funditur, neceſſariò refertur ad poculum, id eſt ad potionem, quæ eſt vinum & ſanguis. Quod ſi potio pro nobis funditur, neceſſe eſt omnino non tantùm vinum, ſed etiam ſanguinem ſignificare. Nam vinum pro nobis non effunditur.

ERGO, bone vir, teipſo iudice cauſa cadis. Nam ſi vinum non effunditur pro nobis, certè falſum eſt vel nomine potionis etiam vinum intelligi, vel τὸ ἐκχυνόμενον, id eſt, quod effunditur, ad potionem referri. Et quid amplius opus eſt? conferatur Lucas cum Matthæo & Marco, neque obſcurum fuerit quod in Lucam annotaui. Imò vt concedam quod iſte imbellis certè antagoniſta vi manifeſta vult extorquere, quid ſupererit, niſi vt ſe rurſum ſuis rationibus victum fateatur? Nam ſi τὸ ποτήριον vtrunque declarat, nempe apud Matthæum & Marcum prorſus cum Luca conſentientes τοῦτο vertendum fuerit neutro genere, Hoc, quo commodiſſimè ſignificabitur tũ vinũ, tũ ipſe, ſi volet Illyricus, præſentiſsimus ipſemet realis ille ſanguis Domini. Contrà

verò ſi τοῦτο Hic interpreteris, quis tam cæcus eſt vt non videat ſolum ſanguinem demonſtrari, ac proinde non modo transſubſtantiari vini ſymbolum, verùm etiam prorſus euaneſcere?

Sic igitur eram argumentatus. Iuſsit Dominus id accipi, comedi, bibi, quod acceptum, fractū, in poculum infuſum diſcipulis porrigebat in manus: panem autem & vinum accepit, fregit, in poculum fudit, dedit. Ergo pronomen τοῦτο tum panem illum tum vinum illud demonſtrat: panem videlicet & vinum non vt res vulgares, ſed vt Sacramenta. Hoc concluſo, neceſſe eſt & illud effici, ſi nomine τῆς σαρκὸς æquiuoco vti ibi voluiſſet Chriſtus, oportuiſſe τοῦτό ἐστι ἡ σάρξ μου interpretari, Hoc est caro mea, non Haec est caro mea, ac proinde in hac enuntiatione, Hoc est corpus meum, pronomen illud non eſſe iungendum cum prædicato vt in identica prædicatione, niſi quatenus panis induit Sacramenti formam, ſed idem prorſus declarare, atque Hic panis est corpus meum, ſacramentaliter nimirum. Idem de altera enuntiatione exiſtimandum eſt, in qua quum id quod neutro genere Græcis dicitur αἷμα, maſculo à Latinis explicetur: auſim ego dicere, nulla, ita me bene Deus amet, gloriationis ſpecie (nam de quo poſsim ego vel quiſquam alius in Eccleſia gloriari?) ſed hoc exprimente ipſa, vt ego quidem arbitror, veritate, non ſatis conſideratos fuiſſe qui vt congrueret genus prædicati & ſubiecti, conuerterunt, Hic est sangvis mevs. Hoc enim ſaltem eos animaduertere oportuit ex mutatione generis, quæ eſt apud Lucam, vt qui non dixerit, Αὕτη ἡ διαθήκη, ſed τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη. Hunc autem errorem animaduertiſſent proculdubiò tot Latini doctiſsimi interpretes, ſi quos eſſent ſuſpicati vnquam exorituros tam ſtupidos & fatuos quàm ſunt Transſubſtantiatores aut Illyricani. At omnes recentiores adeóque Caluinus ipſe ſic Latinè interpretatur. Mihi verò in ſententia prorſus cum illis omnibus conuenit. Iudicet, qui volet, illorum an mea interpretatio meliùs congruat.

Ex his autem intelligi poteſt quàm ſit iſte noſter demonſtrator planè plumbeus, vt qui non animaduerſa (vt opinari malo) meæ reſponſionis vi, iubet me retinere quod dixi, nempe id iuſsiſſe Dominum accipere, comedere, bibere quod dederat. Hem, inquit, iſtud ſeriò retine, & deſinas accuſare hoc teſtamentum improprietatis, & per metonymiam peruertere. Imò, niſi tibi effluxiſſet quod retinere te oportuit, aut ſi potiùs ſatis apud te eſſes, meminiſſes te iam aliquoties dixiſſe duas res demonſtrari pronomine τοῦτο, quarum vna ſenſui, putà vinum, altera intellectui obiicitur: ac proinde illam à te excludi non oportuiſſe maſculo pronomine Hic, vt iſta ſola ſtatueretur. Nec enim ego excludi volui ſanguinem vt tu vinum (in hoc vno forſitan abſtemius) ea illa interpretatione tua, ſed expreſſo terrenæ rei in ſenſus incurrentis nomine, intellectum commonefieri rei per illud ſignum repreſentatæ. quod ſi tu nondum noſti in omnibus Sacramentis eſſe obſeruandum, quid tandem noſti?

Hoc vt noris, neque per conuitium neque temere à me dici, obſecro, quæ iſta tua vox eſt? *In his*, inquis, *verbis, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, non concedo vllum tropum.* Atqui tu paulò antè dixiſti congruere tuam & Buceri ſententiam teipſo deſcriptore affirmantis, panem & vinum συνεκδοχικῶς dici corpus & ſanguinem. An verò tibi ſynecdoche tropus non eſt? minimè, inquis, quoniam eſt tropus cuiuis vſitatus. Ergo non ſit homo Illyricus, quoniam vſitatum illi eſt ratione non vti.

Ad xxx. Demonſtrationem, Apologia M. Illyrici.

BEZA poſtulat vt totam ſimilitudinem fœderalis ſanguinis Teſtamenti veteris cum vino noui ſanguinis comparem. Reſpondeo ſimilitudinibus variè ludere licere, me verò contentum eſſe applicatione ſimilitudinis non Beziana, ſed ex ipſo viuentis Dei verbo deſumpta, iſta videlicet, quòd ſicut illud Legale fœdus fuit ſancitum typico victimarum ſanguine, ita hoc nouum fœdus longè pretioſioris victima, ipſius videlicet Filij Dei ſanguine fuerit ſancitum.

Defensio Th. Bezae.

Sane, Illyrice, hoc ipſum quod agis eſt verbo Dei illudere. Quod etenim hoc ludibrium eſt? Num inter nos quæſitum fuit vmbra corpori, typus veritati, vetus fœdus nouo præſtaret? Imò de hoc quærere nos iuſsiſti, verbáne Moſis & Chriſti ſic congruerent, vt quemadmodum ille ſanguinem victimarum præſentem & aſpectabilem demonſtrauit, ſic etiam illum ſuum ſanguinem pro nobis ſemel effuſum, & nunc in cælos receptum reipſa & ſubſtantialiter nobis cogitarit in ſacra Cœna ſiſtere, & ori ipſi propinandum dare, vt Chriſtiani reipſa ſint carniuori & ſanguiſugæ: an verò potiùs totum hoc myſterium planè quidem ſit magnum, vt teſtatur Apoſtolus, ſed ſpirituale, cæleſte, myſticum, totum fidei, nō ventris opus, neque quicquam ad iſtam ſubſtantiarū copulationē ſpectans, ſed hūc prorſus vt Chriſtū cū ſuis donis vitæ ſpiritualis & æternæ fontē poſsideamus.

Citaui locū ex Auguſtino, hoc ipſum diſertis verbis teſtificantē. Illyricus nihil reſpōdet, ſed Auguſtinum cū Auguſtino primùm, deinde cū Cypriano, Ambroſio, Tertulliano, committit: quibus obiectionibus quum millies ſit reſponſum, nolo iiſdem repetendis, tempus & operam perdere.

Denique impudentes iſtius aliquot calumnias leuiter præteriens, quòd videlicet verba Cœnæ amoueamus, & ſacræ Cœnæ verba inuertamus, ad eos prouocaram qui nos quotidie docentes norunt, & liturgiam noſtram legerunt.

Reſpondet Illyricus illud quidem ad Schuenckfeldium pertinere, iſtud vero alibi quidem factū eſſe, ſed neminem Helueticis aut Geneuenſibus Eccleſiis obieciſſe.

Bene eſt igitur, Illyrice, quòd teipſo confitente, ab his ſaltē criminibus abſoluimur. At te neque Deus, neque homines (niſi ſeriò reſipueris) à tot calumniis & fœdiſsimis mendaciis abſoluerint.

THEO-

THEODORI BEZAE VEZELII RESPONSIO AD FRANCISCI BALDVINI ECEBOLII APOSTATAE CONVICIA.

SOCRATES HISTOR. ECCLESIAST.

libro III. cap. XIII.

Ecebolius Conſtantinopolitanus ſophiſta, quum ſeſe Imperatorum ingeniis accommodaret, vehementer Chriſtianum eſſe ſe ſimulauerat: ſub Iuliano verò truculentus gentilis apparuit: ac rurſus poſt Iulianum Chriſtianus eſſe voluit. Etenim ante portam Oratorij ſeipſum pronum in terram proiciẽs, clamauit, CALCATE ME, ſalem inſipidum. Ad hunc modum leuis & mobilis Ecebolius & ante & poſt Iulianum fuit.

IVDICIVM IMPRVDENTIS FRANCISCI BALDVINI IN SEIPSVM QVVM IN ALIOS SCRIBERET, EX libro quem edidit Argentinæ ſub Chriſtianorum Iuriſconſultorum nomine.

De ſe in alterius perſona, folio 9.

DOLVERVNT hominem eruditum, in literis educatum, elegantioris iuriſprudentiæ cognitione imbutum, & religionis veræ aliquando non ignarum, & veritati inſidiari, & falſum tegere, & cauſam regni Pontificij non bonam, bonam facere velle videri: denique ingenio abuti ſuo. Sed quum omnia ſecum reputaſſent, dixerũt eſſe hoc Dei & arcanum & perpetuum iudicium: horrendum illud quidem, ſed iuſtum tamen, vt qui ad Dei nomen illuſtrandum, & affulgentis veritatis cauſam patefaciendam, iis quibus diuinitùs ornati ſunt donis ingenij, atque doctrinæ luce non vterentur: imò verò ad Domini contumeliam & mendaciorum nebulas ſpargendas abuterentur: præcipites ruerant in omnem reprobæ mentis cæcitatem.

Folio 112. De ſe in alterius perſona.

MIRABILIS verò tua erit πειθὼ, ſi nos eloquentiæ tuæ catenulis abs religione ad te perducere poſſis. Sed tu nos fortaſſe aliò trahere vis auribus conſtrictos. Eequonã? an ad tribunal Sorbonicum, vbi palinodiam turpem & nefariam canere tuo exemplo & more nobis perſuadeas? Ignoſce, Duarene, non poſſumus: malumus (vt ille olim Philoxenus) ad Latumias.

De miſſa eiuſdem iudicium, folio 75.

ILLVD multò etiam magis dolemus, quòd eodem loco quum Liturgiæ antiquæ obiter meminiſſes, eam eſſe dixiſti quam nunc Miſſam vocant, quum tamen loqui interea videaris de Sacramentorum adminiſtratione, An miſſam Pontificis olim extitiſſe? an eſſe Eccleſiæ Lyturgiam? an ea contineri Sacramentorum adminiſtrationem? an inter hoc ſacrificium commentitium & Chriſti Sacramentum nihil intereſſe putas? Non putamus te putare. Sed tantò magis dolemus te, vt alij rerum imperiti illud credant, diſsimulare quid credas. Obtrudis olim ſacram liturgiam, nũc miſſam vocari: quaſi verò res eſſet eadem, nomina tantùm mutata eſſent. Hîc ſi conſcientiam appellemus tuam, ecquid dices? Certè quum illa tam pugnantia tam placidè coniungis, animo perhorreſcas neceſſe eſt, niſi ſi omnem religionis ſenſum amiſeris. Quid dicis cauſa iſtic fiat, quid ſimuletur, quid diſsimuletur coram idolis, ſcimus. Sed quid neceſſe fuit ita de iis ſcribere, quaſi nihil eſſet mali, itáque agere, vt imperitos adoleſcentes qui te circunſtãt, & in te intuentur miſerè fallas?

De eadem, folio 79.

AN tu eodẽ iure & loco habes, quæ nunc idolis offerũtur, & ab idolorũ antiſtitibus deuorãtur?

De eadem. fol. 125.

IETS qui ſacrificulos in altari Chriſtum quotidie mactantes adorant, & tædam iis præferunt in pompa etiam publica, in nos miſeros quidem certè peccatores, ſed qui tamen in vna Chriſti cruce ſpem ſalutis collocamus, idque voce & literis in illius Eccleſia teſtamur, & ſimul quantum poſſumus, illos Chriſti nouos carnifices execramur, illud totum reiicere audent quod ipſi committunt. Apoſtolus dixit eos iterum crucifigere Chriſtum, qui repudiata eius cognitione & luce, opprobrio, ſi poſſunt, eum afficiunt. Id de quibus nunc verè dici poſsit, ex re ipſa iudicium fiat: & certè fiet ſuo tempore, & æternum Deum oramus vt id faciat, & quam de iſtis nimiùm ſecuris ſiue Lucianis, ſiue Epicuris ſententiam concepit, exequatur.

Ibidem de ſeipſo, in Duareni perſona.

NVLLO profectò tempore expedit, Duarene, quemquam eſſe talem. Si quis ſit, interdum neceſſe eſt eum notari, ne ignotus fallat.

IOANNES CALVINVS LECTORI.

HECVBAM fingunt poetæ, quum Troia euerſa, paſsim maledicta in hoſtes ingerendo, intemperanter dolori indulgeret, tandem fuiſſe in canem conuerſam. nempe quòd immodicus ille conuiciandi impetus nihilo pluris quàm canis rictus fieret. Si hoc de nobiliſsima Regina dictum fuit, quam ſi tot támque acerbæ clades in rabiem adigerent, aliqua tamen excuſatione dignus erat muliebris luctus: quid de homine nihili dicendum qui cæco magis furore quàm iracundia percitus non tantùm in obuios quoſque probra temerè conficta euomit, ſed optimos cupidè appetit quibus proteruè maledicat? Ergo quum me hactenus hortati ſint multi, vt Franciſci Balduini petulantiam compeſcerem, ne cum canis latratu confligere viderer, beſtiam contemnere viſum eſt: necdum me conſilij pœnitet. quid enim in putidis eius calumniis refutatione dignum? Vixit apud me: & humaniter acceptus ac liberaliter, quò ſe pluſquam barbarum eſſe probet, mendacium ſtultè confictum arripit, me, dum malefici damnantur, pro tribunali iudicem ſedere. Scripſit hoc furiliter Heshuſius. Antea putaueràm ab errone quopiam & mendico vt aſſem ab eo emungeret, fuiſſe dictatum. Nunc verò quum idem mihi obiiciat bonus hoſpes Balduinus, qui Heshuſio collega fuit: quis alium quæret fabulæ architectum? Atqui in publicis iudiciis me ſemper omnes viderũt ſtare ad latus rei qui ad ſuppliciũ ducendus eſt. In his ſcilicet nugis ſtylum exerceam? Exprobrat quod pro Rhedonenſi Epiſcopo dixeram Nemetenſem in concilio Tridentino ſedere. Capitale crimen, quòd ouum vnum loco alterius oui ſumendo deceptus fuerim. Maximum, vt ſibi quidem videtur, odium cum infamia mihi conflat, ex meis & beneдictæ memoriæ viri fratríſque mei venerandi Buceri literis.

Antequam reſpondeo, monendi ſunt Lectores nihil hac monedula eſſe furacius, vt hac in parte fratrem ſuum patruelem Antonium Balduinũ ſuperet, cui ob furandi ſolertiam, cognomẽ Ablatiui à condiſcipulis inditum fuit. Tãta fuit mea erga ipſum facilitas, vt quicquid erat in bibliotheca mea chartarum liberè me abſente, excuſſerit. Subripuiſſe quæ in rem ſuam fore putabat, non aliũde petenda eſt luculentior probatio, quàm ex eius ſcripto, in quo ſe bellè prodidit. certè fides eius & hoſpitalitas hîc deprehenditur.

Nunc tamen videamos de re ipſa. Quum ex meis propè viſceribus proferre in manu eius eſſet, ſi quid deprehẽdiſſet in me vitij: nihil reperit atrocius, quàm quòd Bucero cõfeſſus fuerim me eſſe natura iracundum, & aſsiduè luctari cum hoc vitio: neque tamen proficere quantum vellem.

Alia quæ admiſcet, ſibi fabricauit. In hac verò accuſatione quid ſibi vult? niſi ſuo ſuffragio eos demũ laude eſſe dignos qui non tantùm ſuis vitiis indulgent atque ignoſcunt, ſed perfricta fronte procul à ſe reiiciunt quorũ ſibi ſunt conſcij. Nos vero aliud in Chriſti ſchola didicimus. Quanquam ſi illi in mentem veniſſet illud Ciceronis, irritabiles eſſe bonorum naturas, fortè non ita ridiculè tibias inflaſſet: atque vt ei ſpecioſus ſit inſultandi color, vel cõtumelioſum aliquod dictum vel crudele factum quod mihi excuſſerit iracundia, proferendum erit. Iam verò quid Bucerus? quoniam me de quibuſdam verbi Dei miniſtris aſperiùs ſcripſiſſe exiſtimabat, ſuſcepta eorũ cauſa, vehementiam meam reprehendit.

Hæc porrò ſunt eius verba: *Iudicamus prout amamus vel odimus*. Dexter interpres Balduinus, quo ſit odioſior expoſtulatio, mutata perſona id in me torquet. Verùm vt pro noſtra familiaritate cõcitatior in me tũc fuerit Bucerus, alioqui placidiſsimi ingenij vir, cur non quid de eadem cauſa reſcripſerit, peræquè Balduinus commemorat? Nã poſtquã veniã à Chriſto precatus excuſationes aliquot adduxit, ſermonem claudit hoc Epiphonemate: Sed quid facio peccatum meum eleuans, quando me ipſa damnat conſcientia? Mihi certè in hoc Buceri patrocinio acquieſcere tutum eſt.

Quàm verò ſemper honorificè de me loquutus ſit ac ſcripſerit, pudore impedior referre. Tantùm abeſt, vt Balduini ineptias imitari libeat, qui literas blandis aſſentationibus à Philippo Melanchthone elicitas, quales ignotiſsimis quibúſque ſcribere ſolebat vir ille, magnificè iactat. Dictũ hoc frequenter habuit in ore, quia paſsim inualuit vſus, vt doctiſsimi, clariſsimi, ornatiſsimi vocentur qui infra mediocritatem ſubſidunt, ſe in his titulis eſſe liberalem: & verò nomen viri boni non ita proſtituere. Quid ſi me non modò reuerendum, ſed optimum virum in literis ſuis vocauit? ſed faceſſant iſtæ nugæ.

Meæ ſuperbiæ atque etiam tyrannidis exemplum memorabile adducit Balduinus, quod implacabili ferè ſæuitia inuectus contra quendam amicum meum fuerim, quòd tantùm ex publicis Eccleſiæ precibus vocem vnam litura induci optaſſet, vbi fœdus nouum dicitur veteri longè præſtantius. Atqui actis tam Conſiſtorij quàm Senatus refelletur craſſum mendacium. Ille enim temerè ac inſcitè ſparſerat, non fuiſſe vllo modo dicẽdum Melius, quod idem eſſet. Id inter multos vagatum fuerat, antequam nobis innoteſceret. Promptum ſcilicet fuit producto Apoſtoli teſtimonio hominem pudefacere. Ergo leuitatis conuictus veniam à me petiit, & ſimul impetrauit. Quinetiam deprecator fui apud Senatum ne quid ſeuerius de ipſo ſtatueretur. Ab eo tẽpore non aliter domum meam frequẽtauit quàm ſolebat: ex Gallia vbi mortuus eſt, quoties ad me ſcripſit, erat obſequentiſsimus filius, ego reuerendus pater. Hoc certè nitatur teſte Balduini impudentia, ego autem laborem? Multò verò minus in friuolis quas efflat iactantiis me mouet eius ſtoliditas. Porrò tametſi quieſcendum mihi duxi, cõſilium optimi & integerrimi fratris mei Bezæ adeò non reprehendo, vt me non parum oblectauerit concinna & ſimul omni fuco pura eius reſponſio. Vtinam celeriùs inchoaſſet: quia incredibilis feſtinatio vt totam cauſam pro ſuo arbitrio perageret, non tulit. Satis tamen erit, veritatem in hac ſyncera ingenuáque defenſione ita ſplendere, vt victrix ſupra omnes Balduini nebulas emineat.

AD FRANCISCI BALDVINI ECEBOLII CONVICIA RESPONSIO THEODORI BEZÆ VEZELII.

POSTQVAM tandem ſingulari Dei beneficio ex longa, & omnium periculorum plena peregrinatione domum, id eſt, ex patria vltrò in exilium ſum reuerſus, conſtitui cùm aliis nonnullis qui nos pro Eccleſia Dei in Gallia laborantes, tum laceſsiuerunt, quum nos in aliis rebus occupatos eſſe intelligerent: tum verò maximè duobus, Sebaſtiano Caſtellioni, & Franciſco Balduino reſpondere. Minimè id quidem quòd ita ſit opus, cùm iſti canes ſint planè ex eorum genere qui latrare quidem poſsint, mordere non item: neque etiam quòd vel apud illum nonnullis adhuc occultum, vel apud iſtum iampridem perditiſsimum apoſtatam aliquid proficere me poſſe putem: ſed idcirco duntaxat vt ſilentium nobis non ſit fraudi, & quibus adhuc iſti ſunt ignoti, optimè deinceps eos agnoſcant. Itaque Caſtellioni ſeorſim reſpondi: ad Balduinum autem quod attinet, hæc fuit huius controuerſiæ origo.

Poſt Franciſci ſecundi regis mortem, nonnulli qui præter ſuam ipſorum expectationem authoritatis ſuæ gradum, Nauarreni regis facilitate, maxima ex parte retinuerant: nec eam ſe poſſe conſeruare niſi euerſa vera religione arbitrabantur, quoniam videlicet nullos alios amicos habebant, quàm qui Deo eſſent inimici, nouum conſilium vt in rebus nouis fieri ſolet, inire cœperũt. Videbant ſeſe quominus vt cœperant apertis viribus rem gererent, multis modis impediri. Rex enim Carolus qui fratri ſucceſſerat iunior erat, quàm vt eo poſſent abuti. Regis matri non ſatis fidebant, cùm quòd pacis & otii cupida videretur, tum etiam quòd nondum eſſet ex Statuum, vt vocant, voluntate plenam authoritatem adepta. Creuerant noſtri & animis & numero mirum in modum. Nauarrenus denique omnium Galliæ procerum primus, non obſcurè noſter erat, quem non multò antè indigniſsimè capto ipſius fratre Condenſi Principe, grauiter offenderant. Proceres quoque alii in noſtras partes apertè tranſibant.

Statuerunt igitur diſsimulatione vti, & certa quadam ratione tempeſtatem quam prorſus vitare non poterant, leniorem efficere. Et quum hoc conſilium non incommodè ipſis ſucceſsiſſet, longiùs etiam progredi inſtituerunt. Vnum maximi momenti opus erat (vt quidem illis videbatur qui de rebus Eccleſiæ, vt de cæteris rebus humanis, ex ſua prudentia conſtituunt) Nauarrenum à nobis auertere.

Id autem eò minùs eis erat difficile, quòd ille, vt erat in vtranque partem facilitate quadam naturæ pronus, iam antea ab vno & altero eorum quibus nimiùm fidebat perſuaſus, legationem Romam miſerat, qua ſeſe illi ſedi plus quàm par eſſet, obligaret. Referebatur enim illi Pontificis nomine, fore vt ſi ſaltem ab aperta noſtræ religionis profeſsione abſtineret, vel ipſum regnum Nauarrenum, vel aliud quodpiam ei à Philippo Hiſpaniarum rege impetraret.

Hæc frans cùm eis ſucceſsiſſet, animum ad aliam adiecerunt, vt illum quem ſtatim præcipitem dare non poterant, paulatim & certis quibuſdam gradibus in ruinam attraherent. Sciebant veterẽ eſſe inter nos qui à Papatus impietate deſciuimus, de re Sacramentaria controuerſiam, quæ paucis antè annis à quibuſdam velut ab inferis eſt reuocata: non ignorabant etiam aliquod eſſe in ritibus & ceremoniis inter nos diſcrimen. Itaque hac occaſione arrepta, iidem illi de quibus antè dixi, certos quoſdam homines ſubornarunt, qui Auguſtanæ confeſsionis prætextu, cuius ille vel nomen ipſum vix audierat, omnium Germaniæ principum ſocietatem ad Nauarrenum regnum recuperandum illi oſtentarent, & ille nimium credulus iis quæ ab ipſis Pontificiis clàm gerebantur, quũ imaginaretur hac ratione ſe poſſe ipſi quoque Pontifici terribilem fieri, & regnum ſuum hoc compendio recuperare, facilè iſtis fraudibus aſſentiebatur. Quid plura? ſeriò quoque rem agendã ſtatuerunt. Erat præcipuis pontificiæ factionis ducibus non ita pridem notus ex cuiuſdam Raſcaloni teſtimonio, quem Heydelbergæ ad hunc vſum fouebant, vt plæraque Germanorum principũ conſilia intelligerent, Franciſcus iſte Balduinus qui ſuam illis operam ad quiduis audendum obtulerat: homo ſatis ad hoc quod inſtituerant agendum accommodatus, vt qui quum ſæpe à nobis ad Papiſtas & à Papiſtis viciſsim ad nos tranſiiſſet, omnem religionem pro ludo haberet, ac paſſim etiam iactitaret ſeſe vnà cum aliis quibuſdam, medias quaſdam rationes tenere, quibus vtranque partem poſſet ludificari. Placuit igitur hunc qui ſeſe ſponte ſua per illum emiſſarium offerebat, audiri. acceſſitur: & ſimulat ipſe apud illuſtriſsimum & verè Chriſtianum principem Electo-

rem comitem Palatinum, ſibi ſerium aliquod negotium eſſe in Gallia, eóque prætextu ad locum præſcriptum accurrit. auditur: non diſplicet eius conſilium. huc & illuc diſcurrit atque adeò tandem in ipſius Nauarreni conſpectũ venit. neque enim deerant qui Nauarreno inſuſurrarẽt quod ipſemet poſtea mihi narrauit, doctiſsimum quendam & Theologum & Iuriſconſultum adueniſſe, à quo in regni ſui cauſa magnopere poſſet adiuuari. Adeſt igitur iſte, & vetus neſcio quod diploma Regi oſtentat: quumque poſtea cognouiſſet illi indicatum eſſe quod verum erat, ipſum videlicet aliquot antè menſibus, vt Regis inimicis gratificaretur (ſicut leguleij iſti ſolẽt ſeſe quibuſuis negotijs immiſcere) temerè multa pro Hiſpano effudiſſe, diligenter ſeſe purgauit, adeò vt ille ab iis qui ipſum prodebant deceptus, rarum quendam ſuæ cauſæ patronum ſe nactum eſſe exiſtimaret. Quid multis? dum ibi aliquãdiu verſatur, inijcitur etiam quaſi fortuitò de religionis diſſidiis mentio. Tum iſte ad eãm rem comparatus, oracula ſua velut ex tempore profari. Spargitur ſtatim de magni cuiuſdam viri aduentu rumor, & iſte ſuis indicibus inſpectis, modò hoc, modò illud proferendo apud eos quibus media iſta conſilia gratiſsima ſunt, aliquam eruditionis opinionem obtinet. Interea ille cuius in hac fabula præcipuæ partes erant, Lutetiæ erat, ad quem iſte paulò pòſt aduenit. Ibi ſanctiſsimum illud colloquium inter religioſiſsimum Cardinalem, & ſapientiſsimum Iuriſconſultum de Chriſtianæ religionis ſumma inſtituitur, cuius etiam capita ſe conſignaſſe ſcribit Balduinus. Ibi denique inter eos conuenit, de re conficienda, quæ iam fœlicibus auſpiciis cœpta fuerat. Recurrit igitur ad Nauarrenum, & ei quod libuit exponit. Numerantur non egenti quidem, ſed tamen famelico leguleio, aurei coronati centum, quod ipſe in ſua narratione prætermiſit. Mittitur poſtea in Germaniam cum optimis (vt ipſe loquitur) mandatis, & iubetur cùm ab aliis, tum verò à Caſſandro, homine ſcilicet apud Nauarrenum celebri, elicere ſi quid boni conſilij ad dirimendas diſſenſiones haberet, quibus Eccleſia miſerè diſtraheretur. Sed & eodem tempore Poſsiacenum concilium cogebatur, cuius actionibus impediendis totus ille ſuperior apparatus ſeruiebat. Et ego quidem ab eodem Nauarreno, & præcipuis Galliæ Proceribus, atque adeò ab Eccleſiis Gallicis euocatus, ex aliorum potiùs, quàm ex mea voluntate in aulam contendebam: iſte verò in Germania negotium ſibi commiſſum procurabat, & Baſileæ pacificatorius quidam liber ſuppreſſo vrbis & typographi nomine, excudebatur. Iam igitur Pontificiis fruſtrà obnitentibus & totum negotium, quantum fieri poterat retardantibus, bis in illo concilio fueramus auditi, quum iſte præclaro illo libro, & aliis neſcio quibus oraculis onuſtus reuertit. Obiurgatur quòd ſeriùs rediiſſet, & quamuis libellum illum obtruderet, & quibuſcunque poſſet, commendaret, tamen expectationi quam de ſe concitarat, non ſatisfacit. Epiſcopum etiam Valentinum cum quo ante diſceſſum, veritus ne aulicis artibus deciperetur, pactus erat de quadam iuris profeſsione, mutatum inuenit. Quid faceret miſer? Precibus tandem à Nauarreno per eoſdem illos proditores impetrat, vt cuidam ex nothis ipſius filiis inſtituendo præficiatur, atque ita repentè fit ex Iuriſconſulto pædagogus. Poſtea Lutetiam redit, ibíque mox nactus quibus ſeſe venditaret, nouam quandam iuris ciuilis cum hiſtoria vniuerſa coniungendi profeſſionem, quam erat iam olim meditatus, aggreditur: & iam ſibi quidã deus videbatur, quum repentè allatus eſt libellus illi pacificatorio oppoſitus, in quo quum grauiſsimè Balduinus tanquam illius author, reprehẽderetur (neque enim tot fraudes diſsimulari abſque manifeſta veritatis proditione poterãt) hanc, vt vocabat, iniuriam impatientiſsimè tulit, quòd omnia ſua conſilia impediri, & ambitionis ſuæ curſum prorſus abrumpi videret. Nam ex Pontificiis, qui eum produxerant, alij eum cœperant aſpernari: alij vt nouo transfugæ non fidebant: aliis prorſus erat ignotus. Nauarrenus eum non alio loco quàm pædagogi habebat. Apud noſtros detectæ erant omnes ipſius fraudes. Supererant qui hominem affectarentur aliquot ἄμουσοι Cauſidici, quîcum iſte rancida quædam iura recoquebat. Iſtos igitur ſibi modis omnibus retinendos cenſuit, & verſutum planè conſilium cepit. Iacebat inter infœlices ipſius chartas quidam ad leges de famoſis libellis commentarius ex omnium ſcriptorum indicibus peculiari quodam iſtius more, velut ex verſicoloribus centonibus conſutus; eum ſtatim iſte iracundus in manus arripit, & addita appendice, multò deteriorem redditum typographo tradit, nec contentus pacificatorium illum librum eiuraſſe, ſic quoque reprehenſorem ſuum excipit, vt nemini dubium ſit quin duo ſimul perficere voluerit, nempe inaudito maledicentiæ exemplo inimicos deterrere, & Pontificiis qui de fide ipſius dubitabant certiſsimis & neceſſariis argumentis defectionem ſuam approbare. Dignatus eſt hunc maledicẽtiſsimum libellum breui reſponſo Caluinus, quem honoris cauſa nomino, & ita quidem vt turpi apoſtatæ inuſſerit perpetuæ, quam merebatur, ignominiæ notam. Reſpondit quoque Ioannes Criſpinus eius conterraneus, & perpetuus, quoad eius fieri potuit, amicus. Adiuncta ſunt quorundam inſignium virorum ſcripta, quibus perpetua iſtius improbitas, ſumma impudentia, & extrema inſcitia ita manifeſtè redarguitur, vt ne nunc quidem poſsit ignorãtiam ſuam diffiteri. Additæ ſunt denique ipſius literæ variis temporibus ad Caluinum ſcriptæ, vt horrẽda iſta defectio, ipſius apoſtatæ teſtimonio apud omnes bonos ſanciretur. Fallitur enim ipſe vehementer, ſi vel Caluinum, vel quẽquam ex noſtris exiſtimat de ipſo laborare, quem pro deplorato habemus, atque adeò cuius malo teſtimonio tantum abeſt, vt nos moueamur, vt etiam eo nos ornari meritò exiſtimemus. Sed ad rem redeo. Allatum eſt hoc reſponſum eo ipſo tempore quo vrbe à Pontificiorum factione occupata, noſtris autem copiis Aureliæ coactis, luctuoſiſsimum illud ciuile bellum inchoabatur. Nullus erat in toto regno locus, nullum oppidum, pagus nullus, imò nulla ferè domus, in qua inſignes motus non exiſterent, vt fieri neceſſe eſt vbi Satan cũ Chriſto luctatur: ſed Lutetiæ præcipuè tumultuabantur, ex qua veluti arce in omnes pios impetus fiebat. At iſte interea velut rebus

bene

bene compoſitis, partim domi ridere: partim etiam in publicum ſecurus prodire: & recocta ſua iura inſipidi palati hominibus proponere: atque adeò, vt tabulam decuit, ne inter arma quidem pati leges quieſcere, homo in id vnum iampridem intentus, vt quibuſcunque modis poſſet, rem faceret. Sed tamē quum ancipitem eſſe belli euentum iudicaret, allato illo reſponſo quo grauiſsimè offendebatur, bilem concoquere maluit, quàm euomere, tantiſper dum aliquid lætioris præſagij poſſet concipere. Quieuit ergo donec ridens ſpectaret noſtrorum cædes tota vrbe fieri, ædes, fortunáſque omnes à furente plebe diripi, honeſtiſsimos viros, ſpectatiſsimas matronas per vrbem media luce lacerari, ſepultorum cadauera effodi, quoſuis crudeliſsimè carnificatos in fluuium præcipitari, non virginibus, non prægnantibus, non ipſis puerulis ab vberibus matrum pendentibus parci. Tum verò iſte ipſis, vt puto, ſaxis ad hæc horrenda ſpectacula colliqueſcentibus, non modò ſecurus omnia ſpectare, ſed vnus etiam eſſe ex iis qui ſtillantia piorum ſanguine non ſenatus ſed perditiſsimorum latronum decreta laudarent: qui mercatorum (quem vocant) præfectum carnificibus præeuntem, vt publicæ libertatis vindicem, in cælum efferrent: qui plebem cæde madentem & rapinis onuſtam, vt nemini parcerent hortarentur: qui toti illi Phariſæorum cohorti frementi, clamanti, vociferanti acclamarent: qui denique Purpurato illi de nobis vt ſeditioſis, impiis, blaſphemis, concionanti accinerent, & beatos prædicarent, qui vel ipſius purpuræ lymbum contigiſſent. Quid plura? commodiſsimum ad reſpondendum tempus nactus calamum arripit, & quicquid virulentiſsima bilis ſuggeſsit (malus certè conſultor) in aliquot infœlices chartas euomit: neque eo facinore contentus, niſi ſeſe eadem opera coccineo illi ſuo numini approbaret, vel potiùs niſi etiam illum χολῇ verè ἀκράτῳ perſunderet, vel hominem, vel Comicam quandam perſonam conduxit, qua ſeſe & libellum ſuum Cardinali cōmendaret. Quid igitur bonus iſte Balduini [illegible] digna eſt certè fabula quæ audiatur: diceres rudiarium quempiam eſſe qui ad validos aliquos gladiatores ſpectādos accurrēs alios etiam aduocet. Certè oportet alicuius eſſe nominis qui dictatorem ipſum ſeditionis ſedandæ cauſa deſignatum, tam familiariter nouit. Verùm qui alia coniectura nituntur, quempiam eſſe dicunt ex eorum numero, qui non quidem in bicipiti Parnaſſo ſomniarūt, vt repentè Poetæ prodirent (hoc enim potiùs polyhiſtori iſti Balduino conuenit) ſed qui in campo vbi belluę, ſtultorum hominum ſumptibus alūtur, vertiginis ſpiritu inebriati, repentè facti ſunt cataphracti equites, vt inſontes, inermes, & iugulum præbentes mactarent. Fecit tamen iſte quod ſomniantes ſolent, vt eorum meminerint quæ vigilantes exercuerunt. Verſatus fuerat in Baſilica, vbi ſicut athletæ in arena, ita etiam iſti aliorū fortunis ludunt. Fingit ergo ſibi vt Pentheus ille duplices Thebas, duos robuſtiſsimos athletas Ioannem Caluinum & Franciſcum Balduinum coram agonotheta Cardinali luctantes. Sed heus tu, bone vir, expergiſcere: nuſquam hîc luditur, niſi tibi fortaſsis religio ludus eſt: nuſquam par athletarum, ſed fugitiuus ſtigmatias inuritur: nullus hîc agonothetes ſedet præter illum Filium Dei, qui tuos iſtos ludos breui in ſempiternum luctum conuertet. Dicis nullum Caluino aduerſarium nobiliorem potuiſſe exiſtere, nempe ſicut Cicero nobilem reum appellat. ſed in eo rurſus ſomnias, quòd pumilionem iſtum quem tu gigantem facis, dignum eſſe putas Herculis claua. Verùm quorſum, inquis, Caluinus Balduinum laceſſat, à quo nulla iniuria, ſed ne verbo quidem ſit vnquam violatus? tibi nimirum qui nullas niſi priuatas cauſas vnquam egiſti, & quidem mercede conductus, nullæ niſi priuatæ iniuriæ cognitæ ſunt: at nos ne neſcias, qui in diuerſo prorſus foro verſamur, priuatas iniurias obliuiſci, publicas quæ in Dei noſtri contumeliam redundant, perſequi neceſſe eſt. Sed tu in eo planè es lepidus, quòd Caluinum fingis audito pij viri nomine offendi, & pacis arbitros veluti iuratos hoſtes odiſſe. Obſecro enim, vt in totam ipſius vitam quàm diligentiſſimè inquiras, vt Balduinum etiam ipſum conſulas, quem tandem illi inimicum fuiſſe comperies, niſi qui veræ religioni bellum indixerit? Imò dum tu, tuique ſimiles non aliunde miſeram vitam ducitis, quàm litem ex lite ſerendo, cui tandem rei optimus & doctiſsimus vir, quàm conſtituendæ Eccleſiæ paci ſtuduit? ſed tibi nimirum, vt illis Theſſalonicēſibus, quorum fit in actis Apoſtolicis mentio pugnax & contentioſus eſt qui & voce, & ſcriptis mendacium, mendacéſque omnes oppugnat. Nos autem tibi, tuique ſimilibus tales eſſe non recuſamus, potiùs quàm proditæ veritatis coram Chriſti tribunali accuſari. Quòd autem ſubiicis, è Caluini ſchola in Galliam eſſe dimiſſos qui diſſenſionum quas toto Franciæ regno ardere cernimus, faces præferrent, eâdem, vt inquit ille, facilitate à nobis contemnitor, qua à vobis dicitur. Quis enim cauſidicum miretur impudenter mentiri? Neque ſanè longiùs accerſendum eſt ſummæ tuæ impudentiæ argumentum, quum ſtatim ſubiicias Balduinum è Germania in Regis Nauarræ clientelam multorum votis, ſtudiiſque expetitum veniſſe. Obſecro enim, cui tandem ſano homini perſuaſeris Nauarrenum, an Balduinus natus eſſet priùs reſciuiſſe, quàm ab iis quorum conſiliis poſtea miſer ille Rex (quod non ſine lachrymis dico) interiit in eius conſpectum produceretur? imò cui tandem notus erat Balduinus, qui non illum non modò vt indoctum, ſed etiam vt impoſtorem & turbulentum hominem aueſaretur? Nam qui hominem vel Biturigibus, vel Argentinæ, vel Heydelbergæ bene norunt, omnes vno ore talem eſſe dicent, qualis eſt à Franciſco Duareno iampridem depictus. Adeò quidem, vt ſi vel vnum idoneum teſtem mihi oſtenderis, quîcum amicitiam ſincerè colere potuerit, calumniator haberi non recuſem. Quære ſaltem, obſecro, quàm honeſtè ex illis Academiis diſceſſerit, & tunc ſi potes, optimum hominem vocato. Ad doctrinam autem eius quod attinet, nec tu certè quantùm video, nec ego fortaſſis idonei eius iudices ſumus. Sed profectò pudendum eſt, & nimium illiberale illud plagium, quod ipſe inficiari nō poteſt de annotationibus in Iuſtiniani Inſtitutiones Brecthano præceptori ſuo ſurreptis. Omitto quæ non modò Ferretus &

Othomannus, quorũ fortaſſis familiaritate tum abutebatur ea vetere illa formola τὰ τῶν φίλων κοινά, ſed etiam maximi ipſius inimici Baro, & Duarenus optimo iure ex iſtius centonibus repetunt. Omitto etiam turpiſſimorum erratorum Centurias, quas Contios & ipſe Iuris interpres in iſtius Conſtantino, quanuis exiguo libello, annotauit. Itaque quum Balduino doctiſſimi nomen decernes, tota doctiſſimorum Iuriſconſultorum cohors intercedet. Et quicunque iſtic ſapiunt, quum tuæ epiſtolæ partem legent, in qua dicis Balduinum Lutetiam quàm plurimorum togatorum precibus & literis accerſitum fuiſſe, cui ſeſe doctiſsimi curiæ patroni, tanquam Moloni cuidam Apollonio recoquendos tradant, primùm omnium falſi te redarguent, quòd de tali magiſtro nunquam cogitarint: deinde etiam te, tuúmque magiſtrum irridebunt, & quærent vbi tandem Molonem iſtum Apollonium inueneris, ea tu non polyhiſtore Balduino, quem tu ſanè potiùs ob lacertorum robur quod tu ei tribuis, cum Milone Crotoniata comparare debueras. Tu igitur & magiſter tuus de hoc videritis. Sed nos certè, neque tu, neque tui condiſcipuli, neque veſter ille recoctor ſub quo tam parum profeciſti, ac multò minus etiam maximus ille vir, quem iudicem appellas, magnoperè perturbabunt: quanuis excellenti memoria te præditum eſſe oporteat, qui quum tuum Cardinalem, cui tam turpiter adularis, dicendo, diſputando, & concionando palmam nobis præreptam reportaſſe ſcribis, eorum etiam quæ nunquam acciderunt tam promptè poſsis recordari.

Sed agè, beluam ipſam audiamus. Primò conqueritur ſe de via longa defeſſum, multis grauioribus moleſtiis fatigatum, & libris diſtitutum, in aulico procinctu tumultuariè ſcribere coactum commentarium ad leges de famo. libel. atque adeò inuitum ad hanc ſui capitis & famæ defenſionem pertractum fuiſſe, quòd videret optimum quenque calumniis vexari, & ſeſe pro alio correptum crudeliſſimè proſcindi. Hæc ille, vt planè diceres in publica commoda grauiſſimè fuiſſe peccatum, quum improbiſsimi & audaciſſimi rabulæ fraudes impedirentur. Homo ſcilicet meritis & pietate grauis, terras & maria conſtituendæ religionis cauſa emenſus, ita properarat, vt aliquot menſium reſpirationem optimo iure requireret. Nam ſi laſſus procumbit humi bos, quis vectario iſti ſiue equo ſiue aſino, pro Romana curia tot labores paucis menſibus perpeſſo, ſaltem idem non concederet? Sed quænam illæ grauiores moleſtiæ quibus fatigabatur? an perpetui labores in publica iuris ciuilis & hiſtoriæ vniuerſæ profeſſione ſubeundi? atqui nihil faciebat libentiùs, & hoc labore non tam ſeſe quàm alios fatigabat. An igitur morbi? optimè valebat. an de iure reſponſiones? ne vnus quidem ab eo conſilium petebat. Quid ergo illud ſit dicam, Balduine. Aſſiduæ illæ domeſticæque furiæ dies noctéſque tanti ſceleris pœnas à te repoſcentes, quieſcere te non ſinebant, ac nunquam certè ſinent. Torquebat mentem (ſi quid modò tibi mentis ſupereſt) ambitio auaritiæ nutrix, quum te ne animæ quidem iactura conſequutum videres quod ſperabas: videbas te pro clariſſimo Iuriſconſulto pædagogum factum, ægrè exiſtimationem tuam apud ignotos homines tueri: ſciebas in qua opinione eſſes apud Argentinenſes, à quibus aufugeras: ſciebas quid de tua perfidia illuſtriſsimus Elector Palatinus & tota illa academia, iudicaret, quid etiam illuſtriſsimus Dux Vvirtemb. ſentiret: aditus iam tibi ad illos Principes (ſcis quos dicam) non patebat, quibus vt gratioſus fieres, conſubſtantiationem, cõtra tuam ipſius conſcientiam, defenderas: mutatus erat Epiſcopi animus, à quo ſaltem conditionem aliquam te conſequi poſſe ſomniaras: in patriam vxoris reuerti non audebas: apud tuos quo loco eſſes memineras. Hæc erant, Balduine, quæ te excruciabant, quum noua etiam illa cura acceſſit, & ea quidẽ grauiſſima, quoniam omnem tibi ad noſtros, ea quorum numero adhuc videri quibuſdam volebas, aditum præcludebat. Sed quum tute tibi tam malè conſuleris, an propterea nos æquum erat ſtultitiæ & audaciæ tuæ pœnas luere? Libris autem fuiſſe te deſtitutum, cuius eſt impudentiæ dicere, quum certum ſit tuum illum commentarium Heydelbergæ cœptum, atque adeò perfectum fuiſſe: & in tanta vrbe eſſes, & ea tuo Typographo (quem poſtea ne verbo quidem iuuiſti quum omnes ipſius fortunas diripi videres) quæcunque libuiſſet, multò meliùs quàm ex tua ipſius bibliotheca depromeres? Sed voluiſti nimirum videri, quod facilè credimus, omnes illos tuos centones ex diuitiis memoriæ tuæ penu ex tempore repræſentaſſe. Verùm quid opus erat hoc labore, aut cur non potiùs iſta tumultuariè ſcribendi moleſtia carebas? an quæſo, verebaris ne vel leges illæ abſq; tuo commentario non intelligerentur, vel aduerſarius tuus non ſatis disertè refutaretur? Imò aliud eſt quod voluiſti, nempe bolum illum qui tibi velut ex faucibus eripiebatur, ita retinere, vt aliquem etiam ea illis quibus aſſentaris ineſcares. Aulicum autem iſtum procinctũ, bone vir, quem tandem nobis confingis? Nam neque te in aula quiſquam requirebat, vbi rariſſimè, & tanquã veſpertilio, apparebas: & Lutetiæ tum verſabaris, vel prorſus otioſus, vel περιπατῶν obambulans, vel quiſquilias tuas repurgans: & vt maximè, in aula verſareris, quid procinctum cauſaris, quum totam illam æſtatem & hyemem nemo neſciat vno in loco tanquam ſuo domicilio, aulam conſtitiſſe? Vides igitur te ne prooemium quidem habiturum fuiſſe, niſi impudentiſſimè mentiri conſtituiſſes. Sed agè, audiamus graues illas cauſas, quibus in hoc certamen es pertractus. Videbas optimum quemque calumniis & famoſis libellis vexari, homo ſcilicet qui cõmunem omnium bonorum cauſam tuendam ſuſcepiſſes. Quid verò? an res iſta tantam diligẽtiam requirebat, vt propterea tumultuariè tibi inſignis iſte commentarius omnino ſcribendus eſſet? an erat (vt tu perpetuò in ore habes) Annibal aliquis ad portas, quem terrificis tuorum centonum crepitibus abigi totius reipublicæ intereſſet? Verùm, cedò, quinam ſunt iſti optimi viri, qui famoſis libellis vexantur? Neque enim nos ita ſolemus aut volumus aut debemus etiam vocari. Et tamen niſi teipſum vis impudentia ſuperare, ne vnum quidem potes oſtendere, præter nos qui tum à furioſiſſimis quibuſdam

dam monachis omni conuitiorum genere proſcindebamur, qui per illud tempus vel leuiſſima eiuſmodi iniuria à quoquam afficeretur. Tuum autem patrocinium tantum abeſt, vt à te, Ecceboli, requiſierimus, vt nunquam etiam alia ratione quàm patientia & ſilentio canes illos compeſcere voluerimus. Sed longè aliud eſt quod te premit. Correptus es pro alio & importunè exagitatus. Hoc verò quàm verum ſit, mox videbimus. Sed ita eſto. Si tanti eſt ille Caſſandri piiſſimi viri liber, quanti tu eſſe vis, non modo tibi facta non eſt iniuria, ſed maximo honore affectus es quum is tibi adſcriberetur. Sed crudeliter proſcindebaris. Imò verò optimo iure & multo leuiùs quàm tuæ proditionis atrocitas merebatur, reprehendebaris. Caput meum petebatur, inquis: atqui nos gladiatores non ſumus, ſed ij potiùs quibuſcum verſaris. Et quum illa ſcriberes, ab eorum conſiliis non prorſus alienus qui iam tum nihil præter Syllanam proſcriptionem ſpirabant, mirum ni ſuauiter, futuræ crudelitatis cogitatione iram tuam exſaturabas. Sed tu tamen profectò vereri non debes vllam in Gallia capitis diminutionem, in qua ne capite quidem cenſearis. Verùm non iocabor tuo more in re maximè ſeria, clames licet & ad rauim vſque, & cum raucis tuis Cauſidicis vociferetis tibi factam iniuriam: nos viciſſim regeremus, malè loquutum non eſſe qui verè ac liberè ſit loqutus: nec tuos illos, quos appellas bonos, ſanos, & cordatos, tuæ conſtantiæ & modeſtiæ laudatores moramur: quoniam & quis ſis, & vbi ſis, & quibuſcum verſeris, nouimus. Dico etiam amplius, quæ te ignominia maneat proſpicimus, quum illi ipſi de quibus nunc tibi places, ſeipſos quòd te aliquid eſſe crediderint, irridebunt. Verùm libet etiam audire quam modeſtiam in reſpondendo adhibueris. Paginas minimùm viginti in deliberando conſumis, quod turpe ſanè eſt tantum iuriſconſultum facere. Quid enim in aliorum cauſa faceres, qui in tuo periculo tam tardè concludis quod facto opus eſt? Modò teipſum conſolaris, modò animum deſpondes, ingemiſcis, indignaris, prodis in aciem, deinde rurſus te ſubducis, times omnia, & tamen audes interdum laceſſere, donec tandem, obfirmato animo, & illa, opinor, tua ſuccenturiata cohorte fretus quæ conſiſtere ibi non poſſet, niſi Euangelio eiurato Sorbonæ ſubſcripſiſſet: tandem vt fortis athleta, iubente nimirum tuo illo ἀγωνοθέτῃ Ioanne Vetere, in arenam deſcendis. Sed tu fortaſſis in eo ſaltem es Ciceronianus, quòd timidè ad dicendum accedis, aut potius quum in eo mercenariorum cœtu verſeris, apud quos nemo mortalium ignorat ſummam impudentiam præcipuæ virtutis loco cenſeri, pudorem tamen apud eos qui te non noſſent, ſimulare voluiſti. Vtcunque ſe res habeat, quanuis in hac perturbatiſſimi hominis de capite ſuo ſoliciti defenſione, neque pes nec caput appareat: tamen, quando tuo Ioanni Veteri, nouo patrono, & tuo etiam nouo mecœnati ſemel gratificari conſtituis, age, Apolloni Molo (vt ille te appellat, quem nondum recoxiſti) videamus quàm illum Ciceronis magiſtrum, actorem, ſcriptorémque præſtantem referas. Miram eſſe dicis noſtræ factionis ad maledicendum facundiam: nempe quia noſtræ huius ciuitatis, in qua ſcis ne maledicere quidem impunè licere, ſic oblitus es, vt nos ex tuorum cauſidicorum conſuetudine metiaris. Libellum quem reprehendis, repetitis ex lenonum ganeis obſcœnorum ſcommatum floſculis comptum eſſe dicis. At te ſaltem meminiſſe oportuerat librum illum in ea ciuitate ſcriptum fuiſſe, vbi capitale eſt vel lenonem vel ſcortatorem eſſe. Et ne tu quidem dicere audebis eum à quo ſcriptus eſt, in iſtis ſcholis quicquam vnquam didiciſſe. Ego verò cui tu non deſinis flagitioſa epigrammata obiicere, tum ab illa vrbe abſens, tibi propinquior eram quàm tu velles: & ille, ſi tibi credimus, ſuperbior eſt quàm vt me ſibi quicquam dictare patiatur. Sed ſcio quid tu quum ita ſcriberes, ſomniares. Quoniam ibi & in eo cœtu eras, & iis placere ſtudebas, vbi ſcortari flagitium non eſt, vbi non ſcortari vitium eſt, vbi denique non vicі tantùm & domus iſtis, quæ tu vocas, dicteriis perſonant, ſed etiam omnium frontes, totíque vultus iis quos tu ganeonum floſculos vocas, efflorefcunt: tu, vt homines furioſi & vertiginoſi ſolent, Geneuam putans Lutetiam eſſe, temerè illa effudiſti. In eadem officina fabricaſti quod ſubiicis, magiſtrum hunc, ſub quo negligens & proteruus diſcipulus tam malè profeciſti, iactare ſeſe ſolo ſibilo multitudinem impellere quòuis poſſe. Scis enim (velis nolis) præcipuam nobis hanc eſſe controuerſiam cum iis ad quos nunc tu deſertor tranſiiſti, quòd imperitam multitudinem nos velimus erudiri, illi verò nulla re magis quàm multitudinis imperitia nitantur. Et ille de quo tu loqueris ſanè tam longiùs aberat quàm vt etiam ſi maximè voluiſſet, poſſent ipſius ſibili iſtinc exaudiri. Nos verò qui ibi eramus, vbi maximè excitandi erant homines, vt ſeſe ſaltem reſpicerẽt, quàm parum fuerimus ab ipſis peritis exauditi, res ipſa declarauit, & dicere nos pudet. Sed iterum tibi accidit quod arreptitiis ſolet. Quoniam ibi verſabaris, vbi furioſam plebem ſolo ſibilo commotam videbas ſingulis momentis ad quoduis patrandum ſcelus ruere, Eccleſiam Christi non aliud quàm Pariſienſem colluuiem eſſe ſomniaſti. Eundem poſtea veritatis defenſorem, & tui reprehenſorem acerrimum in dictatorem, ac paulò pòſt in Olympionicen transformas, quod quum tu facis, eorum certè opinionem confirmas qui te iuſto Dei iudicio iam prorſus inſanire dicunt. Bona verba, mi doctiſſime iuriſconſulte, quum tam multis caueas, ne tibi tam malè conſulito. redi potiùs domũ, & in bona illa conſcientia, quam tu ne per ſomnium quidem vnquã ſenſiſti, acquieſce, meditare domi tuas hiſtorias; ſed caue ne cerebrum paulò infirmius, multitudine tot nominum & rerum obruatur: alioqui futurũ eſt vt in apertam phrenitin magno cum Pariſienſis palatij dãno incurras: quis enim crudos illos cauſidicos recoqueret? Deniq; præſtat vt ſuburbanã academiam in media vrbe ſomnies, & quandoquidem Chamælæontem imitari, reciprocante quadã religionis ſpecie, voluiſti, vento potiùs teipſum paſcas, quàm mœrore & inſomniis conficiat. Sed quorſum hæc monita? video enim te inſaniorẽ factum. Nam tu illum repentè ex triumphali quadriga deturbatum, in anathematũ, quæ tu vocas, plauſtra imponis. Mirabilis certè μεταμόρφωσις, adeò qui-

dem vt verear ne qui hæc tam abſurda legent, me tecum inſanire exiſtiment. Sed tamen quando cœpimus, tecum mihi inſaniendum video. Vnde igitur hęc anathematum plauſtra? nempe vel es tuæ ipſius conſcientiæ armamentario, vel ex Tridentina ſynodo, ad quam tuus ille Cardinalis iam tum deducere te conſtituerat, vt de iuriſconſulto transfuga, teipſo præſente, & (vt planè iuſto Dei iudicio, ſtupidus factus es) de tua ipſius ignominia ſuperbiente, triumpharet. Sed quæſo, an non ſatis erat curruum, niſi rurſus ex plauſtris anathematum detractum, curribus falcatis, & quidem pluribus conductis aurigis, præficeres? Et vnde tandem, miſer, iſta inſomnia? nempe paulò antè quàm iſta dictares, totam vrbem videbas armorum & tormentorum ſtrepitibus concuti. verſabas memoria, vt eum facere oportet qui vniuerſæ hiſtoriæ epitomen tam paruo ſpatio complectitur, bellum illud cum Antiocho geſtum. Crepabat præterea tua illa memoria centonibus poeticis redundans, vel illud Vergilianum, Quadriiugo inuehitur curru: vel terrificum illud Lucretianum, Falciferos memorant currus abſcindere membra. Ita igitur factum vt hunc quem noſti imbecillum homuncionem, magno quidem cum tuo metu, ſed ſummo cum omnium riſu, qui & illum & te norunt, falcatis curribus inuehi fingeres. Quòd autem alios aurigas addidiſti, inde proculdubio natum eſt, quòd de tuis aurigis ſæpe cogitares, à quibus non illa tantùm bibliotheca tua aduehebatur, ſed aliquid etiam amplius quod quum ab te repetetur, vel coram iis ipſis iudicibus, quos tu fingis nobis minitari, nobis ipſis deprecatoribus vti fortaſſis cogeris. Multa ſimilia prætermitto, tuum videlicet monitorē nolle in ius venire, & leges quas nullo iure tuas vocas, aſpernari, potentem eſſe populi magiſtrum multis & miniſtris & mancipiis armatum, & ſatellitibus ſeptum, & factionum ducibus ſubnixum: quæ quum tu dicis, ac multò etiam magis quum ab arena repentè in campum tranſiliens, retiarium & μονομάχον inter ſe comparas, qui non videat te vigilantem ſomniare? Meminiſti etiam ipſius pictorum, ex quo coniicio non tantùm iuriſconſultorum, ſed etiam quorundam ſtultorum memoriam non temerè celebrari, cuiuſmodi iſtic fuiſſe memini Nigonium quendam hominem multis in rebus tui perſimilem, de quo etiam alius erit dicendi locus. Video etiam te non eſſe oblitum vaniſſimæ illius calumniæ qua vir optimus ab iis iam olim aſperſus eſt qui grauius nihil habebant quod ei obiicerent quàm quòd ipſius imagines à neſcio quibus pictoribus circunferrentur, vnde nos hîc eſſe Caluinolatras colligebant. Quaſi verò vel pictorum manus ipſe habeat in poteſtate, quas ne ſummus quidem ille monarcha Alexander ſuis edictis potuit continere: vel artem pingendi inter illicita numeremus: vel non in hoc quoque manifeſtè prodas ſummam ingenij tui malignitatem, qui quod in cæteris non improbas (quid enim eſt magis vulgare clarorum virorum imaginibus?) id in vno Caluino, quem tamen iniquiſſimum foret, ſiquid in hac re peccatum eſſet, alienam culpam luere, tam odioſè reprehendas. Cedò verò, quod tandem eſt folium illud quod iſte affectat? Galliæ regnum nimirum, quod, ſi tibi creditur, nos perturbatores conati ſumus Regi eripere, vt ad iſtum Imperatorem noſtrum transferremus. An verò potiùs noua aliqua Papiſtica ſedes? ita eſt omnino. nam alio quodam loco apertè illum ſcribis de nouo pontificatu maximo ſæpe cogitare. Acutum certè commentum. Eſt enim Caluinus iam inde à pueritia valde ambitioſus, vt tota ipſius vita declarat: prehenſare hos & illos à multis annis non deſtitit, incredibiles diuitias variis artibus ſibi conquiſiuit: aſſentationibus perpetuis plurimos ſibi potentiſſimos homines in omnibus regionibus deuinxit: in Gallia nihil non poteſt per ſuos emiſſarios, quibuſcum prædam ſe diuiſurum pollicitus eſt: deinique vrbem validam, potētem, opportuniſſimo loco ſitam ſibi delegit, vbi iam regnat. Inde vel cum ſuorum manu, at quorum hominum? quibus nihil ſit audacius vel improbius, impetum in omnes terras faciet, vt omnes ſub iugum ſuum compellat: vel certè nouis quibuſdam & inauditis fraudibus illectos huc adducet vt Romanum pōtificatum aut alium Romano parem, ad Caluinum ipſum illius euerſorem, vltrò transferri patiantur. Denique his artibus Geneua (niſi occurrat ſapientiſſimus & prouidentiſſimus Balduinus) altera Roma fiet. En cur trepidare omnes oporteat, & aduerſus vnū oppidulum, & ſeniculum homuncionem coniurare. Nec te pudet, omnium hominum impudentiſſime, rancidas illas futiliſſimorum nebulonum calumnias reponere? Sed quid hoc rei ſit video: feciſti quod homines præ iracundia impotentes ſolent, quum non aliud haberes quod in nos vibrares, hanc etiam proluuiem tibi fortè obuiam, arripuiſti, ſed qua nobis, vt vides, illæſis, teipſum fœdiſſimè profectò conſpurcaſti. Denique quid tibi, obſecro, iudicij inerat, quum quod in Caluino maximè eſt laudabile, tu illi etiam obiicere ſuſtinuiſti? Caluinus familiariter ad ſuum Bucerum ſcribēs conqueritur ſibi cum maximis plurimiſque vitiis, atque in primis cum impatientia luctam eſſe, in qua belua domanda ſperat ſe aliquid profeciſſe, & dolet ſe nondum id eſſe conſequutum vt eam planè domuerit. In his verbis, perdite apoſtata, quid eſt quod reprehēdas? Tu illam epiſtolam eâdem fide qua alia multa, ſurripuiſti, & vt fabularum actores ſolent, memoriæ commendaſti, ſicut olim factitabas, vt apud eos ſummè religioſus videreris, à quibus hoc nomine id ſaltem conſequi volebas, vt te famelicum paſcerent. Nihil dico quod mille teſtibus probari non poſſit. Imò ego ipſe, qui tum Caluinum non niſi ea fama noueram, quique in illo Papatus cœno demerſus, quantum poteram in meum ipſius exitium præceps ruebam, memini te aliquando quum in illa partim otioſiſſimorum, partim in aliis fallendis occupatiſſimorum hominum turba, contractis ſimis tuis naribus prandia & cœnas odorabaris, memini, inquam, te eo tempore integras Melanchthonis, Buceri, & Caluini in primis epiſtolas referre, non aliter quàm paucis pòſt annis Nigonium illum vulgi fabulam, & multò quàm tu ſis μνημονικώτερος, integros Pandectarum titulos, & Plinij libros recitantem audiuimus. Et tu fané mihi iam tum diſplicebas, quoniā & vultus & geſtus, & habitus (quod Nazianzenus in illo Iuliano iam tum obſeruauit, quū Chriſtianiſmū, tuo more, ſimularet) hominē

χεῖρα,

χαῦτα, & ἀναζῆτα manifeſtè arguebat. Sed ad rem. Tu eo temporè Caluini epiſtolarum ἐκδότης, nunc factus es earum exagitator, ea quo ſcilicet (vt tu inquis) ſeriò ſapere didiciſti. Verùm, quid tandem eſt in illa epiſtola reprehendendum? Fatetur ibi Caluinus ſibi luctam eſſe cum multis maximiſque vitiis, & quidem in primis cum impatientia. Quæſo quum hæc profers, an non manifeſtè præuaricaris? An enim hæc ſunt arrogantis hominis, quíque cæteros præ ſe deſpiciat, atq; adeò qui imperium in alios meditetur? imò quod apertiùs teſtimonium ſingularis modeſtiæ & veræ Chriſtianæ παρρησίας requirimus? Sed, inquis, parum in iſta lucta profeciſti. Sanè verò idoneus es iſtarum rerum iudex, & quidem cauſam tuam agens. *Alij*, inquis, *iudicabunt*: Imò verò, putide ſycophanta, iam omnes pij & docti iudicarunt, téque apoſtatam inteſtabilem eſſe pronuntiarunt. Nos verò nunquam pudebit coram Deo & hominibus corruptiſſimæ noſtræ naturæ vitia deplorare, & in nos ipſos quàm ſeueriſſimos eſſe cenſores, nedum vt nos ἀναμαρτήτους eſſe gloriemur. Obſecro enim quid Paulo ipſi faceres, qui ſe peccatorum primum, & quidem iam ſenex & penè rudiarius vocat? Nihilo ſanius tibi cerebrum erat, quum Theologiæ ſcientiam adimeres Caluino, vt ad Germanos & Heluetios transferres. *Non eſt*, inquis, *sua inuentionis: erat iam antea ab aliis vulgata in Germania, & Heluetia, ſed eſt abs te ingeniosè, vel interpolita, vel polita, vel aucta*. Bene habet, Balduine, quod ipſa veritas à te extorquet, Theologiam à Caluino traditam, aliam non eſſe ab ea quam & Germani & Heluetij agnoſcunt. Ea quo efficitur, te quum diſceſſionem faceres à noſtrarum Eccleſiarum, quas Caluinianas appellas, doctrina, à Germanis ſimul & Helueticis Eccleſiis defeciſſe. Quidni enim id faceres, qui huius ſcientiæ inuentionem, non Deo, ſed iis doctoribus adiudices, qui primi Germanos & Heluetios noſtra memoria docuerunt? Sed vide quàm operè fallaris. Si vel Germani illi vel Heluetij hodie eſſent ſuperſtites, de quibus loqueris, non aliter quàm Paulus & Barnabas, ſciſſis veſtibus, & te & hoc ſacrificium ſibi à te oblatum, vt pios decet, execrarentur. Dicerent enim id quod res eſt, ſe non poſſe ſine ſacrilegio dici eius doctrinæ inuentores quæ ſit Prophetarum & Apoſtolorum & voce & ſcriptis explicata. Ad Caluinum autem quod attinet, vt omnes cæci iurent Solem meridie non lucere, lucere tamen propterea non deſinet, & certum eſt ſummos & perpetua omnium ſeculorum memoria dignos ipſius labores, quantò tibi tuiq; ſimilibus viliores fuerint, tantò & præſenti & venturæ ætati pretioſiores futuros. *Quum tu*, inquis, *me deglubis & mactas, ne balare quidem permittis*. Ah, miſer, recurrit phrenitis, quaorùm vidro. Quoniam enim ab eorum latere non diſcedis, qui non aliunde quàm ea miſerarum ouicularum laniena viuunt, idcircò ſomnias tibi cum aliquo eiuſmodi lupo negotium eſſe. Cæterùm tu nos nec vigilans nec ſomnians falles, quia inter ouium balatum, & canis latratus, ſeu potiùs luporum vlulatus, quod ſit diſcrimē ſatis ſupérque didicimus. Sed & tritum illud de Q. Mutio Scæuola à Fimbria accuſato, quorſum, obſecro, profers, vt mutatis nominibus, non fabula (& vtinam fabula eſſet) ſed vera, heu nimiùm vera hiſtoria, narretur? Quid enim aliud te angit præter vnū illud, quòd Eccleſiam Dei non paſſi ſumus à te penitus, tacentibus nobis, opprimi? Tu enim quorſum in aulam? quorſum eo tempore deſerta tua ſtatione? quorſum iis turpiſſimè adulari, iis dico, Balduine, quos nec ego nominare, nec pius quiſquam ea quoquam audire poteſt, quin veluti ad Caligulas, Nerones, Domitianos, Decios, Diocletianos cohorreſcat? Quorſum iis inſeruire quos & Nauarreno & ipſius fratri capitales hoſtes eſſe nemo ignorabat? quorſum eum aſſectari qui an natus eſſes neſciebat, quo à Chriſti veritate abducto tota pontificiorum cohors ſibi plenam de piis omnibus victoriam pollicebatur? qui denique ſimulac tibi tuíque ſimilibus aurem præbuit, non deſtitit, nobis quidem inuitiſſimis & ſurdo fruſtrà canentibus, paulatim ruere, donec præceps ferretur? quorſum tu, inquam, qui nihil vnquam aliud quàm lucrum ſpectaſti, nec iſta vnquam curaras, turbulentis temporibus tot locis diſcurreres, vt conſilia componendis Eccleſiæ diſcordiis inenires, nec tamen verbum vllum cum iis communicares, quos non ignorabas per tot annos, per medias & eas quidem exquiſitiſſimas mortes, cum omnibus inferorum furiis, eum totius mundi verſuria ſimul & robore luctatos, vt Euangelij lucem in patriam inueherent? atque adeò de quorum fide integritate, ſiue ſimplicitate, quam peſſimi etiam quique confiteri coguntur, dubitare non poteras? Si tibi eram ſuſpectus (quanquam nihil hic afferre potes quod te iuuet) at cur non ſaltem vel Lotetiæ vel alibi, vel cum collegis, aut ſaltem cum homine doctiſſimo & integerrimo, P. Martyre, de iiſdem rebus non conferres? Imò ſi te offendebam, cur id Nauarreno apertè non diceres, à quo me ternis literis accerſitum eſſe non ignorabas? an quòd verebaris ne tibi huius laudis partem aliquam præriperem? Te quidem audio (abſente me) ſemel ad Martyrem noſtrum acceſſiſſe, ſed cur tu nos poſtea nō aliter fugiſti, quàm, vt ille noſter ait, improuiſum aſpris veluti qui ſentibus anguem preſſit? nam tibi certè angues eramus. Sed video te quantumuis mendaciis abundantem, & in ea ſchola verſantem, vbi nulla tam mala cauſa eſt, quæ patronos non inueniat, tamen petere vt Amplius pronuntietur. Deliberabis ergo quod potiſſimum mendacium placeat. Ego verò dicam quod res ipſa planum faciet, ſtultum eſſe me qui iſta ex te rogem, quaſi qui malè ageret, tenebras quærere non debuerit. Sed quære latebras, transfuga, quaſcunque poteris, aut etiam quācunque vel natura tibi ſuppeditat vel à tua cohorte nanciſci impudentiam & audaciā poteris opponito: bonitas ipſa cauſæ & tua illa perfidia cuius in tuo pectore inſculptæ, certæ & indelebiles notæ, in tuo iſto vultu eminent, quantumuis ad omnē turpitudinem comparato, tacentibus etiam nobis, latere te diutius non ſinent, & in lucem pertractum, ne reſpirare quidem patientur, donec infœlix perpetuæ coram Deo & hominibus ignominiæ ſententiam in teipſum feras. *Capitis*, inquis, *mei periculo neceſſe eſt occurrere huic Polyphemo*, quod dictum ſanè omnes riſerūt, quum cogitarunt quam aptè & concionē Caluinum, puſillo exhauſtóque corpuſculo, cum Poly-

phemo comparaſſes. Sed effuſus etiam eſt riſus in cachinnum, quum illud legerent quod ſtatim ſubiicis, *Qui fugientem magis inſequeretur*. Quid enim? an tu homo ſcientiſſimus, Polyphemum eſſe exiſtimaſti ex Crocodilorum genere? Omitto triſulcum illud fulmen quod ſtatim ei tribuis, vt Crocodilum etiam in Iouem quem tu Lemanicum perurbanè vocas, transformares. Quidni enim hoc facias, & Poeta, & Hiſtoricus, & Iuriſconſultus, & Eccleſiæ ruentis columen, & quid non? Sed tamen quantumuis audax, Theſeos adiutores aduocas, nempe ipſius Caluini ſiue miniſtros ſiue collegas. Sed vide, cautiſſime Iuriſconſulte, quibus famam & exiſtimationem tuam committas. Nã ſi qui fortè ſunt, quod non puto, qui veſtigia tua ſequuti ſint, didiciſti ex hiſtoriis quas ad vnguem tenes, proditoribus non eſſe fidendum, etiam ſi eorum literas haberes, vt tu dicis, in eam ſententiam ſcriptas. *Vix audeo*, inquis, *adiicere quod adiecerunt*. Deus bone, quid hoc eſt Balduine audaciſſime, quod tantoperè reformidas? *Conſurgendum eſſe aduerſus ſuperbiam quæ ſe attollit ſupra & aduerſus omne numen*, id eſt aduerſus Caluinum. Inepte, ſiquis vnquam hæc ad te ſcripſit, an adeò ſtultus es vt non intelligas vel te ab eo irrideri, vel iſta potiùs in eum ipſum dici cuius numen Tridentum vſque nuper es proſecutus? Quendam alium poſtea, ex tuis nimirum cauſidicis, timidè producis, qui rectè nuper dixerit Herculem potiùs aliquem Caco ſumum atque incendia vana vomẽti obiiciendum. Hominem certè imperterritũ qui non monſtra Herculi, ſed ipſum Herculẽ monſtris auſit obiicere. Verùm iſtos non Cacos tantùm, ſed potiùs καπνοὺς tibi in mentem veniſſe minimè mirum eſt, quum in ipſa eorum ſpelunca degas, atque etiam, ſi verum eſt quod de te prædicant, ſumos illis ſubminiſtres. Tu verò, quandoquidem probabile eſt te poſtquam bilem euomuiſti, paulò moderatiorem factum, mihi, vt ſpero, condonabis, ſi κατὰ λεπτὰ reliquã tuorum proœmiorum partem non perſequar. Duas verè aureoli illius libelli partes eſſe dicis, vnam qua ſuas laudes author ipſe prædicat, alterã qua aliis maledicit. Hoc ergo quid ſit videamus. Quæſieras quomodo ſit auſus Caluinus qui tot habeat inimicos, Balduinum laceſſere. Reſpondet Caluinus nullas ſe vnquam inimicitias priuata cauſa ſuſcepiſſe, nullas à culpa ſua ortas, ſed ſe fortiter & indefatigabili conſtantia perſecutum quicunque Chriſtum & eius Eccleſiam hoſtiliter impetere tentarunt. Hoc tibi quidem glorioſè dictum videtur, Balduine, ſed nihil verius aut modeſtius potuiſſe reſponderi nemo non videt. Illud autem callidè præteriiſti quod te multò magis angebat. Quærit enim ex te Caluinus eo ipſo loco, quî ſit factum, vt te & alios tot pugnis atrocibus exercueris, & cur nuſquam verum amicum reliqueris. Hoc, inquam, ex te quærit. Tu verò appoſitè ſcilicet reſpondes, quum oblitus te Gnatonem eſſe, Thraſonem eum appellas.

Obieceras illi naturam ἀκοινώνητον, & disertè exprobraras quod falſiſsimum eſt, ipſum videlicet, nullum ferre collegam. Reſpondet tibi turpe eſſe hoc dicere, qui quocunque veniſti, omnibus collegis fuiſti intolerabilis. Hoc ita eſſe ſi fortè inficiaberis, prodibunt vt te reum peragant, Doareni manes (liceat enim recoctum Papiſtam ſic alloqui) prodibunt Contius, Cuiatius, Hotomanus, & quis non? Tota etiam ciuitas Argentinenſis te conuincet, vnde profugiſti. Heydelbergæ verò quomodo diſceſſeris omnes norunt. ſed ad rem. Dicit Caluinus ſuam in ferendis non collegis tãtùm, ſed maioribus quoque, nec ferendis tantùm, ſed etiam optandis, moderationem omnibus eſſe notiorem, quàm vt futile tuum cauillum refellere ſit opus. Quid hîc verò tibi immoderatum videtur? nempe vnicum moderationis nomen. Ad rem autem ipſam quod attinet, quîcum tandem ex collegis vel leuiſſimam ſimultatem eum exercuiſſe oſtendes? cui tandem obrrectatum eſſe, quem vel inuidia vel αὐθαδείᾳ aut depreſsiſſe, aut quominus eueheretur impediuiſſe? Quid enim? an nos neſcis in Eccleſia Dei, non autem in monachorum collegio verſari? qua fide ad extremum vſque amicitiam cum ſummis ætatis noſtræ Theologis, Capitone, Bucero, & P. Martyre, Argentinæ coluerit, ne tu quidem ignoras. Quæ ſit ipſius cum Farello & Vireto coniunctio tot annis confirmata, quæ priuatim ipſi cum D. Bullingero amicitia intercedat, quæ ſit præcipuorum totius Heluetiæ & Rhetiæ miniſtrorum erga eum voluntas, ex publicis etiam teſtimoniis apparet. At enim ferendum non eſt quod ſcribit Melanchthonem ſibi eum prætuliſſe. Pudet me, Lector, pluribus hæc perſequi, ne quis fortè de præſtantia quæri inter nos exiſtimet, quum nihil ſit illiberalius, & noſtri etiam ordinis hominibus indignius. Detegenda tamen eſt iſtius rabulæ impudentia. Hæc ſcripſit Caluinus vt iſtius calumniam refelleret, quod nullum ferre poſſet. *Honorifica*, inquit, *Philippi Melanchthonis de me elogia tantum abeſt vt mihi animum inflauerint, vt quum me ſibi præferret, & quidem ſcriptis, dixerim non ferendum eſſe illud mendacium. Is tamen nihil offenſus, reſpondit ſe quod ſcripſerat ſentire & verùm eſſe. Nec verò adeò ſtultus ſum, vt id credam verum eſſe, vel ab aliis credi velim, ſed hoc refero, vt omnibus fateat nebulonis huius Balduini proteruia.* En tibi, Lector, manifeſta Caluinianæ arrogantiæ argumenta: en cur illi exprobret Balduinus, eum de nouo pontificatu cogitare, & cur eum militem glorioſum appellet. Quæ verò ſequuntur, multò ſunt etiam indigniora. Oppoſuit Caluinus iſtius accuſationi, perpetuum minimè ambitioſæ vitæ ſuæ curſum, & tot labores, ipſius fidei diligentiæ & tolerantiæ teſtes futuros. Obſecro enim quid aliud faceret, quàm moueret vt ex fructibus potiùs quàm ex infamis apoſtatæ teſtimonio, de arbore iudiciũ fiat? Exprobrarat ei Balduinus inter cætera, orbitatem, quod maledicti genus prorſus eſt inhumanũ. Reſpondet Caluinus id quod res eſt, ſibi eſſe in toto orbe Chriſtiano filiorum myriadas. Hoc iſte quoque vt arroganter dictum reprehendit. Quia enim ſuo ſcelere eſt abdicatus, ideirco nobis filiorum nomen inuidet. Quid plura? quoniam, vt ſunt Satanæ miniſtri ſuo illi magiſtro ſimiles, quoſdam non pudet Caluino luxum etiam & opes exprobrare, quod publico omnium huius ciuitatis hominum teſtimonio tam ridiculum eſſe probari poteſt, quàm ſi quis Codrũ in Lucullũ transformaret: teſtatur

Caluinus ſe tenuitate ſua contentum frugalitatem colere, atque adeò de ſuo etiam ſtipẽdio, quod tamen ita eſt exiguum, vt certum ſit ſextuplo vix contentum fore Balduinum, aliquid remiſiſſe: cum ſuis æqualibus comiter ſe viuere, & fideliter amicitias tueri, ſuáſque omnes curas ad iuuandas omnes Eccleſias conferre. Quid tu ad hæc, Balduine? hoc tibi videlicet incredibile videtur quem noſtra tenuitas ſtatim hinc extruſit, & inſatiabilis illa ambitio, auaritiæ nutrix, per omnes penè mundi partes verſauit. Sed quod videre non potes, quoniam inuidia tibi oculos eruit, an propterea nuſquam eſt? aut quia pati non potes tua ſcelera contrariis virtutibus redargui, an idcirco verum dici ſine arrogantia non poteſt?

Et hæc quidem de priore illa parte, quandoquidem vti iſta partitione voluiſti. Nunc ad alteram accedamus.

Quia centones illos quos appellas Commentarium ad leges de famoſis libellis, iam pridem à te Heydelbergæ partim ex tuis indicibus conſarcinatos, partim ex Sigonio, Goueano, Cuiatio, ipſóque adeò Duareno, tua fide, id eſt ſuppreſſis eorum nominibus, ad verbum deſcriptos, videri volebas triduo dictaſſe, Caluini (vt tu vocas) conuiciis coactũ: & multum intererat omnes intelligere quam conſcientiam ad cauſam iſtam defendendam attuleris, idcirco Caluinus in ipſo ſtatim ſuæ reſponſionis initio te falſi reum peregit, quòd priuilegium ei ipſi libro excudendo quatuor antè annis impetraſſes, vt altera libri tui pagina teſtatur. Datum enim eſt 25. Iulij, anno 1557. id eſt, quatuor antè annis, quàm hæc controuerſia moueretur. Quid tu verò ad hanc accuſationem reſpondes? non te videlicet, ſed typographum Vvechelum priuilegium illud impetraſſe, & quidem generale, quod ipſe poſtea ad tuum librum accommodauit. Atqui acutiſſime iuriſconſulte, quod priore loco dicis, non ſatis appoſitè dicis. Nam à te impetrari potuit quod tuo typographo daretur. Sed in eo poſita eſt quæſtio, non cui homini, ſed cui imprimendo libro ſit datum. Tu generale fuiſſe dicis quo Vvechelus quoſcunque deinde libros excuderet, ornaret. Si ita eſt, quæſo, cur nulla ne tenuiſſima quidem generalis illius beneficij mentio in ipſius priuilegij (quam vocat) ſententia? Hæc enim ſunt eius verba, *(cautum eſt authoritate regia, ne quis alius præter Andream Vvechelum, hunc ad leges de famoſis libellis, & calumniatoribus commentarium F. Balduini, nunc primùm editum, ante decennium imprimat.* & dies adſcriptus eſt, *Tertio idus Iuny*, 1557. Hoc ita vt ſcriptum eſt, aut verum aut falſum eſſe oportet: Si verum eſt, quod arbitrari malo quàm typographo falſi crimen imponere, apparet te quatuor antè annis aliud de ſcribendo hoc commentario conſilium habuiſſe: ac proinde manifeſti mendacij reus teneris. Quis enim ſibi perſuadeat te tandiu illius commentarij ſcriptionem, impetrato priuilegio, fuiſſe dilaturum? Cur autem editionem in id tempus reieceris, manifeſta eſt ratio, quoniam videlicet quod in alium (ſcis quem intelligam) cogitabas, ſi fortè feciſſes, eo loco & apud eum principem eras, cui reddenda fuiſſet facti tui ratio. Sin autem falſò ſcriptum illud fuiſſe mauis: tu cum eo tranſegeris, in quem hoc crimen deriuas, & quidem immeritò, vt opinor, quoniam eum toto illo bello nobiſcum verſantem, boni viri officio fungentem vidi, & millies etiam conquerentem audiui, quòd tibi in re tam mala, id eſt, in iſtius peſſimi libri editione eſſet obſequutus. Sed ad aliud progrediamur, quod maioris eſt momenti. Quæritur quis author ſit iſtius libelli, De officio pij & publicæ tranquillitatis verè amantis viri in hoc religionis diſſidio. Eum enim tibi initiò adſcripſit Caluinus. Tu contrà maluiſti cælum & terram concutere, quàm hoc confiteri. Scriptum enim & editum fuiſſe in extremis Germaniæ finibus, quum tu in intima eſſes Gallia. Excepit Caluinus, nænias illas fuiſſe quidem è Caſſandri ſinu elicitas, ſed à te ornatas & diuulgatas. Illum igitur veluti matrem iſtius monſtri, te verò obſtetricem fuiſſe. ego verò etiam nutricem dico. Summa eſt, communibus conſiliis fuiſſe hæc omnia à vobis, ad impediendum Euangelij curſum conducta, non aliter comparata, quàm olim fuit in Germania deteſtabilis illa farrago quam INTERIM vocarunt. Id autem ita eſſe, ſpero me tot coniecturis, atque adeò teſtimoniis probaturum, vt inficiando nihil proficias. Scriptus eſt (inquis) editus, diſtractus liber ille, quum de eo nihil quicquam vel audiſſem, vel reſciuiſſem, & ſexcentis propè paſſuum millibus abeſſem. Video ſatis bene conuenire vtranque tuam inficiationem. Sed quàm difficile eſt veritatem prorſus obruere. Componamos, quæſo, cum illis Caſſandri ipſius reſponſionem. Fatetur ſeſe ſiue Coloniæ, ſiue Duiſburgi, in eius denique regionis finibus quæ Galliæ eſt proxima, librum illum ſcripſiſſe. Tu verò, bone vir, quid reſpondes? fuiſſe in extremis Germaniæ finibus ſcriptum. Vel igitur Caſſander, quod certè non puto, non dicit quod res eſt, vel oſtendas oportet Coloniam in extremis Germaniæ finibus tibi Lutetiæ ſcribenti ſitam eſſe, & ſexcentis paſſuum millibus trans ipſum Albin tranſlatam, niſi mauis manifeſti mendacij redargui. Sed de Baſilea nimirum, vel Francfordia tãtum illud interuallum interpretabere. Nam hoc etiam dicis, librum illum & editum, & diſtractum fuiſſe quum de eo nihil quicquam vel audiſſes, vel reſciuiſſes, & ſexcentis propè millibus paſſuum abeſſes. Pagina verò 54, alterius tuæ defenſionis, Coloniæ excuſæ, ad quam nunc reſpondeo: ſic ſcribis, *Quum*, inquis, *eſſem Coloniæ, audio quendam libellum (de quo nihil antea quicquam audieram) Baſileæ excuſum, De officio pij viri, iam circumferri in Gallia.* Ergo, bone vir, diſtractus erat, & in Gallia, te abſente, circumferebatur antequam de eo quicquam audiiſſes. Sed quid ſi Caſſander ipſe te refellat? an quicquam dices quominus falſi reus tenearis? Audiamus ergo quid in ſui libri defenſione dicat ipſe Caſſander. *Certè ſcio, inquit, Balduinũ neque impulſorem, neque authorem, neque adiutorem illius opuſculi, imò neque conſcium vllo modo fuiſſe, priuſquam emiſſus fuiſſet, ac ne tunc quidem de authore quicquã præter ſuſpicionem habuiſſe, quamuis argumentum illi non diſplicuerit, eáque de cauſa exemplaria aliquot in nundinis oblata, amicis diſtribuerit.* Hæc ille, Balduine, cuius teſtimonium eleuare nec potes, nec vis etiam, vt

opinor. Libellum in Gallia circumlatum fuiſſe priùs quàm in nundinis veniret non audebis, vt puto, comminiſci. Quòd ſi huc confugias, vbi illa ſexcenta paſſuum millia, quum tu ipſe d eas te Coloniæ fuiſſe quum in Gallia circumferretur? Sed quid iſtis opus eſt? Tu in ipſis nundinis eras quum primum diſtraberetur, tibi exemplaria offerebantur, tu laudabas, tu amicis diſtribuebas, & tamē poſtea quum Coloniam veniſti, nihil adhuc de libro illo audieras, nec quis author eſſet, vel in nundinis quæſieras, vel ex quoquam intelligere potueras. Quòd ſi mauis te Coloniam priùs quàm ad nundinas veniſſe credamus, non igitur ignorabas Francofurti cuius liber eſſet, quum id antea ex ipſo authore didiciſſes, atque ita fiet vt in Caſſandrum deuoluas mendacij culpam. Vtcunque ſit, vides, contrà quàm teſtabaris, librum iſtum te præſente, imò teipſo diſtributore fuiſſe diſtractum, ac proinde in turpi mendacio te eſſe deprehenſum. Quid igitur reſtitas? quid tergiuerſaris? an vereris ne authori facias iniuriam ſi quid iſta dicas ad te attinere? Si dignus fuit liber quem laudares, quem diſtribueres, cuius cauſa Caſſandrum inuiſeres, quem in Galliam deferres, quem omnibus obtruderes, cur tantam fieri tibi iniuriam clamitas, quum eius author, aut certè conſultor, & approbator fuiſſe diceris? Sed video te, miſer, nimiùm arctè conſtring. Coniecturis igitur agemus, quæ multò ſunt liberiores. Si dicam te illuſtriſſimo Principi Electori mentitum, quum nullius priuati negotij cauſa in Galliam ires, ſed ab aliis quibuſdam eſſes euocatus, negabis, opinor, quia vobis ſcilicet mercenariis Iuriſconſultis ſolennis eſt illa cautio, AVDACTER NEGA, ſed res ipſa te redarguet. Neque enim rectà in Galliam es profectus, ſed nobis compertum eſt & vbi, & quibuſcum, & quorum nomine ſis colloquutus. Neque ad eam rem indicibus opus eſt, quum res ipſa prodat. Cur enim tu ad Nauarrenum? cur de religione cum eo ageres? cur ab eo ad Cardinalem de iiſdem rebus mittereris? quæ omnia tu ipſe ſcribis. Fortuitò ſcilicet hoc accidit tibi nihil eiuſmodi cogitanti. Sed ſi bona & honeſta erant conſilia quæ agitabas, cur vel directè vel obliquè (vt vos loquimini) mentiri apud illuſtriſſimum Principem malebas, quàm ingenuè & ſimpliciter tuæ profectionis cauſam aperire? Iam verò ſi ita eſt, vt ſcribis, te à Nauarreno ad Cardinalem miſſum fuiſſe, à quo tandem hoc conſilium profectum arbitrabimur? an à Rege illo qui toti illi familiæ tum erat optimo iure infenſiſſimus, an à te qui credulum Regem fallere conſtitueras, quique ab eo tempore capitales veræ religionis hoſtes aſſectari nunquam deſtitiſti? Sed, obſecro, quodnam fuit iſtud veſtrum colloquium? *ſanctiſſimum*, inquis, & quidem Deo teſte inuocato, (quod ſacrilegium ego hodie, Balduine, Deum teſtor tibi impune non fore) *nec ei diſſimile quod audio eundem nuper in Germania habuiſſe cum Brentio & eius illuſtriſſimo Principe.* Verè tandem & ingenuè loqueris. Neque enim dubito quin vtriuſque colloquij idem fuerit finis, quomodo videlicet vana ſpe Auguſtanæ confeſſionis obiecta, & Nauarreno omnibúſque Germaniæ Principibus deceptis, quicquid tam magnis laboribus, tantáque animi conſtantia obtinueramus, & Regio edicto nobis concedebatur, repentino incurſu funditus tolleretur. Sed tu, quæſo, vbi tum eras quum colloquutus eſt ille cum Germania Theologis? certè non ita procul, quin facilè poſſes illos exaudire. Contigerunt enim illa extremo menſe Februario. Tu verò proximè inſecutis nundinis interfuiſti, & diſtribuendo illi libro præfuiſti. Quid ſi autem amplius rogem, quænam ſint optima illa mandata cum quibus ais te in Germaniam remiſſum fuiſſe? reſpondebis quod ſcripſiſti, vt tum ab aliis, tum verò à Caſſandro, ad quem propterea Rex idem ſcribebat, eliceres, ſi quid boni conſilij ad dirimendas Eccleſiæ diſſenſiones haberent. Sed vnde notus illi Regi Caſſander niſi ex te? & cur ad illum potiſſimùm cum literis mittebaris, niſi quia iam inter te & Caſſandrum, quo vno præcipuè ad incautum illum Regem miſerè (ſicut triſtiſſimus euentus declarauit) decipiendum abutebaris, de illis omnibus actum & conſtitutum erat? Quòd ſi nihil non rectum & pium libellus ille complectitur, cur obſecro, reticetur ſcriptoris nomen? *ne*, inquis, *libera iudicandi poteſtas præiudicio perſonæ impediretur.* Atqui & ſcriptoris & typographi & vrbis nomina prætermiſſa, librum potiùs meritò ſuſpectum omnibus reddebant. Sed hoc vnum certè curabatis, vt quàm tutiſſimè hæc omnia adminiſtraretis. Itaque vt omnes ſtrophas excogites, & omnium cautionum libros euoluas, nunquam dicendo efficies quin iſtius ſceleris culpa in te penitus redundet. Nam ſic ſtatuo, Caſſandrum id ſcripſiſſe quod ſentit, quanuis ab eius ſentētia plurimùm diſſideam: nec miramur hominem qui nunquam fuit noſtrarum partium, eos pro quibus facit, defendere. Tu verò, aliquoties emanſor & tandem manifeſtus deſertor, tot mendaciorum & proditionum reus, qui illum ad huius facti ſocietatem pellexiſti, qui cum manifeſtiſſimis noſtris hoſtibus vltro te coniunxiſti, qui hæc ab eo captaſti vt haberes quod aliis poſtea venditares, qui denique totum illud virus paſſim effudiſti, quomodo tandem hanc tuam perditam impudentiam, deſperatam audaciam, extremam malitiam excuſabis? Nam quod ad typographi Baſilienſis teſtimonium attinet, non multùm id moramur in re per ſe manifeſta. Sit ſanè vir optimus, quando ita vis. Tu quidem eo es improbior, qui, quem optimum virum vocas, fœnoribus iniquiſſimis oppreſſeris, qua etiam in re ſi velit ille verum fateri, & tu aliquot aliorum teſtimoniis ſteteris, prorſus vereor vt perieris. Quod autem Caluino planè veteratoriè vt accuſationem eluderes, obiecisti, ne refutatione quidem indiget. Nemetenſem Epiſcopum pro Rhedonenſi, id eſt Stichum pro Titio, ſeu potiùs aſinum pro ſtipite fortè Caluinus nominarat: ſed poſtea intellectum errorem emendauit. Tu illum dicis hac ratione contumeliam conduplicaſſe, ſed quo modo id probas? Neque tu verò hoc obſeruaſti aliam ob cauſam, quàm vt illis mitratis præſulibus, quibus nunc adularis, tuam defectionem approbares. Itaque librum illum, in quo Caluinus veritatem Dei aduerſus Tridentini conciliabuli blaſphemias, & piè & eruditè defendit, auſus es virulentæ maledicentiæ farraginem appellare: quod quum tu facis, leuas certè nos probandæ

tuæ s

tuæ defectionis onere. Bene eſt igitur Satanæ mancipium, quòd indicio tuo teipſum prodis. perge modó. Nam eiuſmodi ſeruos tantum abeſt vt tuis dominis inuideamus, vt etiam optemus. Sed quod tu narras de Caluini in ſuam gentem maleuolentia, quoniam ſua ſponte cōcidit, nunquam certè homo extraneus, & ex ea vrbe cuius ſunt inueterata in Gallos odia, verebimur vt Gallis de eo perſuadeas, à quo tot tantáque beneficia in tantis & tam variis calamitatibus acceperunt: & ſi fortè perſuaſiſſes, bona conſcientia illum ſuſtentabit. De illo verò Lotharingo Cancellario quod fingis te non intelligere, accipe paucis ſimul & perſpicuè. Is eſt à quo fœda Euangelii abnegatione reditum iam olim redimere paratus fuiſti. Iam, opinor, quid velim intelligis. Negas te quicquam ſportularum nomine à nouo patrono accepiſſe. Atqui parum probabile eſt cum qui lucri cauſa deſerta Eccleſia Dei, Biturigibus ad vomitum palàm rediit: qui inde Argentinam transfugit, vt diuitis viduæ fortunas auerteret: qui Argentinenſem Magiſtratum fallens eodem tempore cum aliis paciſcebatur, & ab vtriſque ſtipendium accipiebat: qui turpi fœnore in Germania rem auxit, nunc Regum & Cardinalium aſſeclam factum, munera contemnere: Sed illi se fortaſsis, vt alios multos quotidie fefellerunt. At tu, etiam ſi illi parum ſint liberales, ſordidus & [illegible] eſſe non deſinis. Sed ita eſto, vt tu dicis. Tu igitur ipſo Iuda es deteſtabilior, qui ſolo vel Chriſti ipſius vel eius ſeruorum odio, nulla etiam propoſita mercede, leſam Phariſæis prodideris. Verùm bene habet, quòd quem vēdideras, tradere non potuiſti. Neſcio, inquis, an multos habeas in tuo collegio qui mecum gloriari poſsint, nunquam ſe quicquam delibaſſe ex opibus Eccleſiaſticis. Diſce igitur quod neſcis, & aliquid etiam amplius: maiorem videlicet laudem mereri, qui quum non paruas eius generis opes, & quidem nulla ambitione quæſitas poſsiderent, & ampliſsimas certò ſperarent, illas tamen ſponte abiecerunt: quàm qui idcirco nunquam delibarunt quòd qui expetentibus porrigeret, nemo ſit inuentus. Neque verò quum hoc ſcriberem, Balduine, ignorabam quid ſis in me ipſum fortaſſe reſponſurus, & quæ mendacia renouaturus. Sed viciſsim paratum eſſe ſcito quo & vetera & noua maledicta diluam. Cæterùm quod nunc dicam valde profectò ingenioſè excogitaſti, Caluinum videlicet bonis illis Eccleſiaſticis inhiare. Et mox, *Quid putas, inquis, dici poſſe, ſi dicere velim quid nunc tui hauriant?* Item, *Quid ſi artem exactionum, verum tua factionis aliquis deſcriberet?* Nempe hoc eſt quod Poſsiaceni concilii tempore non pudebat aduerſarios noſtros ſpargere, P. Martyrem videlicet quinquagenas libras, me verò tricenas in ſingulos dies auferre. Et tamen quis erat mortalium qui nobis poſſet obiicere nos quicquam præter frugalem victum, & quidem recuſantes, accipere? Memini etiam non ita multò poſt ad Reginam delatos fuiſſe Pariſienſis Eccleſiæ diaconos, quòd neſcio quas ingentes opes ſub eleemoſynarum nomine corraderent. Accerſiti ſunt & auditi, inſpectæ tabulæ accepti & expenſi. Quid multa? irriſa eſt Eccleſiæ paupertas. Et quid referam Laurentii hiſtoriam? Incidimus enim in eadem tempora. Quòd ſi tu, miſer, in iis locis eſſes verſatus, in quibus nos fuimus eo ipſo tempore quo non diſcedebas ab eorum latere, quos tu, tu Balduine non potes, vt maximè velis, neſcire non aliunde quàm ea iſtius regni, ac præcipuè piorum ruina eò vſque paucis annis excreuiſſe, vt nec ſibi nec aliis ſint tolerabiles: tu fortaſsis ab iſtis iniquiſsimis calumniis temperares, & artem iſtam exactionum, à qua tu ſcis quantopere & verbis & re ipſa abhorreamus, vel à tui ordinis hominibus, vel ab iis ad quos tranſiuiſti potiùs diſcederes quàm à nobis, quorum ne tenuitatem quidem mundus ferre poteſt. Vis, Balduine, vt paucis hoc abſoluam? Iudicet Dominus inter te & nos, vt & tu nos alios eſſe, & nos te viciſsim contra conſcientiam nimium flagitioſè iſta confingere nouimus. Dicis etiam te non inquirere quid & quantum & à quibus, & qua arte Caluinus accipiat, ac meritò quidem, quoniam in iſtis inquirendis operam luderes, quam in aliis rebus magis, vt exiſtimas, quæſtuoſis conſumis. Quanquam planè ſuſpicor fore, vt hic quoque vbi te ſumma quæque nacturum ſomnias, [illegible] quod aiunt, [illegible] inuenias. Scripſit Caluinus anno Domini 1532. id eſt, annum ætatis 23. vix ingreſſus, commentarium in Senecæ libellum de Clementia, eiúſque eiuſmodi Balduine, vt paucos commentarios tales à quoquam habeamus, à te verò prorſus nullos qui ſint vlla ex parte cum iſto comparandi, ſimus vnquam habituri, ne ſi tu quidem ad mille ætates non deſinas indices librorum inſpicere, & centones conſuere. Eum iuuenis iuueni, eorundem ſtudiorum ſocio, ſed generis nobilitate claro, D. Egidii abbati dicauit. Nec ille ea ætate habebat quod largiretur, nec iſte, vt res oſtendit, quicquam eiuſmodi captabat. Tu tamen hîc inuenire [illegible] poſſe exiſtimas quod atroderes, ſed niſi pinguius aliquid ſis nactus, prædico tibi fore vt famelicus canis intereas. Venio ad reprehenſionem, cuius authorem facis illum Caluini amicū D. Bucerum, qui ſi hodie viueret, ita te certè exciperet vt mereris. Quædam ante annos aliquot cōtrouerſia non de doctrina, ſed de quibuſdam ἀτάκτοις fratribus inter Eccleſias inciderat. Iudicabat Bucerus Caluinum ſeueriùs cum illis agere quàm par eſſet, & hac occaſione aſperiores literas ad eum dederat, in quibus hoc etiam inerat, *Iudicamus prout amamus, amamus autem prout libet.* Ad eas literas ita reſpondit Caluinus, vt ſingularis modeſtiæ exemplum ediderit. Geſta hæc ſunt familiariter inter amiciſsimos & integerrimos homines. Tu verò vt eum facere decebat quem iam tum Satan ad id opus in quod nunc incumbit præparabat, violata hoſpitij neceſsitudine, literas illas Caluino ſurripuiſti, & ab eo tempore ſeruaſti, quas hoſtibus noſtris nunc oſtentas, vt facto ex muſca elephanto, de ſeruis Dei inter diabolos triumphes. Sed Deo ſit gratia, quòd vel infirmiſsima noſtri parte lethaliter à te vulnerari non poſsimus. Nam ſi dicis vel Caluinum vel Bucerum in hac re modum non tenuiſſe, quid dicis quod humanum non ſit? Sed tamen ſi vnum cum altero neceſſe eſt in hoc facto comparare, eum quem tu maximè reprehendis, culpa vacare, altero etiam

iudice, comperietur. Sic enim agnito errore, optimus ille vir amiciſsimo fratri reſcripſit, *Chriſtus ille ſolus bonus paſtor donet veniam omnibus nobis, quorum culpa hoc tam infinitum offendiculum extitit. Equidem mihi bonam eius culpæ partem adſcribere ipſa me cogit conſcientia.* Et mox poſtquam aliquos nominauit, quibus nimiùm fuerat obſecutus, *Sed quid*, inquit, *facio peccatum meum eleuans, quando ipſa mea me condemnat conſcientia?* Hæc ille totidam verbis, quæ ſi quis cum iis comparet quæ reſpóderat Caluinus, tum videbit verè Chriſtianum certamen, id eſt, non de prædicandis ſuis virtutibus, ſed agnoſcendis potiùs & corrigendis quæ ſuperſunt vitiis, inter ſinceriſsimos amicos inſtitutum. Et tantum abeſt vt quiſquã bonus qui literas iſtas legerit, quarum editionem nobis tam terribiliter minitaris, offendatur, vt econtrariò ſit illud exclamaturus, Næ, iſtiuſmodi hominum magna penuria eſt. At enim, inquis, imprecatus eſt ſibi Caluinus ſi quid vnquam tale ex Bucero audiſſet. Verùm cur tu omittis quod ad rem maximè facit, ſycophanta? Nam hæc ſunt Caluini verba, *Bucerum inquit Balduinus aliquando mihi dixiſſe, nullum me ſeruare odij vel amoris modum: ſed ea me eſſe vehementia, vt vel ſupra cælos attollerem, vel ad inferos vſque deijcerem. Ita verò mihi propitius ſit Deus, ſi quid vnquam tale audierim.* Vides manifeſtè, ſycophanta, etiam ſi iracundia & odio cæcus nihil vides, quæ de Buceri obiurgatione obſcurè ſcripſeras, Caluinum vt de quopiam colloquio accepiſſe, ac proinde memorem eius ſuauiſsimæ, & nunquam interruptæ coniunctionis quæ inter ſe & Bucerum fuiſſet, non temerè in vocem illam erupiſſe. Nihil hoc igitur ad literas, quas ipſas etiam corrumpis. Neque enim ſcripſerat Bucerus, cuius αὐτόγραφον habemus, *Ita iudicas vt amas*, ſed *Ita iudicamus vt amamus*: ſic nimirum vt ſeſe in hoc etiam numero comprehenderet, & commune hominum vitium deploraret. Sed de futili iſta calumnia plus ſatis: cui tamen reſpondere volui, vt quum omnes cognouerint quo maledicendi ardore totus efferueſcas, poſthac tibi de rebus ſimilibus reſpondere non ſit opus. Cõquereris poſtea quòd te egregium ſcilicet τοῦ διαβόλου, id eſt, tuiipſius accuſatorem, Satanam vocauerimus, & quæris an hæc ſit oratio Theologica. Atqui quum tu nos prior in illo tuo commentario διαβόλους, ipſe verè διάβολος appellaris, cur nobis non liceat te vero nomine nuncupare? Neque enim, vt tu garris, ἐνεργούμενοι ſumus quum ſic loquimur, ſed tu potiùs furioſus qui te ita præcipites. Audiuit Satanæ nomen ex ipſius Chriſti ore Petrus, quum duntaxat immodico præceptoris amore extra metas fuiſſet abreptus: & te nefas erit Satanam dicere, qui apertè ad Euangelij hoſtem, ad illum inquam, perditionis filium, Romanum pontificem defeciſti? Quid verò quum proditorem illum Iudam idem Chriſtus diabolum vocaret, an non tuum veluti nomen nobis dictauit? Ac ne quæri poſsis iniuriam tibi fieri, ecce tibi auriculam vello, & LICET ANTESTARI? Hoc ipſo alterius tuæ reſponſionis, id eſt, reperitæ inſaniæ loco, vt aliquid in Caluinum regereres, dicis eum non dubitaſſe ſcribere exorciſtas fuiſſe veteri Eccleſiæ ignotos, quia, inquis, magnificentia tua non dignatur meminiſſe, non eorum minùs quàm diaconorum, in omnibus ſcriptoribus veteris Eccleſiæ, fieri mentionem. Agnoſcis tua verba magnifice pædagoge, nec ipſius ſerui ſeruorum Dei, ſed mancipiorum ſerui ſeruorum Dei, reuerendorum videlicet quorundam Cardinalium aſſeclis, qui ceu tibiæ quædam in Tridentino concilio Balduini vento indigebant, vt aliquid efflare poſſent: tu inquam, niſi cum omni iudicio memoriam etiam tibi Deus ademit, quid ſcripſeris agnoſcis. Lege & relege, ſi vis, quæcunque de exorciſtis ſcripſit Caluinus, quod tu illi impingis, nuſquã inuenies. Sed video quid te feſellerit. inſpicere ſoles librorum indices, & temerè quiduis annotatum in tuos commẽtarios referre: ita fit vt quum omnia tenere imperitis hominibus videaris, vnuſquiſque artis ſuæ peritus te irrideat. Hæc ſunt Caluini verba, lib. Inſtitutionum quarto, cap. 19, ſect. 27. *Dico abſurdum eſſe quòd in ſcholis & Canonibus minores iſtos ordines ſacramenta faciunt, quando eorum etiam qui hoc tradunt confeſsione, primitiuæ Eccleſiæ incogniti fuerunt, & multis poſt annis excogitati. Sacramenta autem quum Dei promiſsionem contineant, neque ab Angelis, neque ab hominibus, ſed à Deo ſolo inſtitui debent, cuius vnius eſt promiſsionem dare.* Hæc ſunt eius verba, quæ non ad res ipſas (locutus enim erat de clericis, Oſtiariis, Lectoribus, Exorciſtis, & Acolythis) ſed ad ordines quibus ii ſtolidiſsimè in Papatu initiantur, eſſe referenda, tota illa tractatio oſtendit. Nam paulò antè, id eſt, ſectione vigeſima quarta ita ſcripſerat, *De veteribus Acoluthis, & Oſtiarijs, & Lectoribus alibi dictum eſt, quum Eccleſiæ ordinem exponeremus. Nobis hic propoſitum eſt duntaxat pugnare contra noſtitium illud inuentum de ſeptemplici ſacramento in ordinibus Eccleſiaſticis, de quo nuſquam alibi quàm apud ineptos iſtos rabulas Canoniſtas & Sorboniſtas legitur.* Quid verò quòd ſequentibus ſectionibus idem agens Caluinus, de presbyteris, diaconis, & hypodiaconis hoc ipſum quod de prioribus illis dicit? Nec tamen es, opinor, tam impudens, vt illi obiicias quòd presbyteros, & diaconos ſcripſerit primitiuæ Eccleſiæ fuiſſe ignotos. Vides ergo te planè διάβολον eſſe, Balduine? Aliud enim eſt negare veterem Eccleſiam iſtas functiones inter illa Eccleſiæ Chriſtianæ Sacramenta numeraſſe, quàm dicere iſtas functiones fuiſſe veteri Eccleſiæ ignotas. Et tamen ne tergiuerſari nos putes, hoc ipſum audeo ego dicere, Balduine, omnes iſtas ſiue ſeptem, ſiue nouem, ſiue plures functiones quæ in perditiſsimi illius Romani Antichriſti lupanari numerantur, ex ipſis inferis emerſiſſe, nec vnquam fuiſſe veteri Eccleſiæ cognitas, quoniam illas non ex nomine quod cum veris illis functionibus Eccleſiaſticis habent commune, ſed ex re ipſa æſtimamus. Hoc ſi tu negas, prodi vel ſolus, vel cum tuo Caſſandro, vel quibuſcunque aliis. Ego veritate Dei fretus, pro hæretico cenſeri, & contrà quàm tua clementia ferat, cremari etiam poſtulo, niſi vos ipſi veſtris ipſorum gladiis vnà cum veſtris ſacrificiis configatis. Sed & quod ad Exorciſtas attinet, hoc dico & affirmo,

Balduine,

Balduine, quocunque modo Exorciſtarum nomen accipias, nunquam te probaturum certos aliquos, vel Apoſtolorum, vel proxima Apoſtolis ætate, fuiſſe deſignatos qui Energumenis manus imponerent. Ridiculum autem eſſe in Eccleſia Romana exorciſtarum ordinationem, ſi tu ipſe nõ vides, quid aliud dixerim, quàm Dominum tibi iuſto ſuo iudicio oculos effodiſſe? Sed ecce tandẽ ad rem ventum eſt. Quorſum enim hæc omnia? vt te apoſtatam eſſe omnes intelligant, quoniam ita opus eſt, vt & tuis & aliorum multorum conſiliis occurratur. Nam quod ad nos priuatim attinet, quis tu es quem vereamur, ne ſi mali quidem eſſe vellemus? Sed hoc vnum optamus, vt quum te omnes norint id ipſum eſſe in Gallia, quod eſt Staphylus in Germania, nullus tibi & toti illi factioni quæ nimiùm ſtultè tibi confidit, ad vllum poſthac decipiendum locus relinquatur. Omnia, inquam, quæ diximus & dicemus huc ſpectãt: quod vbi effectum erit, diſcurſa, tumultuare, vociferare, inſpice tuos indices, euolue hiſtorias, conſue quæcunque ab aliis emendicaſti, mille, ſi voles, commentarios ſtans pede in vno, vno momento dictato, accerſe omnes recoctos tuos cauſidicos: denique vt vno verbo dicam, acheronta illum totum in quo te ſomnias regnare, commoueto, nos quieti expectabimus dum quibuſdam & piis & doctis ſcriptoribus (quos tu ipſe nominatos nunc non auderes improbare) nouum argumentum præbeas ad eam hiſtoriam locupletandam, quam de horrendis Dei iudiciis conſcribunt. Tu verò quid de hoc crimine reſpondes? nihil. veruntamẽ quid obſtrepas audiamus. Primùm omnium grauiſſimè conquereris editas eſſe literas quas olim ad Caluinum ſcripſiſti. Ac tibi quidem hoc factum valde dolere non miror, quoniam plenam ſceleris tui probationem complectitur. Obſecro enim ſi is es qui fuiſti, quid eſt in iis quod te offendat? teſtaris in iis literis te in Papatu languere, & approbare puram Dei doctrinam in hac Eccleſia reſonantem, neque hoc tibi temerè excidit. Quæ tibi fit igitur iniuria, quum eius tam præclaræ cõfeſsionis teſtimonia publicè eduntur? Quid te, inquam, offendit Balduine? quòd futurum vides, vt qui quæ dicis, ſcribis, & facis, cum prioribus illis comparabunt, te vt inſignem apoſtatam execrentur. Atqui hæc contumelia non ab editione tuarum literarum, ſed à tua ſcelerata conſcientia promanat. Teipſum igitur non nos accuſas, quoniam nobis religio fuit perfidum apoſtatam nõ prodere. Quòd ergo ex Cicerone in Antonium recitas, futile eſt. Neque enim quicquam editum eſt à nobis quod tibi honorificum eſſe non potuerit, niſi tu ipſe tua infamia delectareris. Quòd ſi tu quippiam eiuſmodi à nobis habes, agè, proferre ne dubita: non modò non indignabimur, ſed etiam gratiam habebimus, quoniam qui fuimus ex quo in Eccleſia Dei fuimus, iidem ſumus, & eoſdem nos fore ſperamus. Edidi iuuenis, & malis vſus conſultoribus (quum in eo cœno adhuc hærerem, quò nunc, deſerto Chriſto, refugiſti) Epigrammata, quæ nemo adhuc acriùs vel priuatim, vel palàm reprehendit quàm ego. Si tu nunc illa rurſus proferas, & quædam exagites, quod mihi non obſcurè minitaris, feceris quidem malè: ſed an propterea me tibi magnopere indignaturum putas? minimè, ita me bene Deus amet. Neque enim recuſo, ſi ita opus eſt, totius ante Chriſtianiſmi profeſſionem, vitæ meæ errata diſertè reprehendi, vt tanto illuſtrius fiat beneficium quod ſum poſtea per Dei miſericordiã conſequutus. Neque enim mihi turpe eſt à Satana ad Chriſtũ tranſiuiſſe: ſed te qui à pietate cœperas, in impietatẽ vltro & quadã [illegible] ruere, id verò & corã Deo & corã hominibus ignominiam tibi inuſsit ſempiternam. *Hic niger eſt*, inquis, *hunc tu Romane caueto*. At tu noſti iure te hoc ipſo iam pridem à Duareno ita fuiſſe inſectum, vt in teipſum potiùs quàm in alium quemquam illud dixiſſe meritò videaris. Sed quid hoc ad rem? Dic tandem, clariſſimè iuriſconſulte, non de tribus capellis, ſed de apoſtaſiæ crimine, & hanc nigerrimam maculam elue ſi potes. *Erraui*, inquis, *adoleſcens & rerum imperitus*. Audio quid dicas. Quod in te reprehendimus, tuam videlicet à nobis diſceſsionẽ, non modò non infitiaris (nec enim potes) ſed etiã in tãta laude ponis, vt quòd nobiſcum aliquando fueris, inter errata tua numeres. Bene eſt igitur quòd reum confitentem habemus. Sed fortaſſe cauſa cademus, quoniam non alios vis ſedere iudices, quàm illos ipſos aduerſarios qui tui ſunt patroni. Imò verò vide, mi Balduine, quàm ſimus confidentes. Speramus illis etiam iudicibus nos ſuperiores fore. Sic ergo tibi illorum nomine reſpondemus. Dic nobis obſecro, Balduine, quibus ſpatiis tuam iſtam adoleſcentiam & imperitiam termines. Iuuenis planè fugiſti ex patria iſtius nouæ religionis ſtudio faſcinatus, aliquanto pòſt tempore, vixiſti, & quidem in iiſdem ædibus, cum hæreſiarcha Caluino. Magna hæc ſunt & grauia, ſed agè, illi ætati & rerũ imperitiæ condonentur. Quid verò, quũ poſtea Lugdunum veniſſes, & Deus tui miſertus Bituriges te deduxiſſet, vbi noſtræ miſſæ interfuiſti, & nihil nõ dixiſti & feciſti vnde intelligi poſſet te iã tũ reſipuiſſe, quid tibi animi fuiſſe arbitrabimur? Nã ſi Caluinũ adhuc pro tãto Theologo, imò pro parẽte habebas, ſicut literæ tuæ teſtãtur, cur ab eo diſceſſeras? nónne vt nos deciperes? Sin autẽ tu verè nobiſcum ſentiebas, cur te apud nos lãguere, cur te exulare tuis literis teſtabaris? nónne vt cũ deciperes? Imò quũ & nobis & illi mentiebaris, an non iã tum oſtendebas te omnem religionẽ pro ludo habere? Hæc illi, Balduine, ſi de te ex officio, vt vos loquimini, quæſierint, quid reſpondebis? Conſules nimirum tuos indices, & obiecta aliqua narratiuncula homines minimè tibi iratos placabis. Sed quid ſi vrgeant aliquid amplius? Sint omnia iſta, dicent, ætatis & imperitiæ errata. iſta verò quomodo excuſabis? Téne iam virum, iam tot cum tuis collegis, litibus exercitatum, illam academiam, inſalutato hoſpite, deſerere, vt iterum ad illum ipſum hæreſiarcham iresténe poſtea ex eius conſilio Argentinam profectum, publica oratione omnes Galliæ academias vt profanas proſcindere? Imò quaſi hæc omnia non ſufficiant, téne de induſtria ſub Chriſtianorum, quos vocas, iuriſconſultorum nomine, grauiſſimam illam orationem ex ipſius Caluini præſertim libris conſutam edere, in qua Romanam eccleſiam, ſummũ Pontificem, totam illam ſacram hierarchiã, omnia denique noſtra ſacra damnares, pollueres, pedibus denique cõculcares? Quid quòd etiã

illi perdito Bezæ tam amicè, támque familiariter ſcripſiſti, vt te ſecum in eiuſdem laudis ſocietatem venire pateretur? His enim verbis tu vſus es, quum ei gratulatus quòd Bellium & alios academicos refutaſſet, nihil non ei tribueres, & iurares neminem eſſe cuius exemplum & authoritatem ſequi malles. Et iſta quo tandem tempore à te patrata ſunt? quum tu certè nec ætatem nec rerum imperitiam cauſari poſſes. Quid tu ad iſta, Balduine? dices nimirum te paulò pòſt aliqua pœnitentiæ ſigna dediſſe relinquiſſe Argentinam, propter ſacramentariam illam Eccleſiam Gallicam: & Heidelbergæ quadam in Minutium præfatione, non obſcurè iudicaſſe quid de Caluino, & eius factione ſentires: ac tandem etiam contra Zuinglianos non ſemel diſceptaſſe, denique te tandem poſtliminiò ad Eccleſiæ catholicæ Romanæ (ſiue vniuerſalis particularis) gremium, poſt longas illas aberrationes reuertiſſe. Sed ineptè certè facio qui aduerſarium inſtruam. Præſtat igitur ad ea quæ iam dixiſti reſpondere. Dicis te peccaſſe in eo quòd Caluinum religionis (cuius ſtudio ardens te iam tum flagraſſe dicis) magnum doctorem eſſe putaſti. Magnum certè erratum, quod ſedulò etiam emendaſti, quum te in doctiſsimi & religioſiſsimi Cardinalis ſcholam, ac poſtea Sorbonam, ac deinde etiam Tridentum, relicta Geneua, Argentina, & Heidelberga conferres. *Et huius*, inquit, *cæcitatis atque ſtultitiæ magnas do, dedique pœnas*. Diceres certè aliquem eſſe ex veteribus illis martyribus, crudeliter à ſanguinariis Geneuenſibus qui Seruetum cremarunt, excarnificatum. Sed quæ ſunt tantæ iſtæ pœnæ? *Quid*, inquis, *de iactura & damno rei familiaris, vel viginti annorum ærumnis conquerar?* Hic eſt nimirum alter Vlyſſes, aut vir ille nulli pietate ſecundus, multùm & terris iactatus & alto. Sed vt iocari deſinam, dic nobis nugator, quæ tandem eſt iſta tanta iactura? Nam neque multa tum habuiſti quæ amitteres, neque ex bonis vel teruncium amiſiſti. Quid te verò coegit diſcurſare, præter inſatiabilem iſtam & auaritiam & ambitionem, quæ te dies & noctes diſcruciat? Sed interea quid damni tandem accepiſti? Biturigibus ſolus abſque vxore & liberis, amplo ſtipendio docuiſti, ibi viduam locupletem ſubornaſti. Argentinæ poſtea bonam conditionem, ſed quæ tuæ cupiditati non ſatisfaceret nactus, cum illuſtriſsimo Electore Palatino Ottune Henrico ita pactus es, vt eodem tempore à duobus ſtipendium acciperes. Inde, detecta tua fraude, Heidelbergam veniſti, vbi nihil tibi deerat, niſi iamolim tibi quoquo modo conſtitutum fuiſſet omnia experiri, vt aliquem dignitatis gradum vel in Germania, vel in Anglia, vel denique in Gallia, vbi nunc es, obtineres. Et te tamen non pudet, bone vir, quum vt Themiſtocles dicere debueris, Perieram niſi periiſſem, iacturam rei familiaris, & viginti annorum ærumnas penè tragicè lamentari? Et quorſum hæc niſi vt accuſationem eludas? Nam ſi ita eſſet vt tu dicis, an propterea te oportuit animam quoque proiicere? Sed fortaſſe magis appoſita ſunt quæ ſubieciſti. *Tu*, inquis, *meretricios, & turpes, & obſcœnos amores quorundam qui tibi nunc intimi collegæ ſunt ſuauiter tegis: & ferre non potuit me deperiiſſe tuam cuius tunc vlcera ignorabam, conſuetudinem.* Agnoſco, noue Ganymedes, orationē Romano cynædo conuenientem, adeò paucis menſibus in illorum ſchola profeciſti. Parum erat ſcilicet affectati Papatus crimen Caluino impingere, niſi etiam lenonem faceres. Sed coniicio fortaſſe quid velis. Obiicis nimirum mihi quæ paulò antè commemoraui Epigrammata, de quibus paucis tibi reſpondebo. Si tu quædam in illis (neque enim omnia potes) vt impura & obſcœna reprehendis, rectè facis. Sed nemo hoc ante me fecit. Nolui enim illi Heliodoro ſimilis eſſe, qui ſuam χαρίκλειαν ſacerdotio prætulit. Sed contrà & voce & ſcriptis primus damnaui, quæ iſtic, Balduine, ita ſtudioſè doctorum hominum manibus terebantur, vt quanuis multis erratis ſcaterent, tamen nemo eſſet (quod ſine inuidia dictum ſit) qui non in eo ſcribendi genere mihi plurimum tribueret. Quòd ſi meum ipſius teſtimonium tibi non ſatisfacit, at certè ſedecim annorum vita quā Dei beneficio ſine vlla bonorum offenſione, in perpetuis pro Eccleſia laboribus conſumpſi, ſatis, vt opinor, coram æquis omnibus rerum æſtimatoribus, illius ſcriptionis culpas diluet. Sin verò ex illis verſiculis mores etiam meos voles æſtimare, iam nunc volo, Balduine, memineris, me (Dei beneficio) tam multos omnium ordinum homines tum adoleſcentiæ tum iuuentutis in honeſtiſſimis ſtudiis conſumptæ teſtes idoneos habere, vt te tuámque cohortem nihil prorſus reformidē, ne ſiquidem rancidas illas in me & in vxorem meam calumnias vndique conquiſitas recoxerit. Sed quid ſi etiam vera eſſe illa omnia confiterer quæ tu pro veris obiiceres? an non tamen omnia huc tenderent, vt probares me, (quod tamen abſit) ſimilem aliquando iis fuiſſe quos nunc pro numinibus colis? & qua tandem fronte mihi pro vitiis oppones quæ tu iſtic non modò tolerari noſti, ſed etiam inter virtutes penè numerari? Imò vt me antequam Chriſtianiſmum profiterer, quorumuis etiam criminum, ſi ita libet, reum fuiſſe probes, quorſum hoc dedecore Caluinum aſpergas? Quid enim ille commeritus eſt, ſi teterrimum peccatorem Chriſto lucrifecit? imò quid tu non commeritus es, perditiſſime apoſtata, quum hoc audes ei exprobrare? ſed de his plus ſatis. An verò aliquid præterea ſupereſt quod Caluino obiicias? maximé. Nam eſt latro & impoſtor. Quid amplius? liberalis in diſſoluendis votis, & coniugiis. quid amplius? domi ſuæ, fratrem, priore vxore repudiata etiamnum ſuperſtite, alterius maritum eſſe iubet. Sed quorſum hæc portenta? vt videlicet probes aliud eſſe à Caluino quàm à Chriſto diſcedere. Nam illud fateris, iſtud negas. Quid ſi igitur talem illum eſſe non probes? & certè quod tandem vel leuiſsimum argumentum profers, aut etiam proferre poſsis? Meminiſti neſcio cuius coniurationis Gnoſticorum & Manichæorum: repetis Donatiſtarum & Circumcellionum furores: acta Syllana doles cū Propheticis & Apoſtolicis conferri. Sed quorſum iſta tam timidè & tam obſcurè? agè cur apertè non loqueris? vbi argumenta, vbi ſaltem coniecturæ, vbi literæ, vbi teſtes, vbi denique aliquid non rectè dictum aut factum? *Quænam ea ſint*, inquis, *noli ex me quærere. Tu enim ſatis noſti, & quædam ſunt quæ abs verecundo aduerſario nunquam audies.* Itáne verò Balduine? quum tot grauiſsimorum criminum accuſationem

publicè

publicè inſtitueris,non patieris à te probationem aliquam requiri?quùmque tanta rabie ad accuſandum feraris, quantam nemo eſt qui non animaduertat, exiſtimabimus aliqua te verecundia, quum ad probandam accuſationem ventum eſt retineri? an nos iſtic eſſe putas vbi impunè quiduis licet?vbi plebs latronum Senatuſconſultis armatur?vbi denique, quæ vocant iudicia, à cædibus exordiuntur?Non ita eſt,perdite apoſtata. Viuimus adhuc Dei beneficio, & iſtius accuſationis rationem non deerunt qui à te,quum & vbi minimè voles,repoſcant. Sed interea, miſer, vide quàm parum te iuuet iſta tam futilis *ἀντικατηγορία*. Nam quæ tum erat iſtius belli ciuilis,cuius in nos culpam transfers, vel leuiſſima ſuſpicio, quum ad Romanam eccleſiam deſciſceres?Sed fuiſti ſcilicet in iſta defectione confirmatus,quum nos videres religionis prætextu, Franciæ regnum diripere. Sed quod ad illud attinet, continebo ipſe me, tantiſper dum accuſationem tuam audiero. De votis autem & coniugiis,quid tandem garris, importuniſſime homo? Extant Caluini libri,in quibus quæ ſit ipſius de diuortiis ſententia,id eſt, quàm falſum ſit quod ei exprobras, nemo non intelligit. Extant Geneuenſis presbyterii leges,ex quibus incorruptiſſimè iudicatur. Tu ſi potes, illas vel impias vel iniquas eſſe oſtende. In Iacobi familia accidit vt filius concubinam patris violaret,ſocer ex nuru gemellos gigneret. In Dauidis familia,patris vxores filius, frater ſororem ſtuprauit. Horrenda ſanè tragœdia,ſed quæ tamen nec Iacobum nec Dauidem probroſos effecit. Et tu Caluino exprobrabis quòd eius frater,adulterii conuictam vxorem, cognita cauſa repudiauit? At enim iſte priore illa repudiata ſuperſtite,vxorem aliam duxit. ita eſt certè. Cur enim alieni ſceleris culpam lueret?Sed ſcio quid velis. Quoniam hoc tuis illis nouis magiſtris non placet, apud quos ſcortari flagitium non eſt,idcirco nunc in nobis reprehendis quod ante apoſtaſiam tuam laudaſſes. Verùm tuos iſtos garritus ſanè nihil moramur, & minimè veremur vt noſtras Eccleſias in hac re peccare vnquam oſtendas. Verùm vt hoc ſemel abſoluã, quorſum iſta?vt aliud eſſe probes à latrone & impoſtore Caluino quàm à Chriſto deficere. Atqui, facundiſſime cauſidice, nihil hoc ad rem. Neque enim te à Caluino ad Cardinalem, ab Heidelbergenſi academia ad Sorbonæ colluuiem,ſed ab Eccleſia Dei ad Romanæ meretricis lupanar, à Chriſto ad Satanã defeciſſe dicimus. Quòd ſi probationes requiris,non repetam quæ iam toties dixi, ſed ex hoc ipſo tuo libello reſponſum ſumam. *Quum his diebus*,inquis,*hiſtoriam Donatiſtarum colligerem, & eo nomine Optati libros contra Parmenianum Donatiſtam,non ſolum excuſos,ſed etiam manuſcriptos* (hoc enim magnopere nos intereſt ſcire) *euoluerem,incidi in eum locum,quo refellit Donatiſtas,qui aliis obiicientes quod communicabant,Iamnem & Mambren cum pacificis (vt ait) Catholicis comparabant.* Et tertia pòſt pagina, *Memini*,inquis,*quod narrat Auguſtinus, olim Petilianum quendam Donatiſtarum apoſtatarum ducem & epiſcopum,clamitare ſolitum eſſe,Totus mundus apoſtatauit:nos autem in Eccleſia permanſimus, tanquã duæ illæ Tribus in populo Dei.* Et mox, *Tu in priori tua contra me declamatione Eccleſiam à qua defeciſti, compararas cum decem Tribubus Iſraelis quæ Ieroboam ſequutæ ſunt.* Et paulò pòſt, *Itaque tuam ſynagogam vis haberi pro regno Iudæ,pro duabus,inquam,illis Tribubus quæ Roboamo paruerunt. Sed hæc tua iactantia quid eſt aliud quàm recocta crambe Donatiſtarum? Quid verò Donatiſtis reſponderit Auguſtinus relegito.* Et poſtea, *Nam iterum profiteor me in Auguſtini ſententiam iuiſſe, quam Chriſtianam eſſe ſentio.* Hæc tu totidem verbis,Balduine. Cedò igitur quæ illa eſt Eccleſia à qua defecit Caluinus? Nónne Romana?quinam illi catholici,quos vocas?nónne ii quos antea oppugnabas? quibuſcum te nunc adiunxiſti?in quorum denique ſynodum nuper Tridenti fuiſti à tuo Cardinali introductus?Quid ergo reſtitas?quid tergiuerſaris?cur non apertè dicis quod ſentis? cur tui ſaltem Caſſandri ingenuitatem non imitaris? Fatere igitur te non à Caluino, ſed ab Eccleſiis omnibus quæ Romanam eccleſiam habent pro Satanæ ſynagoga,ad Papiſticos cœtus tranſiiſſe. Nos id vocamus *ἀποστασίαν*. Tu nos ex aduerſo facis apoſtatas quales olim fuerunt Donatiſtæ,& eos Catholicos vocas ad quos à nobis iam ſecundò deſciuiſti. Conſtet ergo de facto,& ſuperſit quæſtio de iure. Hoc quum tu voles, defende. Nos,vt ſpero,vel ipſo ſedente Auguſtino, cuius authoritate abuteris,cauſam noſtram ita quũ opus erit defendemus,vt & Deo & tuis ipſis Cardinalibus fœteas. Sed agè ſi quam habes meliorem defenſionem,profer to. *Dicam*,inquis,*non modò περὶ ἀποστασίας, ſed etiam περὶ ἀποστάσεως*. Atqui,bone vir,nihil hoc ad rem,de illa potiùs dicito. *Otium*,inquit, *nullum mihi concedunt tui tumultus, bibliotheca mea è Germania non eſt aduecta, armis tuis potiùs quàm libris meis ſeptus, tumultuariè hæc dictare cogor.* Quid audio,Balduine?nec libros nec otium habes ad reſpondendum, qui legum commentarios ſcribis? qui iuriſprudentiam cum vniuerſali hiſtoria coniũgis? qui Donatiſtarum hiſtoriam colligis? qui denique non excuſos modò, ſed etiam manuſcriptos libros euoluis?& quid libris opus eſt?Quid ſit *ἀποστασία*, an non in tua ipſius conſcientia inſculptum circũfers?Cur igitur inde non depromis?ſi falſum crimen impingimus, cur communem nobiſcum fidei confeſsionem non edis? Sed me nimiùm premis, inquies. Imò non deſinam vrgere, donec aliquid exprimam. *Primùm*, inquis, *definienda tibi eſt ἀποστασία, & inde Criſpinum oportuit ſuam ad leges de apoſtatis tractationem inchoare.* Agè igitur ex tuis iuriſconſultis definitionem petamus, ne nos cauſeris apoſtatas non multò meliùs definiuiſſe, quàm tuus ille collega Caſtellio, hæreticos à me deſcriptos fuiſſe dicit. Apoſtatas definiunt duo Imperatores appellari, qui nomine Chriſtianitatis imbuti, ſacrificia ſacrilega vel fecerint, vel facienda mandauerint. Hac lege te teneri, impuriſſime transfuga, dicunt omnes illi tum viui tum mortui, qui quoniam te non norant, teſtimonium tibi alicuius pietatis olim dederunt, ne tu cum ſololillo tibi negotium eſſe putes quem per ludibrium, Librarium appellas. Et ille,quæſo, quis eſt?vis vno verbo complectar quæcunque de viro bono & pio dici poſſunt?non vis certè,quoniam

ſi hoc dixero, vetus illud putris tuæ conſcientiæ planè κακόηθες vlcus lancinabo, ſed tamen dicam vt tibi gratificer. Criſpinus is eſt, conterraneus quidem tuus, ſed planè tibi diſsimilis. Nam dum te miſeruin ambitio per ſcholas, per omnia fora inſtar pilæ huc & illuc verſat, dum omnibus & bonis & malis intolerabilis diſcurris, dum nihil tibi præter lucrum dulce eſt: ipſe non otioſus ſed quietus, in Eccleſia optimè, velis nolis, conſtituta, in qua nulli homini cuiuſmodi tu es conſiſtere licet, per annos quindecim bona & honeſta fama vixit. Et quum poſſet tibi in ea ipſa arte quã profiteris eſſe præceptor, atque adeò vitam ex ea multis rationibus tolerare, tamen ad typographicã animum appulit, in qua quum ita ſit verſatus, vt diuinarum humanarúmque literarum ſtudioſi multum ei ſe debere fateantur, quod tibi quæſo iudicium erat, ſycophanta, quum ei tam honeſtã, iámque neceſſariam artem quaſi ſordidum aliquod artificium obiiceres: quum, inquam, eum chalcographum & librarium per ludibrium vocares? Quid ſi igitur vel Chriſti exemplo τὴν τεκτονικὴν, vel Paulum ſequutus σκηνοποιητικὴν exercuiſſet, an propterea apoſtata eſſe deſineres? Sed tu nimirum ex quo factus es pro iuriſconſulto epiſcopi pueri pædagogus, & cum iis verſari cœpiſti quibus turpiſsimum eſt non otiari, oblitus te aliquando Lugduni fuiſſe Sebaſtiani Gryphii mancipium, bono & honeſto, id eſt tui penitus diſsimili viro, vitio vertis quòd Lexicon Græcolatinum quale antè editum non fuit, maximo tum ſumptu tum labore in publicum emiſerit. Sit ergo ſanè χαλκόχαρτος, ſit λεξικόγραφος. Nunquam illum pudebit, dum peſsimos libros cõſuis, optimos excudiſſe. Sed agè tandem dic nobis aliquid de tribus capellis, & vt tu loqueris, BREVE FACITO. Video enim te ſiue apud tuum Cardinalem, ſiue apud legatum illum qui nuper in Gallia fuit, ita iam profeciſſe in Romanæ curiæ ſtylo, quem vocant, vt breue etiam facere didiceris. Quid? an tibi non placet nos iocari? atqui non minùs id mihi licet quã tibi: & dignus es omnino cui pro immenſis quos ſuſtinuiſti laboribus, vt nos ex tuo illo myſtagogo Miſſam & collectam antiqua eſſe vocabula doceres, ſaltem breue iſtud Apoſtolicum tibi (vt ſpero) non ingratum futurum expediremus. Sed agè, mi homo, nunquámne aliquid dices de tribus capellis? ne nunc quidem. Dicis enim te malle ἐν ἀπορρήτοις differere, & nuntium nobis remittere. Agnoſco iterum orationem planè dignam Romanis ſubſelliis, ſiquidem dum ita loqueris, viros iam habes pro vxoribus. Sin autem tu iſta qua tantopere delectaris allegoria, mauis vxoris perſonam ſuſtinere, non eſt ſanè quod de diuortio laboremus, quũ de adulterio cum Romana meretrice tuo, ſatis ſupérque conſtet. Sed agè rurſus, nũquam ne aliquid, mi homo, de tribus capellis? ne nunc quidem. Mauis enim nos docere, Iulianum apoſtatam eum eſſe quem Ambroſius præuaricatorem, Euſtachius παραβάτην vocat. Magna certè & recondita myſteria, quaſi verò quicquam ſit apud Græcos illius ætatis Theologos magis vulgare. Sed iſta planè te decent, quoniam nulla res eſt de qua potiùs cogitare nunc debeas. Verùm, nunquam ne tandem de tribus iſtis capellis aliquid? Sanè tandem aliquid, ſed cuiuſmodi? *Apoſtatæ, inquit, ex illa lege dicuntur, qui vel ad Iudaiſmum, vel ad Paganiſmum deſciſcunt.* Hinc concludis te illa lege non teneri. Ego verò primùm omniũ quæro ex te, ſi quis ad Mahometiſmũ hodie deficeret, qua ratione illum poſsis ab apoſtaſiæ crimine ex hac ipſa lege liberare? Quid ſi quis ad Atheiſmum? an non apoſtata eo ipſo iure diceretur? Certè ita nos loqui docet Paulus ad Timotheum ſcribens, de iis omnibus qui à fide ad doctrinam dæmoniorum deſciſcunt: neque exiſtimandum eſt Imperatores illos, quum eas ſpecies apoſtaſiæ exprimerent, alias quarum ſimilis eſt ratio, excludere voluiſſe. Hoc autem dico, ego, Balduine, nulla vnquam fuiſſe tam ſacrilega Paganorum ſacrificia, nullum nunc Iudaicum ritum tam eſſe Deo deteſtabilem, quàm eſt nefandiſsimum illud pro viuis & mortuis ſacrificium, execrabilis illa ἀρτολατρεία, totius denique Cœnæ Dominicæ horrenda profanatio, quam iſtic Miſſam vocant. Hanc ſi tu non probas, cur à puris Eccleſiis ad Papiſticas tranſiuiſti? cur iſtis ſacris vel primus intereſſe ſoles? Audiamus quæſo, quid ad hæc reſpondeas. Primùm tergiuerſaris tuo more, & Caluinum dicis commune potiùs aliquid cum Iudæis & Paganis habere in ſeditionibus religionis prætextu excitandis: & cum Nouatianis, in eo quòd nonos per plurimas ciuitates Apoſtolos ſubmittens, & quædam recentia ſuæ inſtitutionis fundamẽta conſtituens, & quum iam pridem per omnes prouincias creati ſint Epiſcopi, alios Epiſcopos creans, humanam eccleſiam facere conetur. Atqui, Balduine, nihil hæc ad rhombum. nam etiam ſi quibuſuis Iudæis vel Paganis deteriores eſſemus, tu tamen propterea infamis apoſtata eſſe nõ deſineres. Libet tamen pauca de tuis iſtis conuitiis reſpondere. Quum bellum anno ſuperiore in Gallia non à nobis, vt tu impudenter mentiris, ſed ab eo excitaretur qui primus in oppido Vaſſiaceno claſsicum cecinit, & eam pluſquam Syllanam immanitatem in imbellem turbam exercuit, cuius memoriam nulla vnquã delebit obliuio: nec Caluinus in Gallia tum erat, nec ego vel quiſquam alius ipſius negotia gerebamus: & ſi qua in hac re culpa eſſet, cuiuſuis alterius aut mea etiã, ſi vis, potiùs eſſet quàm illius, quem ego ſanctè affirmare poſſum de copiis ab illuſtriſsimo illo Principe ad vim à piorum capitibus arcendam ſumma celeritate cõparatis, priùs audiuiſſe, quàm quicquam tale à nobis parari cognouiſſet. Nos verò poſtea ipſius tum conſilio tum precibus (quid enim aliud conferret?) non mediocriter adiutos fuiſſe ſi negabo, quomodo tandem iſtud niſi infirmis coniecturis probabis? Sed abſit vt hoc velim ab eo factum inficiari, quod ni feciſſet, boni viri officio certè defunctus non eſſet. Quum autem iſtam innocentum hominum non minùs neceſſariam quàm iuſtam defenſionem à fortiſsimo Principe Condæo, & magna Gallicæ nobilitatis parte ſuſceptam, à ſereniſsima Angliæ Regina, & quinque illuſtriſsimis Germaniæ Principibus, non modò verbis & literis, ſed etiam miſſo milite & pecunia ſuppeditata comprobatam, tu, tu iſte ſcilicet Gnatho, audes ſeditionem, coniurationem, latrocinium vocare, quid aliud quàm Deum & homines laceſsis? Et de ſeditione quidem hactenus. Eccleſiam autem illam humanã digito, quæſo,

nobis

nobis demonſtra. Extat doctrinæ confeſsio, extat noſtrorum rituum formula, notum eſt quem ordinem in eligendis miniſtris, diaconis, & presbyteris ſeruemus. Si quid in his vel contra verbum Dei, vel contra purioris Eccleſiæ authoritatem conſtitutum exiſtimabas, cur adhuc diſsimulaſti, aut cur hodie diſsimulas? Errores oſtende & redargue, ſicut te facturum bonis illis Præſulibus promiſiſti. Spondeo nos quicquid malum eſſe conſtiterit, ſtatim correcturos. Videor enim mihi, quis ſit in ea re fratrum animus penitus tenere. Sin minùs, an fore putas vt qui flāmas olim, Dei gratia freti, non ſeformidauimus, vanis tuis latratibus perterrefacti, ab opere vel tantillùm deſiſtamus? ſed & nouos iſtos ſummiſſos Apoſtolos oſtende. Nos quidem tantum abeſt vt vllos in noſtris Eccleſiis Apoſtolos numeremus, vt etiam ab Epiſcoporum nomine libenter abſtineamus. Si de me hoc intelligis, fuerim certè non Caluini, ſed Nauarreni ipſius apoſtolus, quum bis ab eo maximis precibus fuerim euocatus: & poſtea colloquio Poſsiaceno à bonis illis Patribus, vt omnes norunt, abruptio, quum ad meum miniſterium reuerti vellem, ab ipſa Regina in Gallis patria mea, retentus. Sin alium quempiam intelligis, vel vnum, ſi potes, nominato qui non fuerit orantibus & inſtantibus Eccleſiis, non à Caluino priuatim, ſed à toto miniſtrorum huius Eccleſiæ cœtu conceſſus vel potiùs extortus, ac etiam poſtea ipſarum Eccleſiarum ſuffragiis admiſſus. Quid enim? an hoc nouum eſt vt qui idoneis hominibus deſtituuntur, quos ad paſtorum munus obeundum deligant, ex iis Eccleſiis petant, vbi aliquos obtineri poſſe norint? Sed coniicio quid velis. Epiſcopos dicis iampridem per omnes Eccleſias fuiſſe conſtitutos. Illos igitur velles à noſtris conſuli. & quia id non eſt factum, nos impoſtores, deſertores, nouatores, pſeudoepiſcopos denique appellas. Et te fœdifragum apoſtatam eſſe negas?

Sed aliam fortaſsis defenſionem habes meliorem. Dicis te nunquam fuiſſe ſacrificum. Adde, ſi vis, neque nunc eſſe poſſe. Præterquam enim quòd viduam duxiſti, ibi es vbi coniugatum eſſe tā nefas eſt ſacrificis, quàm ſcortatorem non eſſe: ac meritò quidem, quum nefanda illa ſacra digna ſint quæ nullis niſi impuriſſimis committantur. Sed ſi omnes apoſtatas vis eſſe vel fieri ſacrificos, vide quid mediteris. Nam quum iam olim conſtitutum eſſe ſcias vt nemo ſine titulo ordinetur, pro eo quòd ſingulis multa ſacerdotia nunc attribuuntur, multos contrà oportuerit vno eſſe cōtentos, quam nouationem tu ſcis ab illis longè magis quàm Deum ipſum metui. Tu igitur de his deliberabis, ſed interea plenis buccis te apoſtatam, ſicuti par eſt, omnes ii nobiſcum vocabunt qui nullam in Papatu legitimam Eccleſiaſticam vocationem agnoſcunt. Sed video, vt es homo perſpicax, optimam rationem à te eſſe excogitatam, qua nobis perpetuum ſilentium indicas. Minitaris enim te noſtrorum ſiue ſacrorum, ſiue Sacramentorum, ſiue ſacrificiorum, atque etiam conſiliorū & arcanarum communicationum myſteria euulgaturum, atque adeò inſignem de his rebus hiſtoriam ſcripturum. Sed vide, Balduine quàm gnauiter ſimus impudentes. Nobis nō ſatis eſt eſſe peſſimis, niſi etiam publicè tales ſimus. Verbum Dei volumus vernaculis linguis à quibuſuis legi: in noſtram doctrinam à quibuſuis inquiri: preces publicas ab omnibus intelligi: Sacramenta nudè & ſimpliciter audientibus & intelligētibus omnibus adminiſtrari: nihil deniq; in Eccleſia clàm geri. Iſtā ergo euulgationē iis minitare, ſi voles, qui nulla re magis quàm tenebris delectātur. Nos verò quales ſumus, tales ab omnibus videri & cognoſci optamus. Itaq; ſi quid arcani habes, ne dubita enunciare. Tantùm petimus, quod nunquam tamen facies, nempe vt memineris, hiſtoriam ſcribenti mentiri non licere. Verùm ſi vis nos compeſcere, aliud quippiam excogites oportet. Quid igitur? *Nulla, inquis, niſi Chriſtianorum aut ſequor, aut agnoſco ſacrificia, nulla niſi ſacroſancta, legitima, & religioſa, nulla niſi quæ poſt Apoſtolos in Eccleſia veteri fuiſſe, & pijs omnibus meritò placuiſſe didici.* Quid audio, Balduine? Hoc verò eſſet aliquid, ſi verum eſſet. Verùm quos mihi Chriſtianos, quæ ſacrificia vocas? Nā Lutetiæ, vbi tu ferè ſemper fuiſti, nulli prorſus Chriſtiano niſi vel penitiſsimè occulto, vel Papiſmū ſimulanti, nulli, inquā, prorſus nec ſeni nec iuueni, nec viro nec fœminæ, nec pauperi, nec locupleti, nedum Verbi miniſtro ab hinc ferè ſeſquiānum viuere licuiſſe: nullā totam eo tēpore ſacram concionem ibi habitam, nullas publicas preces, nullum Baptiſmum ritè celebratum, nullam Cœnā Domini rectè celebratā totus orbis nouit. Itáque hoc ita eſſe non magis potes inficiari, quàm ſolem Meridie non lucere. Quibúſcum autem interea ſis verſatus, nempe cum deſperatiſſimis noſtræ (ſiue illam veram ſiue falſam appelles) Religionis hoſtibus nemine ignorare voluiſti. Cedò igitur ingenuè profitere quænam iſta ſint Chriſtianorum ſacroſancta, legitima, & religioſa ſacrificia. Age, inquam, nunquámne apertè loqueris? adeóne te Miſſæ pudet vt eius nomen efferre tantopere verearis? Hæc eſt, impure canis, fœdiſsima Satanæ proluuies, quam ſecūdò iam reſorpſiſti: atque vtinam ita totam abſorpſiſſes vt nuſquam extaret. Hoc eſt monſtrum cuius ſcurrilem, quam tu vocas, anatomiam deploras. Hæ ſunt omnes maiorum noſtrorum ceremoniæ, quas te, te Balduine, deploratum apoſtatam, nō pudet ſcribere, ad dedecus nominis Chriſtiani, in theatricam ſaltationem ab optimo & doctiſſimo viro P. Vireto, (is enim eſt, quē tu carpis) fuiſſe conuerſas. Hæc ſunt quæ tu vocas Chriſtianorum ſacra: quæ tu, [illegible], homo ſcilicet veteranus, ſacrilega quadam audacia contumelioſè conculcare, tu, tu apoſtata, diſertè ſcribis. Et tamen adhuc latere te poſſe exiſtimas? Vis enim neſcio quid authoritatis apud eos retinere qui nonnullos adhuc ex veteribus illis ritibus obſeruant. *Nam, inquis, deteſtor & fugio quæcunque vel vitioſa vel impura eſſe ſcio.* Audio generale [illegible]. Sed ſi quis ex te quærat, quænam iſta ſint vitioſa, & impura, tu nobis quidem aliquid in aurem: aliis verò te vel omnia approbare, vel hypocritam eſſe neceſſariò fateberis. At ego [illegible]. Quid puſit, certis aduerſus ſuperſtitiones adhibitis remedijs, ex tota illa actione retineri, [illegible] diſputandum relinquo.

qui certis de cauſis ita in iis locis in quibus verſantur, faciẽdum putant. Ego verò totam illam execrandam ſacræ Cœnæ profanationem,& crucis Domini impiiſſimam conculcationem toto pectore deteſtari me fateor, & Deum ac Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti precor vt breui in te lutulento porco, qui ad iſtud cœnum vltro & certa malitia reuerſus es,id exemplum edat, quo totus orbis erudiatur. Habes noſtram ſententiam, apoſtata, quam vt ſecurus rideas, tamen in cœlo ratã eſſe ſcimus,& tu re ipſa ſenties. *Certè*, inquis, *concoquere non poſſum quod tui quidem volunt, noſtros Principes habendos eſſe pro Paganis vel Ethnicis.* Agnoſco verſipellis cauſidici aſtutiam. Tu libenter Principes in tui locum ſubſtitueres, vt cauſam tuam agerent. Cedò verò quos appellas noſtros Principes? Nam tu quidem in Gallia peregrinus, nullos cum Gallis Principes habes communes. Sed de quibuſcunque loquaris, nihil intereſt. Nos ſanè dolemus principes multos in Romanæ illius meretricis cultu per impuros quoſdam lenones adhuc retineri, nec etiam illis tuo more adulari aut volumus aut poſſumus. Sed interea non aliter nos de iis ſentire, ſcribere,& loqui, quã eorum dignitas ferat,& Deum & homines teſtamur. Abſit etiam vt omnes qui in illis tenebris adhuc verſantur, pro Paganis & Ethnicis, tuiq; ſimilibus habeamus. Quòd ſi nos amplius vrgeas, non deeſt quidem reſponſum, ſed quod tum demum audies, quum nos viciſſim docueris, ecquid pro hæreticis,& orbis Chriſtiani perturbatoribus, tot Reges & Principes habeas, à quibus non minùs quàm à nobis quos tu contemnis,& is quẽ tu nunc adoras, Romanus Pontifex, pro Antichriſto:& Romana eccleſia pro Satanæ ſynagoga:& tua illa miſſa in primis pro omnium quas vnquam Satan commentus eſt maximè execranda blaſpemia habetur. Sed quando ita iubes, redeo ad legẽ de apoſtatis. Miraris Caluino non videri apoſtatas tam multos qui ſacrilegiis nostri ad eum deficiant ac confugiant. At ego te miror inter Cardinales, Epiſcopos, & totam illam colluuiem verſantem, audere ſacrilegos cum apoſtatis permiſcere. Quem enim iſtorum oſtendes, qui, ſi veteres Canones valeant, quotidianis ſacrilegiis non viuat? Imò quicum viuas, & vnde viuas non perſpicis? Sed ad rem. Si neque nobis credis, neque eorum vis meminiſſe quæ tu oculis tuis ſpectaſti, quum hîc eſſes, carnifices ipſos, ſi libet, interrogato (quidni enim te ad illos relegem?) & ex iis cognoſcito qua pœna ſacrilegium in hac ciuitate puniatur. Quòd ſi ne iis quidem credas, experiare ipſe, ſi libet. Sed ecce iam tandem ad aliud tuum ſubterfugium venio, non minùs abſurdum quàm cætera de quibus dixi. Obiicis nobis nimiam in hæreticis coercendis ſeueritatem,& quoniã iam pridem Heidelbergæ magnam argumentorum ſyluam in contrariam partem collegeras, voluiſti iſta emblemata pulcerrimo tuo operi inſerere, vt fieret ornatius. Sed quorſum hoc? Nam vt tam crudeles & immanes ſimus quàm tu eſſe vis, an tu propterea apoſtata eſſe deſinis? Itaque ſi totam iſtam defenſionis ſeu actionis tuæ partem omitterem, rectè profectò facerem. Sed tamen paucis ad hæc quoque reſpondebo.

Vos, inquis, *non tam Solones quàm Dracones, denuntiatis capitis ſupplicium omnibus, non ſolùm quos veſtro more definitis apoſtatas, ſed & quos capitales vobiſcum eſſe recuſant.* Hæc eſt accuſatio, quam ego ſimplici inficiatione repello. Quum enim duo ſint omnino ea quibus poſſint eius generis accuſationes probari, putà dictum ſiue ſcriptum, vel denique factum aliquid, agè oſtende ſi potes vel vnum hæreſeωs cauſa fuiſſe in hac ciuitate, excepto Serueto, capitali ſupplicio affectum. Non defuerunt tamen Anabaptiſtæ, ſed pauciſſimi, Dei gratia: non defuerunt etiam Pighiani liberi arbitrii aſſertores,& æternæ prædeſtinationis euerſores: non defuerunt denique Seruetani, qui tres deos facerent. Illos, quum pertinaces fuerunt, contentus fuit pius magiſtratus ciuitate arcere, quum etiam peregrini eſſent: alios qui reſipuerunt ne leuiſſima quidem ignominia affecit. Seruetani duo quum ſe reſipiſcere ſimulaſſent, notati quidem ſunt aliqua infamia ob inſignem blaſphemiam,& carceribus addicti: ſed Magiſtratus clementia liberati, quamuis ſeſe vrbe non exceſſuros ſolenni iureiurando obſtrinxiſſent, tamen fuga mox arrepta, ab eo tempore Eccleſias turbare nunquam deſtiterunt. Dic ergo, ſycophanta, vbi iſta ſæuities, vbi immanitas quam nos ſpirare dicis? vbi leges illæ Draconis, non atramento ſed ſanguine ſcriptæ? Sed aliud fortaſſe diximus quàm ſcripſimus. Si quid igitur à nobis crudeliter eſt dictum aut ſcriptum, age profer in medium, vt ſæuitiæ arguamur. Sed quum libri extent in omnium manibus, his de rebus & à Caluino,& à me ſcripti, agè illos ſumamus pro ſententiæ noſtræ iudicibus, vt de tua ſumma impudẽtia nemo amplius poſſit dubitare. Sic ergo Caluinus, in Serueti blaſphemias ſcribens. *Quum Magiſtratus tuendæ religionis cuſtodes præficimus, non acuimus eorum gladios vt de quolibet errare pœnas ſumptum, mox ad ſanguinem proſiliant. Scimus enim tres eſſe errorum gradus,& quibuſdam fatemur dandam eſſe veniam, aliis mediocrem caſtigationem ſufficere, vt tantùm manifeſta impietas capitali ſupplicio plectatur. Fideles ſæpius Paulus hortatur vt ſe mutuum tolerent, quamuis aliqua ſit inter eos diſſenſio: nempe ſi qua leuis ſuperſtitio & inſcitia ſimplicium mentes occupat, vt eam patientia corrigere potiùs ſtudeãt quàm intemperanter ad vindictam efferueant. Secundum errorum genus etſi caſtigationem meretur, mediocris tamen adhibenda eſt ſeueritas: tantùm ne indulgentia alatur eorum improbitas & contumacia qui fidei veritatem ſcindere cupiunt. Sed vbi à ſuis fundamẽtis conuellitur religio, deteſtandæ in Deum blaſphemiæ proferuntur, impiis & peſtiferis dogmatibus in exitium rapiuntur animæ: denique vbi palam defectio ab vnico Deo, puráque eius doctrina tentatur, ad extremum illud remedium deſcendere neceſſe eſt, ne mortale venenum longiùs ſerpat.* Ego verò quid de hac re ſentiam quum integro eo libro explicarim, quem olim tuis ad me literis tantoperè collaudaſti, nunc autem calumnioſè exagitas, nõ putarim oportere quicquam eorum repetere quæ ſunt omnibus iampridem ſatis nota. Placet tamen eius libelli, id eſt, totius tractationis non de occidendis (vt tuus ille ſodalis Caſtellio citare ſolet) ſed de puniendis à ciuili Magiſtratu hæreticis ſententiam ſubiicere, eámque non meis, ſed ipſius (quem honoris cauſa nomino) Henrici Bullingeri, viri doctiſſimi & mihi amiciſſimi verbis perſcriptam, quæ ſic habet,

In perſonis magna eſt diuerſitas. Sũt enim anteſignani & duces pertinaces in erroribus, qui audaces ſunt hypocritæ & loquaces, & ideirco ad ſeducẽdum appoſitiſſimi, ipſi quidem citra emendationem in propriam ruentes perniciem, & alios ſecum pertrahentes. Ii hi modis omnibus ſunt coercendi veluti Eccleſiæ peſtes, ne contagio ipſorum ceu cancer ſerpat latiùs. Sunt deinde ſeducti quidam ac dementati ab aliis qui errant, ſed non malitia neque pertinaciter, ſed reſipiſcunt in tempore. Hos non oportet damnare protinus, ſed orare Dominum, ac ſuſtinere, errantéſque ſpiritu lenitatis & manſuetudinis erudire, donec redeant ad mẽtem meliorẽ. Porrò in erroneis dogmatibus alia aliis ſunt grauiora: ſunt quædam adeò blaſphema, impia & indigna, vt ne audiri quidem, nedum ferri poſſint. ſunt quæ recta ac palàm tendunt in ſubuerſionem Reipublicæ, niſi in tempore ſopiantur. Oportet autem Scripturis & manifeſta veritate euincere illa quæ in accuſationem veniunt eſſe talia, qualia dicũtur. Comperta veritate, & productis apertis teſtimoniis Scripturæ, licebit in blaſphemos & euerſores Eccleſiæ Reipublicæque grauiſſimè animaduertere: ſed lenior, mitiórque pœna decernatur contra errantes in leuibus, non in capitalibus erroribus. Nam errant quidã, ſed ita vt horum erroribus Deus nõ blaſphemetur, & Eccleſia conſiſtat: deniq; ipſa non interturbetur Reſpublica. Vbi rurſum occurrat illud Apoſtoli, Alter alterius onera portate. Item, Infirmos in fide ſuſcipite, non ad diiudicationes diſceptationum. Iam & in ſuppliciis & pœnis inſigne eſt diſcrimen. Pertinaciter errantes, & alios ſecum in errorem abducere, inque erroribus retinere contendentes, blaſphemi & perturbatores, imò ſubuerſores Eccleſiarum iure cadi poſſunt. Ideo tamen capitis ſupplicio non protinus afficiendus eſt omnis qui errat, & qui minis & increpationibus curari poſſunt, non debent acerbioribus eliis & puniri. Modus in re qualibet optimus eſt: eſt & mulcta pecuniaria: ſunt carceres in quos concludi poſſunt, ne alios inficiant qui veneno praua doctrinæ & fidei corrupti ſunt. ſunt & alia corporum afflictiones, quibus coercentur errantes, & vt minus noceant aliis ſanis, & vt ipſi ſeruentur, non toti pereant, ſed reſipiſcant. ſed timor Dei, æquitas & prudentia Iudicis intelliget ex circunſtantiis, quomodo punienda ſunt in ſeductoribus & ſeductis praua dogmata, & pertinax rebellio, aut ſtolida & minimè malitioſa crudelitas.

Hæc ergo ſemel ad omnia tua maledicta reſpondeo. Quid enim attinet ſingula perſequi, quum nihil ferè afferas quod noſtram ſententiam non confirmet? Dicis me laudare & ad imitationem proponere populi ſeditioſè aduerſus rem iudicatam furentis exemplum, qui imperante Tiberio Iuſtiniani ſucceſſore, Anatolium quendam Antiochenum à Principe & iudicibus proſcriptum, beſtiis obiecerit. At ego te hìc quoque falſarium eſſe dico. Nam verba mea hæc ſunt poſtquam de pœnis in idololatras conſtitutis breuiter dixi: *Valentinianus*, inquam, *Gratianus, & Theodoſius Auguſti, e eidem aut non multò leuiorem pœnam in idololatras conſtituerunt, cuius horrendum exemplum editum eſſe legimus in Anatolium quendam Antiochenum, & eius flagitiorum ſocios.* Hæc à me ſcripta fuiſſe non inficior, & quidem aduerſus eos qui tam ſunt clemẽtes, vt hæreticos ciuili Magiſtratui ſubiici nolint. Sed quum tu iſta eò detorques quaſi quod ſeditioſè factum eſt approbem, atque adeò pro exemplo proponam: quis inſignem tuam improbitatem non animaduertat? Quatuordecim anni ſunt ex quo in Eccleſia Dei verſor, & initiò quidem Theologiam coniunxi cum linguæ Græcæ profeſſione, poſtea cum Ethices interpretatione: deinde verò ex Eccleſiæ volũtate, factus ſum verbi miniſter. hoc munere & in aula & Lutetiæ ſum defunctus antequàm ciuilia bella mouerentur. Teipſum meis concionibus in vrbe interfuiſſe ſcio. Ex tot auditorum millibus vel vnum integræ fidei hominem ſi commonſtrare potueris, qui vllam ex me voculam audierit quæ ſeditioſum aliquid ſpiraret: atque adeò niſi & voce & literis & quibuſcunque modis licuit, omnes ad modeſtiam & patientiam ſum hortatus: niſi denique meo corpore mediis telis obiecto, ſeditionem Lutetiæ ad D. Medardi templum ex compoſito à noſtris aduerſariis excitatam, compeſcui, & ſtrictos noſtrorum gladios condidi, nõ recuſo, Balduine, quin, vt ſeditioſus extremis pœnis afficiar. Quomodo verò me ab eo tempore, feruente bello ciuili geſſerim, non ipſe modò illuſtriſſimus Princeps, & præcipui copiarum duces, ſed ipſi etiam hoſtes, ſi volent, ita teſtificabuntur, Sycophanta, vt tuas calumnias minimè reformidem. Quid Bleſis, Turonibus, Salmuriis, publicè & priuatim in ſeditioſos, in ſacrilegos, in prædatores, & diſſolutos dixerim, & quàm verus illis fuerim vates, non ex vno & altero, ſed ex ipſis populis cognoſces. Quid egerim Andegauia, vt noſtros, qui paulòpòſt immaniſſimè cæſi ſunt, in officio continerem, quid etiam ibi in Senatu, id eſt coram noſtris ipſis aduerſariis ſim proteſtatus, ex publicis actis cognoſcetur. Aureliæ verò quæ ſint à me de his rebus conciones habitæ, & quàm acriter perpetuò fuerim omniũ improborum hoſtis, tota ciuitas, totúſque exercitus teſtabitur. Quid quatuor antè prælium diebus in priuata concione præmonuerim, quum locum illum Pauli enarrarem, *Inſta tempeſtiuè, intempeſtiuè*, narrabunt multi teſtes omni exceptione maiores. Denique, quando ita me premis, vt reddenda ſit totius vitæ meæ ratio, proditurus dico, ſi oportuerit, & monachos & ſacerdotes, quos tantum abeſt vt quantumuis iuſto militum furori obiecerim, vt alios, quidem precibus, alios authoritate, quoſdam etiam mea ipſius pecunia, præſẽti neci eripuerim. Hæc ſunt petulãtiſsime apoſtata, quæ noctes & dies ſolicitus per annum integrum verſaui, dum tu Lutetiæ inter ſeditioſorum agmina ſecurus iuriſprudentiam profitebaris, & putida iſta maledicta tuo Cardinali dictabas. Et quæſo, quis iſtius petulantiam ferat? Si recẽſẽda ſint Papiſticæ crudelitatis exẽpla, vno anno in vna vrbe Pariſiẽſi aduerſus omnis & ſexus & ordinis & ætatis homines edita, quis tandem illi ſcribendæ hiſtoriæ ſufficiat? Quid reliquam Galliam commemorem Innocentum hominum promiſcuis cædibus redundantem? Quid vxores in virorum, virgines in matrũ ſinu, & cõſtupratas & iugulatas? quid infantes ab vberibus matrũ ad cædem tractos? quid prægnãtes mulieres viuas inciſas? quid honeſtiſſimos viros crudeliſſimè interfectos? quid cadauera ipſa rapata, laniata, canibus obiecta, in flumẽ præcipitata? quid infinita alia inauditæ immanitatis exẽpla? quid deniq;, quod memini noſtris fuiſſe quauis crudelitate acerbius,

tot conuicia in Chriſtum ipſum contumelioſiſsimè iactata commemorem? Sed iſta, dices, à furente plebe ſunt patrata. Itáne verò? quis autem populum armauit? quis incitauit? quis Regis edicta tanto conſenſu ſcripta, & poſtea etiam publicè ſancita, vno pene tempore fixit & refixit? quis primus gladium ſtrinxit? quis primus faces ſubdidit? quis vetera priorum Regum edicta, ſanguine nō atramento ſcripta, & poſterioribus aliis abrogata, in vſum reuocauit? Quis publice omnium latronum furori præcipuam nobilitatis Gallicæ partem, tot clariſsimas familias, tot viduas & orphanos, integras denique ciuitates obiecit? A noſtris autem, quantumuis à vobis immaniter tractarentur, & præcipuam regni partem initiò in poteſtate haberent, quid tandem ſimile nō dico factum, ſed cogitatum inuenies? Euerſa idola & altaris narrabis: quædam etiam templa à priuatis ſpoliata, monachos & ſacrificos paſsim eiectos, multos etiam fuiſſe iugulatos dices: commemorabis denique multò plura quàm vellem, militaris licentiæ exempla. Quaſi verò mirum ſit tot miſeros homines omnibus bonis indigniſsimè à vobis ſpoliatos, tot maritos ſuis vxoribus & liberis crudeliſsimè orbatos, tot filios ſuis parentibus priuatos, ita compeſci non potuiſſe (quanuis nihil non hac in re ſit à noſtris ducibus tentatum) quin aliquid commiſerint, quod homines iuſtiſsimo dolore exacerbati, præſertim in mediis armis, ſolent. Sed veſtrarum crudelitatum quibus omnes Scythas & barbaros, omnes Syllas, Caligulas, Nerones, omnem denique omnium ſeculorum ſæuitiam vno die ſuperaſtis, quæ tādem exempla à noſtris vſurpata fuiſſe dices? Neque ſanè cauſa vlla eſt cur iſta putes à me dici, vt noſtros vel duces, vel milites ab omni crimine liberem. Vidi ego, vidi nimiùm multa quorum pœnas nunc meritò luimus. Nec ego ita inſanio vt me tam diligentem obſeruatorem, vel tam acrem reprehenſorem fuiſſe glorier, quàm in illo tam vario & eo quidem voluntario, nec vllo iureiurando, magna ex parte, obſtricto exercitu, eſſe me oportuit. Sed hoc dico, hoc profiteor, Balduine, coram Deo & hominibus, nec vllam tibi eſſe cauſam cur nos vllius ſeditionis, coniurationis, aut barbaræ ſæuitiæ accuſes: nec vllam ſatis idoneam excuſationem te vnquam inuenturum, cur non tuam (quid enim tu es, niſi qui nocere multò plus velis quàm poſsis?) ſed aliorum quibus tu nunc adularis factionem, his criminibus eximas. Imò vt ipſe taceam, quis vbi tuā iſtam accuſationem legerit qua dicimur ex Caluini præſcripto in hæreticos nimiùm ſæuire, non mirabitur, nos in quibus excruciandis defatigatæ ſunt omnium carnificum manus, ab ipſis carnificibus vt crudeles accuſari? & quidem huius accuſationis miniſtrum eſſe, non tantùm illum Caſtellionem qui in ſuo hypocauſto veluti caſtello ſedens, ſecurè hoc vel illud ſomniet, & tanquam ſpectator in theatro, vel his vel illis applaudat: ſed eum ipſum qui niſi ad eos confugiſſet quos nūc vt crudeles accuſat, ab iis perierat quos nunc contra conſcientiam defendit? Sed ecce tandem, mi Balduine, ad tuam illam Conſtantinopolitanam plebem cedo, cuius viuam imaginem millies ex tua feneſtra ridens & otioſus ſpectaſti. Dicis ipſius crudelitatem à me fuiſſe pro exemplo propoſitam, qua in re ſcio te ipſi Spiritui ſancto mētiri, quoniam qui ſimus, & quæ noſtra ſit vita, & quæ ſtudia, nemo niſi volens ignorat. Sed finge me illud factum laudaſſe. Quid tu habes quod opponas? Video enim te eſſe tum Ioſephi tum Nicephori adeò immodicum laudatorem, vt illos inter fabuloſos ſcriptores numerari non patiaris. Atqui ne neſcias, hoc ego ſemel pronuntio quod tu nunquam falſum eſſe oſtendes, ſi verus eſt multis locis Ioſephus, mentitum eſſe multis locis Moſen & ſacros omnes ſcriptores. Sed nos potiùs iſtos pro veris ipſius Dei interpretibus, illum verò pro ſacerdote rerum ſacrarum valde imperito, atque etiam negligente & prophano ſcriptore habebimus. Nec tamen cùm ita cenſeo, inutilem eſſe librorum Ioſephi lectionem dico, ſed quo iudicio legendi ſint oſtendo. Nicephorum autem etſi ipſo etiam Ioſepho vtiliorem eſſe exiſtimo, tamen non aliter poſſum laudare, quàm [illegible], quæ vocant [illegible], eáque plerunque non aliter collecta, quàm facere oportuit hominem valde ſuperſtitioſum, & Græcorum vanitati deditum, neque id ei accidiſſe quiſquam mirabitur, qui temporum illorum hiſtoriam legerit. Ac ne longiùs abeam, agè maneamus, Balduine, in ea de qua nunc queritur Anatolii hiſtoria. Dicit homo fidei plenus, Anatolium quum in carcere eſſet, ad Dei genetricis imaginem ex funiculo pendentem procurriſſe ſupplicantis more: illam verò ſeſe ab execrando illo auertiſſe, quod omnes qui cum eo captiui erant, poſtea retulerint. Addit eam ipſam imaginem nonnullis præterea apparuiſſe, & de iniuria filio ſuo facta conqueſtam. Quid amplius? conſpectam fuiſſe ipſam Dei matrem cuidā magnæ dignitatis viro & Imperialibus ædibus præfecto quæ hæc ei exprobraret, Quouſque tandem Anatolium defendis qui impudenter adeò mihi & filio meo illuſit? Hæc ille Nicephorus, Balduine. quæ ſi vera eſſe exiſtimas, cur me reprehendis, qui ſi Conſtantinopolitanæ plebis ſeditionem laudarem, Mariam ipſam haberem pro iſtius facti conſultrice & approbatrice? ſin autem illa penitus ridicula & ineptiſsimè conficta eſſe mecum arbitraris, quid miraris à me tam ſtultum ſcriptorem reprehendi? Prætermittam hoc loco multorum conuiciorum congeriem, quibus noſtrū Criſpinum, hominem, vt antè dixi, tui diſsimilem, à te veluti per iocum obrui poſſe exiſtimaſti. Sed falleris profectó. nam nulla alia ex re magis intelligi poteſt quàm nullo ſis ingenio, quàm quòd ne irato quidem ſuppetant quæ dicas, niſi tuos centones præſtò & ad manum habeas. Obſecro enim, quàm lepidum eſt illud [illegible], quòd eum vocas mercatorem, & quæris in quibus nundinis poſſit ſuas merces vendere? Putas enim illum fortaſſe tuis libris onuſtum eſſe quos tu ſcis fruſtrà emptoribus obtrudi: & de veteris amici damno laboras. Sed de hoc ſecurum eſſe te iubeo, neque enim ipſe ſolet tunicas tuo more pharmacopolis [illegible] ſed doctis & piis hominibus [illegible] repræſentare. Illud autem cuius obſecro pudoris eſt, quòd arrepto Criſpini nomine, ſtatim aliquot Horatianos verſiculos in illum euomis? Sed ita vt teipſum potiùs tuo vomitu contamines. Nam qui te & illum norunt, dicunt te fuiſſe vertigine correptum, quum ei folles attribuens, ex

Typographo fabrum ferrarium faceres. Ipſe verò fatetur quidem ſe hircinos illos vſque laborantes folles, quos hinc vſque audimus incluſas auras euomentes, ſæpe quidem apud te vidiſſe: ſed illos vnquam à te mutuo ſe ſumpſiſſe pernegat. Tu igitur, ſi placebit, tuos illos folles vindicato. ego ad aliud triſtius me conuerto. Dolet enim tibi illa Legis clauſula, *Perditus*, id eſt, *Baptiſma prophanantibus, nullo remedio pœnitentia, quæ ſolet aliis criminibus adeſſe, ſuccurritur.* Atqui, ne ex tuo quidem iure, vt audio, transfugis vllum poſtliminium relinquitur. Tu igitur contra ipſus ſiue Imperatores ſiue Iuriſconſultos tuos, ſi placet, litigato. Nos quidem quid de veterum canonum nimio rigore, & Anathematiſmis ſentiamus, non ignoras: ac proinde calumniam excuſare non potes. Quidquid autem poſtea garris de Moſis Lege, quid attinet refutare? Mentiri enim te, quum dicis nos omnes vſtulatos ardere, iubere qui nobis non ſubſcribunt, nihil opus eſt nouis teſtibus probemus. quum & noſtri mores, & noſtræ leges, & noſtri etiam libri tuam iſtam rabiem ſatis ſuperque redarguant: tuam autem inſignem impudentiam ac improbitatem, vel hoc vnum ſatis conuincat, quòd quum nullus dies abeat in quo non iſtic videas eius quam commemoras immaniſſimæ ſæuitiæ exempla, crudeliſsimis tamen leonibus blandiaris, vt miſeras ouiculas ſæuitiæ accuſes. In eo verò planè etiam lepidus es reprehenſor quòd meam quandam definitionem ex Caſtellionis ſummi nimirum Dialectici & Theologi authoritate, vitioſam eſſe dicis. Sed ſi fortè legeris quid clementiſsimo illi hæreticorum patrono reſponderim, nos irridere, vt ſpero, deſiſtes. Sin minus, non magnoperè ſanè veſtris dicteriis mouebor, téque ſuauiter cum tuo magiſtro deſipere facilè patiar. Profers poſtea Vvolfgāgi illius Muſculi authoritatem, quem tu quidem per ludibrium vicinum & familiarem noſtrum vocas, nos verò libenter pro fratre & ſymmyſta chariſſimo agnoſcimus. Quid igitur ille? *Tuam*, inquis, *legem abrogauit in ſuis locis communibus.* Atqui rurſum hoc in loco falſarius deprehenderis. Nam poſtquam ille aduerſus Caſtellionem, & alios eiuſmodi clementiſsimos homines oſtendit cogendos eſſe à Magiſtratu hæreticos, tandem hæc ſubiicit. *Vbi diligentia ſua nihil efficit miniſter, vel ſi periculum ſit ne oues morbidæ reliquum gregem inficiant, aut ſi hæreſin ſuam docendo propagare incipiant, ibi tempeſtiuum eſt vt poteſtate ſua vtatur Magiſtratus, qua pertinaces & inquietos in ordinē cogat.* Et mox. *Quibus autē modis cogendi ſint à Magiſtratu hæretici haud certo præſcripto determinari poteſt. Nam vt ſunt alij aliter animati, ita & alij aliis modis cogendi veniunt.* Et poſtea: *Cum primis autem Chriſtianum Magiſtratum hæc moderatio decet, vt à ſæuitia & crudelitate abſtinaat. Omnino citra diſſimulationē inter eos eſſe me fateor quibus admodū diſplicet, quòd vbi interficiendi ſint errores, interficiuntur homines.* Hæc poſtrema videlicet illa ſunt, quæ tu, Balduine, in nos ſcripta eſſe vis: ſed ineptè prorſus, cùm in illos ipſos potiùs dicta ſint, quorum nunc es defenſor factus. Vbi enim inuenies ſæuitiam & crudelitatem à nobis commendari, vel gladium ad quoſuis errantes atque adeò quoſuis hæreticos puniendos, Magiſtratui, ſicut tu falsò dicis, à nobis porrigi? Extant libri quos à nobis eſſe ſcriptos abſit vt inficiemur. Quid hîc ſit à noſtro Magiſtratu factum omnes norunt. Serueti ſupplicium omnes & Heluetiæ & Germanicæ Eccleſiæ vt præclarum factum, non approbarunt modò, ſed voce & ſcriptis commendarunt. Ac ne diutius Muſculi tanquam à nobis diſſentientis authoritate abutaris, adſcribam quod paulò pòſt ſubiecit, ex quo intelligas quantus ſit inter noſtrarum eccleſiarum Doctores hac etiam in re cōſenſus. *Scopus*, inquit, *ad quem collimare debet Chriſtianus Magiſtratus, is eſt, vt conuertantur hæretici ab erroribus ſuis, & conuerſi ſeruentur. Qui errantem in errore ſuo occidit, aut non credit quòd pernicioſè & damnabiliter coram Deo erret, aut ſi credit parum eſt de illius ſalute ſollicitus. De illis hæreticis loquor, qui etſi grauiter errent, haud tamen blaſphemi ſunt in Deum. blaſphemum Lex Dei viuere non patitur.* Hæc ſunt, Balduine noſter, quibus exarſiſſe Caluinum ſcribis, adeò, vt in Zachariam Prophetam ſcribens, gladium etiam priuatis hominibus porrigat, atque adeò parentes velit liberos ſuos confodere & iugulare. Bona verba, clemētiſsime homo. Quòd Caluinum ſcribis fuiſſe à Muſculo exacerbatum, abſurdiſſimum eſt, quum Zachariam aliquot antè annis ſit interpretatus, quàm ille ſuos locos communes ſcripſiſſet. Quòd autem dicis eum priuatis hominibus gladium porrigere, falſiſsimum eſt, eo quidem ſenſu quo à te ſcribitur. Caluinus enim Moſis legem explicans diſertè dicit ſpectandas eſſe circunſtantias, quas etiam ſigillatim expendit, ne temerè quiſpiam omnes idololatras, aut errantes exiſtimet illa tam ſeuera lege comprehendi. Ad Zachariam autem quod attinet, oſtende, ſi potes, Prophetæ ſententiā ab eo non eſſe fideliter explicatam. quod ſi non potes, age, vt tu dicis, cum Geminiano, age cum ipſo Propheta, & contra Dei Spiritum apertè digladiator. *Mirabar*, inquis, *quorſum euaderet inflammatus tuus quidam apoſtolus, qui cùm hîc concionaretur, ſuis auditoribus vehementer commendabat extraordinarium illud Leuitarum factum, obuios quoſque idololatras trucidantium.* At ego Deum ſic precor mihi propitium eſſe, perdite apoſtata, vt hoc à te falſiſsimè & malicioſiſsimè confictum ſcio. Etſi enim quum illud factum laudamus, Deum ipſum habemus eius laudis authorem, tamen non ita inſanimus (Dei beneficio) vt quid locus, tempus & homines ferant ignoremus, atque adeò vt neſciamus quid ſit Verbum Dei [illegible]. Sed planè mirum eſt niſi quum hæc eo loco & tempore ſcriberes, tu quantumuis ſcholarū [illegible] & venalis iuris profeſſor, tamen non totus erubeſcebas quū illæ purpurati tui numinis crocodilinæ lachrymæ, cui tuus hic liber eſt inſcriptus, & fumoſi illius morionis, atque adeò tuorū Sorbonicorum Magiſtrorum non inflammatæ modò, ſed inflammantes etiam conciones tibi vel inuitiſſimo in mente omnium iſtorum ſcelerū conſcia, obuerſarentur. Sed cui tandem ſurdo hanc cantionem canimus? Audio tamen nouum crimen. cui neceſſariò ſit reſpondendum, ne tanti accuſatoris eloquentia noſtram innocentiam obruat. *Sunt*, inquit Balduinus, *qui negent vobiſcum eſſe communicandum, priuſquam illius ſanguinis*, (nempe Serueti) *atque ſanguinariæ legis pœnitentiam egeritis.* Quid audio, religioſsime Miſſificum

t iij.

patrone? tibi nobiſcum non placet communicare, an te potiùs, vt impuriſſimum Ecebolium, & rectè nuper Tiguri noſter Bullingerus indignum quicum veſceretur iudicauit, & nos iam pridem execramur, & omnes pii homines ſimulatque cognouerint, non minùs quàm Staphylum illum, vt deſperatum apoſtatam Satanæ tradent? Sed de te non loqueris, verùm de aliis quibuſdam. Eſto ſanè, quamuis non dubitem quin hic quoque turpiter mentiaris. Eſto tamen. Hoc autem illis omnibus, ſi qui ſunt, tu illorum internuntius per nos, ſi libet, denunties licebit, nos pro fratribus non agnoſcere, quicunque de iuſto Serueti ſupplicio, Deo gratias non agunt. Iam ad aliud crimen venio. Caluinum obſcurè reprehendis quòd Seruetũ ad Magiſtratus detulerit, atque adeò vt in carcerem coniiceretur, operam dederit, pro noſtræ ciuitatis more. Atqui ſi in illum vt blaſphemum, omnium qui vnquam fuerunt maximè execrabilem, animaduertere fas & æquum, atque adeo neceſſarium fuit, quo iure tandem eum reprehendes, qui ceſſantibus omnibus, Magiſtratum officii admonuit? Quid ſi igitur tuorum Apoſtolicorum more, Chriſtum Pilato traderet, & non modò illud TOLLE, CRVCIFIGE, per populum inclamaret, ſed etiam (quod tu millies tuis oculis, paucis menſibus à tuis Catholicis factum ſpectaſti, & quotidie ſpectas) Chriſti membra curaret populi manibus ac dentibus laceranda, & interea nollet in prætorium introire ne contaminaretur? Inepte, vt nihil grauius in te nunc dicam, an vbi ſis, inter quos verſeris, quibus aſſentieris, quid ſingulis momentis videas, quid audias non animaduertis? Habet ſcilicet Caluinus ſuos coquos, ac non tu potiùs coquis indiges, cui tanquam Apollonio cuidam Moloni (ſicut in Plutarcho mendoſè legit tuus ille apud Cardinalem interpres) tot crudi cauſidici ſe recoquendos præbent. Caluinus ſcilicet Allobrogum regulus capitalem ſententiam Syndicis dictaris, & eo quidem regnãte cuius inimicitias tuipſe mox ei exprobras, quoniã videlicet iracũdia correptus, nec quid dicas, nec quid ſcribas vides. In eâdem officina fabricaſti, optimus calumniarum artifex, quod addis de legitimis dominis à Caluino eiectis, quaſi non omnes intelligant quinam illi fuerint, quæ fuerit eorum coniuratio, quæ ſcelera, & cur ipſi ſeſe, nemine accuſante, non aliter quàm Catilinaria factio, ex hac vrbe proripuerint. Quaſi denique Senatuſconſultum in eos factum quorum nunc ſceleri, ſolo noſtri odio, patrocinaris (quum alioqui neque nos neque illos cures) communi totius Heluetiæ concilio non fuerit ſancitum, ac proinde publico etiam tot populorum teſtimonio, tua hæc improbitas abundè non refellatur. Illud verò quod nunc ſequitur, cuiuſmodi eſt? Paulò poſt admiſſum in hanc vrbem, profligato Papiſmo, Chriſtianiſmum, nonnulli, vt in omnibus inſignibus mutationibus fieri ſolet, Chriſti iugum non ferentes, Farellum, & Caluinum qui vix dum eò aduenerat, & alios eximios Dei ſeruos ciuitate expulerunt. Paulò poſt cauſa à vicinis populis cognita, ſeditioſi illi coerciti ſunt, Dei potiùs quàm hominum iudicio: pœnituit facti ciuitatem, multis ad Senatum & Eccleſiam Argentinenſem legationibus Caluinus accerſitus eſt, & illi tandem infinitis Geneuenſium precibus expugnati, eum quem meritò chariſsimũ habebant, huic Eccleſiæ reddiderũt. Hæc omnia Balduine, quum noris, quî tandẽ fieri potuit vt hoc etiam auderes Caluino exprobrare, fuiſſe eũ neſcio cuius criminis damnatũ, ac proinde in exilium pulſum, quod per illos ipſos refellitur, à quibus eiectus eſt, ac poſtea reſtitutus? Sed ita nimirum eos facere neceſſe eſt, qui iuſto Dei iudicio, ſcelerum ſuorum menſuram complent. Simile eſt prorſus conuicium quod tuo illi Heſhuſio olim à te dictatum, nunc iterum inculcas, ſolere videlicet Caluinum capitalibus iudiciis præeſſe, in quo mendacio nemo facilè dicat quàm portentoſa ſit tua impudẽtia. Quis enim id à te affirmari nõ miretur, quod non minus falſum eſſe tota hæc ciuitas nouit, quàm ſi te in Regis ſolio ſedere iurarem? Et tamen, impudens ſycophanta, exclamare te nõ pudet, *Quid ſi vidiſſet quæ vidi?* Atqui fœlix eſſes, qui nunc æternæ miſeriæ viam ingreſſus es, ſi eorum quæ hîc audiſti & vidiſti bene meminiſſes. Sed agè myſteria illa proferto. *Ego*, inquis, *myſteria retegere non audeo. Sed Bernenſes qui te repreſſerunt, teſtimonium dicẽt.* Præclarè profectò. quem nullius rei pudet, qui ad maledicendum conductus eſt, qui tanto noſtri odio fertur vt noſtram infamiam quouis damno redimere ſit paratus, qui ibi eſt, vbi quiduis licet, non audet ſcilicet noſtrorum ſcelerum myſteria retegere. Socii verò noſtri Bernenſes ii ſunt ſcilicet qui vbi & quum iſte iuſſerit, ad teſtimonium dicendum ſe ipſos ſiſtant. Sed agè ſanè, ſi hoc efficere potes, teſtimonium dicant, ex quo quàm impudenter mentiaris, vel ipſis cæcis pateſiat. verùm nihil ne penitus habes quod dicas? *Memini*, inquis, *quanam pridie quàm à te diſcederem, domi tua noctu agitarentur conſilia de nece quiuſdam tuis Capitanei.* Ede igitur, συνωμοτῶν iuriſconſulte, ſi potes, cruenta iſta conſilia, & cogitata homicidia explicato. Sunt quidem qui meminerint Perrinum quendam, cuius memoria nunc etiã eſt execrabilis, fuiſſe [illegible] atque etiam proditionis accuſatũ, quod tu ipſe in epiſtola quadam attingis: & ſociorum noſtrorum Bernẽſium interceſſione liberatum: eum, inquam, qui poſtea cum aliis aliquot coniurationis conuictus, in exilio mortuus eſt, ipſis etiam qui pro eo interceſſerant inuiſus. Addunt præterea nonnulli in huius Reipublicæ archiuis tuam neſcio quam de illius damnatione læuam ſententiam, tua manu conſcriptam ſeruari, quam tamen ampliſſimus Senatus non approbarit. Hæc ſunt quorum meminimus, Balduine. Tu ſi quid amplius noſti, liberè omnia explicato. *Nam*, inquis, *diſſimulare non poſſum quoties cogito non modò quæ iſtic conſulta, ſcripta, facta que crudeliter ſunt, ſed & quæ iſtinc huc ſunt perlata ſanctæ triſtiſſima exempla, magno me dolore affici.* Rectè profectò, vir optime. Sed ſi tantus eſt hic dolor, quî fit vt illiuſmodi nihil proferas? an quòd nimiùm cohorreſcas? atqui te Lutetiæ in illa omnium quæ vnquam in mundo fuerunt cruentiſſima omnium crudelitatum officina verſantem, & per medias piorũ ſtrages ad tuarum ineptiarum ludum cum cauſidicorum turba ire conſuetum, iampridem ad iſta non modò cogitanda & inſectanda, ſed etiam ſpectanda & audienda occalluiſſe neceſſe eſt. An verò idcirco nul-

eo nullam probationem affers,quòd omnes exiſtimas nudis tuis verbis credituros? Imò verò,mihi crede,ne iurato quidem tibi credent quicunque & te & nos norint. Verùm quis illum tanto dolore correptum ſuſpicetur,qui tam ſuauiter meos verſiculos cauillet? Sed fellis neſcio quid intermiſers. Putas enim nimiùm lenes & molles eſſe,homo videlicet exacti in his rebus iudicij. Sed ſint ſanè hendecaſyllabi mei peſſimi : quoniam reuera tales eſſe arbitror. & vtinam vel nunquam nati eſſent,vel ſtatim periiſſent: quãuis Flaminius ille optimus poeta,adeò illos extulerit,vt,quod abſque inuidia dictum ſit,illis perlectis,tum demum ſe fateri diceret,Muſas in Galliam traieciſſe. Sed ſint ſanè peſſimi, vt ſunt. An ego propterea ſum crudelis, vel tu non es indoctus,qui quum verba ipſa recites dicas tamen te meos quidem numeros meminiſſe,ſed verba non tenere? Video enim te neſcire quos vocet numeros elegantiſſimus poeta,& hoc,vt opinor, ex alia eiuſdem ecloga carmen fœliciùs explicares,

Nec curare deum credis mortalia quenquam.

Sed illud etiam acerbius eſt quod ſubiicis,me videlicet ex obſcœno poeta factum eſſe repentè ſæuum Theologum. At ego,quod ad poeſin attinet,abundè iam tibi reſpondi, & modò piis hominibus ſatisfecerim,tua iſta maledicta nihil moror,quanuis etiam fortaſſe, Balduine,faxo vt me ne poetam quidem eſſe deſiiſſe ſentias. De Theologia verò,quid attinet multa dicere? Ego quàm in ea parum profecerim libens agnoſco, ſed tamen ab eo tempore quo me quanti via al.um vllum faciebas, aliquid etiam ſtudio & diligentia & vſu eſſe me conſecutum puto, hactenus ſaltem vt apoſtaſiam tuam & tuas cùm ineptias tum blaſphemias refellere me poſſe confidam. Sed ad rem. Sæuitiæ iſtius noſtræ ſecta commemorari à te accuſatore noſtro petimus. Quid æquius iſta poſtulatione? At tu, impure calumniator, vt ampliſſimo huius vrbis Senatui referas quam pro hoſpitio gratiam debes,negas noſtros,quos vocas,actuarios bonæ fidei eſſe. quod quum tu dicis, impudens,quis tam iniquus eſt iudex,vt te pro calumniatore non habeat? Minitaris etiam neſcio cuius Lindani picturas,& Donatiſtarum hiſtoriam Gallicè deſcriptam, & cum noſtrorum actis collatam excudi. Nos de illo nihil adhuc audiuimus,nec ſanè quis ſit,magnoperè laboramus. De iſta verò hiſtoria legimus quod hoc ipſo libro paulò antè ſcripſiſti, te videlicet illam ex impreſſis & manuſcriptis codicibus colligere. Quid ergò? quod facis,apoſtata,fac citius,vt eò citius ſileas. placet enim iiſdem verbis te compellare quibus Præceptor noſter Iudam illum Iſcariotem,ad quem proximè accedis. Quid amplius? tibi etiam aſini ſumus, & quadrupedes quibus inſidet Caluinus. Arguiè profectò & facetè,niſi aſini iſti altiùs & clariùs ruderent quàm velles. Sed vter,quæſo,crudelis eſt? Caluinus,an tu potiùs,quum ille quidem aſinis ad idipſum factis (vt tu vis) inſideat, tu verò tot palatinos mulos & rancida farragine paſcas, & exugas, & eneces, & tandem etiam miſeros,vt Pelian Medea,recoquas? Denique vt iocari deſinam,quorſum tu nobis tuos iſtos centones? citas leges Chriſtianorum Cæſarum de hæreticis & Manichæis. quorſum hoc? *Quoniam*, inquis, *in Conſiſtoriis iudicia de hæreticis vobis arrogatis, & noua interpretatione augetis ſuppliciorum grauitatem.* Itáne verò impudenter mentiri,ſycophanta, nunquam deſines? Extant Conſiſtorij noſtri leges,inſpice,euolue,conſidera,an vel tantillum de ciuilis Magiſtratus authoritate delibemus. Si nos aliter quàm leges iſtæ ferant,iudicare cenſes,prodi,& hoc à nobis vnquam factum demõſtra. Quid verò? an non vis miniſtros de doctrina religionis ex verbo Dei iudicare? an non vis hæreticos admonitionibus, & correctionibus Eccleſiaſticis ad veritatem amplectendam reuocari? an vis illos ſtatim ad Magiſtratum rapi? Quid ſi igitur tuam hanc accuſationem fortè legerit tuus Caſtellio? Deus bone,quomodo tandem cum eo tranſiges? Sed de eo tu & ille videritis. Illud autem falſi crimen quod hic mihi impingis,quaſi non bona fide recitarim Theodoſij legem in hæreticos latam,tuipſe videris quomodo probes. Mea enim hæc verba ſunt, *Conſtantinus magnus idololatras, ipſóſque adeò prouinciarum rectores qui eos vindicare neglexiſſent, vltore gladio ſterni imperauit. Valentinianus quoque, Gratianus, & Theodoſius Aa. eandem aut non multo leuiorem pœnam in idololatras ſtatuerunt.* Hæc ego totidẽ verbis. Quid tu verò? *Nimis*, inquit, *liberaliter extremi ſupplicij mentionem falſam laudaſti in conſtitutione Theodoſii, quod falſi crimen quale ſit, aliàs fortaſſe videremus.* At ego velim iam nunc videre quale ſit hoc falſi crimen,quo teipſum obligas. Nam hæc ſunt Theodoſij, & Valentiniani verba in Nouellarum Theodoſij libro: *Trabali iuſſione decreuimus, vt quicunque pollutis contaminatíſque mentibus in ſacrificio quolibet in loco fuerit comprehenſus, in fortunas eius, in ſanguinem ira noſtra conſurgat. Oportet enim nos dare hanc victimam meliorem, ara Chriſtianitatis intacta ſeruata.* Et paulò antè in eadem conſtitutione vbi agit de ſynagogarum extructoribus: *Cernat*, inquit, *præterea bona ſua proſcripta, pœna mox ſanguinis deſtinandus, qui fidem alterius peruerſa doctrina expugnauit.* Hæc ſunt, Balduine, illorum Imperatorum verba, ex quibus non recuſo quin iudicium fiat, qua fide illa in me ſcripſeris, & an non tu ipſe tuis ad leges de famoſis libellis commentariis manifeſtè tenearis. Profers poſtea aduerſum nos rapſodias ex Auguſtini, Ambroſij, Nazianzeni, Symmachi, Optati, Sulpitij, Sereni, Pacati, Legendarum denique, quas vocãt, indicibus multo antè tempore conflatas. Sed quorſum? videlicet vt noſtram crudelitatem compeſcas. Ego verò quid aliud reſpondeam quàm quod millies eſt dictum? Tuis Catholicis iſta ſeruato. Nam ea non magis ad nos pertinere dicimus, quàm quod magno illi Athanaſio Arriani de Arſenio obiiciebant. Venio ad aliud crimen: quod non poſſum diſſimulare, quoniam tibi non putaſti prætereundum. Quereris enim me, quem tu Vigilantium appellas, Martini Turonenſis oſſa & cineres, quibus olim Barbari quoque pepercerant, rapidis ludibria ventis proieciſſe. At ego Balduine, vt de me primo loco dicam, reſpondeo te hîc quoque, quod falſiſſimum eſt, nimium impudenter affirmare. Tum enim me Aureliæ fuiſſe cùm Turonenſium canonicorum ærarium, non vt tu mentiris,

diriperetur,ſed adhibitis idoneis teſtibus, adſtante libripende, tabellionibus ſingula annotantibus,illuſtriſſimi Prinripis nomine,inſtiſtimas ob caoſas ſumeretur,illi ipſi dicent quibus hoc ſpectaculum maximè diſplicuit.Nihil hîc ruo more confingo,nihil comminiſcor. Omnia hæc publicis actis ſunt teſtata,& à Regio conſilio poſtea comprobata, vt quicquam hîc à nobis iniuſtè,aut minùs legitimè tam neceſſatio tempore factum dicere non poſſis.Sed proiecti ſunt Martini cineres.Deus bone! quò deueniſti,apoſtata?téne repente eſſe adeò excæcatum,vt quòd illam exerrandam idolomaniam ſuſtulerimus non modò reptehendas,ſed etiam publicè auſis exprobare? Quid enim?an id putas vel Dei vel Martini ipſius,vel religionis odio,ac non potiùs euertendæ horrendæ idololatriæ cauſa factom?an tibi vel Martini cineres æneo illo ſerpente ſunt pretioſiores, vel Turonenſes videntur in illis adorandis minùs peccaſſe,quàm Iſraelitæ qui ſerpentem illum colebant? Sed expectandum fuit Regis edictum. Vtinam verò omnes officium ſuum facerent,quum ij qui imperare,tum qui parêre debent.Sed niſi quod apoſtatam decet agere malles, eos certè potiùs accuſares qui contra Regis edicta tot innocentiſſimorum hominum millia crudeliſſimè trucidarũt,quàm eos,qui nec priuato odio incitati,nec prædæ cupiditate illecti,opportunitate oblata,execrandam idololatriam,non expectato Regis edicto,funditus euerterunt. Placet autem obiter duo quædam commemorare,ex quibus omnes intelligant,cuiuſmodi eſſent illæ reliquiæ,quarum profligationem deplotas. Colebatur ibi ſumma ſuperſtitione crux quædam argentea, multis & variis gemmis ornata,quæ omnes bona fide æſtimatæ ſunt,ea.úmque pretium in tabulas eſt relatum,& ad vſus belli applicatum.In iis erat Achates antiqua & inſigni ſculptura,quem Aureliam allatum quum apud eum inſpiceremus à quo emptus fuerat, inuenimus inſculptam eſſe Veneris imaginem,iacentem Adonidem (ſi bene memini) deplorantis.Atqui hæc ipſa gemma erat,quam qui ad crucem accedebant, flexis genibus ſolebant die paſſionis Domini,religioſiſſimè deoſculari.Audio etiam(& quidem ex teſtibus omni exceptione maioribus)prolatum fuiſſe quoddam argenteum brachium, cuius fibulas quum adſtantibus ipſis canonicis ſoluiſſent aurifabri, & quod intus miris ſerici panni inuolucris tectum erat palàm euolueretur, reperta eſt primum chartula quæ obſcœnam cautionem vetuſtis rythmis ſcriptam continebat, ac tandem etiam chartarum luſoriarum folium quod vernaculo ſermone Galli vocant, *vn valet de picques*.Alibi, id eſt Biturigibus,in alia reliquiarum theca,repertus eſt baculus mediæ rotæ ligneę inſertus,cum magico vel ludicro diſticho,chartulæ cuidam pergamenæ inſcripto,

Quand ceſte rouë tournera,
Celle que i'ame m'amera, id eſt,

Quum hæc tota voluetur,amabor ab ea quam amo. Nihil à me confingi,quingentis quũ opus erit teſtibus,probabo,nec integrum volumen huiuſmodi impiiſſimis Dei ludibriis recēſendis ſufficeret. Tu verò,apoſtata, quandiu iſta portenta euerſa eſſe deplorabis? quod ſiqui aurum & argentum prædari potiùs,quàm idololatriam euertere ſtuduerunt,quanquam illi veſtro ipſorum exemplo facilè ſe tueri poſſunt,tamen hoc ſcito,nobis non modò ſinentibus,ſed etiam applaudentibus, illos,quoties Magiſtratui libebit,pœnas daturos.Sin autem antiquæ ſuperſtitioni tantùm tribuis, vt cum ſumma ipſorum ſanctorum hominum infamia (vt omnes illos quorum reliquiæ colebantur ſanctos fuiſſe tibi concedamus) volueris illorum cineres & oſſa conſeruari, nos quidem te inſanire, quando ita vis,libenter patiemur,vt hinc quoque te impurum apoſtatam eſſe omnes pij cognoſcant.Sed de iſtis plus ſatis.Venio ad nouum crimen inflexæ videlicet (vt ita loquar) religionis.Vis enim vt nos non alio loco quàm ludicrum quippiam,religionem habere,id eſt verbũ Dei, tuorum Catholicorum exemplo cauponari,quibuſdam ſi fieri poſſit,perſuadeas, nobis ſuperiore anno in alieno regno(vt tu extraneus de nobis indigenis loqueris) placuiſſe religionũ libertatem ſiue licentiam,quod quum tu dicis,inauditum certè impudentiæ exemplum edis.Quid ſi enim ipſa te Regina, totúmque Regium conſilium refellat?quid ſi noſtri etiam quidem infenſiſſimi hoſtes, quid ſi ipſi Cardinalis Turnonij manes te vt calumniatorem redarguant? Omnes enim illi interfuerunt noſtræ de imaginibus diſputationi. Extant iſthic eius diſceptationis acta, ne de malis noſtrorum actuariorum fide queri poſſis.Inde, ſi libet, petito quæ noſtra ſententia fuerit, & nobis exprobra,ſi potes, nos,ſicut tu improbiſſimè mentiris, noſtram conſcientiam tanquam Lesbiam regulam ad ambitioſa & profana conſilia accommodaſſe. Sed quæſo, quænam ſunt profana iſta conſilia quæ vocas? nonne Regium illud edictum mēſe Ianuario,anno ſuperiore promulgatum? Quum igitur ita loqui audes,quem te eſſe oſtendis? an non digniſſimum qui pro tanta in Regem, in Reginam ipſius matrem,in omnes ſanguinis Regij Principes,in Regium conſilium vniuerſum, in primarios denique omnium totius Gallici Regni parlamētorum ſenatores, cōtumelia,ſeueriſſimè puniaris? Edictum enim illud (quod haud ſcio an vnquam antea acciderat) in illo auguſtiſſimo cœtu,omnibus auditis & expenſis ſententiis ſcriptum,lectum,publicatum, & (vt loquũtur) regiſtratum fuiſſe non ignoras.Cæterùm ſi quid in eo tibi diſplicet,ſicut omnibus improbis diſplicuiſſe minimè mirũ eſt,quorſum id nobis imputas? An enim nos in illo cōcilio auditi ſumus? an diximus ſententiã?quid ſi etiã probaro quod veriſſimũ eſt,nos,etſi in eo, ſicuti par erat, acquieuimus,tamen quum ad nos allatũ eſſet,non dubitaſſe noſtrarũ partium proceres eo nomine grauiter reprehendere,quòd in ſententiis dicendis neſcio cuius quam ſomniabant tranquillitatis maiorem quàm veri & ſinceri Dei cultus rationem habuiſſe viderentur? An nos verò poſtulauimus vt miſſa diutius toleraretur,ac non potiùs vt vera religio obtineret? At enim, dices, libertatẽ diuerſarum religionum ſuaſiſtis. Imò verò, Balduine, hoc ipſum eſt, quod vrget tuus ille amicus Caſtellio, hoc eſt quod molitur: nos autẽ modis omnibus impedimus,nedum vt iſtius facti conſcij ſimus. Si

nobis

oobis nó credis, crede ſaltē Regio conſilio & iis libellis quos toties obtulimus, vt in eos ſeueriſſimè animaduerteretur, qui, quaſi ex noſtris eſſent, doctrinæ genus aliquod à noſtra confeſſione diuerſum in Galliæ regno ſererent: tantùm abeſt, vt Turcicum illud dogma propugnemus, quemque in ſua religione ſaluum fore: vel illud Romanum, ſufficere bonam intentionem: vel illud Bellianum, ſinendos eſſe creſcere hæreticos: vel illud Caſtellionis, tolerandos omnes, donec noua reuelatione pateſiat veritas. Sed fatebor quod res eſt. Quum ex me peterent aliqui, an cenſerem vno momento tantam religionis mutationem fieri poſſe vel debere, reſpondi, craſsiſsimos multos abuſus ſine vllo periculo tolli ſtatim poſſe: quæ verò tanto tempore in multorum animis radices egiſſent, non facilè poſſe edictis, ac multo etiam minùs vi armata euelli. Tenendum igitur aliquē modum & ad tempus toleranda quæ ſi libera eſſet audiendi Euangelii libertas, ſua ſponte homines eſſent abiecturi. Et quum obiiceretur, duas religiones in vno regno obtinere non poſſe, hoc axioma falſum eſſe demonſtrauimus, minimè id quidem quòd duas aut plures religiones probemus (quod tu falsò de nobis ſcribis) ſed vt iis reſponderemus qui ſalua rep. negabant vllam nobis libertatem in noſtra religione concedi poſſe, priuſquàm maior regni pars id poſtularet. Oſtendimus ergo hodie & iampridem apud Turcas infinitam eſſe religionum varietatem, nec tamē propterea Turcicum imperium inteſtinis ſeditionibus ſcindi. Oſtendimus Iudæorum ſynagogas ab ipſo pontifice non modò ſine damno, ſed etiam magno cum lucro tolerari, & Venetiis tum Iudæos tum Græcos, & Mantuæ Marranos ſine ſeditione viuere: in Germania talem eſſe pacem inter Catholicos, quos vocant, & Proteſtantes conſtitutam. In Heluetia quoque diximus multas eſſe vrbes, multos pagos, vbi vtramque religionem ſine tumultu profiteantur. Quorſum autem illa? an vt varietatem religionum inueheremus? an vt ſicut Arianis & Nouatianis plus æquo indulſit Imperatorum quorūdam clementia, ita etiam Anabaptiſtis, Seruetanis, Bellianis, aut aliis vllis ſectis in Gallia ſedes ponere liceat? abſit. Sed ideò potiùs vt illud quod illi ſumebāt axioma, falſum eſſe oſtenderemus: & nobis quorū confeſsionem nemo adhuc potuiſſet refellere tantundem ſaltē libertatis, ſine reipublicæ incommodo concedi meritò poſſe probaremus, quantùm Iudæis pontifex ipſe ſanctiſſimus largiretur. Hoc noſtrum cōſilium fuit, Balduine, in quo ſi quid habes quod reprehendas, audiemus, quum voles: & fortaſſe quod noles, reſpōdebimus. Illa verò quæ de Arianis, & Euſtathianis putidè & ambitioſè commemoras quid attinet referre? Fingis neſcio quos factioſos & famoſos libellos hinc prodiiſſe ſine authoris inſcriptione, in quibus ſis vnus, quem Caluini eſſe arbitraris, ac proinde eum tibi exagitandum ſuſcepiſti. Nos verò, Balduine, primùm omnium, non ea conſcientia qua toties iam de nobis mentitus es, ſed ea qua probi homines coram Deo quum opus eſt iurare ſolēt, teſtamur quod res eſt: nos videlicet nullos factioſos libellos ſcire in hac vrbe fuiſſe editos: tum verò maximè quē librum dicas neſcire, nec vnquam eius argumenti quicquam vel à Caluino vel à me vel (ſcientibus nobis) à quoquam noſtro collega editum: aut in hac vrbe excuſum. Tu igitur, fortiſſime athleta, quandiu voles aduerſus tuā ipſius vmbram totis lacertis contendito. Nos certè in iſto aduerſus librū illū certamine, ſiue vincas, ſiue vincaris, non laboramus. Sed illud in primis quantoperè putas nos commouiſſe, quum te virum grauem qui ab Oriente ad Occidentem recèns cucurreris, qui laſſus non expectata bibliotheca, libros dictare, iuriſprudentiam profiteri, hiſtoriam vniuerſalem vna hora recenſere, puerum docere, Cardinales mulcere, tam multis aſſentari cogaris, præterea tamen videremus catholicæ eccleſiæ Chriſtianæ ſolicitudinem cum cæteris curis coniungere, & illud grauiſſimum iuſiurandum intonare, EQVIDEM TESTOR CAELVM ET TERRAM. Vah, bone vir, quid hoc rei eſt, quod te tantoperè monet? quid Saul inter Prophetas? Ita eſt ſanè. Audiamus ergo quid pulmo largus anhelet: *Nō modò*, inquis, *lentam atque ignauam negligentiam, & in ſumma Republica* (ſubaudi Chriſtianæ) *periculo nimium ſecuram, ſupinam oſcitantem incuriam, ſed & latam doloque proximam culpam* (grauiſsimū ſcilicet crimen) *eorū & fuiſſe & eſſe qui legitimam, piam, Chriſtianam Eccleſia reformationem ſuſcipere, vrgere que debebant noctéſque diéſque* Profectò Balduine, magnoperè te iratum eſſe oportuit, quum iſta aſyndeta κλίμακας, anapæſtos, iſtam denique ſelectorum grauiſſimorum verborum congeriē euomeres. Sed ò factum male quòd iam citò deferbueris! Nam grauitatem iſtam planè delaſſatā eſſe oportuit, quum duobus celeribus & leuiſsimis dactylis tam ſubitò terminaretur.

Vis igitur tibi, mi Balduine, familiariter dicam quid de hac tua iracundia tui Catholici garriāt, etiam ſi rurſus cælum & terram cum tonitru, & fulmine teſteris? Nā hinc vſque exaudimus eorum cachinnos. Dicunt neceſſe non fuiſſe, vt cælum & terram teſtareris, quoniam iſta quæ dicis, teſtibus non egent. Dicunt præterea te fabellis iſtis paſci, nec aliam eſſe certiorem euadendi rationē, quàm ſi quis amicum habeat accuſatorē. Cenſco igitur vt quieſcas, & has partes conductis potiùs monachis relinquas: qui hiſtrionicā iſtā antequam natus eſſes, factitarunt. & te ſanè in hac agēda fabula multis paraſangis ſuperant. Itaque, mi Balduine, rectè facis quòd iam ſubitò ab iſta querela ad accuſationem redis, quanquam te mallemus totam iſtam bilem priùs in illos euomuiſſe vt te paulò placidiore vteremur. Obiicis Caluino faſtum: nempe vt Cynicus ille Platoni. Obiicis etiam ei holoſericatus pædagogus, an mercenarius Leguleius? ſordidum pileum, inſigne videlicet faſtuoſi hominis ornamentum. Sed ſub hoc pileo, ſi tibi credimus, tiaram triplicem tegit. Veretur enim furtaſſe tuus Cardinalis, ne hanc ei præripiat. Quid amplius? immemor tibi eſſe curtas nares, Midæ auriculas illi obiicis. Sum præterea ipſius legatus, conqueruntur omnes de ipſius arrogantia: ſunt qui ad te ſuas de ipſius tyrannide querelas deferant: dubitas ſit εἴρων an ἀλάζων: Vveſtphali teſtimonium citas, qui Papam beatiſſimum, eum ſalutat: alter Helias vult haberi, & propterea Luthero inuidet: odit Mediatores: nouum imperium affectat. Mira certè dicis, Balduine, & valde probabilia,

vt argumentis nihil ſit opus. Sed ne te fortè putes operā luſiſſe, ſcire vis, quid tot iſtis conuitiis ſis conſecutus? vt qui te alioqui non norant, te apoſtatam non minùs quàm Vvilelium, Staphilum, & alios eius farinæ homines norint, ídque etiam reliqua tui libelli parte optimè confirmas. Quorſum enim illud ABRENVNTIO, exorciſmum, conſignationem crucis, id eſt, totam illam Baptiſmi profanationem rueris, niſi vt te ſeriò papiſſare omnes intelligant? Agè tamen quid hoc rei ſit videamus, quantùm quidem tempus & locus ferunt. Nam ſi fortè tantùm tibi otij eſt vt ſemel de iſtis propriè agere conſtitueris, reperies qui tibi acriter reſpondeat, nec tamen rhapſodias tuis centonibus opponat. Bucerum, qua tu es impudentia, nobis opponis, qui ſi hodie viueret, profectò ſuum nomen à te prophanari indigniſſimè ferret. Fuit enim non minùs conſtans in vera confeſſione, quàm tu leuis es apoſtata. Niteris formula reformationis quam (vt tu inquis) Archiepiſcopo Colonienſi dictauit. eam ego ad manum non habeo, & ſuſpicor te Balduini, id eſt peſſima fide referre quicquid hoc loco tanquam ex ea commemoras. Sed de hoc viderimus quum id planum facies quod dicis. Nam quod ad illam Anglicanam reformationem attinet, quum dicis eam ex Buceri conſilio ac voluntate fuiſſe inſtitutam, magnam optimo viro iniuriam facis, qui quum in illo regno verſaretur, propagati illic Euangelij initio, dici non poteſt quot & quàm grauibus gemitibus inter cætera deplorarit diſciplinæ & puritatis rituum in conſtituendis illis eccleſiis maiorem rationem non haberi. Imò etiam non pigebit vt de tuo mendacio meliùs appareat, quædam adſcribere ex ipſius literis ad hominem amiciſſimum Cantabrigiæ ſcriptis 12. Ianuarij, 1550. in quibus hæc etiam ſcribit, *Quòd me mones de puritate rituum, ſcito hîc neminem extraneum de his rebus rogari. Tamen ex nobis, vbi poſſumus, officio noſtro non deſumus ſcriptis & coràm ac in primis vt plebibus Chriſti de veris Paſtoribus conſulatur, deinde etiam de puritate puriſſima & doctrina & rituum.* Et alio loco, *Sunt qui humaniſſima ſapientia & euaneſcentibus cogitationibus velint fermento Antichriſti conglutinare Deum & Belial.* Hæc ille, Balduine, paulò antè mortem ſcripſit, nedum vt in illa forma Anglicana acquieuerit, cuius illum authorem falſò & impudenter facis. Et quæſo, ſi quando Bucerus dum Augiæ ſtabulū vel Coloniæ vel alibi ſtudet repurgare, aliquid certa moderatione in ritibus toleraт, tantiſper dum ſol veritatis omnes per ſe nebulas diſcuteret, an tu propterea à nobis (quod tu nunc apoſtata, poſt tot annos primùm dicis) obtinebis, vt vel quod illi alicubi ad tempus placuit, pro vniuerſali regula ſumamus, vel propterea pro ſuperbis & ſchiſmaticis Patrum contemptoribus habeamur?

Tantæ molis erat Romanam euertere gentem.

Quid autem Bucerus maximè probarit, & quid facturus fuerit, ſi licuiſſet, vnde tandem meliùs quàm ex Argentinenſis Eccleſiæ ritibus diſcemus? quanquam ne hîc quidem eum obtinuiſſe bonam eorum partem quæ optimo iure deſiderabat, & ſermonibus & concionibus & querelis quotidianis, & ſcriptis libris abundè eſt teſtatus. Sed tamen in Argentinenſis Eccleſiæ ritibus vbi tandem illas putidas quas iactas, ſponſiones, vbi exorciſmos, vbi cruces, vbi chriſma comperies? Imò quibus de cauſis olim in Anglia nonnulla fuerint initiò retenta, & quid ibi hodie doctiſsimi & religioſiſſimi quique epiſcopi cupiant, ex eorum Apologia his de rebus non ita pridem ſcripta intelligere potuiſti. Quid tu igitur nugaris, impudens? Quis vnquam niſi planè vel ſuperſtitioſus vel ambitioſus eccleſias omnes ad certos ritus cogere voluit? Imò vbi tu ipſe nunc verſaris, quàm habent multa propria & peculiaria non tantùm diœceſes, ſed etiam parœciæ? Sed aliud eſt, dices aliquid in Eccleſiis conſtituere, quàm quod iam olim conſtitutum eſt tollere. Ita eſt profectò. Sed nos viciſſim dicimus, quæ ſunt cum manifeſto Dei dedecore & impiiſſima idololatria coniuncta, funditus eſſe tollenda. Nec tamen ignoramus in ritibus eſſe quædam præ reliquis tolerabilia, vel quòd ab initio fuerit aliquis eorum vſus, vel quòd certa aliqua ratione temperari poſſe videantur. Non ignoramus etiam quid Chriſtiana charitas valeat, & quantoperè debeamus Eccleſiarum paci ac tranquillitati ſtudere. Iſta, inquam Balduine, Dei gratia, non ignoramus, nec ex te diſcamus neceſſe eſt. Sed dic, quæſo, quid hîc peccauimus? An tu iſta de quibus contendis ita vnquam neceſſaria fuiſſe putas, vt aboleri nunquam potuerint, aut tam bene conſtituta vt nihil in eis immutari debuerit? Atqui ne ij quidem qui iſta vel excogitarunt vel ab aliis introducta defenderunt, aliud eſſe cenſuerunt quàm Baptiſmi ornamenta, quod tamen quo iure fecerint inquirere quum neceſſe fuerit, non pigebit. Quod ſi ita eſt, ſuntque iſta ex earum rerum genere quas in Eccleſia perpetuas eſſe minimè neceſſe eſt, quoniam pro ratione temporis aut tolli aut variari poſſunt & debēt: probandum eſſet in primis nos iuſtas illius nouationis cauſas non habuiſſe, quod tu nunquam certè oſtendes, ac multo etiam minùs aliqua ambitione id à nobis eſſe factum, niſi fortè ita nos ſtultos eſſe putas, vt quàm plurimos offendendo nos omnia conſequi poſſe ſperauerimus. Vis igitur paucis abſoluam? Si antiquitate pugnas, nos eam formam quam reſtituimus, omnium primam & vetuſtiſſimam eſſe dicimus. Si Eccleſiæ authoritatem obiicis, nos puriſſimam Eccleſiā, id eſt Apoſtolicam & Apoſtolorum ætati proximam opponimus. Cui enim perſuaſeris Iuſtinum Martyrem hoc ipſum argumentum ex profeſſo tractantem, & tam multa diligenter commemorantem, illos omnes ritus fuiſſe prætermiſſurum, & quidem quum Romæ ſcriberet, ſi quid eiuſmodi fuiſſet ibi obſeruatum? *Sed tamen* (inquis) *illa vetuſta ſunt, & à Tertulliano, Baſilio, & aliis ſummis viris citata & defenſa.* Ego plæraque ex illis velut abrenuntiationis & confeſſionis ſtipulationes, exorciſmum, conſignationem, vnctionem, vetuſta eſſe confiteor, quæ tamen nec eâdem ætate nec in omnes eccleſias pariter ſunt inuecta: Nam plura multò apud tuum Dionyſium, quàm apud Tertullianum inuenies, & apud Pſeudambroſium rurſus plurima quæ apud Tertullianum non leges. Imò eoſdem etiam vbique fuiſſe Baptiſmi ritus nunquam probaris, quum Pſeudambroſius tam grauiter

Roma-

Romanam eccleſiam reprehendat, quòd pedum ablutionem non vſurparet. Quid igitur cauſæ adfers, Balduine, cur reliquis prætéritis certa tantùm retineri velis? Nam quæ tu omittis, eadem prorſus traditionis & conſuetudinis authoritate nituntur. Vbi igitur illa ſolennis ad Occidentem & Orientem deductio? vbi cantica? vbi exufflatio? diſcalceatio? pedum ablutio? deoſculatio? lactis & mellis, ſiue, vt alicubi ſcribit Hieronymus, vini & lactis prægustatio? vbi triplex immerſio, cuius myſterium non pauci tantoperè vrgent? vbi illa particularis articulorũ fidei confeſſio? Quid quòd ne vnctiones quidem nec conſignationes eædem apud omnes fuerunt? Dic, quæſo, Balduine, cur iſta etiam non vrges? Quoniam, dices, adultis non autem infantibus conueniunt. Atqui ne abiuratio quidem & fidei profeſſio infantibus quadrant. an quòd iſta iam olim ſint exoleta? Ergo vel abolere licuit, vel reſtituenda ſunt, ſi non licuit. A quibus verò Epiſcopis, & quibus canonibus illa antiquata fuiſſe comperies? Certè niſi fallor, partim ſaniorum Epiſcoporum iudicium, partim etiam tempus ipſum, pleraque vt ſuperuacanea aboleuit. Sed illa, dices, erant præcipua, quæ communi Eccleſiarum conſenſu fuerunt conſeruata. Imò quod præcipuum erat vos, Catholici ſcilicet, impudentiſſimè ſuſtuliſtis. Quum enim Sacramenta idcirco inſtituta eſſe conſtet, vt doctrinam fidei in nobis obſignent, dic nobis, catholicæ prauitatis defenſor, vbi de inſtitutione & vſu Baptiſmi, in iſtis ceremoniis quas tantoperè à nobis immutatas doles, vel tenuiſſima fit mentio? Nec te pudet tam inſanam prophanationem defendere? Nos, inquiunt, ſtipulationes retinemus. Scilicet ibi interuenit ſtipulatio, vbi neque is ſæpenumero qui rogat, quid roget, neque is qui rogatur, quid promittat magis nouit quàm lapis ipſe baptiſterij ad quem adſtant. An tu verò eiuſmodi ſtipulationem vel ex tuo ciuili iure probabis? Et quæſo, terribilibus illis exorciſmis fugari an allici dæmones credis? niſi fortaſſis ex Zoroaſtre quopiam plus iſtis ſyllabis tribuis, quàm vetuſtis veſtris formulis Iuſtinianus. Quanquam ne formulas quidem abrenunciationis eaſdem fuiſſe video. Nam alij dicunt abrenuntiatum fuiſſe Satanæ & angelis eius: alij, Diabolo & pompæ & angelis eius: alij, vt Origenes teſtatur, omnibus aliis diis & dominis: alij, pompæ & præſtigiis Satanæ. Exorciſmi verò formulam cui perſuaſeris eam olim fuiſſe quæ nunc eſt? quaſi videlicet infantium corpora à legione dæmonum ſint obſeſſa: aut peccatum originis ſiue alia peccata, quò nonnulli confugiunt vt iſta tueantur, exorciſmis extinguantur. De cruce verò quid dicam? Fuerit ſanè tempus quo fuit aliquis iſtius ſignaculi aduerſus Chriſti crucifixi contemptores vſus: ſit etiam diu & libenter à Chriſtianis vſurpatus pro externa veræ religionis profeſſione. Quum tamen iampridem deſierit iſtorum miraculorum vſus, nec inter eos idololatras verſemur, à quibus hoc ſigno diſtingui nos oporteat: quum denique eò res deuenerit vt quum ab Artolatria diſceſſero, nulla ſit ſub cælo talis Magiæ & Idolomaniæ ſpecies, qualis eſt illa crucis ſignatio, & ſpurciſſima adoratio, adeò vt quod vni crucifixo nunc in cælis regnanti debetur, (de nulla re magis, vt arbitror, ſibi plaudente Satana) ad aurum, argentum, & lignum publicè ſit tranſlatum: túne à nobis tam horrendæ Sacramenti prophanationis omnem memoriam & occaſionem ſublatam meritò potes indignari? Scio tamen nonnullos, ſublata crucis adoratione, aliquem ſigni crucis vſum retinuiſſe. Vtantur igitur ipſi, ſicuti par eſt, ſua libertate. Sed ſi quas ipſi habẽt huius ſigni in eccleſiis ſuis retinendi cauſas, nos certè cur illud nullo modo toleremus, & plurimas & neceſſarias cauſas habemus. Supereſt Papiſticum Chriſma, quod quum Tertulliano, Cypriano, & aliis patribus tribuis, magna certè contumelia illos afficis. An enim es ita impudens, vt eos dicere audeas ſi hodie viuerent, ſpurciſſimum illud oleum, inauditis, inter ipſos idololatras, blaſphemiis incantatum, cuius vel diabolos ipſos pudeat, in Baptiſmo toleraturos? Vſi ſunt tamẽ illi fateor vnctione, vt Catechumenos quaſi nouos athletas Deo conſecrarent. Sed ſi quicquid à veteribus factum eſt, retinendum putas, vide, Balduine, ne tuipſe nouationis crimen non effugias. Certè ſi qua vnquam ceremonia abiicienda fuit, Chriſmatis vſus penitus fuit abolendus. Et, quod bona patrum venia dictum ſit, quod nulla Dei ordinatione nititur, nunquam adeò fuit extollendum, vt neceſſarium eſſe diceretur. Itaque his gradibus eò tandem erroris atque adeò impietatis delapſi ſumus nos & patres noſtri, vt, aqua Baptiſmi præ impuriſſimo illo oleo deſpiceretur: atque adeò, vt (quæ ſumma eſt totius Chriſtianitatis infamia) publicè ſalutatum & adoratum oleum inuocaretur. Sed cur igitur, dices, illa ſunt à patribus introducta, & tanto ſtudio defenſa? Equidem hoc loco non conſtitui accuratè hoc argumentum perſequi cùm aliis multis de cauſis, tum verò maximè quòd nihil afferat, quod non ſit millies auditum & refutatum. Tantùm commemorabo quod eſt extra controuerſiam, de excogitãdis ritibus pleróſque eorum tẽporum Epiſcopos, plus æquo fuiſſe ſolicitos: ſiue quòd exiſtimarent paganos hoc modo poſſe Chriſto faciliùs lucrifieri, ſiue quòd alias cauſas haberent. Quàm autem infœlix hoc conſilium fuerit, vel illud declarat, quòd quum ſit hoc hominum ingenium, vt nulla re magis quàm externo cultu delectentur, repentè factum eſt, non ſentientibus plerìſque, vt ceremoniæ illæ quibus religionem Chriſtianam ornare cupiebant, in ſuperſtitionem degenerantes, doctrinam ipſam oppreſſerint. Hoc ita eſſe vt dico, fatebitur quiſquis veterum Patrum ſcripta & eorum temporum hiſtorias diligenter legerit, & earum controuerſiarum fontes conſiderarit, quibus hodie Chriſtianus orbis agitatur. Baptiſmi autem ritus non pueris recèns natis (quales hodie omnes, pauciſſimis exceptis, baptizantur) ſed adultis catechumenis fuiſſe initiò conſtitutos, partim eorum temporum conſuetudo declarat, quum ne Epiſcopi quidem Chriſtiani, ídque peſſimo exemplo, facilè ſuos liberos infantes, niſi vrgente mortis periculo, Baptiſmo offerrent, ſicut in Nazianzeni patre apparet: partim verò etiam ipſa rituum forma docet, quum ſit eiuſmodi vt in infantibus obtinere non poſſit, & ſolennes preces ita ſint conceptæ, vt planè ſint hodie ridiculi ſacrificuli, quum puerulis infantibus illas applicant. Quod quum ita ſit, mi-

rum eſt tantam nihilominus fuiſſe Epiſcoporum negligentiam, vt hunc abuſum ferre maluerint quàm emendare. Adhiberi ſolebant ſponſores in catechumenorum Baptiſmis, qui videlicet de eorum voluntate ſponderent quos in Eccleſiam recipi poſtulabant. Tum qui adductus erat, ab antiſtite de ſua fide rogabatur. Ille de Symbolo reſpondebat, & conceptis verbis Satanæ & ipſius regno abrenuntians, Chriſto ſe credere profitebatur, ac tandem multis adhibitis ceremoniis, quarum poſtea nullus fuit modus, baptiſabatur. Verùm vt demus in adultis qui de iſtis rebus & myſteriis omnibus edocebantur, omnes illos ritus tolerabiles fuiſſe, quid tamen erat cauſæ cur ad infantes iſta transferrentur? nulla profectò ſatis idonea. Itaque iam olim non defuerunt qui in infantium Baptiſmo mirati ſunt à ſponſoribus illam abrenuntiationem & fidei profeſſionem requiri. Cuius rei rationem quum velit reddere Auguſtinus ad Bonifacium ſcribens, ita obſcurè loquitur, vt mihi quidem non ſatisfaciat, quamuis alioqui epiſtola illa multas præclaras ſententias contineat. Sed Dionyſius ille, quem Areopagitam falſò vocant, ſcriptor alioqui Græcanicæ vanitatis plenus, vnus mihi videtur id quod res eſt vidiſſe, & ſatis perſpicuè explicaſſe, quum illas ſponſiones ſic interpretatur, *Viſum eſt*, inquit, *noſtris ductoribus admittere infantes hoc modo: Naturales parentes eius pueri qui offerendus eſt, eum tradunt cuipiam ex fidelibus, præclaro diuinarum rerum doctori, ſub quo iam puer ſit quaſi ſub patre diuino, à quo in ſancta ſalute educetur. Ab hoc itaque ſpondente, ſe facturum vt puer in ſancta vita educetur, præſul requirit vt abrenuntiationem profiteatur, fidémque confiteatur, nec tamen, vt quidam ridentes aiunt, alium pro alio imbuit ſacris. Neque enim hoc ille ait, Ego pro puero abrenuntiationes facio, aut fidei myſteria profiteor, ſed ita puer renunciat & profitetur, id eſt, Spondeo fore vt hunc puerum quum ad ætatem peruenerit intelligendorum ſacrorum capacem, inducam ſedulis meis adhortationibus, vt prorſus abrenuntiet contrariis, & profiteatur diuina illa quæ pollicetur.* Et hæc quidem ille, ex quibus ſatis intelligi poteſt, longè rectiùs facturos fuiſſe Epiſcopos, ſi infantiũ baptiſandorum numero creſcente, adultorum autem turba decreſcente, rituum formam mutaſſent, & iſtas ſponſiones quæ prorſus neceſſariæ ſunt & verbo Dei & certis ratione nituntur, ad præſentem circunſtantiam potiùs accommodaſſent, quàm quum nouitatis inuidiam fruſtrà metuentes, aut aliis rebus intenti (dicam enim quod ipſi faterentur ſi viuerent) maluerunt priſca retinere quàm ædificationi ſeruire. Nec alia certè fuit iſtarum corruptelarum origo, hoc merente Chriſtiani populi perfidia, vt inter tot cæcutientes Epiſcopos vix vnus & alter exiſteret qui doctrinæ ſaltem puritatem tueretur. Et hæc quidem ſcio fore, Balduine, vt derideas, quaſi nimirum totam antiquitatem præ nobis aſpernemur. Sed tua & tuorum dicteria nihil moramur: & ad omnes ſani iudicij homines, denique ad Deum ipſum prouocamus. Iam verò videamus, an iuſta de cauſa nos omnis maiorum inſtituta ſuſtuliſſe dicas. Ex Baptiſmi noſtrarum Eccleſiarum formula, adhibetur ſemper ſponſor quiſpiam, vitæ & doctrinæ inculpatæ. Percontatur ex eo miniſter Verbi coram Eccleſiæ cœtu, an puerum quem brachiis geſtat, ad Baptiſmum offerre velit. Reſpondet ille clara voce, hunc eſſe animum ſuum. Subiicitur breuis & perſpicua declaratio inſtitutionis, & vſus Baptiſmi ex Dei verbo, quæ vernaculo ſermone, audientibus & intelligentibus omnibus, ex ſcripto recitatur. Adduntur preces, vt Deus in puero per ſanctum ſuum Spiritum obſignet adoptionem & ablutionem, quæ per Baptiſmum externum velut oculis noſtris ſubiicitur. Poſtea ſtipulatur idem miniſter à ſponſore, ſpondeátne ſe facturum vt puer vbi per ætatem idoneus fuerit, in doctrina Chriſtiana, & ſymbolo Apoſtolico, quod diſtinctè recitat erudiatur. Aſſentitur ille huic doctrinę, & ſe ita facturum ſpondet. Repetitur ſtipulatio, & requiritur vt rurſum ſpondeat ſe omnem operam daturũ vt puer erudiatur in vniuerſa vtriuſque Teſtamẽti doctrina & Lege Dei, cuius etiam epitome ex Matthæi Euangelio refertur, ex cuius præſcripto ita vitam inſtituat vt Dei gloriæ in Ieſu Chriſto, & proximi ædificationi ſe totum conſecret. Spondet ille, ac tum demum pura aqua baptiſatur puer in nomine Patris, Filij, & ſpiritus ſancti. Cedò verò, Balduine, quid hîc reprehendis? Præcipuam Baptiſmi partem, id eſt, doctrinæ ipſius explicationem, à tuis catholicis ſublatam, nos, vt tu vides, reſtituimus. Nec ſponſores, nec ſtipulationes, nec fidei profeſſiones, vt tu falſò & impudenter mentitus es, ſuſtulimus, imò potiùs illos non dicis cauſa, vt vos Dei irriſores ſoletis, ſed idoneos & legitimos: iſtas verò lõgè magis expreſſas & accõmodatas adhibemus, quàm ſi veſtrum illud Abrenuntio, & Credo, quod veteribus multis meritò abſurdum viſum eſt in infantium Baptiſmo, à veſtris verò nullo modo intelligitur, retineremus. Preces etiam nõ alias quàm ab omni ſuperſtitione puras, & verbo Dei conſentaneas concipimus. Formam autem Baptiſmi qualem Chriſtus mandauit, vſurparunt Apoſtoli, & puriſſima Eccleſia obſeruauit, ſedulò obſeruamus. Itaque quid hîc requiris? exorciſmos, vnctiones, cereos, ſputa, cruces, & quid non? At tu, trãsfuga, potiùs abi in malam crucem, quàm Eccleſias nobis à Deo cõmiſſas iſtis ſordibus rurſum inquinari patiamur. Aliis conſilium petentibus, aliud conſulere nec poſſumus nec debemus, ſed quod ais nos in alias Eccleſias tyrannidem exercere, id verò non minùs falſum eſt quàm ſi te bonum virum eſſe iuraremus.

Quid plura? eouſque tandem inſaniuiſti vt Miſſam etiam propugnandam ſuſceperis, ſed præfaris te iis non ſeruire qui defendant τὸ βδέλυγμα. Quid ais, Balduine, an quicquam eſt in Miſſa quod tui domini non approbent? Sed me reprimo. Putò enim potiùs eorum plurimos tecum nec Miſſam nec Euangelium approbare. Sed tamẽ quæſo, quid eſt in veſtra illa Miſſa præter τὸ βδέλυγμα? Si de confeſſione peccatorum agitur, vides ibi Dei nomen indigniſſimè profanari, quũ ſanctis quos vocent, attribuitur quod vnius Dei proprium eſt, vt nos vbique audire & cor noſtrum intueri poſſint. Vides etiam Filium Dei ſuæ interceſſionis dignitate ſpoliari, quum alii in cælis mediatores ei adiunguntur, etiã ſi cum ſophiſtis illos Chriſto ſubordinari excipias. Vides & audis miſer, Filium

Dei in ſuo verbo quaſi fruſtulatim concidi, quum modò hæc modò illa ſententia ex Scripturis arripitur, ſicut tu ſoles tuos centones conſuere. Et quorſum hoc? vt turpiſſimè profanentur. Quæ enim eſt particula in qua infinitæ blaſphemiæ veluti conceptis verbis non recitentur? Audis ex Euangelio & epiſtolis neſcio quid peregrina, & ſi non tibi, at certè populo circunſtanti, ipſique adeò plerunque ſacrificolo ignota lingua non prædicari ſicut oportuerat, ſed barbariſſimè legi, aut etiam cantari ἀσυνέτως. Et quid eſt Deum irridere, ſi hoc non eſt? vides attolli τὸ βδέλυγμα, & vnus es ex eorum numero, qui panem inuocant, & adorant, qui Chriſtum offerunt pro viuis & mortuis, qui denique vnicum illud ſacrificium impiiſſimè polluunt & contaminant. Apage, inquies, iſtii quæ inuexit barbaries non aſſentior, nec alterius conſcientia meam polluit. Sed quum hoc dicis, quid aliud dicis, quàm te aliud in corde quàm quod præ te feras habere, atque adeò te nunc inter illos tuos catholicos non alium eſſe quàm olim inter noſtros fueris, inſignem videlicet hypocritam, & vtrorumque deriſorem? Itaque ſicut tu quodã libri tui loco noſtros admones vt videant cui ſeruiant, ita tuos catholicos ac in primis bonos illos patres ſiue Sorbonicos ſiue Louanienſes, ſiue Colonienſes ſedulò ac ſeriò moneo, videant etiam atque etiam quomodo te tolerent, qui te Miſſæ βδέλυγμα, id eſt, abominationem dicas & ſcribas non approbare. Sed videamus quàm fortiter Miſſam propugnes. Auguſtana confeſſio cenſet aliquam Miſſam eſſe retinendam. Quaſi verò Miſſam tuam illi nobiſcum communi conſenſu non execrentur, aut nos de nomine ac non potiùs de re contendamus. Hoc quidem non negamus, à quibuſdam in ſuis liturgiis aliquos adhuc ritus retineri, ſed neque eadem omnes retinuerũt, nec illorum ſanè quiſquam, niſi fortaſſe VVeſtphalus ille, dignus quem in deliciis habeas, ad ſuam formulam adigere nos voluit. Sciunt enim ſani homines quæ ſemper fuerit in his externis rebus Eccleſiarum libertas, nec iure damnari à quoquam poſſunt quibus in rebus ſacris id demum vt optimũ quod ſimpliciſſimũ eſt probatur. Quantum enim profuerint Eccleſiæ, qui non contenti Apoſtolorum ſimplicitate, dum Chriſtianiſmum præpoſtero zelo ſtudent exornare, Paganicos & Iudaicos ritus in Eccleſiam inuexerunt, qui non videt, nihil planè videt. Et miraris hac ætate inueniri qui ſcriptis libris, quos tu, ſcurra, ſcurriles appellas, craſſiſſimos iſtos abuſus exagitent, & eorum fontes aperiant? Quanquam hic quoq; Caluino totique huic Eccleſiæ iniuriã facis, quum hîc ſcribis natum & editum librum fuiſſe de Numæ Pompilij ſacris, quod tu ipſe falſiſſimum eſſe noſti. Scriptus enim iſthic eſt & editus ab optimo & doctiſſimo, & præcipuæ nuper in curia Rothomagenſi dignitatis viro, quem tui illi catholici carnifices (quorum pleroſque nunc Deus iuſtis pœnis vlciſcitur) poſtea cum Marloratio fideli illo Dei ſeruo, fratre & ſymmyſta mihi chariſſimo, honorando nobis martyrio Rhotomagi ſuperiore anno affecerunt. Sed hoc non miramur te effutire, quum nullum ſit tam impudens mendacium, cuius te pudeat. Cuiuſmodi enim illud eſt quod te non puduit ſcribere, ſolennem illam exhortationem SVRSVM CORDA, à nobis in noſtra liturgia fuiſſe ſublatam? Mendacium enim tuum abſque vllis rogatis teſtibus ex ipſa noſtræ formulæ lectione deprehendet quiſquis eam vel leuiter inſpexerit, quum ibi non tantùm ſit expreſſa, ſed etiam pulchra & religioſa explicatione declarata. Similis tua impudentia eſt in eo quod tu, Balduine, non ſine blaſphemia captioſum verbum vocas, de quo neceſſe eſt vt pauca quædam commemorem. In ſolennibus precibus quas diebus Mercurij habere ſolemus, illud etiam legitur, poſſe nos coram Deo per ipſius gratiã fœdus quoddam proferre melius eo quod Deus olim cum Patribus pepigit, illud videlicet quod per manum Ieſu Chriſti Filij ſui ſtabiliri atque adeò ipſius ſanguine ſcribi & morte ſanciri voluit. Hanc igitur voculam MELIVS quum quidam imperitus auſus eſſet reprehendere, obuiam itum eſt eius temeritati, & ipſe quoque erroris admonitus acquieuit. Quid verò Balduinus? nempe dignum etiã hoc putauit quod Caluino exprobraret, vt qui veluti dictaturam in Eccleſia gerens, ne apicem quidem in ſuis dictatis deleri patiatur. Et cur ſic exclamat? *Quoniam* inquis, *quum amici tui te verecundè monerent vt ambiguum & captioſum verbum tolleres, ne quis diuerſa eſſe hæc fœdera periculoſè putaret, tu ſeditioſè tumultuoſos eſſe exclamaſti.* Bona verba, Balduine, non hic mos eſt huius Eccleſiæ, ita vt tu fingis, tumultuari. Ille ipſe cui te putas patrocinari, niſi nuper eſſet à tuis catholicis in bello interfectus, te mendacij redargueret, vt qui clementer admonitus, in veritate acquieuerit. Sed vnde hæc tua inſcitia? audere te de ratione conſtituendarum Eccleſiarum velut oracula proferre, quum ne prima quidem Chriſtianiſmi elementa teneas? an tu enim ignoras quod & quantum ſit veteris & noui fœderis diſcrimen? Sed vocabulum illud ambiguum eſt & captioſum. Nempe hoc eſt quod præclarè dicit Thucydides, ἡ ἀμαθία θρασεῖς ἀπεργάζεται. Inſpice quum voles, Balduine, caput Heb. 7. ſ. 22. Ibi hęc verba inuenies, quæ in noſtrarũ precum formã tranſtulit Caluinus. κατὰ τοσοῦτον κρείττονος διαθήκης γέγονεν ἔγγυος Ἰησοῦς. Et miraris nos pati non potuiſſe vt quod Spiritus ſanctus dictauit expungeretur? Et te, blaſpheme apoſtata, nõ pudebit ipſius Spiritus ſancti ſermonem vt ambiguum & captioſum reprehendere? I nunc, Balduine, & nega ſi potes, te in manifeſta inſcitia, impudentia, & blaſphemia non eſſe deprehenſum.

Porrò quod muſices quoque mutationẽ in Eccleſiis noſtris factam reprehendis, minimè miramur, quoniam ea quo ad Romanos defeciſti, etiam ſaltare, vt audimus, didiciſti. Sed tibi ſanè & canito & ſaltato quandiu voles, nos hãc choreã minimè tibi inuidebimus, quoniã ſcimus fore vt dũ Doricum animus, tu ab Ionico in Lydiũ deſinas. Sed ecce neſcio quomodo iniecta muſices mentione, nos ad res prorſus diſſimiles tranſire cogis. Agè ergo te hiſtrione ſaltabimus, vt aliquantulum oblecteris. Quum nos pios in hæreticos ſæuitiæ accuſandi, in qua deſcribenda tot egregij tui libri paginas, tu miſero illi & ab omnibus deſerto Bellio ſuccenturiatus, conſumpſiſti, non aliam occaſionem habeas quàm iuſtiſſimum illud ſupplicium de blaſphemo Serueto ſumptum, op-

poſuit tuæ calumniæ Caluinus grauiſſimum Philippi teſtimonium, quod inficiari nõ potes, quoniam publicè editum eſt non ſemel, adeò quidem vt hoc exemplum quod ſolo noſtri odio, tibi nunc diſplicet, & libentiſſimè tamen in nobis aſpiceres, dignum eſſe ſcribat quod omnes Chriſtiani Principes imitentur. Tu verò quid ad iſta reſpondes? planè quæ digna ſunt Balduini impudentia. *Non deſunt*, inquis, *teſtes idonei, quàm ille poſtremis vitæ ſuæ annis quibus eum vidimus & audiuimus, conquereretur de tua præfracta moroſitate*. Diceres Balduinum fuiſſe aſſiduum Philippi auditorem, qui Balduinus quum fortè Heidelbergæ illuſtriſſimum Electorem falleret, quo tempore Philippus VVormatiæ conuenerat, illum ſemel atque iterum vidit. Hoc prætextu putauit ſibi impunè mentiri licere. Nam quid de nobis ille ad extremum ſenſerit, & literis ac re ipſa teſtari ſit ſolitus, oſtendere quidem poſſumus, Balduine: ſed puderet nos in rebus honeſtis minùs eſſe pudentes, quàm tu in turpibus impudens eſſe ſoles. Proferam tamẽ quiddam quod à me extorques, quoniam vix vllum aliud maioris improbitatis exemplum extat. Quæ fuerit Gallicarum eccleſiarum conditio ſub id tempus quo captum fuit S. Quintini oppidum, tota Europa nouit, & tum ipſos noſtros hoſtes aliqua cœpit noſtri commiſeratio, adeò vt quum maximus eſſet captiuorum numerus, paucorum ſupplicio fuerint contenti. Eo igitur tempore Pariſienſium fratrum precibus & lachrymis commoti, venimus aliquot ab his Eccleſiis miſſi cum literis ad illuſtriſſimos Germaniæ Principes Euangelicos, à quibus petebamus vt pro miſerorum fratrum ſalute, & Eccleſiarũ Gallicarum pace apud Henricum regem quorundam crudelitati planè ſeruientem, intercederent. Erat tum VVormatiæ D. Philippus cum præcipuis & doctiſſimis Germaniæ Theologis in illo conuentu qui cum catholicis quos vocant, erat inſtitutus. Illos ergo cõuenimus, à quibus ita certè & audiri & excepti ſumus, vt mihi quidem qui in eo eram numero, perpetuò iucunda ſit futura eius legationis memoria. Neque verò nos iſtius laboris pœnituit, quia ab illuſtriſſimis Principibus pro ſingulari eorum pietate impetrata legatio, id effecit vt noſtri ſaltem fratres reſpirarint. Quid autem Balduinus noſter, qui iam tum apoſtaſiam ſuam meditabatur? Audiamus rogo. *Quid*, inquis, *Philippus reſponderit tuo ſiue legato ſiue Apoſtolo* (is ſum ego Apoſtolus, vnus ex iis qui pro calamitoſiſſimis Eccleſiis quibus iſte iam tum inſultabat, laborabam) *de turbis Gallicis iam tum gliſcentibus agenti* (ſcilicet turbas iam tum mouebamus & poſtea mouimus) *multi qui aderant, ſciunt*. Ergo Balduine, quàm impudenter mentiaris, illi ipſi teſtificentur, qui quàm honorifico teſtimonio nos apud illuſtriſſimos Principes iunerint, prolatis, quum opus erit, literis oſtendemus, quibus hi omnes ſua manu ſubſcripſerunt, Philippus Melãchthon, Ioannes Brentius, Ioannes Marbachius, Michael Dillerus, Ioannes Piſtorius, Iacobus Andreæ, Georgius Corgius, qui tum ſoli Theologi VVormatiæ, nomine illuſtriſſimorum Euangelicorum Principum conuenerant. Vides igitur tandem quibus teſtibus craſſiſſimum tuum mendacium refellatur? Meminiſti tamen quarundam Philippi ad Caſtellionem literarum, in quibus illum dicis ſententiam iſtius de libero arbitrio & prædeſtinatione probaſſe, & noſtram in illo vexando, vt tu loqueris, intemperiem damnaſſe. Nempe digniſſimus erat Caſtellio qui te patronum inueniret, quãquam ne teipſum quidem exiſtimo perlectam eius ſententiam probaturum. Sed tamen de rebus ipſis, quum voles dicetur. De Philippi verò literis quicquid garris, falſiſſimum eſt, quod nõ modò ex omnibus ipſius ſcriptis liquet, ſed etiam ex iis ipſis literis quarum partem in accuſatione tua inſcribere voluiſti. Hoc quidem nõ inficiamur, eum, vt ſuum cuique iudicium eſt, aliam de rebus illis dicendi rationẽ ſequutum eſſe, ſed in rebus ipſis quàm inter illum & nos cõuenerit, vnde tandem meliùs quàm ex ipſius teſtimonio probabitur? Sic ergo ſcribit in iis literis quarum tu ipſe partem citaſti: *Quum autem & honorifico me teſtimonio ornaris, & de tota re non ſolum piè, ſed etiam eloquenter diſſerueris, de vtraque re, videlicet de mea gratitudine, & de ipſa diſputatione coram nos, vt ſoliti ſumus quoties vnà ſumus, prolixè colloqui poſſe optarim. Etſi enim, tantum vel ingenij vel doctrinæ mihi non arrogo quantum tribuis, & nos in primis in Eccleſia agnoſcere noſtram imbecillitatem decet, tamen beneuolentia erga me tua vehementer delector, tibique gratiam habeo quòd in ſcripto luculento* (loquitur autem de Caluini libris de libero arbitrio aduerſus Pighium ſcriptis) *tãquam in illuſtri poſitam loco extare ſignificationem amoris erga me tui voluiſti*. An hæc verba ſunt, Balduine, hominis à Caluino diſſentientis, & de tanto viro ita vt tu facis iudicantis? Sed hîc neceſſe eſt, vt te manifeſtè falſariũ eſſe coarguã. Quum enim aliquã huius epiſtolæ partem deſcripſeris, ex qua ſuſpicionẽ aliquã inijceres Philippum à Caluino diſſenſiſſe, quæ tua fuit impudentia, de induſtria prætermittere quæ tuam falſitatẽ penitus & manifeſtiſſimè refellunt? Neque eſt quòd dicas te noluiſſe totam epiſtolã inſerere. Nã id quod dico, & quod mox ſubiiciam, ita inſertum eſt iis ipſis quæ deſcripſiſti, vt in eius omiſſione ſumma tua improbitas & malitia tegi non poſſit. Sic enim ille, cuius αὐτόγραφον ipſe habeo, Balduine, quo tua iſta falſitas ſine vlla exceptione coarguatur, ſcribit poſt verba illa, *aſſentiẽtem Deus adiuuat qui per verbũ eſt efficax*, quæ tu repetiiſti: *Hæc nõ ſcribo vt tibi tradam quaſi dictata, homini & eruditiſſimo & peritiſſimo exercitiorum pietatis. & quidem* SCIO HAEC CVM TVIS CONGRVERE, *ſed ſunt παχύτερα, & ad vſum accõmodata*. Et hæc quidẽ ſunt quæ de induſtria prætermiſiſti. Sequitur deinde quod tu quoque deſcripſiſti, *Hæc Romæ ſcripſi apud Bucerum*. I nunc, Balduine, & quum illa vltrò & de induſtria omiſeris quibus nihil contra tuam accuſationem apertiùs dici potuit, nega ſi poteris, te in manifeſta falſitate & calumnia deprehenſum. Sed aliud teſtimonium profers, ſententiam videlicet Senatus Bernenſis, latam 3. Aprilis, anno 1555, quæ tua illa Caluini axiomata ex ſuis ditionibus facceſſere iuſſit. Audi itaque, Balduine, quum iſtam quam dicis, ſententiam proferes, memineris tres alias adiungere, duas videlicet, quibus exilio mulctantur qui Caluinum auſi fuerant iſtorum

quæ

quæ nunc inculcas, accuſares: tertiam verò qua Lauſanenſi eccleſiæ ſuper illis rebus ſatisfaciunt, vt ad hoc quoque mendacium tuum refellendum melioribus teſtibus non egeamus quàm iis ipſis, quibus te ſimulas inniti. Adiicis tamen vt tuam integritatem nobis probes, quoddam Philippi epiſtolium, & Bulingeri noſtri literulas. Atqui optimos illos viros qui te ita ſentire putabant vt tum ſcribebas, minimè miramur fuiſſe à te deceptus, quum eos ipſos quibuſcum quotidie verſabaris, tam turpiter feſelleris. Sed illud etiam nolui præterire, cauſam non eſſe quòd de Philippi teſtimonio glorieris, quem omnes norunt fuiſſe quotidie à tam multis paſſim ad eiuſmodi præbenda teſtimonia ſolicitatum, vt communes etiam eorum formulas illum habere oportuerit. Itaque vis dicam cuiuſmodi ſint illę Philippi literæ, de quibus apud imperitos homines gloriaris? fuerunt certè apud Philippum veluti ſcenicæ veſtes, quas ille quibuſuis hiſtrionibus & agyrtis tui ſimilibus, commodare ſolebat, vt ſe ab eorum importunitate liberaret. De te verò quid nunc iudicet Bulingerus noſter, tu deinceps, vt ſpero, tibi ſcribendum non putabis. Sed obſecro quis tandem erit conuiciorum finis? Quod in te de priuignis ſumma perfidia ſpoliatis dictum fuit, hoc non contentus inficiari, neſcio quem Caluino exprobras, cum quo affinitatem côtraxit, & cuius etiam creditoribus eum iubes ſatisfacere. At quo iure hoc decerneretur, clariſſime iuriſconſulte? an quòd in ſocietatem prædæ Caluinus venerit? ſcilicet. Nam hoc vociferantur illius creditores. Atqui ex iis qui huc venerunt, venerunt autem non pauci, nemo tam impudens fuit qui tam abſurdam calumniam auderet comminiſci. Sed quid, ſi cauſa cognita, compertum eſt eum de quo nunc agis, extra doli culpam eſſe? Verùm quid hæc ad nos? an non in hac ciuitate ius dicitur? an non conſtituti ſunt iudices? Agant iſti ſanè inter ſe. Nunc ſaltem extra ſuſpicionem erit Caluinus, rupto illo affinitatis vinculo. Sed ego planè ſtultus qui tandiu in iſtis hæreo. Itaque ad cætera venio. Doles te impietatis accuſari, ſed vtinam tibi impium eſſe doleret potiùs quàm dici. Redis poſtea ad veteres tuas cantiones, & iſtius belli ciuilis inuidiam in nos deriuas. Caluinus enim, ſi tibi creditur, is eſt qui vnanimes antea fratres, Nauarrenum videlicet & Condenſem armauit. quomodo verò? quum me videlicet veluti vulpem in Galliam immitteret, ardentibus facibus caudæ meæ alligatis, vt quocunque diſcurrerem, incendium excitarem. Mox etiam tibi eſt Tiſiphone, Erinnys, Alecto, Saturninus, Druſus, Sulpitius, Ioannes Antiochenus, Dioſcurus, denique quid non? Sed dic, quæſo Balduine, quum illa conuicia euomeres, an non tua te conſcientia fodiebat, quum eum à quo in meam perſonam iſta tranſtuliſti, quotidie videres ac penè adorares? Negabis, opinor, & quidem ea fide qua vti ſoles: ſed ego veriùs dicam, nos omnibus iſtis tuis conuiciis non magis quàm canum latratibus moueri, quoniam, Dei gratia, & qui ſitis, & qui ſimus omnes norunt. Itaque quò magis mentiendo teipſum fatigabis, eò ſuauiùs in bona conſcientia acquieſcemus. Illud verò quàm lepidum eſt quod recitas de quodam tibi chariſſimo, qui in mediis caſtris de columba illa Nohæ & pace facienda ſit concionatus, quem ego quorundam etiam militum offenſione ſeditioſis meis concionibus interturbarim. Video te, Balduine, neſcio quid ex rumore accepiſſe, ſed quàm turpe eſt affirmare quod tot teſtibus refelletur? Is ipſe quem tu nunc ais, vt audio, tibi vitam debere, & nobis inimicum eſſe fingis, quoties voles, te ſibi vt perditum apoſtatam, inuiſum: nos vnà ſemper coniunctiſſimè toto illo tempore vixiſſe: blanditias quibus nonnulli nos lactabant, mecum cognouiſſe teſtabitur, & me tacente, tuum mendacium refellet. Venio ad Duarenum, de quo ſcripſerat Caluinus id quod res eſt. Quicquid videlicet ille in ſuis neſcio quibus commentariis de Eccleſiæ miniſteriis & beneficiis rectè ſcripſit, ea Inſtitutione ipſius Caluini deſumptum eſſe: te verò quum illi ob aliam cauſam eſſes inimicus, hoc plagium ei exprobraſſe, non vllo religionis ſtudio, ſed vt hominem inter Papiſtas verſantem eorum crudelitati obiiceres. Quid tu ad hæc reſpondes, bone vir? Nos mortuum laudare quem viuẽtem execrabamur, quod noſtrum factum poſtea multis paginis amplificas. Sed vt vno verbo omnia tua maledicta diluam, adeóne ineptus es, vt nos cenſeas integrum librum laudaſſe, quoniam quicquid rectè in eo ſcriptum eſt ex noſtrorum ſcriptis ſumptum eſſe diximus, & tu ita eſſe, aduerſus illũ ſcribens oſtendiſti? Non probauimus igitur librum illum, Balduine, ne neſcias, nec probamus (quis enim ſanus hoc faciat?) ſed tuum conſilium, ſicut par erat, vt crudele & Chriſtiano homine penitus indignum damnauimus, qui (vt inimicum perderes) vel omiſſis vel leuiſſimè refutatis illorum commentariorum erroribus, in eo demum capite inſtiteris, in quo, quod ad doctrinam attinet, non reprehenſionem ſed laudem merebatur. Hoc eſt tuum facinus Balduine, de quo te reſpondere oportuit, potiùs quàm de eo dicere quod nobis nunquam in mentem venit. Addo etiam aliud de quo tu videris quomodo ſis reſponſurus. Arguis nos (& quidem falſò) vt parum candidos, quòd quem hominem antea vituperauimus, repentè laudemus. At ego tibi, Balduine, obiicio quod longè eſt vitioſius, & nunquam à te diluetur: Te videlicet cum ipſum hominem in eodem facto improbiſſimè nunc vituperare, quem antea omni laude dignum cenſuiſti. Diximus paulò antè quibus conuitiis Criſpinum noſtrum affeceris, quem per ludibrium ſcribis ex iuriſconſulto librarium eſſe factum. Iam autem audiamus quid tu de eodem Criſpino & eadem re, in eo libello cenſueris quem Chriſtianorum iuriſconſultorum nomine aduerſus Duarenum edidiſti. *Indignè, inquis, ferimus, te Geneuam excurriſſe Duarene, vt, ſi poſſes, Criſpinum tentares. Ille quidem qui in ordine iuriſconſultorum non minus quàm tu ſedere potuiſſet, & aliquando ſederat, ſeſe nunc ad artem typographicam demiſit, vt Eccleſiæ Chriſti magis prodeſſe poſſet, & verò profuit hactenus, quantum optimis & ſanctiſſimis libris editis prodeſſe licuit.* Quid tu ad hæc, Eceboli? Si te poſtea Criſpinus amare deſiit, quoniam Chriſti Eccleſiam odiſſe cœpiſti, ſo propterea quod tu ipſe laudabile iudicaſti culpare meritò potuiſti? Itaque quis tandem ita poſthac inſaniet, vt te

amare incipiat, quum res ipſa oſtendat neque te aliter amare quàm adulatores ſolent, neque aliter odiſſe quam ſi nunquam amaſſes? Quid plura? defendendam etiam tibi nunc exiſtimaſti Romanæ eccleſiæ tyrannidem, & crimen illud falſi quo damnatus eſt in Africana ſynodo Romanus pontifex ob ſuppoſititium Nicænum Canonem ita excuſas, vt totam potiùs Africam leuitatis accuſare malis. Ais enim te poſtea comperiſſe hunc canonem fictum non fuiſſe, quamuis non fuerit in Græcia exemplaribus ab Africanis Epiſcopis inuentus. Sed vbi hoc arcanum compe iſti, vir doctiſſime? Athanaſius, inquis, & Ægypti Thebaidos, ac Lybiæ epiſcopi, in ſua ad Felicē pontificem epiſtola affirmant illud de prouocatione, decretū fuiſſe Nicææ. Itáne verò, Balduine, te ineptire, vt illam epiſtolam, ſicut & reliquas ferè omnes, ſuppoſititiam eſſe non animaduerteres? Neque vt id probem, afferam illa in hoc genere peruulgata argumenta, nullam eſſe eius ad Felicem epiſtolæ mentionem in hiſtoria Eccleſiſtica, eámque totam eſſe ex deprauatis ſacræ Scripturæ teſtimoniis conflatam, & impudentiſsimæ adulationis plenam: Bonifacium qui falſi damnatus eſt, ſi quod tale Romæ teſtimonium habuiſſet, fuiſſe ſtatim in Africam miſſurum: fieri non potuiſſe vt ſi quid eiuſmodi ſancitum fuiſſet in ſynodo Nicæna, id Conſtantinopoli non extaret, & ab omnibus Africanis epiſcopis ignoraretur. Hæc, inquam, quæ tamen maximi ſunt pōderis non afferam, ſed dicam quod refellere nullo modo poteris. Felicem ambitioſiſſimum hominem omnes norunt ſub Conſtantio fuiſſe pontificem Romanum factum, Liberio in exilium acto, & eodem reuerſo non diu ſuperuixiſſe, quem etiam pontificalis liber Damaſi papæ narrat à Conſtantio fuiſſe interfectum. Toto autem illo tempore Athanaſium Alexandria exulaſſe nemo ignorat: nec ante Conſtantii mortem à quo reſtitutus, & rurſum eiectus ante Liberii exilium fuerat, reuertiſſe. Illam igitur ſynodum Alexandrinam nemo dubitare poteſt Felice iam mortuo, Iuliani apoſtatæ temporibus coactam, ac te proinde, apoſtata Balduine, non minùs indoctum quàm impudētem eſſe, qui iſtis Romanæ curiæ ſtercoribus, quibus te recēs conſputcaſti, os nobis ſublini poſſe exiſtimares. Sed quis non miretur ne hoc quidem tantæ negligentiæ turpiſsimum in tam acri reprehenſore exemplum tibi ſufficere potuiſſe, adeò quidem vt teipſum etiam ſuperare volueris? Notū eſt quid in Cæciliani cuiuſdam cauſa acciderit, quæ hiſtoria plurimis locis ab Auguſtino præſertim narratur, & à noſtris citari aduerſus Romani pſeudoepiſcopi tyrannidem ſolet, quoniam in ea extat illuſtre & perſpicuum teſtimonium eius authoritatis, qua tum imperator in Eccleſia Chriſtiana ſine controuerſia pollebat, quæ omnia non poſſumus meliùs vel clarius quàm ex Auguſtino ipſo intelligere. Is ergo tum aliis multis locis, tum verò epiſtola 162. totam illam narrationem contexēs, ſic diſertè ſcribit, *Deinde diximus eos* (intellige Cæciliani aduerſarios) *petiſſe à Conſtantino tunc Imperatore iudices Epiſcopos, qui de ſuis quæſtionibus quæ in Africa exortæ, vinculum pacis dirimebant, arbitrio medio iudicaret, quod poſteaquam factum eſt, præſente Cæciliano & illis qui aduerſus eum nauigauerant, iudicante Melciade tunc Romanæ vrbis Epiſcopo cum collegis ſuis, quos ad preces Donatiſtarum miſerat imperator, in Cæciliano nihil probari potuiſſe, ac per hoc, illo in Epiſcopatu confirmato, Donatū qui aduerſus eum tunc aderat, improbatum. Quibus peractis rebus quum illi omnes in pertinacia ſceleſtiſſimi ſchiſmatis permanerent, pòſt apud Arelatum, memoratum Imperatorem eandem cauſam diligenter examinandam terminandámque curaſſe. Illos verò ab eccleſiaſtico iudicio prouocaſſe vt Conſtātinus audiret, quò poſteaquam ventum eſt, vtraque parte aſſiſtente, innocentem Cæcilianum fuiſſe iudicatum, atque illos receſſiſſe ſuperatos.* Obſecro verò, lector, quum hæc legis, & cum Romana tyrannide cuius fundamenta iam tum iaciebantur, comparas, an non Pontificum audaciam, & Regum ignauiam demiraris? Sed conductitius noſter Romanæ ſedis patronus, quid iſtis opponit? acta Arelatenſis concilii quæ nuper eſt nactus, & Optatum ſuum manuſcriptum, ex quibus appareat Conſtantinum tale prouocationis genus non laudaſſe. Enimuerò quis tantam peruicaciam laudaret? & quis ignorat in cauſæ merè Eccleſiaſticæ cognitione, iure potuiſſe Imperatorem præfractos illos à ſe reiicere, & quod toties iam erat ab Eccleſia iudicatum, vt obtineret curare? Sed hoc quæritur quod nō attingis, Balduine, licuerítne Imperatori iudices Epiſcopos dare cum Romano pontifice, atque adeò quod Romæ iudicatum erat ſua authoritate curare apud Arelatenſes retractandum. Hoc, inquam, quæritur, iuréne ſit ab Imperatore tam religioſo factum, approbantibus Epiſcopis, ipſóque adeò Auguſtino ita rem totam narrante, vt ne tenuiſſima quidem ſit ſuſpicio id ei diſplicuiſſe. Quæritur etiam an Melciades habendus ſit pro Apoſtolicæ ſedis proditore, qui ne verbo quidem reſtiterit, nedum vt legatos miſerit à latere, vel Imperatorem diris deuouerit. Tu videris ergo clariſsime iuriſconſulte, quomodo hanc cauſam ſis defenſurus, vel potiùs ſummam tuam tum inſcitiam tum impudentiam excuſaturus. Et hæc quidem de nobis hactenus. Video enim te reliquam tui libelli partem in aliis quibuſdam hominibus exagitandis conſumere, quibus magnam iniuriam à me fieri arbitrarer, niſi quum ipſi & eruditione & iuris cognitione excellant, & optimam cauſam tueantur, totam iſtam controuerſiam quam tecum habent integram eis relinquerem. Sed de his, vos iuriſconſulti inter vos, vt ſpero, facilè tranſigetis. Quòd enim eos, Balduine, à nobis accerſitos putas, vana ſuſpicio eſt, quum ne nunc quidem Contium niſi de nomine nouerimus, alter autem quis ſit ex tuo potiùs reſponſo quàm ex ἀνωνύμῳ epiſtola cœperimus ſuſpicari. Nam hoc teſtari ſanctè poſſumus, non ex Germania vbi tum ille erat, ſed ex ipſa Lutetia illam epiſtolam miſſam fuiſſe, & quidem ignota manu ſcriptam. Sed placuit librario tuo, vno volumine qualemcunque tuarum virtutum deſcriptionem oculis hominum ſubiicere. Ἀ*μάρτημα* [illegible] de Sabellii & Arii ætate quod Caluino obiicis, longè eſt tuo illi de quo modò dixi exemplo diſsimile. Neque enim ibi de temporibus quæſtio èſt, ſed de rebus ipſis, id eſt illorum hæreſibus, quas etſi non ex temporum ordine, rectè tamen & diſtinctè ab illo refutari ne tu quidem inficiari potes. Imò etiam

apud Lucam Gamaliel Act.5.v.37, ſimiliter labitur, ſi tui Ioſephi hiſtoriis credimus. Cæterùm alter ille noſter amicus, cui tu olim, id eſt tantiſper dum Argentinæ neſcio cuius ſceleris te conuinceret, nihil non tribuebas, nunc autem omnia detrahis, quis ſit, & quum fortè calamum arripuit, quid præſtare poſſit non ignoras. Itaque magnum tibi certamen ſupereſſe video. Nam quæ tibi obiecit magnam inſcitiam arguunt, quæ tamen (vt aiont) refellere nō poſsis. Illa verò quæ regeris cuiuſmodi ſunt quæſo? Latinè ſcilicet neſcit, vt cum oportuerit ad Latinam epiſtolam ſcribendam alterius operam requirere. Crimen autem ἀθέτησις, etſi omnium eſt grauiſſimum, ille tamen, vt opinor, ne reſponſo quidem dignum putabit. Quid enim hoc aliud eſt quàm latrare? Sed te videonon nonnulla præterea de ſacris myſteriis aſpergere, quæ cuiuſmodi tandem ſint agè expendamus. Dicis te eorum ſequi ſententiam, qui tale tantúmque myſterium excogitari non patiuntur, & magni facere perpetuam veteris Eccleſiæ ſententiam. Tuum hoc ænigma, Balduine, non difficile eſt explicatu. Audiui enim ego ipſe hæc eadem à tuo illo Cardinali, quum nos in colloquio Poſſiaceno eluderet. nec dubito quin poſtea apud illuſtriſſimum Ducem VVirtembergenſem, tuis conſiliis abundè inſtructus, longè maiore ornatu hanc fabulam agere inſtituerit, in cuius θεάτρῳ miſera Gallia, atque adeò totus orbis nunc verſatur. Sed mihi crede, Balduine, iam ſatis ſupérque veſtræ fraudes patent. Vetus & rancida illa calumnia, qua ferebatur nos docere Cœnam Domini nihil aliud eſſe quàm μνημόσυνον quoddam mortis Domini, iam olim apud omnes ſanos & pios homines euanuit. Neque enim veram veri corporis & ſanguinis κοινωνίας negauimus, neque negamus, cuius præcipuè cauſa ſunt σύμβολα inſtituta. Tantùm ſupereſt controuerſia, ſitne cum pane reipſa in terris coniunctum Chriſti corpus, an verò in cælis quidem abſens, ſed fidei tamen præſentiſſimum, verè nihilominus per Spiritus ſancti virtutem credentibus communicetur. Quid tu igitur, Balduine, de exinanitione garris? an enim Baptiſmum inanem eſſe dices in quo ne tui quidem catholici Cyclopes inter quos nunc verſaris, realem ſanguinis præſentiam requirunt? Et quæ iſta eſt impudentia? Si placet Heshuſiana illa & VVeſphalina manducatio quam disertè Philippus ipſe paulò ante mortem redarguit, & noſtram improbas, cur ad Tranſſubſtantiatores tranſiuiſti? cur ab illis pendes? cur eorum ſacra participas? Noſti enim quid dicat Paulus, menſæ dæmoniorum cum menſa Domini nihil eſſe commune. Imò an tibi eſſe in Tridentino conciliabulo, an tibi Papiſticis bullis munito in patriam regredi, & alterius Cardinalis conſiliis aduerſum nos intereſſe nunc liceret, niſi confeſſioni etiam Auguſtanæ renuntiaſſes? Sed tuæ nimirum manifeſtiſſimæ apoſtaſiæ maculam putaſti apud illos quos ſoles ſtolidos Germanos vocare, tribus verbis elui poſſe. & quū vtroſque in ſinu pariter rideas, vis tamen videri alteris fauere, vt ex mutuis noſtris vulneribus ſecurus voluptatem capias. Sed dabit nobis, vt ſpero, Dominus, quem quibuſcunque modis poteſtis, conſenſum impeditis, nec etiam efficere poterit Satan hoc qualicunque quod ſupereſt diſſidio, quin alij alios pro fratribus habeamus, & veſtra portentoſa mendacia coniunctis animis fortiter oppugnare pergamus. Sed de his vt video multò plura quàm velis. Dicis enim te nolle de myſteriis diſputare, quoniam lex prohibet, ex quo videlicet ad eos tranſiuiſti qui Chriſtianam religionem in ſimile illa Cereris myſteria trāsformarunt. Verùm quid hæc ad miſerum illum Zebedæum, cuius etiam nomen dignum putaſti quod libello tuo inſcriberes? Noſtram quidem vitam illi quem vix vnquam aſpeximus, neſcimus cur deſcribendam relinquas. Sed ſuſpicamur, multò te illi gratiùs factum, ſi propter detecta tandem flagitia ſua nunc egenti & erranti, vnde ſuam ipſius vitam tueatur potiùs ſubminiſtres, quàm alienam perſequi iubeas. Et te certè hominem iam liberalem quàm te eſſe dicis, quique noſtrorum ſyngraphis & chirographis te onuſtum eſſe narras, hoc officium in miſerum hominem & quidem conterraneū tuum, in primis decet. Sed qui te norunt, iurant te eſſe ex iſtorum cauſidicorum genere qui πάντα, πάντοθεν, οὐδὲ πάντως, neſcio an contra legum veſtrarum formulam, accipere conſueuerunt: & ex quatuor illis veſtris cōtractibus innominatis illum vnum FACIO VT DES maximè probant. Imò non deſunt adhuc in hac vrbe qui te inſalutato hoſpite diſceſſiſſe conquerantur, nedum vt de ſuo ſubleues aliorum egeſtatem. Negas te vnquam Argentorato iuiſſe Geneuam, quam tu Metropolitanam ſynagogam vocas, & quoniam hoc de ſe ſcriptum eſt in ea epiſtola quam amico illi noſtro, & tuo, vt ſcis, præceptori, tribuis, idcirco nos nebulones, vertiginoſos, impoſtores, præſtigiatores, cæcos duces, vafros ἀγύρτας vocas, atque adeò velut ἐξεστηκότας, Deum & Chriſtum noſtrarum præſtigiarum vltorem appellas. Digna res profectò cur cælum terræ commiſceatur, & actum eſt de republica Chriſtiana, quoniam aliquis auſus eſt Balduinum ſcribere Argentorato Geneuam iuiſſe, quum tamē Geneua Argentoratum ierit. Nec te igitur pudet, blatero? Sed noui cur tantopere te offendat auditum Argentorati nomen. Meminiſti te illic ſolenni & publica profeſſione & quidem ambitioſiſſimè, in totius Eccleſiæ cœtu omnes illas impietates & blaſphemias, ad quas nunc miſer vltro reuerſus es, eiuraſſe. Huius facti recordationem quam tu nullam eſſe velles, cum ſummo conſcientiæ tuæ cruciatu, illius itineris narratio renouauit. Hinc illi clamores, hinc illæ lachrymæ. Verùm quid facias? vtinam tibi mederi poſſemus. tu teipſum præcipitem dediſti, & manet alta mente repoſtum, quod nunquam euelles, *Vtinam, inquis, Rhenum prius quàm Lemanum lacum ſalutaſſem.* Sed quid ſi Rhenus & Necarus tibi reſpondeant, vt ſanè faciunt, Vtinam tu perpetuò potiùs apud Scaldin manſiſſes? Denique ardelio, quoniam Sturmiani ſtyli toties mentionem iniicis, vt noris quàm illi gratum hac in re facias, integram ipſius ad Caluinum epiſtolam hac de re ſcriptam ſubiiciam.

MAXIMO THEOLOGO ET OPTIMO VIRO, D.Ioanni Caluino, amico veteri & obſeruando.

VEhementer doleo, mi Caluine, Balduinum verbis abuti cuiuſdam epiſtolæ meæ contra tuam & noſtri Bezæ exiſtimationem. Memini quidem me iratum ſcribere acerbiorem epiſtolam ad quendam olim nobis cõmunem amicum, vt eum in fidei & amicitiæ viam reuocarem. Sed Deum teſtor me nihil vnquam ſcripſiſſe quod tibi & Bezæ non ſit honorificum. Quid de te ſentiam meminerunt veteres amici, ſciunt noui. Bezam propter conuerſionem noui Teſtamenti & illos commentarios, etiam antequam noſſem amare cœperam. Velim Balduinum in hanc arenam non deſcendiſſe, præſertim in hac cauſa religionis aduerſus te athletam Domini, nondum fixis armis neque vllius opis indigum, quum à te tam multa beneficia, vt audio ex aliis, acceperit. Miſeram conditionem eruditorum & piorum hominum quibus doctis & bonis eſſe non licet, niſi exerceantur inimicitiis. Cogitare debes me iſta ex animo & cum dolore ſcribere, cuius rei tibi ſit indicium quod ad poſtremam tuam epiſtolam Calendis Auguſti ſcriptam non reſpondeam, quum tamen plena ſit beneuolentiæ & argumenti non parui. Audio quendam alium diuulgatum librum ἀνώνυμον, in quo Amboſiani temporis autor meminit, & meum teſtimonium vobis minatur. At ego rurſus Deum teſtor me nihil vnquam cuiquam ſcripſiſſe aut ſcribendum curaſſe, quod ad infelicia illa conſilia prodenda vel indicanda pertineret. Scio vos in concionibus veſtris & certo animi iudicio nunquam iſta probaſſe, & illius temporis conſilia vos cælata fuiſſe de induſtria. Scribam ad Balduinum, & hominem admonebo officij. Video enim non ſine probro in iſtis famoſis libellis meum nomen aſpergi. Argentorati, 29 Auguſti, 1562. Ioannes Sturmius tuus.

Hæc ille, Balduine, de nobis & verè amicè, vt cauſam nullam eſſe intelligas cur eum iſtis controuerſiis inuoluas. Sed iam plus ſatis tecum ſum nugatus. Itaque tandem aliquando finem facio, téque pro mutua noſtra amicitia adhortor, vt quum multa ſint alia in quibus maiore cum lucro poſſis te exercere, & periculum ſit ne ſi ad Theologiam relicta iuriſprudentia transſeas, magnum damnum accipiat Flandrenſis reſpublica, cui te nunc recens accepi operam tuam locaſſe, malis Spartam tuam exornare quàm cum hominibus tam rixoſis, atque adeò tam ſeditioſis fruſtrà contendere. Quòd ſi fortè tui illi triduani, vt tu ipſe vocas, Theologi, quos etiam irridens, Tertullianos, Minutios, Ambroſios, Nectarios, Chryſoſtomos appellas, tuis clamoribus excitati, relicto foro, tuam cauſam agere voluerint, nobis ſcilicet, vt video vadimonium deſerendum erit. Sed longè meliora libet ominari. Sũt enim ſcio, & in illo Senatu, & in omnibus ordinibus homines, ad quos iniquiſſima illa facta non pertinent, nec ſemper maior pars meliorem vincet. Imò dabit etiam, vt ſpero, Dominus vt qui in nos ferociſſimi fuerunt, corda illa, Deo volente, deponant, & eos meliùs cognitos complectantur, quos incognitos ſunt perſequuti. Conſtituta lex eſt ἀμνηστίας, quam ego inuiolabiliter obſeruandam cõfido. Iam obliti ſunt noſtri maximam acceptarum iniuriarum partem, & cæteras, vt ſperamus, obliuiſcentur, nec alij cuiquam potiùs quàm ſuis peccatis omnia illa mala imputabunt. Idem etiam vt alij faciant, omnibus votis à Deo contendimus, &, vt ſpero, obtinebimus. Nec ego ſi quæ ſuperioris belli incommoda in hac reſponſione coactus commemoraui, idcirco id feci vt nondum obductas cicatrices renouarem, ſed vt bonorum innocentiam aduerſus importuniſſimi apoſtatæ diuulgata conuicia defenderem. Nam quod ad iſtud deſperatorum hominum genus attinet, conſilium Prophetæ vt omnium optimum ſequamur oportet, qui de iſtiuſmodi monſtris coram Deo expoſtulans, An non, inquit, oſores tuos odio habebo, & cum inſurgentibus contra te litigabo? ſummo odio illos odi, & pro meis hoſtibus habeo. Et alibi, Effunde, inquit, ſuper eos iram tuam, quia quem percuſſiſti perſequuti ſunt, & eorum quos vulneraſti doloribus dolores addiderunt.

AD NICOLAVM SELNECCERVM THEODORI BEZÆ RESPONSIO, PRIMA.

QVVM per ſe graue eſt ſemper falſi crimen, tum verò longè grauiſſimum quum de corruptis ſacri fœderis tabulis agitur: quod ſcelus quum immerẽti mihi, & quidem ſcriptis accuſationis libellis, impingant Nicolaus Selneccerus & Ienenſes theologi, cogit me res ipſa ſilentiũ in quo iam annos aliquos perſeueraui, abrumpere. Neque id tamen facio, (ita me bene Deus amet) vel vt frigidam ſuffundam renaſcentibus

bus

bus incendiis, quæ vtinam vel meo ipſius ſanguine reſtingui poſſent, vel vt iis ſuccenturiem qui in cauſa iuſtiſſima patrocinio meo minimè indigent: verùm quòd eò me adigant iſtorum calumniæ, vt aut mihi diluenda ſit iſta criminatio, aut prorſus deſerenda veritatis defenſio. Attingam igitur illa tantùm quæ ad me propriè ſpectant, & ita quidem vt conuitia & maledicta libens prætermittam quibus illi viuos & mortuos ſuo more conſcindunt. Ignoſcat hoc illis Dominus, faxitque vt ſeſe ipſi, & nos meliùs norint.

Summa accuſationis hæc eſt: Lucæ verba, Act. cap. 3. 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, Latinè ſum interpretatus, *Quem oportet cælo capi*: quam interpretationem iſti falſam & impiam eſſe vociferantur. De impietate poſtea viderimus. De falſitate priore loco respondebo.

De iſtis vocibus ὃν δεῖ, *Quem oportet*, controuerſia nulla eſt. Imò, quanuis Cæli nomine mei accuſatores aliud intelligant quàm ego, tamen illi Græco vocabulo non inficiantur reſpondere Cæli nomen. Sed & illud mihi videntur concedere, verbum δέξασθαι rectè pro δέχεσθαι exponi, quum ſic etiam vertat Lutherus. Duo igitur reprehendunt: vnum, quod δέξασθαι verterim *Capiendi* verbo: alterum, quòd paſſiuè interpretatus quæ Lucas actiuè ſcripſit, pro *Cælum accipere*, ſcripſerim, *Cælo capi*. Hoc autem vtrunque quanti ſit momenti, agè ſigillatim expendamus.

Dico ergo, verbum δέξασθαι eo differre à λαμβάνειν, ſi propria vtriuſque verbi vis ſpectetur, quòd illud demum de iis dicatur quæ aliunde illata vel oblata quiſpiam recipiat. Hoc ſcio mihi conceſſuros quicunque Græcas literas vel à limine ſalutarunt, vt nulla hîc à me probatio meritò requiratur, ac minimè dubium ſit quin τὸ δέχεσθαι Græcis prorſus illud declaret, quod Hebræis קבל ſicut verterunt interpretes Græci 1. Paralipomenon capite 12. 18, & 2. Paralipomenon cap. 29. 21, & Eſdræ capite octauo, verſu 29. & alibi paſſim. Quid plura? Syrus ille interpres, quo nullum neque vetuſtiorem neque certiorem nobis quærendum arbitror, hunc ipſum locum de quo agimus ſic vertit, דלהולאלשמיא ניקבלון.

Itaque reſpondet τὸ δέχεσθαι Latino verbo Recipere quo vſus eſt vetus Latinus noſter interpres, pro quo minus perſpicuum eſt verbum Accipere, verbo Hebræo לקח, & Græco λαμβάνειν ex aduerſo reſpondens, quo tamen vti maluit Eraſmus, quanuis Accipere etiam pro Recipere Latini vſurpent, vt quum Accipere literas, & Hoſpitem domo accipere dicunt.

At contrà δέχεσθαι pro λαμβάνειν, Recipere pro Accipere poſitum nuſquam inuenio.

Sed quorſum hæc? Cedò enim, dicent mei accuſatores, cur non igitur vertiſti *Cælum recipere*? & quis noſtrûm (inquient) negat Chriſtum à Patre hanc de qua diſrepamus gloriam recepiſſe? Audiant ergo quid reſpondeam, & quid illos in meis annotationibus obſeruare oportuerit priuſquàm tranſlationem meam adeò impotenter reprehenderent.

Agè ponamus quod iſti volunt, nempe, *Accipere cælum* idem valere atque *Accipere gloriam Patris*. Quum tamen eo tempore quo Petrus hæc loquebatur, imò, ſi Brentianis deliriis credimus, ab ipſo hypoſtaticæ vnionis momento iam in iſtud cælum euectus eſſet Filius hominis, quis non videt vel dicendum non fuiſſe δεῖ *Oportet*, ſed ἔδει, *Oportuit*: vel pro *Accipere* vertendum fuiſſe, *Accepiſſe*? Eſſet enim certè inepta hæc Petri oratio, *Oportet vt Chriſtus accipiat cælum*, quum iam illud accepiſſet: iſta autem oratio fuiſſet veritati conſentanea, *Oportet vt Chriſtus acceperit cælum*. Et tamen nemo eſt iſtorum qui aliter ſit interpretatus, ne Lutherus quidem ipſe, quàm *Quem oportet cælum accipere*.

Deinde ſiue dicatur Chriſtus accipere cælum, vt iſti volunt, ſiue dicatur cælum accipere Chriſtum, quum iſta acceptio ſiue receptio ſit quiddam præteriens (aliud enim eſt accipere aliquid quàm eo frui quod acceperis) quis nõ videt ineptiſſimè cohærere quod ſubiicitur apud Lucam, ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, vſque ad tempora reſtitutionis omnium? Nam ita certè ſignificaretur tum demum iſti acceptioni locum fore quum reſtituta fuerint omnia, ac proinde nondum ſedere Chriſtum ad dextram Patris, ſed hoc adhuc agere vt ſedeat, vt tum demum dicendus ſit cælum accepiſſe, id eſt ad dextram Patris ſedere, quum reſtituta fuerint omnia.

Quòd ſi etiam conuertas δέξασθαι, *Accepiſſe* vel *Recepiſſe*, abſque vlla videlicet temporis enallage, rurſum illud ἄχρι, quo ſignificatur certa quæpiã meta, minimè conueniet, niſi ſtatuere velimus Chriſtum in ſuo illo altero aduentu quẽ hîc notari certum eſt, gloriam illam ſuam depoſiturum. Atqui potiùs tum demum eſt venturus in plena maieſtatis ſuæ gloria, ſicut poſt ipſum Chriſtum teſtatur Apoſtolus, ideo etiam plerunque alterum eius aduentũ illuſtri ἐπιφανείας nomine declarãs.

Nec obſtat nobis illud, quòd particula Donec vel Vſque, interdum ea quæ præcedunt non terminet, vt quum dicitur Ioſeph non cognouiſſe Mariam donec peperiſſet, & Chriſtus nobiſcum futurus ad conſummationem vſque ſeculi. Nam res ipſa clamat de ſecundo aduentu loqui Petrum, quo futurum dicit vt illa Chriſti carnis in cælis commoratio non quidem finiatur, ſed tamen interrumpatur Chriſto videlicet tum demum è cælis deſcenſuro, ſicuti Petrus vnà cum diſcipulis ex ipſis Angelis intellexerat.

Ex his autem efficitur neque *Accipiendi* neque *Recipiendi* verbum huic loco ſatis conuenire, ſiue *Accipere* aut *Recipere*, ſiue *Accepiſſe* aut *Recepiſſe* conuertas: nec ſatis rectè D. Lutherũ (quod tanti viri pace dixerim) pro δέχεσθαι ſcripſiſſe *Einnemen*, id eſt λαμβάνειν, pro quo audio Germanos potiùs dicere *Entpfangen*.

Itaque vtroque illo repudiato, vſurpaui Latinum *Capiendi* verbum, quod reſpondet verbo Hebræo כול. & Græcis verbis χωρεῖν & δέχεσθαι, pro continere ſiue comprehendere, diciturque de ſpatii ſiue loci menſura, ex more Hebræorum videlicet, quibus eſt familiare ex antecedente intelligere conſequens, quod tum hoc loco de quo nunc quærimus, tum alibi ſæpe in meis noui Teſtamenti annotationibus obſeruaui.

Quoniam enim quod certo ſpatio comprehenditur ſiue continetur priùs in id recipi & admitti oportet, ideo Hebræi חוק & קבל & כול promiſcuè vſurpant: Græci verò δέχεσθαι & χωρεῖν. Latini *Capere & Continere*, ſiue *Certo loco & ſpatio comprehendere*, 2. Paralipomenon quarto 5. אלפים יכיל מחזיק בתים שלשת, pro quo Græcus interpres χωροῦν τοὺς μετρητάς. Ioſephus autē lib. 8. Antiquit. ca. 2, ἐδέχετο δ' ἡ θάλασσα βάτους τρισχιλίους. Idem Ioſephus etiam de nummi æſtimatione loquens, Antiquit. libro 3, cap. 9, ὁ δὲ σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὢν Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. Quin etiam Græcus interpres Ieremiæ 2, 13. יכלו vertit συνέχειν, id eſt ad verbum, *Continere*: pro quo fortaſſe vſitatiùs potuit τὸ χωρεῖν vel τὸ κατέχειν vſurpare. Plato De legibus libro 12, vbi de ſepulchris extruendis agit, λίθον δὲ ἐπιστάναι μὴ μείζω τοῦτον ὅσον δέχεσθαι τὰ τοῦ τετελευτηκότος ἐγκώμια: id eſt Cicerone interprete, Nec è lapide, excitari plus nec imponi quàm quod capiat laudem mortui inciſam. Idem Cicero, Illi eam gloriam conſecuti quæ vix cælo capi poſſe videatur. Heſych. in κιάθος, δέχεται κύαθον ὑγροῦ πρὸς ἡμίσυ. Plinius, capit congium aquæ.

Ex his omnibus hoc vnum effectum volo, falſam nō eſſe meam interpretationem verbi δέχεσθαι, ſiue vis ipſa verbi, ſiue Hebraicæ, vel Græcæ, Latinæ denique linguæ vſus ſpectetur, ac etiam à me fuiſſe meritò mutatas aliorum interpretationes, niſi fortaſſe probarint iſti vel non rectè me pro actiuo paſſiuum vſurpaſſe, vel, etiam ſi verba Græca interpretationem meam admittant, naſci tamē inde ſententiam à Petri inſtituto, adeóque veritate ipſa diſſidentem, de quo poſtremo dicam in altero defenſionis meæ capite, quum videlicet de ipſa huius loci explicatione, ſiue κατὰ διάνοιαν diſſeram. Dicamus ergo cur verterim, *Quem oportet cælo capi*, potiùs quàm αὐτολεξεί, *Quem oportet cælum capere*, ac primùm quidem accuſatorum obiectiones diluamus. Aiunt Ienenſes vbique verbum δέχεσθαι in nouo Teſtamento actiuè poni. Primùm ſi hoc negem, licebit vel eorum alterum Heſiū, bonum ſcilicet illum Illyricum teſtem adhibere, qui, licet longè maximam partem ad verbum ex meo nouo teſtamento in ſuum tranſtulerit, maluit tamen admiſſum ab Eraſmo, & à me emendatum errorem reponendo, 1. Pet. 3. 20, ἐξεδέχετο vertere *Expectabatur* quàm *Expectabat*. Sed de hoc alius fortaſsis erit dicendi locus, ſi omnia iſtius ἀλάστορος plagia in indice relata, & ad ea quæ in meis partim corrupit partim temerè reprehendit, defenſionem edere vacabit. Concedo igitur meis accuſatoribus quod volunt. Quid autem inde conſequetur? Malè certè in D. Philippi ſchula iſti diſcipuli profecerunt, qui tam ἀτέχνοις conſecutionibus vtuntur. Cæterùm ne hoc exagitem, quiſquámne eſt tam indoctus, vel vſque adeò impudens qui in hac formula ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, ſentiat δέξασθαι aliter quàm actiuè conſtrui, quocunque ordine cum pronomine ὃν, & cum nomine οὐρανὸν componatur? Verùm quis hanc legem impoſuit interpretibus, vt quæcunque actiuè ab aliquo ſcripta dicuntur, non niſi actiuè conuertantur? Imò fingamus ita fuiſſe hunc locum à me conuerſum? *A quo oportet cælum accipi*, num iſti quæſo me reprehenderent? Imò certè miris modis collaudarēt. quoniam multò apertiùs pro illis faceret hæc interpretatio, quàm Græca verba quibus vſus eſt Lucas. Itaque quàm ſit inanis hæc obiectio & vanis Sophiſtis potiùs quàm grauibus Theologiæ magiſtris cōueniens, nemini iam obſcurum eſſe poteſt. Nam iſtæ certè enuntiationes, *Chriſtus accepit cælum*. & *Cælum acceptum eſt à Chriſto*: item iſtæ, *Cælum capit Chriſtum*, & *Chriſtus capitur cælo*, verbis quidem nonnihil, reipſa verò nihil prorſus diſcrepant. At enim, ait Selneccerus admodum confidenter, verſio iſta excogitata eſt nuper, fuitque vniuerſæ antiquitati noſtríſque Eccleſiis & Scholis hactenus ignota. Deus bone, tantam cuiquam ineſſe poſſe audaciam qui tuendæ veritatis zelum præferat? Agè igitur ex tota antiquitate, imò vel ex noſtræ memoriæ ſcriptoribus qui Lutherū anteceſſerunt, vel vnum oſtendat iſta verba ſic interpretatum, ac ſi dicatur Chriſtus cælum accepiſſe, ac non potiùs vt dicatur Chriſtus ſecūdum carnem in cælum receptus, ibíque, etſi ſumma gloria fruens, ſpatio tamen quod ſpirituali quidem ſed vero & naturali corpori conueniat, comprehenſus.

Profert verſionem vulgatam, quam etiam Hieronymo tribuit. Habet autem, inquit, illa *Quem oportet cælum ſuſcipere*. Ego in meis codicibus ſcriptum reperio Recipere: ſed quid tum? Ambigua eſt certè horum verborum conſtructio ſicut & in Græcis. Itaque nō magis probare poteſt ex hac Hieronymi verſione quòd Chriſtus cælum acceperit, quàm quod cælum acceperit Chriſtum.

Citat præterea Syri teſtamenti verſionem, quæ habeat, *Quem oportet cælos excipere*. At quænam hæc rurſum audacia eſt? Ita certè conuertit Tremellius noſter, rectè quidem (ſi verbum קבל Excipere pro Capere ſiue Continere accipias à conſequenti, vt paulò antè diximus:) non tamen αὐτολεξεί, quod eum feciſſe iſtorum cauſa mallem. Sic enim habet ad verbum doctiſsimus ille & vetuſtiſsimus, vt apparet, interpres, דלה ולאלשמיא דיקבלין id eſt *Quem oportet cæli capiant*. Agnoſcis igitur tandem, Selneccere, tuam, ne quid grauius dicam, imprudentiam? Vides enim verbum eſſe pluralis numeri, quîcum neceſſariò Cælorum nomen à parte anteriore conſtruitur, ac proinde conſtructionem illam veſtram tuo ipſius calamo expungi.

En bellæ illius quam defendunt interpretationis teſtes, quorum vnus non minùs pro me quàm pro illis facit, alter planè ipſos conuellit. Et iſtum non pudet antiquitatem & orbis totius auctoritatem iactare? Tandem igitur ad ſacram anchoram venit Selneccerus, nimirum ad Lutheri verſionem, quam nos quidem quantò rectiùs vt & nouam & prauam hoc loco reprehenderimus? Etenim etiamſi Lutheri ſententiam admitterem, tamen, vt antea probaui, verbum δέχεσθαι non reſpondet verbo *Einnemen*, quod accipere ſiue occupare declarat, niſi fortè occupare Cælū Chriſtus dicatur, ſicut locus à re contenta occupatur, quod prorſus pro nobis faceret. Deinde vt illum ſuū ſenſum Lutherus commodè eliceret, verbum δεῖ explicandum fuit pro ἔδει, id eſt pro *Muß* ſcribendum *Hat müſſen*, niſi pro præſenti *Einnemen* maluiſſet vſurpare perfectū. Iterum enim inculco

& omnes

& omnes communi ſenſu præditos homines iſtis iudices fero, non poſſe non ineptè locutum videri qui de re peracta loquens dicat, *Oportet Chriſtum accipere cælum*, id eſt vt Chriſtus accipiat cælũ, *vſque ad tempora reſtitutionis omnium*: ſed omnino dicendum fuiſſe, *Oportuit Chriſtum accipere cælum*, id eſt, vt Chriſtus acciperet cælũ, vel, *Oportet Chriſtum accepiſſe*, id eſt vt Chriſtus acceperit *cælum* ſiue *à Chriſto acceptum fuiſſe cælũ*. Viderit igitur Selneccerus quomodo iſtam interpretationem pro ſana & recta venditet, quam, vt oſtendimus, & verborum proprietas, & ſententiæ ipſius ratio manifeſtè conuellit, nedum vt illam tanquam irrefragabilem nobis obtrudat.

Sed iam audire mihi videor illorum tonitrua, quaſi videlicet inexpiabile ſit ſcelus quicquam in Germanica D. Lutheri verſione emendare, quod tamen ipſimet quoties faciunt? Sed agè, maneat ſanè ſua laus magno illi viro, & plurimis in Eccleſia Dei vtiliſsimiſque laboribus defuncto. Quis enim hoc inficietur? Liceat tamen eius ſcripta, quæcunque tandem ſint, vt & omnium poſt Apoſtolos ſcriptorũ, ad Dei verbi normam in primis exigere, & aliorum quoque tum vetuſtorum, tũ recentium Doctorum rationes & argumenta expendere, niſi fortaſsis hunc vnum ἀναμάρτητον fuiſſe oſtendant. Sin minus, clament licet, & pro more quiduis apud imperitum vulgus ſpargant, ego vnum ſaltem illud Democriti regeram, Deſinite ineptire, pueri.

Vt autem nullus ſit tergiuerſandi locus, & illam potiùs verſionem conſtet nouam eſſe, & vetuſtati inauditam; iſtam verò cuius auctorem me faciunt Ienenſes (in eo quidem à Selneccero diſſentientes qui ſe ab hinc annis viginti iſta verſione mirificè (proh dolor) commotum, turbatum, perculſum denique clamitat, quum tamen interpretatio mea anno demum 1556. prodierit) vt iſtã, inquam, verſionem quam illi non vt nouam modò verùm etiam vt falſam & impiam criminantur, oſtendam certo ipſius verbi Dei, ac præterea doctiſsimorum tum veterum tum recentiorũ ſcriptorum teſtimonio confirmari: primùm hoc ex iſtis quæro, vbi tandem inuenerint ſiue in vetere ſiue in nouo Teſtamento durum iſtud, & obſcurum, adeóque ænigmaticum dicendi genus, *Accipere cælum*, ſiue pro cæleſti regione ſiue pro cæleſti gloria Cæli nomen intelligant? Certè nuſquã hanc formulam vel ſimilem aliam quampiam deprehendent. At contrà lego Luc. 24.51. *διέστη ἀπ' αὐτῶν εἰς τὸν οὐρανόν. ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν.* Item Act. 2. 9. *ἐπήρθη ἀπ' αὐτῶν*, & 11, *ἀναληφθεὶς εἰς τὸν οὐρανόν*, quibus verbis niſi cæcutire, perſpicuè, diſertè ſignificari fateantur diſceſſum Chriſti à terra iſta quam calcabant diſcipuli, in illud ipſum Cælum quod ſupra nos eſt, agè ipſum quoque Solém ſurſum eſſe negemus.

Sed rurſum hîc in Bezam inſurgunt Ienenſes, verùm quo tandem pudore? Adiecit, inquiunt, Beza particulam S V R S V M. At ego cogor rurſum exclamare, Quæ hæc eſt audacia, quæ hæc eſt calumniandi libido? Chriſtum iſti ferunt dici *Aſcendiſſe in cælum*, *Eleuatum fuiſſe*, *Profectum fuiſſe in cælum*: & hoc ſaltem nobis ne Brentius quidem vbiquitarii tum cæli tum inferni fabricator, nec Illyricus ille Iſmael inficiantur, Chriſtum fuiſſe ad nubes vſque ſublatum. At iſti ferre non poſſunt Bezam interpretantem *ἀναληφθεὶς Surſum receptus*, & *ἀνεφέρετο Surſum ferebatur*. Malunt enim verti, *Aſſumptus*, & *Ferebatur*. Atqui *Aſſumere* ſignificat *Ad ſe ſumere*, quod quibuſuis Grammaticis iudicibus, non reſpondet τῷ ἀναλαμβάνειν, ſed τῷ προσλαμβάνειν. Deinde quum eò demum ſit receptus ſiue aſſumptus Chriſtus quò profectus eſt, dicatur autem ἐπαρθῆναι, Id eſt, vt transfert vetus interpres, *Eleuatus*, Eraſmo autem interprete, *In altum ſublatus*, & à nube exceptus, & in illud ipſum cælum profectus quò diſcipuli direxerunt oculos, cuius eſt vel ſtuporis vel impudentiæ arguere me quòd ἀναλαμβάνεσθαι vertam *Surſum recipi*? Verba autem ἀναφέρεσθαι & καταφέρεσθαι oportuit iſtos ſaltem ex Ariſtotelis meteoris didiciſſe, inter ſe opponi. Quòd ſi Chriſtus ſurſum eſt ſublatus, & ſurſum acceptus, vter rectiùs iſtum locum Petri conuertit, qui dicit quòd Chriſtus cælum acceperit, an qui dicit quòd Cælum venientem Chriſtum receperit, ac proinde ipſum capiat?

Agè verò, addamus etiam vetuſtatis teſtimonia. De Syro interprete doctiſsimo & vetuſtiſſimo diximus antea, qui etiã Lucæ 9,51, & 24,51, & Act. 1,9, & 11, & 1. Tim. 3,16. verba, *ἐπαρθῆναι, ἀναφέρεσθαι* & *ἀναλαμβάνεσθαι*, vnico Syriaco expreſsit quo ſignificatur *τὸ ἀναβαίνειν*, vt & Græcus interpres 2. Reg. 2.11. ויעל vertit *καὶ ἀνελήφθη*.

Omnium autem clariſſimè Nanzianzenus altera concione *περὶ τοῦ υἱοῦ* totidem his verbis illum Petri locum citat, *καὶ ἀπ' οὐρανοῦ δεχθῆναι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως*, *A cælo recipi* (id eſt, ſicut antea probaui, receptum teneri) *vſque ad tempora reſtaurationis*. Huius igitur tanti viri quum ſim veſtigia ipſa in hoc quoque ſequutus quòd perſpicuitatis cauſa paſſiuam formulam vſurpaui, viderit an ſanus fuerit ille quum inſaniam mihi obiiceret, ac non potiùs verum eſſe comprobet quod initio ſuæ accuſationis ſcripſit, ſe nimirum neſciuiſſe quid faceret, quum hanc criminationem aggrederetur.

Sed & OEcumenius, cuius etiam teſtimonio iidem abutuntur, Cælum vocat, *τὴν [illegible] ὑποδοχὴν*, id eſt Chriſti receptaculum. Itaque (quod etiam plenius mox demonſtrabimus) qui negat tota vetuſtatem hæc Petri verba ſic accepiſſe, vt dicatur Chriſtus in cælos receptus, ibidem nunc vt in loco reſidere ſecundum carnem, neceſſe eſt pudorem omnem abiecerit. Quòd autem Petrus ita ſignificarit Chriſtum accepiſſe cælum, id eſt cæleſtem gloriam, nunquam ex vllo Patrum teſtimonio ne ad Græcas quidem Calendas accuſatores mei probabunt.

Ex his igitur rurſum effici dico quod volebam, illam videlicet interpretationem, *Oportet Chriſtum cælo capi*, ſiue proprietas verborum ſpectetur, ſiue potius vetuſtatis auctoritas, bonam & veram eſſe, ac proinde meos accuſatores in calumnia manifeſta deprehendi.

Iam ſupereſt vt illud quoque videamus, num videlicet mea interpretatio qua dicitur Chriſtus in cælo vt in loco ſecundum carnem contineri, aliquid Petro affingat quod non conueniat ipſius inſtituto. Poteſt enim ſæpe ſic verti locus aliquis, vt vera quidem ſit ſententia quæ inde elicitur,

Quoniam enim quod certo ſpatio comprehenditur ſiue continetur, priùs in id recipi & admitti oportet, ideo Hebræi חזק & קבל & כול promiſcuè vſurpant: Græci verò δέχεσθαι & χωρεῖν. Latini *Capere & Continere*, ſiue *Certo loco & ſpatio comprehendere*, 2. Paralipomenon quarto 5. יכיל אלפים מחזיק בתים שלשת, pro quo Græcus interpres χωροῦσα τρεῖς μετρητάς. Ioſephus autē lib. 8. Antiquit. ca. 2, ἐδέχετο δ' ἡ θάλασσα βάτους τρισχιλίους. Idem Ioſephus etiam de nummi æſtimatione loquens, Antiquit. libro 3, cap. 9, ὁ δὲ σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὢν Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. Quin etiam Græcus interpres Ieremiæ 2, 13. יכלו vertit συνέχειν, id eſt ad verbum, *Continere*: pro quo fortaſſe vſitatiùs potuit τὸ χωρεῖν vel τὸ κατέχειν vſurpare. Plato De legibus libro 12, vbi de ſepulchris extruendis agit, λίθον δὲ ἐπιστάναι μὴ μείζω τοῦτον ὅσον δέχεσθαι τὰ τοῦ τετελευτηκότος ἐγκώμια: id eſt Cicerone interprete, Nec è lapide excitari plus nec imponi quàm quod capiat laudem mortui inciſam. Idem Cicero, Illi eam gloriam conſecuti quæ vix cælo capi poſſe videatur. Heſych. in κύαθος, δέχεται κύαθος οὐγγίας δύο. Plinius, capit congium aquæ.

Ex his omnibus hoc vnum effectum volo, falſam nō eſſe meam interpretationem verbi δέχεσθαι, ſiue vis ipſa verbi, ſiue Hebraicæ, vel Græcæ, Latinæ denique linguæ vſus ſpectetur, ac etiam à me fuiſſe meritò mutatas aliorum interpretationes, niſi fortaſſe probarint iſti vel non rectè me pro actiuo paſſiuum vſurpaſſe, vel etiam ſi verba Græca interpretationem meam admittant, naſci tamē inde ſententiam à Petri inſtituto, adeóque veritate ipſa diſſidentem, de quo poſtremo dicam in altero defenſionis meæ capite, quum videlicet de ipſa huius loci explicatione, ſiue περὶ διανοίας diſſeram. Dicamus ergo cur verterim, *Quem oportet cælo capi*, potiùs quàm αὐτολεξεὶ, *Quem oportet cælum capere*, ac primùm quidem accuſatorum obiectiones diluamus. Aiunt Ienenſes vbique verbum δέχεσθαι in nouo Teſtamento actiuè poni. Primùm ſi hoc negem, licebit vel eorum alterum Heliā, bonum ſcilicet illum Illyricum teſtem adhibere, qui, licet longè maximam partem ad verbum ex meo nouo teſtamento in ſuum tranſtulerit, maluit tamen admiſſum ab Eraſmo, & à me emendatum errorem reponendo, 1. Pet. 3. 20, ἐξεδέχετο vertere *Expectabatur* quàm *Expectabat*. Sed de hoc alius fortaſsis erit dicendi locus, ſi omnia iſtius ἀλάστορος plagia in indice relata, & ad ea quæ in meis partim corrupit partim temerè reprehendit, defenſionem edere vacabit. Concedo igitur meis accuſatoribus quod volunt. Quid autem inde conſequetur? Malè certè in D. Philippi ſchula iſti diſcipuli profecerunt, qui tam ἀτέχνοις conſecutionibus vtuntur. Cæterùm ne hoc exagitem, quiſquámne eſt tam indoctus, vel vſque adeò impudens qui in hac formula ὃν δεῖ οὐρανὸν δέχεσθαι, ſentiat δέχεσθαι aliter quàm actiuè conſtrui, quocunque ordine cum pronomine ὃν, & cum nomine οὐρανὸν componatur? Verùm quis hanc legem impoſuit interpretibus, vt quæcunque actiuè ab aliquo ſcripta dicuntur, non niſi actiuè conuertantur? Imò fingamus ita fuiſſe hunc locum à me conuerſum? *A quo oportet cælum accipi*, num iſti quæſo me reprehenderent? Imò certè miris modis collaudarēt, quoniam multò apertiùs pro illis faceret hæc interpretatio, quàm Græca verba quibus vſus eſt Lucas. Itaque quàm ſit inanis hæc obiectio & vanis Sophiſtis potiùs quàm grauibus Theologiæ magiſtris conueniens, nemini iam obſcurum eſſe poteſt. Nam iſtæ certè enuntiationes, *Chriſtus accepit cælum*. & *Cælum acceptum eſt à Chriſto*: item iſtæ, *Cælum capit Chriſtum*, & *Chriſtus capitur cælo*, verbis quidem nonnihil, reipſa verò nihil prorſus diſcrepant. At enim, ait Selneccerus admodum confidenter, verſio iſta excogitata eſt nuper, fuitque vniuerſæ antiquitati noſtríſque Eccleſiis & Scholis hactenus ignotá. Deus bone, tantam cuiquam ineſſe poſſe audaciam qui tuendæ veritatis zelum præferat? Agè igitur ex tota antiquitate, imò vel ex noſtræ memoriæ ſcriptoribus quiUtherū anteceſſerunt, vel vnum oſtendat iſta verba ſic interpretatum, ac ſi dicatur Chriſtus cælum accepiſſe, ac non potiùs vt dicatur Chriſtus ſecūdum carnem in cælum receptus, ibíque, etſi ſumma gloria fruens, ſpatio tamen quod ſpirituali quidem ſed vero & naturali corpori conueniat, comprehenſus.

Profert verſionem vulgatam, quam etiam Hieronymo tribuit. Habet autem, inquit, illa *Quem oportet cælum ſuſcipere*. Ego in meis codicibus ſcriptum reperio Recipere: ſed quid tum? Ambigua eſt certè horum verborum conſtructio ſicut & in Græcis. Itaque nō magis probare poteſt ex hac Hieronymi verſione quòd Chriſtus cælum acceperit, quàm quod cælum acceperit Chriſtum.

Citat præterea Syri teſtamenti verſionem, quæ habeat, *Quem oportet cælos excipere*. At quænam hæc rurſum audacia eſt? Ita certè conuertit Tremellius noſter, rectè quidem (ſi verbum קבל Excipere pro Capere ſiue Continere accipias à conſequenti, vt paulò antè diximus:) non tamen αὐτολεξεὶ, quod eum feciſſe iſtorum cauſa mallem. Sic enim habet ad verbum doctiſsimus ille & vetuſtiſsimus, vt apparet, interpres, דלהו לאלשמיא דיקבלון id eſt *Quem oportet cæli capiant*. Agnoſcis igitur tandem, Selneccere, tuam, ne quid grauius dicam, imprudentiam? Vides enim verbum eſſe pluralis numeri, quîcum neceſſariò Cælorum nomen à parte anteriore conſtruitur, ac proinde conſtructionem illam veſtram tuo ipſius calamo expungi.

En bellæ illius quam defendunt interpretationis teſtes, quorum vnus non minùs pro me quàm pro illis facit, alter planè ipſos conuellit. Et iſtum non pudet antiquitatem & orbis totius auctoritatem iactare? Tandem igitur ad ſacram anchoram venit Selneccerus, nimirum ad Lutheri verſionem, quam nos quidem quantò rectiùs vt & nouam & prauam hoc loco reprehenderimus? Etenim etiamſi Lutheri ſententiam admitterem, tamen, vt antea probaui, verbum δέχεσθαι non reſpondet verbo *Einnemen*, quod accipere ſiue occupare declarat, niſi fortè occupare Cælū Chriſtus dicatur, ſicut locus à re contenta occupatur, quod prorſus pro nobis faceret. Deinde vt illum ſuū ſenſum Lutherus commodè eliceret, verbum δεῖ explicandum fuit pro ἔδει, id eſt pro *Muſs* ſcribendum *Hat muſſen*, niſi pro præſenti *Einnemen* maluiſſet vſurpare perfectū. Iterum enim inculco

& omnes

& omnes communi ſenſu præditos homines iſtis iudices fero, non poſſe non ineptè locutum videri qui de re peracta loquens dicat, *Oportet Chriſtum accipere cælum*, id eſt vt Chriſtus accipiat cælũ. *vſque ad tempora reſtitutionis omnium*: ſed omnino dicendum fuiſſe, *Oportuit Chriſtum accipere cælum*, id eſt, vt Chriſtus acciperet cælũ, vel, *Oportet Chriſtum accepiſſe*, id eſt vt Chriſtus acceperit *cælum* ſiue *à Chriſto acceptum fuiſſe cælũ*. Viderit igitur Selneccerus quomodo iſtam interpretationem pro ſana & recta venditet, quam, vt oſtendimus, & verborum proprietas, & ſententiæ ipſius ratio manifeſtè conuellit, nedum vt illam tanquam irrefragabilem nobis obtrudat.

Sed iam audire mihi videor illorum tonitrua, quaſi videlicet inexpiabile ſit ſcelus quicquam in Germanica D. Lutheri verſione emendare, quod tamen ipſimet quoties faciunt? Sed agè, maneat ſanè ſua laus magno illi viro, & plurimis in Eccleſia Dei vtiliſsimiſque laboribus defuncto. Quis enim hoc inficietur? Liceat tamen eius ſcripta, quæcunque tandem ſint, vt & omnium poſt Apoſtolos ſcriptorũ, ad Dei verbi normam in primis exigere, & aliorum quoque tum vetuſtorum, tũ recentium Doctorum rationes & argumenta expendere, niſi fortaſsis hunc vnum *ἀναμάρτητον* fuiſſe oſtendant. Sin minus, clament licet, & pro more quiduis apud imperitum vulgus ſpargant, ego vnum ſaltem illud Democriti regeram, Deſinite ineptire, pueri.

Vt autem nullus ſit tergiuerſandi locus, & illam potiùs verſionem conſtet nouam eſſe, & vetuſtati inauditam: iſtam verò cuius auctorem me faciunt Ienenſes (in eo quidem à Selneccero diſſentientes qui ſe ab hinc annis viginti iſta verſione mirificè (proh dolor) commotum, turbatum, perculſum denique clamitat, quum tamen interpretatio mea anno demum 1556. prodierit) vt iſtã, inquam, verſionem quam illi non vt nouam modò verùm etiam vt falſam & impiam criminantur, oſtendam certo ipſius verbi Dei, ac præterea doctiſsimorum tum veterum tum recentiorũ ſcriptorum teſtimonio confirmari: primùm hoc ex iſtis quæro, vbi tandem inuenerint ſiue in vetere ſiue in nouo Teſtamento durum iſtud, & obſcurum, adeóque ænigmaticum dicendi genus, *Accipere cælum*, ſiue pro cæleſti regione ſiue pro cæleſti gloria Cæli nomen intelligant? Certè nuſquã hanc formulam vel ſimilem aliam quampiam deprehendent. At contrà lego Luc. 24.51. *διέστη ἀπ' αὐτῶν εἰς τὸν οὐρανόν. ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν.* Item Act.1.9. *ἀπήρθη ἀπ' αὐτῶν*, & 11, *ἀναληφθεὶς εἰς τὸν οὐρανόν*, quibus verbis niſi cæcare, perſpicuè, diſertè ſignificari fateamur diſceſſum Chriſti à terra iſta quam calcabant diſcipuli, in illud ipſum Cælum quod ſupra nos eſt, agè ipſum quoque Solem ſurſum eſſe negemus.

Sed rurſum hîc in Bezam inſurgunt Ienenſes, verùm quo tandem pudore? Adiecit, inquiunt, Beza particulam SVRSVM. At ego cogor rurſum exclamare, Quæ hæc eſt audacia, quæ hæc eſt calumniandi libido? Chriſtum iſti ferunt dici *Aſcendiſſe in cælum*, *Eleuatum fuiſſe*, *Profectum fuiſſe in cælum*: & hoc ſaltem nobis ne Brentius quidem vbiquitarii tum cæli tum inferni fabricator, nec Illyricus ille Iſmael inficiantur, Chriſtum fuiſſe ad nubes vſque ſublatum. At iſti ferre non poſſunt Bezam interpretantem *ἀναληφθεὶς Surſum receptus*, & *ἀνεφέρετο Surſum ferebatur*. Malunt enim verti, *Aſſumptus*, & *Ferebatur*. Atqui *Aſſumere* ſignificat *Ad ſe ſumere*, quod quibuſuis Grammaticis iudicibus, non reſpondet *τῷ ἀναλαμβάνειν*, ſed *τῷ προσλαμβάνειν*. Deinde quum eò demum ſit receptus ſiue aſſumptus Chriſtus quò profectus eſt, dicatur autem *ἐπήρθαι*, Id eſt, vt transfert vetus interpres, *Eleuatus*, Eraſmo autem interprete, *In altum ſublatus*, & à nube exceptus, & in illud ipſum cælum profectus quò diſcipuli direxerunt oculos, cuius eſt vel ſtuporis vel impudentiæ arguere me quòd *ἀναλαμβάνεσθαι* vertam *Surſum recipi*? Verba autem *ἀναφέρεσθαι* & *καταφέρεσθαι* oportuit iſtos ſaltem ex Ariſtotelis meteoris didiciſſe, inter ſe opponi. Quòd ſi Chriſtus ſurſum eſt ſublatus, & ſurſum acceptus, vter rectiùs iſtum locum Petri conuertit, qui dicit quòd Chriſtus cælum acceperit, an qui dicit quòd Cælum venientem Chriſtum receperit, ac proinde ipſum capiat?

Agè verò, addamus etiam vetuſtatis teſtimonia. De Syro interprete doctiſsimo & vetuſtiſſimo diximus antea, qui etiã Lucæ 9,51, & 24,51, & Act.1,9, & 11, & 1. Tim.3,16. verba, *ἐπαίρεσθαι, ἀναφέρεσθαι* & *ἀναλαμβάνεσθαι*, vnico Syriaco expreſsit quo ſignificatur *τὸ ἀναβαίνειν*, vt & Græcus interpres 2. Reg.2.11. ויעל vertit *ἀνελήφθη*.

Omnium autem clariſſimè Nanzianzenus altera concione *περὶ τοῦ υἱοῦ* totidem his verbis illum Petri locum citat, *ὃν οὐρανὸν δεχθῆναι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως*, *A cælo recipi* (id eſt, ſicut antea probaui, receptum teneri) *vſque ad tempora reſtaurationis*. Huius igitur tanti viri quum ſim veſtigia ipſa in hoc quoque ſequutus quòd perſpicuitatis cauſa paſſiuam formulam vſurpaui, viderit an ſanus fuerit ille quum inſaniam mihi obiiceret, ac non potiùs verum eſſe comprobet quod initio ſuæ accuſationis ſcripſit, ſe nimirum neſciuiſſe quid faceret, quum hanc criminationem aggrederetur.

Sed & OEcumenius, cuius etiam teſtimonio iidem abutuntur, Cælum vocat, *τὸ ὑποδεκτήριον τοῦ Χριστοῦ*, id eſt Chriſti receptaculum. Itaque (quod etiam plenius mox demonſtrabimus) qui negat totam vetuſtatem hæc Petri verba ſic accepiſſe, vt dicatur Chriſtus in cælos receptus, ibidem nunc vt in loco reſidere ſecundum carnem, neceſſe eſt pudorem omnem abiecerit. Quòd autem Petrus ita ſignificarit Chriſtum accepiſſe cælum, id eſt cæleſtem gloriam, nunquam ex vllo Patrum teſtimonio ne ad Græcas quidem Calendas accuſatores mei probabunt.

Ex his igitur rurſum effici dico quod volebam, illam videlicet interpretationem, *Oportet Chriſtum cælo capi*, ſiue proprietas verborum ſpectetur, ſiue totius vetuſtatis auctoritas, bonam & veram eſſe, ac proinde meos accuſatores in calumnia manifeſta deprehendi.

Iam ſupereſt vt illud quoque videamus, num videlicet mea inte[illegible] dicitur Chriſtus in cælo vt in loco ſecundum carnem contineri, aliquid Petro affi[illegible] inſtituto. Poteſt enim ſæpe ſic verti locus aliquis, vt vera videatur [illegible]

[illegible]

& tamen ſcriptoris menti parùm conſentanea. Atqui fideliter à me expreſſum fuiſſe quod Petrus dictum voluit, puto iam ſatis ex ſuperioribus liquere.

Vnum tamen placet expendere quod ille meus plagiarius in illa ſua præclara gloſſa nobis obiicit. Refutationem enim illam quam ſe edidiſſe ſcribit anno 1567, nanciſci quum hæc ſcriberem nondum potueram. *Alij*, inquit, *volunt intelligendum ipſum Chriſtum capi aut detineri à cælo, quæ ſententia eſſet contra Apoſtoli ſcopum, potiùs imbecillitatis, quàm gloriæ & potentiæ Chriſti prædicatio.* Hæc ille, in quibus multa ſunt errata. Primùm enim illud *Retineri* inuidioſè ſcribit, quaſi videlicet quum Chriſti corpus dicimus, quia corpus eſt, ſuo ſpatio contineri, eum veluti carcere includamus, de qua vaniſsima calumnia mox dicemus. Deinde in eo quoque fallitur quòd circonſcriptionem ſiue finitionem circa creaturam, putat eſſe infirmitatem, quum ſit potiùs eius perfectio ac complementum, vt ipſi quoque ſcholaſtici rectè tradiderunt. Quid enim dici poſſit abſurdius quàm eſſentialis proprietatis abolitione eſſentias perfici? Nec tamen nego ſic diſcriminari creata (quæ omnia finita ſunt,) ab eo qui vnus eſt infinitus. Sed quid hoc Illyricum iuuat? nihil certe, niſi putat cũ Brentio ab iis deprimi Chriſti gloriam, qui carnem non induunt deitatis ſpoliis. Præterea quia hũc docuit Petro propoſitum fuiſſe Chriſti gloriam ſic prædicare, vt nihil niſi Deo conueniens ei attribueret, ſiue vt velut altera natura ipſum ſpoliaret? Certè hominem eſſe, & interfectum fuiſſe palàm fatetur Petrus non minùs quàm ſanctum, & iuſtum, & authorem vitæ, & à mortuis excitatũ. Imò ſi hoc vnum ei propoſitum erat quod iſte dicit, cur obſecro apud iſtos præſertim adhuc ad Chriſtum potiùs adducẽdos quàm adductos, iſto tam nouo, obſcuro, inſolenti, adeóque ænigmatico dicendi genere potiùs quàm vſitato exaltationis, & ſeſsionis nomine vteretur? Quotus enim quiſq; diuinaret, *Accipere cælum* idem declarare atque *ſummæ illius gloriæ fieri participem?* Res autẽ, (meo quidem iudicio) ita ſe habet. Petrus à reprehenſione exorſus ſummam perfidiam & crudelitatem Iudæis exprobrat, quæ tamen Chriſti gloriæ & dignitati nihil detrahat, vt qui ſit à mortuis excitatus, & quanta virtute polleat ſignis & prodigiis in ipſius nomine editis abundè demonſtret. Hîc verò quum nihil conuenientius eſſet quàm vt quærerent Iudæi, vbinam igitur eſſet Chriſtus ille à mortuis excitatus, & cur in apertum non prodiret, occurrit huic quæſtioni Petrus, reſpondens oportere ipſum in cælis reſidere donec rurſum appareat plenè mundum inſtauraturus, ſicut prædixerunt Prophetæ: quorum denique propoſitis & ad ipſos Iudæos applicatis teſtimoniis, eos ad reſipiſcentiam & fidem hortatur. Rectè igitur OEcumenius quærens cur Petrus potiùs non dixerit ὃν οὐρανὸς ἐδέξατο, *Quem cælum recepit, Hoc*, inquit, *dixit vt de ſuperiore tempore differens. Illis autem verbis ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως, vſque ad tempora reſtitutionis omnium, cauſam declarat quare nondum nunc veniat. Oportet*, inquit, *omnia reſtitui, & ad finem deuenire, & tunc veniet.* Hæc ille, ſignificans Petri verba perinde explicanda ac ſi dixiſſet, *Quem recepit cælum, vnde oportet*, (Id eſt, vt rectè exponit Chryſoſtomus, *conſtitutum ac decretum eſt*) *vt veniat quando omnia reſtituet, quæ tempora prædixerunt Prophetæ, &c.* Et de hoc quidem hactenus.

Obiicit rurſum nobis idem ille plagiarius decerptam ex D. Caluini commentariis particulã. Quidni enim hoc auſit iſte quem nihil pudet? *Locutio*, inquit D. Caluinus, *eſt ambigua, quia tam intelligere poſſumus Chriſtum cælo capi vel contineri, quàm cælum capere. Ne ergo verbum dubiæ ſignificationis vrgeamus.* Hæc igitur Caluinus, minimè ſanè vel approbans ineptum illud dictum *Chriſtus accepit cælum*, id eſt *gloriam Patris*, vel vt iſte garrit, nos taxans quaſi ſuper dubium fundamentũ ingentem molem extruamus, ſed hoc iſtis præfractis ingeniis largiens, vt nulla niſi prorſus perſpicua & dilucida Scripturæ teſtimonia aduerſum eos vrgeamus. Hac autem modeſtia noſtra quum nonnullos tandiu videamus abuti, vrgere ne hæc quidem, detectis quibus obſcurantur argutulis ineptiis, deſinemus. Cæterùm qua tandem niſi Dalmatica ſiue Illyrica fide iſtum D. Caluini locũ iſte decurtauit? Sic enim mox D. Caluinus, *Sed eo contenti ſimus quod certum eſt, Chriſtum, interea dum ſperatur vltima rerum omnium inſtauratio, non alibi quàm in cælo quærendum eſſe.* Iſta verò priùs dixerat: *Quoniam ad craſſum terrenúmque Dei & Chriſti aſpectum ſemper propendent hominum ſenſus, poterat in mentem Iudæis venire, Chriſtum quidem prædicari à mortuis excitatum, ſed vbinam eſſet non oſtendi. Præuenit ergo Petrus quum in cælo eſſe docet. Vnde ſequitur tollendas eſſe in altum mentes, vt Chriſtum fidei oculis requirant, quamuis immenſa locorum diſtantia ſit remotus, & in cæleſti gloria extra mundum habitet.* Hæc ille. Viden' igitur, plagiarie, te ſic eſſe in mortuos quoque crudelem, vt hunc etiam Caluini partum truncato capite ac pedibus in monſtrum transformaris?

Et hactenus quidem de priore accuſationis parte. Nũc de ipſa huius dicti ſententia diſſeramus, num videlicet impiè dicatur, Carnem illam Chriſti glorioſam cælis capi, id eſt vltra mundum in illis regionibus in quibus ſumma illa Dei maieſtas pleniſsimè refulget & quæ ſunt æternæ noſtræ felicitati deſtinatæ, nec vſquam alibi, nunc reſidere: & ita quidem vt naturalis corporis loco & ſpatio quacunque tandem cælorum parte conſiſtere ipſi libuerit, contineatur ac comprehendatur, num, inquam, hoc impiè dicatur, ac non potiùs putida & rancida ſit hæreſis contrarium affirmare. Primùm autem diluemus accuſatorum argumenta, ac deinceps noſtra confirmabimus.

Hæc Petri verba (inquit rurſum admodum confidenter Selneccerus) *nunquam aliter à vera Eccleſia niſi de exaltatione naturæ humanæ in Chriſto ſiue de ſeſsione Chriſti ad Patris omnipotentis dextram accepta & intellecta fuerunt, vt erudita antiquitas & conſenſus omnium ſanorum comprobant.* Ergo nos Selneccere, inſanimus. Et ſane ita eſt, ſi verum dicis. Sed quando tandem te verum dicere, imò quando te potiùs in iſtis non inſanire probabis? Audiamus enim quid dicas.

Aſcendit (inquis) *Chriſtus in cælos, id eſt, vt ait Auguſtinus, conditionem naturæ quam de hominum matre natus aſſumpſit, ſuper Cælos in dexteram Dei collocauit.* Obſecro, mi homo, an ſani eſt hominis

ſeipſum

ſeipſum confodere? Qualis eſt, obſecro, iſta conditio aſſumptæ humanæ naturæ? num Vbique eſſe? Quid eſt aliud collocare quàm in loco conſtituere? Et tamẽ hæc ipſa natura, qualis eſt aſſumpta, quod ad conditionem ipſam naturæ attinet, disertè hîc dicitur collocata ad dextrã Patris. Ergo, teipſo teſte, ſi Auguſtino aſſentiris, locus & ſeſsio ad dextram, ſiue glorificatio carnis Chriſti, inter ſe non pugnant. Quod ſi, vt tu vis, per Cælos idem atque Dexteræ nomine, gloria videlicet æterna ſignificatur, quorſum Auguſtinus iſta battologia vteretur, ac non potiùs *ſuper cælos, id eſt, ad dexteram Dei*, addita videlicet particula exegetica ſcripſiſſet? Denique quid erit iſtud ſupra cælos? nempe ſupra ipſam dexteram. Poſtremò an oblitus es agi de Petri loco? Num dixit Petrus, Quem oportet Chriſtum aſcendere in cælos? non certè. Eſſet enim inepta oratio, quoniam iam Chriſtus eò aſcenderat. Atqui, non minus inepta fuerit oratio, ſi idem valet, Accipere Cælum atque aſcendere in Cælum. Hoccine verò eſt ſapere?

Dextera Dei, (inquit idem Selneccerus,) *vt Athanaſius & Baſilius categoricè, euidenter ac veriſſimè interpretantur, non ſignificat aliquid circumſcriptũ, ſed gloriam ad quam ſit euectus Chriſtus ſecundum ſuam humanam naturã.* Nos verò concedimus tibi totum hoc argumentum, Selneccere, ſed conſecutionem pernegamus. Nec enim dicimus dexteram Dei ſignificare circunſcriptum aliquid, ſed diuinam Chriſti gloriam qui tamen eſt in loco propter veri corporis modum, vt iſta ſeſsio circunſcriptionem loci non excludat. Vis vt tecum craſsiùs agam? Aliud eſſe dicimus *Aſcendere in cælum* quàm *Cælo capi*, & hoc rurſus aliud quàm *Cæleſti gloria ornari*, ſicut exempli gratia, aliud eſt *Aſcendere in montem*, quàm *In monte reſidere*, & hoc rurſus aliud quàm *In illo monte felicem & beatum eſſe*, atque adeò, ſi vis, quàm *In illo monte vt in regni ſui ſolio commorantem, imperium in vniuerſum mundum obtinere.* An verò rurſus oblitus es agi de Petri loco, non de articulo, Sedet ad dextram Patris?

Profert poſtea locum Damaſceni, in quo dicit Chriſtum ſedere σωματικῶς ad dexteram Dei Patris, quæ tamen dextera Patris non ſit localis. Enimuerò an quiſquam noſtrûm eſt qui Deum Patrem dicat inſtar hominis eſſe, qui dextrum vel ſiniſtrum latus habeat? Quid ergo eſt iſta Patris dextera? *Gloria*, inquit, *& magnificentia ipſius, cuius eſt particeps Filius ſecundum carnem*, ſed σωματικῶς. Ergo talis eſt glorificatio quæ non impediat ſedentis & vera carne præditi circunſcriptionem, & talis viciſsim circunſcriptio quæ glorificationi nõ officiat. Cur igitur impius fuerit qui dicit Chriſtum cælo capi, id eſt loco & ſpatio in cælis contineri?

Citat etiam illud Chryſoſtomi in Hebr. 1, 3, teſtantis verbis Apoſtoli, *ad dextram maieſtatis in excelſis*, Deum non concludi loco, ſed oſtendi hominem Chriſtũ omnibus altiorem & excellentiorem. Et quis tandem iſta negat? Verùm vt ſumma glorificatio corporis Chriſti ipſum euehat ſupra omne nomen, quis tamen inde meritò concluſerit eum nullo loco capi, id eſt abſorptam eſſe corporis naturam?

Adfers etiam iſta Seueriani verba, *Nam diuinitas carni contulit quod ſemper Filius Dei cum Patre poſſedit.* Concedo ſanè, quum vnione hypoſtatica datum ſit huic aſſumptæ carni vt ſit Filii Dei caro, ac proinde homo ille ſit eſſentialiter Deus, quatenus eſt hypoſtaticè cum Verbo coniunctus. Quòd ſi hoc referas ad ipſius vnionis dona, cogêris ſanè excipere diuinæ naturæ idiomata, niſi malis apertè in Eutychetis caſtra tranſire.

Quid plura? Theodoretum etiam audes in tuas partes pertrahere, non tamen quaſi pro te faciẽtem (conſtat enim illum ex profeſſo oppugnare quod tu nunc defendis) ſed quaſi à ſeipſo diſſentientem. Cedò verò quomodo? *Quoniam*, inquis, *citat Athanaſii verba, ſcribentis, Hæc verba, Sede à dextris meis, corpori Domini conuenire, non diuinitati quæ omnia implet.* Et quid hoc eſt rurſum aliud quàm Seipſum confodere? Nam ſi Sedere à dextris idcirco competere non poteſt Deitati quoniã omnia replet, efficitur humanitati ſic competere vt omnia non repleat. Nam, ex illa Athanaſii ratione, ſi ipſa quoque caro omnia repleret, non minùs poſſet dici ſedere ad Patris dextram quàm Deitas. Non igitur ſibiipſi Theodoretus, ſed tibi, vt & tu tibiipſi manifeſtè repugnas, Selneccere, tanta via eſt veritatis.

Gregorius Nyſſenus ſic habet, *Quæ naturaliter habet Chriſtus vt Deus, ea dicitur accipere vt homo certo conſilio factus. Ideò dicebat, Pater glorifica me apud temetipſum ea gloria quam habebam, &c. Niſi enim hanc haberet propriam vt Deus, fieri non poſſet vt eam tanquam alienam acciperet, Deo & Patre per Prophetam dicente, Gloriam meam alteri non dabo.* Pulcherrimus certè locus, quem ſi mei accuſatores intelligerent, tota mox definita eſſet controuerſia. Agit Nyſſenus de idiomatibus Diuinæ naturæ. Hæc enim ſunt quæ naturaliter Chriſtus vt Deus habet ſibi propria. Illa igitur dicit Chriſtum non aliter poſſe dici vt hominem accepiſſe, quàm quomodo aſſumptus ille homo, & eſt & dicitur Deus. Atqui homo ille non eſt Deus in ſeſe ſed κατ' ἄλλο, id eſt reſpectu naturæ diuinæ in qua ſubſiſtit. Ergo homo quidem ille eſt omnipotens, omnipræſens, viuificus & adorari debet, non tamẽ in ſeſe, ſed κατ' ἄλλο, id eſt, quatenus in natura Diuina ſubſiſtit, cuius illa ſunt propria & proinde incommunicabilia idiomata: quia ſcriptum eſt, inquit Nyſſenus, Gloriam meam alteri non dabo. Itaque rurſum tibi gratiam habeo, Selneccere, quòd tam commodè cauſam noſtram, id eſt, veritatem ſiue prudens ſiue imprudens tuearis. Nam ſi vera illa ſunt, vti ſunc ſunt, totam illam Brentianam effuſionem omnium proprietatum Deitatis in carnem aſſumptam, ſiue illam idiomatum cõmunicationem quam vos ipſarum etiam naturarum ſingularum reſpectu realem eſſe vultis, vt Eutychianam, id eſt, vt falſam, blaſphemam, impiam, deſtructo à vobis ipſis veſtro fundamento, funditus ruere neceſſe eſt.

Hæc quum ita ſe habeant, iudicet nũc quiuis quo pudore iſti mei accuſatores iactent totius pie

& eruditæ vetuſtatis, adeóque omnium qui vſquam fuerunt, orthodoxorum conſenſum, quod vt magis etiam liqueat, agè ex infinitis omnium veterum ſcriptorum teſtimoniis quæ toties Brentianis ſiue Iacobandreanis deliriis oppoſita, nunquam refutata ſunt, pauca ſummatim reponamus.

Ignatius ad Trallianos, *Verum corpus Maria peperit, quod hac omnia que propria ſunt corporis humani nobiſcum habet communia.* Ergo vel in primis circumſcriptionem, quam ſi depoſuit per ſeſſionem, ſimul veritatem corporis abiecit.

Dydimus lib. de Spir. ſancto, interprete Hieronymo, *Ipſe Spiritus ſanctus ſi vnus eſſet ex creaturis, ſaltem circumſcriptam haberet ſubſtantiam, ſicut vniuerſa que facta ſunt.* Ergo loco non circumſcribi eſt proprium Deitatis prorſus incommunicabile, alioqui non ſtaret Dydimi argumentum.

Apollinaris citante Theodoreto, *Christi copulatio cum corpore, non mutat corporis naturam.* Ergo vel natura corporis non eſt finitum & loco circumſcriptum eſſe, vel fallitur qui corpus Chriſti reipſa negat cælo capi, quum in cælo ſit.

Seuerianus. *Myſterium verè cæleſte & terrenum. Talis enim erat natus Chriſtus cæleſtis & terrenus: verſans in loco & extra locum poſitus: viſibilis & inuiſibilis: & cæleſtis ſecundum diuinitatis naturam, terrenus verò ſecundum humanitatis naturam: viſibilis ſecundum carnem; inuiſibilis ſecundum ſpiritum: in loco verſans ſecundum corpus, extra locum poſitus ſecundum Verbum.* Aliud autem eſt Verbum cui vni eſt aſſumpta illa caro, aliud eſt ipſius Verbi in aſſumptam carnem ἐνέργεια. Itaque præſens quidem eſt vbique etiam homo ille, ſed κατ' ἄλλο, id eſt, quatenus Deus, nec tamen κατ' ἄλλον, quia vnus eſt Deus & homo.

Origenes Homil. 33. in Matthęum: *Quaſi homo peregrinatur, qui eſt vbique ſecundum Diuinitatis naturam. Nec enim eſt homo qui eſt vbicunque duo vel tres in nomine eius congregati fuerint: neque homo nobiſcum eſt omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi: nec congregatis vbique fidelibus præſens eſt homo, ſed virtus Diuina quæ eſt in Ieſu.* Vera & orthodoxa eſt hæc ſententia, id eſt, vobis Brentianis & Semibrentianis, vt olim erant [illegible] & [illegible], prorſus repugnans. Hoc tamen notandum, cautiùs loquutos qui ætatē illam ſequuti ſunt quum nomina concreta ab abſtractis diſtinguerent. Itaque illud *Nec enim eſt homo* dictum eſt pro *Nec enim eſt humana natura*, ſiue pro *Nec enim Chriſtus ſecundum humanam naturam.*

Athanaſius apud Vigilium: *Quomodo ait, Vado ad Patrem cum quo ſemper erat, & à quo nunquam receſſerat? (eius eſt enim ire & venire, qui aliquibus locorum terminis circumſcribitur, & eum in quo erat deſerere locum, vt ad alium vbi non erat, veniat) niſi quia vtique de illo quem aſſumpſerat homine loquebatur?* Ergo totus ille veſter allegoricus aſcenſus, quo tolli poſſe putatis corporis circūſcriptionem, vanum & futile eſt commentum.

Theodoretus dial. 2 *Corpus Domini quod reſurrexit, à corruptione quidem & interitu alienum & impaſſibile, & immortale & Diuina gloria glorificatum, & ſeſſione ad dexteram Patris dignatum eſt, & à cæleſtibus adoratur poteſtatibus (nempe vt Dei corpus) corpus tamen eſt, & habet quam priùs habuit formā, figuram & circumſcriptionem.* Non eſt igitur impium dicere Chriſtum qui aſcendit in cælos & ibi ſedet ad dexteram Patris, cælo capi, id eſt contineri ſecundum carnem: ſed hoc negare eſt impium.

Gregor. Nanzianzenus apud Theod. dial. 1, *Chriſtus habitat in cordibus noſtris, videlicet non ſecūdum apparentem naturam ſed inuiſibilem.* Item, *Docemus eundem Chriſtum, circumſcriptum corpore, incircumſcriptum ſpiritu, qui loco continetur & loco non continetur.* Quid apertiùs in eos dici potuit qui illum cælo capi negant?

Tertullianus de Trinit. *Vbique inuocatum adeſſe, non hominis natura eſt, ſed Dei, vt adeſſe omni loco poſſit.* Hoc vere firmum eſt argumentum quo ſanctorum mortuorum inuocatio non tantùm ſtulta & inanis ſed etiam impia eſſe conuincitur. Τὸ συνέχον autem argumenti manifeſtè veſtram illam realem carnis Chriſti πανταχουσίαν euertit. Quod ſi excipiatis ex eo conſequi inuocandū igitur non eſſe hominem Chriſtum, planè ineptè feceritis. Etſi enim aſſumpti illius hominis natura non eſt vbique, is tamen qui illam aſſumpſit hypoſtaticè, vbique eſt, nempe Verbum æternum Patris. Ideo non inuocatur quidem humana natura per ſe, ſed inuocatur Filius Dei qui idem & verus etiam eſt homo. Hæc qui non diſtinguit, quid inuocet neſcit.

Cyrillus lib. 2. dial. de Trinitate, *Si diuina natura partitionem reciperet, intelligeretur & corpus. Si autem hoc, in loco omnino & magnitudine & quantitate: & ſi caderet in eam quantitas, non effugeret circūſcriptionem.* Item lib. 10. cap. 38. in Ioan. *Nullus ambigit, quum ad cælos aſcenderit, quamuis virtute Spiritus ſemper adfuerit præſentia tamen carnis ipſum abeſſe.* Idem lib. 11. cap. 3. *Etſi corpore abſens ſit Chriſtus, Patri pro nobis apparens, & ad dexteram ipſius ſedens, habitat tamen in ſanctis per Spiritum, nec patitur eos orphanos eſſe, quibus cælum aſcendens Spiritum miſit. Non enim conuerſari carne cum Apoſtolis poterat, quum ad Patrem aſcenderit.* Ergo ex aſcenſione & ſeſſione tantum abeſt vt colligi poſſit realis illa commentitia Omnipræſentia, vt contrà inde neceſſariò adſtruatur carnis abſentia, qua tamen non tolli corporis & ſanguinis πανταχουσίαν certum eſt.

Vigilius Martyr lib. 1. contra Eutychen. *Dei Filius ſecundum humanitatem ſuam receſſit à nobis, ſecundum verò Diuinitatē ſuam ait nobis, Ecce ego vobiſcū ſum. Eſt igitur nobiſcum & non nobiſcum, quia quos reliquit & à quibus diſceſſit humanitate ſua, non reliquit nec deſeruit Diuinitate ſua.* Itē lib. 4. *Quomodo quum Verbum vbique ſit, nō vbiq; inuenitur & caro? Nam quando in terra fuit, non erat vtique in cælo: & nunc quia in cælo eſt, non eſt vtique in terra, & in tantum non eſt, vt ſecundum ipſam Chriſtum expectemus venturum de cælo, quem ſecundum Verbum nobiſcum eſſe dicimus in terra. Aut Verbum cum carne ſua loco continetur aut caro cum Verbo vbique eſt: ſed quia Verbum vbique, caro autem vbique non eſt, apparet vnum eūdémque Chriſtū, vtriuſque eſſe naturæ, & eſſe quidē vbique ſecundum naturā Diuinitatis ſuæ,*

tatis ſuæ, & loco contineri ſecundum naturam humanitatis ſuæ. Circumſcribitur loco ſecundum naturam carnis ſuæ, & non capitur loco, per naturam Diuinitatis ſuæ. Hæc eſt fides & confeſſio catholica, quam Apoſtoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles nunc vſque cuſtodiunt. Auditis, boni viri, carnem Chriſti vbique non eſſe? loco contineri? loco capi? auditis mendacii conuinci qui Bezam faciunt primum authorem iſtius dicti, *Chriſtum cælo capi?* auditis tanto teſte quantum vniuerſa poſt Apoſtolos antiquitas in hoc argumento vix vllum habet, fidem vocari Catholicam ab Apoſtolis traditam, à Martyribus roboratam, à fidelibus ſemper cuſtoditam, illud ipſum quod ex profeſſo vos ſcilicet orthodoxi, Vos martyres, Vos fideles Eccleſiæ Dei paſtores tam Chriſtianè oppugnatis, vt te, Selneccere, non pudeat crucem etiam iis à quibus tam leuiter defeciſti precari? ſed quàm potiùs mirum ni tandem comperias te tibiipſi fixiſſe.

Ambroſ. epiſt. 22, & lib. de incar. Domini: *Eadem in Chriſto corporis veritas eſt, quæ in nobis.* Idem lib. de Spiritu ſancto, *Omnis creatura certis ſuæ naturæ circumſcripta eſt limitibus, nec creatura dicenda eſt quæ non habet circumſcriptam determinatámque virtutem.* Ite nunc & negate humanitatem Chriſti à vobis perimi, quum vt hæreticum damnatis qui Chriſti corpus poſt Petrum affirmat cælo capi.

Auguſtinus epiſt. ad Dardanum, *Spatia locorum tolle corporibus, & nuſquam erunt, & quia nuſquam, ergo nec erunt. Hinc vbique crede Chriſtum, per id quod Deus eſt: in cælo autem per id quod homo, ſecundùm veri corporis modum.* Si nuſquam ſunt corpora quibus tolluntur ſpatia, quid vobis fiet quibus impiũ eſt dicere Chriſtũ cælo, id eſt, cæleſti ſpatio capi? Et ſi vera ſunt iſta non tam Auguſtini, quàm totius Eccleſiæ argumẽta, vbi veri corporis modus ſi non circumſcribitur? & Cæli nomine ſignificari regalem vbiquitatẽ quis vobis concedet? Item cap. 1. tract. 30. in Ioan. *Donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt Dominus, ſed tamen hic nobiſcum etiam eſt veritas Dominus. Corpus enim in quo reſurrexit, in vno loco eſſe oportet, Veritas autem eius vbique diffuſa eſt.* Vtrum verò duriùs eſt dicere, oportere Chriſtum ſurſum eſſe, id eſt, in vno loco, vel Chriſtum cælo capi vſque ad tempora reſtitutionis omnium? Vtrum igitur impium dogma? hoccine an noſtrum? Item lib. 22. De ciuit. Dei: *Deus totus in cælo, & in terra ſimul totus eſt, quod nulla natura corporalis poteſt.* Vnde igitur niſi ex erroris ſpiritu emananit veſtra illa realis omnipræſentia non dico hominis Chriſti. (nec enim hoc negamus quum vnus ſit Chriſtus Deus & homo) ſed carnis Chriſti, quæ certè Deitas non eſt nec erit? Vnde etiam illa veſtra oralis manducatio, id eſt, commentum cuius vel ipſum Satanam pudeat?

Item epiſtola 3, *Quantumcunque ſit corpus vel corpuſculum, vt loci occupet ſpatium, eundémque ſic impleat, vt in nulla eius parte ſit totum neceſſe eſt.* Et ne hic fortaſſe cuiquam imponatis, non poteſtis inficiari Auguſtinum de illo ipſo glorificato Chriſti corpore diſſereſe.

Idem, *Hoc eſt Deum eſſe, quod vbique totum eſſe.* Ergo vel negate Chriſti carnem vbique totam eſſe, vel fatemini eam à vobis in Deitatem transformari.

Idem, De eſſentia Diuinitatis: *Sicut eundem Dei Filium & Redemptorem noſtrum ſecundum Diuinitatem inuiſibilem, incorporeum & incircumſcriptum, ſicut & Patrem & Spiritum ſanctum, non credere impium eſt: ita eundem Dei Filium, in homine aſſumpto, viſibilem, corporeum, atque localem poſt reſurrectionem non credere & profiteri, eſt prophanum.* Vtri igitur impii, vtri prophani, Selneccere?

Idem lib. 22. de Ciuit. Dei, *Chriſtus vbique eſt tanquam Deus, & in loco aliquo cæli propter veri corporis modum, cui immortalitatẽ dedit, naturã non abſtulit.* Si in loco aliquo cæli eſt, quomodo impius qui dicit Chriſtum cælo capi. imò quomodo non impii qui hoc negant?

Item epiſt. 146. *Ego corpus Chriſti ita in cælo eſſe credo, vt erat in terra quum aſcenderet in cælum, & quemadmodum ipſe Chriſtus diſcipulis de reſurrectione ipſius dubitantibus ait, Palpate & videte, Spiritus carnem & oſſa non habet.* Idem & nos credimus, ideóque Brentianos incarnationem, aſcenſionem ſeſſionem vbique confundentes toto corde deteſtamur.

Item epiſt. ad Dardanum: *Secundum hominem in terra erat, non in cælo vbi nunc eſt, quando dicebat, Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit Filius hominis qui eſt in cælo, quamuis ſecundum quod Filius Dei erat, eſſet in cælo, ſecundum quod verò Filius hominis erat, adhuc eſſet in terra. Noli itaque dubitare ibi nunc eſſe hominem Chriſtum, vnde venturus eſt ſecundum Chriſtianam confeſſionem in eadem videlicet carnis forma, cui immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. Secundum hanc formam, non eſt putandus vbique diffuſus. Cauendum eſt enim ne ita Diuinitatem aſtruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens, vt quod in Deo eſt, ita ſit vbique vt Deus.* His qui non aſſentitur, anathema ſit. Quàm verò futile, quàm vanum & ineptum ſit Brentianum commentum de vbiquitate ex dono ſiue effuſione ἐνεργείας, alibi pleniſsime eſt demõſtratum, ſi modò apud ſanos homines refutatione indiget. Certe qui quicquam creatum ſcoit hoc adeptum eſſe vt realiter & in ſeſe ſit vbique, is neceſſe eſt fabricet Deum per accidens, id eſt, portentoſum idolum. Vos verò, quæſo, quandiu Chriſtianam religionem exponetis ipſorum etiam Mahumetanorum ludibriis?

Item Serm. 60. de Verb. Domini: *Semper quidem nobiſcum eſt Diuinitate ſua, ſed niſi corporaliter abiret à nobis, ſemper eius corpus carnaliter videremus, & nunquam ſpiritualiter crederemus.* Hinc tandẽ aliquando colligite, quis ſpiritus id ſubſternat tanquam neceſſarium ad eam fidem quæ ad Cœnã Domini cum fructu celebrandam requiritur, quo poſito ruit quod in Cœna primarium & præcipuum eſt.

Itẽ tractat. 87. in Ioan. *A quibus homo abſcedebat, Deus non recedebat. Et idem ipſe Chriſtus Deus & homo. Ergo ibat per hoc quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat: Ibat per hoc quod in vno loco erat, manebat per hoc quod vbique erat.* An aliud dicit qui Chriſtum quatenus Deus eſt vbique verè eſſe, quatenus verò homo eſt cælo capi ſiue contineri docet?

Item tractatu 36, & 50. in Ioan. *Secundum corporis quidem præſentiam, & ſecundum carnem quam*

Verbum aſſumpſit, aſcendit in cœlum, non eſt hîc. Ibi ſedet ad dexteram Patris: & hîc eſt: non enim receſſit præſentia maieſtatis. Secundum præſentiam maieſtatis ſemper habemus Chriſtum: ſecundum præſentiã carnis, rectè dictum eſt, Me ſemper non habebitis. Maieſtatis nomine, non illam commentitiam *ὑποσταλῶς* omnipræſentiam ſed Deitatem ipſam ſignificari liquet tum ex aliis perſpicuis locis, tum ex ipſo Carnis vocabulo, quod illi opponitur. Quod ſi ex aſcenſione in cælum rectè colligitur carnem quia aſcendit, hîc non eſſe, cuiuſmodi eſt eorum Theologia qui ex aſcenſione colligunt omnipræſentiam, & locum in quo ſedet glorificatus, cum ipſa glorificatione confundunt? qui denique tam latè patere, ſomniant ipſam regnantem carnem, quàm ipſius imperium? Item lib. de Vnit. & Trinit. cap 2, *Per id quod Deus eſt, æqualis Patri, & vbique præſens eſt, & in cœlo totus, & in terra totus, & in nullo continetur loco. Per id quod homo & paſſus & mortuus eſt. & reſurrexit & aſcendit in cœlum, ſedétque ad dexteram Patris, & ſic veniet ad iudicandum viuos & mortuos quemadmodum eſt ire viſus in cœlum, in eadem forma carnis & ſubſtantia, cui profectò immortalitatẽ dedit, naturam non abſtulit.* Ergo ſeſsio, id eſt glorificationis plenitudo aliud eſt quàm aſcenſio, circumſcriptionem autem carnis nec aſcenſio tollit nec glorificatio.

Item Serm. 140. feria 2. paſchæ, *Ideo Dominus noſter abſentauit ſe corpore ab omni Eccleſia, & aſcendit in cœlum vt fides ædificetur.* Fidem igitur non ædificat ſed deſtruit falſum & impium dogma de reali carnis Chriſti omnipræſentia.

Fulgentius lib. 2. ad Traſimundum, *Vnus idémque homo localis ex homine, qui eſt Deus immenſus ex Patre. vnus idémque ſecundum ſubſtantiam humanam abſens cœlo, quum eſſet in terra, & derelinquens terram quum aſcendit in cœlum, ſecundum Diuinam verò immenſamq́ ſubſtantiam nec cœlum dimittens quũ de cœlo deſcendit, nec terrã deſerẽs quũ ad cœlũ aſcẽdit: quod ipſius Domini certiſſimo poteſt dignoſci ſermone, qui vt localẽ oſtenderet humanitatẽ ſuã, dicit diſcipulis ſuis, Aſcendo ad Patrẽ meũ & ad Patrẽ veſtrũ, Deũ meũ & Deũ veſtrũ. De Lazaro quoq́, quũ dixiſſet, Lazarus mortuus eſt, adiunxit dicens, Et gaudeo propter vos vt credatis, quoniã non eram ibi. Immenſitatem verò ſuæ Diuinitatis oſtendit diſcipulis dicens, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Quomodo autem aſcendit in cœlum niſi quia verus & localis eſt homo? Aut quomodo adeſt fidelibus ſuis, niſi quia immenſus & verus eſt Deus?* Et paulò poſt, *Iſtam Chriſti veram humanitatem (quæ localis eſt) & veram Diuinitatem (quæ immenſa eſt) Apoſtolica quoque doctrina cernimus intimari. Nam vt Chriſti veri hominis corpus localiter contineri Paulus Apoſtolus monſtraret, ait ad Theſſalonicenſes, Quo conuerſi eſtis ad Deum à ſimulachris ſeruire Deo viuo & vero, & expectare Filium eius de cœlis, quem ſuſcitauit à mortuis. Ieſum ipſum vtique mõſtrans corporaliter de cœlo venturum, quem corporaliter à mortuis nouerat ſuſcitatum. Propterea rurſum ait, Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, conforme corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem qua poteſt etiam ſibi ſubiicere omnia.* Et paulò poſt: *Hanc veritatem corporis Chriſti de cœlo venturi, Ioannes quoq́ confirmat dicens, Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt. In libris quoque Actorum, ſic eius corporalis intimatur aſcenſus, Et quum hæc dixiſſet, videntibus illis, eleuatus eſt. Quum ergo caro Chriſti, localis abſque dubitatione monſtraretur, Diuinitas tamen eius vbique ſemper eſſe Paulo teſtante cognoſcitur, qui fidelibus dicit, An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* Hæc illa eſt ſcilicet iners gloſſa, Selneccere, vt tu ridiculè profectò ſcribis. Imò hæc illa eſt veritas ipſis inferorum portis, nedum homunculis inexpugnabilis, localem fuiſſe aſcenſum carnis eius è terra in cælum, localem carnis eius abſentiam à terra, localem expectari carnis eius aduentum è cælis in terras: Cælorum nomine in quos caro eius aſcendit, in quibus nunc eſt, è quibus expectatur, & in quos attollimur, non ſignificari gloriam illam æternam, (cuius etiam nomine minimè intelligitur realis illa & commentitia Omnipræſentia) ſed ſedes cæleſtes nobis inenarrabiles in quibus vnà cum eo regnabimus in æternum. Ergo, inquient iſti, veram communicationẽ corporis & ſanguinis negatis. Imò, boni viri, veram non negamus, ſed veſtram ſanè quæ falſiſſima eſt, abominamur.

Idem lib. 3. ad Traſimun. *Idem atque inſeparabilis Chriſtus ſecundum totum hominem quem accepit, terram localiter deſerens, ad cœlum aſcendit & in dextra Dei ſedet: ſecundum eundem totum hominem venturus eſt ad iudicandum.* Num ergo vel aſcenſio vel ſeſsio ad dexteram tollit circunſcriptionem?

Damaſceni verò hæc ſententia eſt li. 3. cap 4, de duarum naturarum in Chriſto perſonali vnione, & mutua Idiomatum communicatione. 1 *In Chriſto Ieſu Domino noſtro duas naturas agnoſcimus, & vnam hypoſtaſim ex vtraque natura conſtantem.*

2 *Quando naturas reſpicimus, Deitatem & Humanitatem vocamus, quando verò ipſam hypoſtaſim & perſonam aut ex vtraque natura ſimul, Chriſtũ nominamus Deum & Hominem ſecundum idẽ, & Deũ incarnatum: aut ex altera natura tantùm, Deum & Dei Filium, vel Hominẽ & hominis Filiũ appellamus.*

3 *Quoties de naturis aliquid dicimus, ea quæ humanitatis propria ſunt, de diuinitate non dicuntur. Non enim Deitatem aut paſſibilem aut creatam dicimus. Sicut nec viciſſim de carne & humanitate prædicamus ea quæ Deitatis ſunt propria. Sic non dicimus carnem ſeu humanitatem increatam.*

4 *Cæterùm de Hypoſtaſi & perſona ſiue ex vtraque ſimul, ſiue ex altera natura tantùm, appellata, vtriuſque naturæ propria prædicantur. Et quidem quum ab vna natura tantùm Filius Dei & Deus vocatur, ſuſcipit ſibi vnica carnis naturæ propria, dicitúrque Dominus paſſibilis & Dominus gloriæ crucifixus, non vtique ſecundum quòd Deus eſt, ſed ſecundum quòd homo idem eſt. Et viciſſim, quando dicitur homo & Filius hominis, ſuſcipit Diuinæ naturæ propria & glorificationis, vocatúrque Paruulus ante ſecula, & Homo ſine principio, non ſecũdum quod Deus eſt, qui quum ſit ante ſecula, factus eſt nouiſſimis temporibus puer paruulus. Atque hic eſt modus ἀντιδόσεως & alternationis ſeu viciſſitudinariæ attributionis, (ἀντιχωρήσεως) quæ vſitatè dicitur Idiomatum communicatio.*

Quid

Quid plura? deſcribendi eſſent mihi integri libri omnium veterum, qui contra Eutychianos ex profeſſo ſcripſerunt, vt Theodoreti & Vigilii, quos teſtes quum certiſsimum ſit omni exceptione maiores eſſe in hoc quidem argumento, quis tandem illos æquo animo ferre poſsit vel debeat ab iſtiuſmodi hominibus reprehendi? Omitto conuitia in maximos illos viros Theodoretum & Vigilium à Brentio & Andrea (Deus bone quantis & quibus theologia!) iactata. De vno Selneccero meo accuſatore nunc ago. Is verò qua fronte Theodoretum redarguere ſit auſus paulo antè oſtendi. Nunc audiamus quomodo Vigilium flagellet, quo tamen in hoc quidem argumento, nullum certiorem habemus veritatis orthodoxæ defenſorem, *Vigilij*, inquit, *qui Martyr nominatur* (num verò hoc etiam nomen ei eripies, Selneccere?) *verba hæc de re qua pro explicatione loci Actorum 3. addncuntur*, (Ergo calumniabaris quum noſtram ſententiam, *Christum cælo capi*, vt nouam & inauditã reprehenderes, quũ Vigilius cõtrarium dogma in Eutychete ante mille & amplius annos oppugnarit & expugnauerit.) *ſine exceptione nõ admittimus quæ ſic habent. Si Verbi & carnis vna natura eſt, quomodo qui Verbũ vbique ſit, nõ inuenietur vbiq. & caro?* (Atqui negare nõ poteſtis ideo eſſe vbique præſentem Deum totum, quia loco non continetur: & idcirco loco non contineri, quoniã infinitæ ſit eſſentiæ. Ergo ab infinitate eſſentiæ pendet omnipræſentia. Quis ergo ſanæ mentis homo negarit carni tribui eſſentiæ infinitatem, ac proinde carnem in Deitatem transformari cui attribuatur omnipræſentia, &c. non in natura Verbi in qua ſubſiſtit, (hoc enim non negamus) ſed realiter & in ſemetipſa?) *Nam quando in terra fuit, non vtique erat in cælo: & nunc quia in cælo eſt, nõ eſt vtique in terra.* (Erat enim ipſis quoque pleriſque Eutychianis Brentianum illud vbiquiſticum cælum ignotum, cuius vos primi architecti fuiſtis, magna cum totius orbis Chriſtiani infamia) *Et in tantum non eſt, vt ſecundum ipſam Chriſtum ſperemus venturum de cælo,* (Atqui certiſsimum eſt neminem eò venire vbi iam ſit) *quem ſecundum Verbum credimus eſſe in terra.* Hæc ſunt quibus ſine exceptione nolunt iſti aſſentiri: quaſi verò non idem dixerint, clamarint, ſcripſerint veteres omnes & Græci & Latini, quorum teſtimonia paulò antè ex infinitis nonnulla tantùm protulimus. Audiamus tamen quid iſte reprehenſor proferat.

Habet idem Vigilius (inquit) *multa obeliſco digna.* Vt hoc demus, cuiuſmodi tamen eſt iſta conſequutio? Quid ſi ſic collegerem, Multa Selneccerus habet in ſuo illo in Geneſin ingẽti volumine, partim falſo affirmata, veluti Animã eſſe ex traduce, Animæ potẽtias non eſſe λογικὸν, θυμικὸν, ἐπιθυμητικὸν, & de Prouidentia ac Prædeſtinatione non pauca: multa item inepta, cuiuſmodi ſunt moleſtiſsimæ digreſsiones: multa ridicula, quales ſunt pueriles verſiculi quos ad nauſeam vſque inculcat: an pateretur inde colligi Selneccerum in hoc argumento de quo nunc agimus toto cælo errare? Et tamen hæc omnia certiſsimè, ſi ſit opus, demonſtrabuntur. Quænam autem iſta ſunt Vigilii errata ne ab ipſis quidem centuriatoribus animaduerſa?

Quòd, inquit, *Chriſtus non ſit mediator & aduocatus noſter ſecundum Deitatem, ſed tantùm ſecundum noſtram naturam interpellet pro nobis Patrem.* Vbi verò hoc comperies apud Vigilium? Nuſquã profectò, nuſquam inquam, Selneccere, inuenies Chriſtum eſſe Mediatorem duntaxat ſecũdum hunc vnam naturam. Sed tibi nimirum idem eſt pars atque totum. Interpellare Chriſtum, Aduocati officio fungi, Sacerdotis miniſterium implere ſecundum Deitatem negat Vigilius: & rectè negat, ſi quid dicat rectè ſpectetur. Etſi enim Mediatoris officiũ eſt Perſonæ, non alterutrius naturæ, tamẽ diſtinguendæ ſunt naturarũ proprietates in iis quæ ad Mediatoris officium pertinent exequendis, ita videlicet vt diuina Diuinæ, ſeruilia humanæ naturæ, ac etiam præterea ipſorum ſeruilium dignitas & vis Diuinæ naturæ tribuantur: de quibus quum copioſiſsimè ſit à noſtris aduerſus Stancari deliria diſputatum, nolo nunc pluribus diſſerere.

Hanc eſſe verò Vigilii mentem, ex eiuſdem operis lib. 5. diſcere debuit Selneccerus, in quo mediatorem vtriuſque naturæ eſſe oportere, non minùs eleganter quàm verè demonſtrat, aut ſaltem ipſis Cẽturiatoribus credere, quorum hæc verba ſunt Centuriæ quintæ ca. 10. pag. 1311. *Idẽ Vigilius oſtendit ideo ipſam oportuiſſe Deum & hominem eſſe vt Mediatoris officio fungi poſſet, lib. 5. contra Eutychen.* Hæc ſi neſciebas, Selneccere, quis hanc negligentiam excuſabit in accuſatore? Si ſciebas, quid tandem iſti calumniæ prætexes? Quod ſi in Mediatoris munere non noſti diuina Deitati, humana humanitati diſtinctè tribuere, quod eſt iſtud dedecus, cenſeri Magiſtrum, imò etiam Cenſorem in Iſrael qui hæc ignoret?

Audiamus alterum Vigilii erratum: *Quòd dicat appellationem Ieſu Chriſti non ad Deum ſed ad hominem pertinere, cui delirio ipſe quoque Theodoretus contradicit.* Reſpondeat pro Vigilio Auguſtinus, lib. de Trinit. Dei 17. cap. 16. *Quis tam rudis eſt in hac religione vt Chriſtum neſciat à chriſmate, hoc eſt ab vnctione dubitet appellatum?* Idem contra ſermonem Arianorum, cap 8. *Chriſti nomen quum ex eo illi ſit quòd ſcriptum ſit in prophetia, Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exaltationis, ad id quòd homo factus eſt pertinet.* Idem epiſt. 175. *Ieſu Chriſti nomen ex diſpenſatione miſericordiæ ſuſceptaque humanitatis aſſumptum eſt.* Ergo, inquies, Ieſus Chriſtus non eſt Dei & hominis nomen? Reſpondeat idem Auguſt. loco ex ſermone Arianorum citato. *Qui erat in forma Dei nondum erat Chriſtus, quod eſſe cœpit quum ſemetipſum exinaniuit. Verum ſi quæramus, Quis eſt ille qui quum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualem Deo? reſpondetur nobis voce Apoſtolica, Chriſtus Ieſus. Ergo & illa Diuinitas huius humanitatis vocem accepit.* Eadem & penè totidem verbis deſcripta inuenies apud Theodoretum in Epitome Diuinorum decretorum, cap. de Seruatoria diſpenſatione. Nec aliter intelligendus eſt eiuſdem locus ex dial. 2, quem tu fœdè in contrariam ſententiam deprauas.

Tertium erratum Vigilii iſte numerat, *Quòd humanam naturam aſſumptam & glorificatam certo loco cæli alliget.* Imò vero Selneccere, magis ac magis calumniæ ſpiritum prodis. Vbi enim peculiare

poſuit tuæ calumniæ Caluinus grauiſſimum Philippi teſtimonium, quod inficiari nō potes, quoniam publicè editum eſt non ſemel, adeò quidem vt hoc exemplum quod ſolo noſtri odio, tibi nunc diſplicet, & libentiſſimè tamen in nobis aſpiceres, dignum eſſe ſcribat quod omnes Chriſtiani Principes imitentur. Tu verò quid ad iſta reſpondes? planè quæ digna ſunt Balduini impudentia. *Non deſunt*, inquis, *teſtes idonei, quàm ille poſtremis vita ſua annis quibus eum vidimus & audiuimus, conquereretur de tua præfracta moroſitate*. Diceres Balduinum fuiſſe aſſiduum Philippi auditorem, qui Balduinus quum fortè Heidelbergæ illuſtriſſimum Electorem falleret, quo tempore Philippus VVormatiæ conuenerat, illum ſemel atque iterum vidit. Hoc prætextu putauit ſibi impunè mentiri licere. Nam quid de nobis ille ad extremum ſenſerit, & literis ac re ipſa teſtari ſit ſolitus, oſtendere quidem poſſumus, Balduine: ſed puderet nos in rebus honeſtis minùs eſſe pudeotes, qoàm tu in turpibus impudens eſſe ſoles. Proferam tamē quiddam quod à me extorques, quoniam vix vllum aliud maioris improbitatis exemplum extat. Quæ fuerit Gallicarum eccleſiarum conditio ſub id tempus quo captum fuit S. Quintini oppidum, tota Europa nouit, & tum ipſos noſtros hoſtes aliqua cœpit noſtri commiſeratio, adeò vt quum maximus eſſet captiuorum numerus, paucorum ſupplicio fuerint contenti. Eo igitur tempore Pariſienſium fratrum precibus & lachrymis commoti, venimus aliquot ab his Eccleſiis miſſi cum literis ad illuſtriſſimos Germaniæ Principes Euangelicos, à quibus petebamus vt pro miſerorum fratrum ſalute, & Eccleſiarū Gallicarum pace apud Henricum regem quorundam crudelitati planè ſeruientem, intercederent. Erat tum VVormatiæ D. Philippus cum præcipuis & doctiſſimis Germaniæ Theologis in illo conuentu qui cum catholicis quos vocant, erat inſtitutus. Illos ergo cōuenimus, à quibus ita certè & auditi & excepti ſumus, vt mihi quidem qui in eo eram numero, perpetuò iucunda ſit futura eius legationis memoria. Neque verò nos iſtius laboris pœnituit, quia ab illuſtriſſimis Principibus pro ſingulari eorum pietate impetrata legatio, id effecit vt noſtri ſaltem fratres reſpirarint. Quid autem Balduinus noſter, qui iam tum apoſtaſiam ſuam meditabatur? Audiamus rogo. *Quid*, inquis, *Philippus reſponderit tuo ſiue legato ſiue Apoſtolo* (is ſum ego Apoſtolus, vnus ex iis qui pro calamitoſiſſimis Eccleſiis quibus iſte iam tum inſultabat, laborabam) *de turbis Gallicis iam tum gliſcentibus agenti* (ſcilicet turbas iam tum mouebamus & poſtea mouimus) *multi qui aderant, ſciunt*. Ergo Balduine, quàm impudenter mentiaris, illi ipſi teſtificentur, qui quàm honorifico teſtimonio nos apud illuſtriſſimos Principes iuuerint, prolatis, quum opus erit, literis oſtendemus, quibus hi omnes ſua manu ſubſcripſerunt, Philippus Melāchthon, Ioannes Brentius, Ioannes Marbachius, Michael Dillerus, Ioannes Piſtorius, Iacobus Andreæ, Georgius Cargius, qui tum ſoli Theologi VVormatiæ, nomine illuſtriſſimorum Euangelicorum Principum conuenerant. Vides igitur tandem quibus teſtibus craſſiſſimum tuum mendacium refellatur? Meminiſti tamen quarundam Philippi ad Caſtellionem literarum, in quibus illum dicis ſententiam iſtius de libero arbitrio & prædeſtinatione probaſſe, & noſtram in illo vexando, vt tu loqueris, intemperiem damnaſſe. Nempe digniſſimus erat Caſtellio qui te patronum inueniret, quāquam ne teipſum quidem exiſtimo perlectam eius ſententiam probaturum. Sed tamen de rebus ipſis, quum voles dicetur. De Philippi verò literis quicquid garris, falſiſſimum eſt, quod nō modò ex omnibus ipſius ſcriptis liquet, ſed etiam ex iis ipſis literis quarum partem in accuſatione tua inſcribere voluiſti. Hoc quidem nō inficiamur, eum, vt ſuum cuique iudicium eſt, aliam de rebus illis dicendi rationē ſequutum eſſe, ſed in rebus ipſis quàm inter illum & nos cōuenerit, vnde tandem meliùs quàm ex ipſius teſtimonio probabitur? Sic ergo ſcribit in iis literis quarum tu ipſe partem citaſti: *Quum autem & honorifico me teſtimonio ornaris, & de tota re non ſolum piè, ſed etiam eloquenter diſſerueris, de vtraque re, videlicet de mea gratitudine, & de ipſa diſputatione coram nos, vt ſoliti ſumus quoties vnà fuimus, prolixè colloqui poſſe optarim. Etſi enim, tantum vel ingenij vel doctrinæ mihi non arrogo quantum tribuis, & nos in primis in Eccleſia agnoſcere noſtram imbecillitatem decet, tamen beneuolentia erga me tua vehementer delector, tibique gratiam habeo quòd in ſcripto luculento* (loquitur autem de Caluini libris de libero arbitrio aduerſus Pighium ſcriptis) *tāquam in illuſtri poſitam loco extare ſignificationem amoris erga me tui voluiſti*. An hæc verba ſunt, Balduine, hominis à Caluino diſſentientis, & de tanto viro ita vt tu facis iudicantis? Sed hîc neceſſe eſt, vt te manifeſtè falſariū eſſe coarguā. Quum enim aliquā huius epiſtolæ partem deſcripſeris, ex qua ſuſpicionē aliquā iniiceres Philippum à Caluino diſſenſiſſe, quæ tua fuit impudentia, de induſtria prætermittere quæ tuam falſitatē penitus & manifeſtiſſimè refellunt? Neque eſt quòd dicas te noluiſſe totam epiſtolā inſerere. Nā id quod dico, & quod mox ſubiiciam, ita inſertum eſt iis ipſis quæ deſcripſiſti, vt in eius omiſſione ſumma tua improbitas & malitia tegi non poſſit. Sic enim ille, cuius αὐτόγραφον ipſe habeo, Balduine, quo tua iſta falſitas ſine vlla exceptione coarguatur, ſcribit poſt verba illa, *aſſentiētem Deus adiuuat qui per verbū eſt efficax*, quæ tu repetiiſti: *Hæc nō ſcribo vt tibi tradam quaſi dictata, homini & erudititſſimo & peritiſſimo exercitiorum pietatis. & quidem* SCIO HAEC CVM TVIS CONGRVERE, *ſed ſunt* πρακτικὰ, *& ad vſum accōmodata*. Et hæc quidē ſunt quæ de induſtria prætermiſiſti. Sequitur deinde quod tu quoque deſcripſiſti, *Hæc Romæ ſcripſi apud Bucerum*. I nunc, Balduine, & quum illa vltrò & de induſtria omiſeris quibus nihil contra tuam accuſationem apertiùs dici potuit, nega ſi poteris, te in manifeſta falſitate & calumnia deprehenſum. Sed aliud teſtimonium profers, ſententiam videlicet Senatus Bernenſis, latam 3. Aprilis, anno 1555. quæ tua illa Caluini axiomata ex ſuis ditionibus faceſſere iuſſit. Audi itaque, Balduine, quum iſtam quam dicis, ſententiam proferes, memineris tres alias adiungere, duas videlicet, quibus exilio mulctantur qui Caluinum auſi fuerant iſtorum

quæ

quæ nunc inculcas, accuſares: tertiam verò qua Lauſanenſi eccleſiæ ſuper illis rebus ſatisfaciunt, vt ad hoc quoque mendacium tuum refellendum melioribus teſtibus non egeamus quàm iis ipſis quibus te ſimulas inniti. Adiicis tamen vt tuam integritatem nobis probes, quoddam Philippi epiſtolium, & Bulingeri noſtri literulas. Atqui optimos illos viros qui te ita ſentire putabant vt tum ſcribebas, minimè miramur fuiſſe à te deceptos, quum eos ipſos quibuſcum quotidie verſabaris, tam turpiter feſelleris. Sed illud etiam nolui præterire, cauſam non eſſe quòd de Philippi teſtimonio glorieris, quem omnes norunt fuiſſe quotidie à tam multis paſſim ad eiuſmodi præbenda teſtimonia ſollicitatum, vt communes etiam eorum formulas illum habere oportuerit. Itaque vis dicam cuiuſmodi ſint illę Philippi literæ, de quibus apud imperitos homines gloriaris? fuerunt certè apud Philippum veluti ſcenicæ veſtes, quas ille quibuſuis hiſtrionibus & agyrtis ſui ſimilibus, commodare ſolebat, vt ſe ab eorum importunitate liberaret. De te verò quid nunc iudicet Bulingerus noſter, tu deinceps, vt ſpero, tibi ſcribendum non putabis. Sed obſecro quis tandem erit conuiciorum finis? Quod in te de priuignis ſumma perfidia ſpoliatis dictum fuit, hoc non contentus inficiari, neſcio quem Caluino exprobras, cum quo affinitatem cõtraxit, & cuius etiam creditoribus eum iubes ſatisfacere. At quo iure hoc decernetur, clariſſime iuriſconſulte? an quòd in ſocietatem prædæ Caluinus venerit? ſcilicet. Nam hoc vociferabuntur illius creditores. Atqui ex iis qui huc venerunt, venerunt autem non pauci, nemo tam impudens fuit qui tam abſurdam calumniam auderet comminiſci. Sed quid, ſi cauſa cognita, compertum eſt eum de quo nunc agis, extra doli culpam eſſe? Verùm quid hæc ad nos? an non in hac ciuitate ius dicitur? an non conſtituti ſunt iudices? Agant iſti ſanè inter ſe. Nunc ſaltem extra ſuſpicionem erit Caluinus, rupto illo affinitatis vinculo. Sed ego planè ſtultus qui tandiu in iſtis hæreo. Itaque ad cætera venio. Doles te impietatis accuſari, ſed vtinam tibi impium eſſe doleret potiùs quàm dici. Redis poſtea ad veteres tuas cantiones, & iſtius belli ciuilis inuidiam in nos deriuas. Caluinus enim, ſi tibi creditur, is eſt qui vnanimes antea fratres, Nauarrenum videlicet & Condenſem armauit. quomodo verò? quum me videlicet veluti vulpem in Galliam immitteret, ardentibus facibus caudæ meæ alligatis, vt quocunque diſcurrerem, incendium excitarem. Mox etiam tibi eſt Tiſiphone, Erinnys, Alecto, Saturninus, Druſus, Sulpitius, Ioannes Antiochenus, Dioſcurus, denique quid non? Sed dic, quæſo Balduine, quum illa conuicia euomeres, an non tua te conſcientia fodiebat, quum eum à quo in meam perſonam iſta tranſtuliſti, quotidie videres ac penè adorares? Negabis, opinor, & quidem ea fide qua vti ſoles: ſed ego veriùs dicam, nos omnibus iſtis tuis conuiciis non magis quàm canum latratibus moueri, quoniam, Dei gratia, & qui ſitis, & qui ſimus omnes norunt. Itaque quò magis mentiendo teipſum fatigabis, eò ſuauiùs in bona conſcientia acquieſcemus. Illud verò quàm lepidum eſt quod recitas de quodam tibi chariſſimo, qui in mediis caſtris de columba illa Nohæ & pace facienda ſit concionatus, quem ego quorundam etiam militum offenſione ſeditioſis meis concionibus interturbarim. Video te, Balduine, neſcio quid ex rumore accepiſſe, ſed quàm turpe eſt affirmare quod tot teſtibus refelletur? Is ipſe quem tu nunc ais, vt audio, tibi vitam debere, & nobis inimicum eſſe fingis, quoties voles, te ſibi vt perditum apoſtatam, inuiſum: nos vnà ſemper coniunctiſſimè toto illo tempore vixiſſe: blanditias quibus nonnulli nos lactabant, mecum cognouiſſe teſtabitur, & me tacente, tuum mendacium refellet. Venio ad Duarenum, de quo ſcripſerat Caluinus id quod res eſt. Quicquid videlicet ille in ſuis neſcio quibus commentariis de Eccleſiæ miniſteriis & beneficiis rectè ſcripſit, ex Inſtitutione ipſius Caluini deſumptum eſſe: te verò quum illi ob aliam cauſam eſſes inimicus, hoc plagium ei exprobraſſe, non vllo religionis ſtudio, ſed vt hominem inter Papiſtas verſantem eorum crudelitati obiiceres. Quid tu ad hæc reſpondes, bone vir? Nos mortuum laudare quem viuẽtem exectabamur, quod noſtrum factum poſtea multis paginis amplificas. Sed vt vno verbo omnia tua maledicta diluam, adeóne ineptus es, vt nos cenſeas integrum librum laudaſſe, quoniam quicquid rectè in eo ſcriptum eſt ex noſtrorum ſcriptis ſumptum eſſe diximus, & tu ita eſſe, aduerſus illũ ſcribens oſtendiſti? Non probauimus igitur librum illum, Balduine, ne neſcias, nec probamus (quis enim ſanus hoc faciat?) ſed tuum conſilium, ſicut par erat, vt crudele & Chriſtiano homine penitus indignum damnauimus, qui (vt inimicum perderes) vel omiſſis vel leniſſimè refutatis illorum commentariorum erroribus, in eo demum capite inſtiteris, in quo, quod ad doctrinam attinet, non reprehenſionem ſed laudem merebatur. Hoc eſt tuum facinus Balduine, de quo te reſpondere oportuit, potiùs quàm de eo dicere quod nobis nunquam in mentem venit. Adde etiam aliud de quo tu videris quomodo ſis reſponſurus. Arguis nos (& quidem falſò) vt parum candidos, quòd quem hominem antea vituperauimus, repentè laudemus. At ego tibi, Balduine, obiicio quod longè eſt vitioſius, & nunquam à te diluetur: Te videlicet eum ipſum hominem in eodem facto improbiſſimè nunc vituperare, quem antea omni laude dignum cenſuiſti. Diximus paulò antè quibus conuitiis Criſpinum noſtrum affeceris, quem per ludibrium ſcribis ex iuriſconſulto librarium eſſe factum. Iam autem audiamus quid tu de eodem Criſpino & eadem re, in eo libello cenſueris quem Chriſtianorum iuriſconſultorum nomine aduerſus Duarenum edidiſti. *Indignè, inquis, ferimus, te Geneuam excurriſſe Duarene, vt, ſi poſſes, Criſpinum tentares. Ille quidem qui in ordine iuriſconſultorum non minus quàm tu ſedere potuiſſet, & aliquando ſederat, ſeſe nunc ad artem typographicam demiſit, vt Eccleſia Chriſti magis prodeſſe poſſet, & verò profuit hactenus, quantum optimis & ſanctiſſimis libris editis prodeſſe licuit.* Quid tu ad hæc, Ecboli? Si te poſtea Criſpinus amare deſiit, quoniam Chriſti Eccleſiam odiſſe cœpiſti, an propterea quod tu ipſe laudabile iudicaſti culpare meritò potuiſti? Itaque quis tandem ita poſthac inſaniet, vt te

amare incipiat, quum res ipſa oſtendat neque te aliter amare quàm adulatores ſolent, neque aliter odiſſe quam ſi nunquam amaſſes? Quid plura? defendendam etiam tibi nunc existimaſti Romanæ eccleſiæ tyrannidem, & crimen illud falſi quo damnatus eſt in Africana ſynodo Romanus pontifex ob ſuppoſititium Nicænum Canonem ita excuſas, vt totam potiùs Africam leuitatis accuſare malis. Ais enim te poſtea comperiſſe hunc canonem fictum non fuiſſe, quamuis non fuerit in Græcis exemplaribus ab Africanis Epiſcopis inuentus. Sed vbi hoc arcanum comperiſti, vir doctiſſime? Athanaſius, inquis, & Ægypti Thebaidos, ac Lybiæ epiſcopi, in ſua ad Felicē pontificem epiſtola affirmant illud de prouocatione, decretū fuiſſe Nicææ. Itáne verò, Balduine, te ineptire, vt illam epiſtolam, ſicut & reliquas ferè omnes, ſuppoſititiam eſſe non animaduerteres? Neque vt id probem, afferam illa in hoc genere peruulgata argumenta, nullam eſſe eius ad Felicem epiſtolæ mentionem in hiſtoria Eccleſiſtica, eámque totam eſſe ex deprauatis ſacræ Scripturæ teſtimoniis conflatam, & impudentiſsimæ adulationis plenam: Bonifacium qui falſi damnatus eſt, ſi quod tale Romæ teſtimonium habuiſſet, fuiſſe ſtatim in Africam miſſurum: fieri non potuiſſe vt ſi quid eiuſmodi ſancitum fuiſſet in ſynodo Nicæna, id Conſtantinopoli non extaret, & ab omnibus Africanis epiſcopis ignoraretur. Hæc, inquam, quæ tamen maximi ſunt pōderis non afferam, ſed dicam quod refellere nullo modo poteris. Felicem ambitioſiſſimum hominem omnes norunt ſub Conſtantio fuiſſe pontificem Romanum factum, Liberio in exilium acto, & eodem reuerſo non diu ſuperuixiſſe, quem etiam pontificalis liber Damaſi papæ narrat à Conſtantio fuiſſe interfectum. Toto autem illo tempore Athanaſium Alexandria exulaſſe nemo ignorat: nec ante Conſtantii mortem à quo reſtitutus, & rurſum eiectus ante Liberii exilium fuerat, reuertiſſe. Illam igitur ſynodum Alexandrinam nemo dubitare poteſt Felice iam mortuo, Iuliani apoſtatæ temporibus coactam, ac te proinde, apoſtata Balduine, non minùs indoctum quàm impudētem eſſe, qui iſtis Romanæ curiæ ſtercoribus, quibus te recèns conſpurcaſti, os nobis ſublini poſſe exiſtimares. Sed quis non miretur ne hoc quidem tantæ negligentiæ turpiſsimum in tam acri reprehenſore exemplum tibi ſufficere potuiſſe, adeò quidem vt teipſum etiam ſuperare volueris? Notū eſt quid in Cæciliani cuiuſdam cauſa acciderit, quæ hiſtoria plurimis locis ab Auguſtino præſertim narratur, & à noſtris citari aduerſus Romani pſeudoepiſcopi tyrannidem ſolet, quoniam in ea extat illuſtre & perſpicuum teſtimonium eius authoritatis, qua tum imperator in Eccleſia Chriſtiana ſine controuerſia pollebat, quæ omnia non poſſumus meliùs vel clarius quàm ex Auguſtino ipſo intelligere. Is ergo tum aliis multis locis, tum verò epiſtola 162. totam illam narrationem cōtexēs, ſic disertè ſcribit, *Deinde diximus eos* (intellige Cæciliani aduerſarios) *petiſſe à Conſtantino tunc Imperatore iudices Epiſcopos, qui de ſuis quæſtionibus quæ in Africa exortæ, vinculum pacis dirimebant, arbitrio medio iudicaret. quod poſteaquam factum eſt, præſente Cæciliano & illis qui aduerſus eum nauigauerant, iudicante Melciade tunc Romanæ vrbis Epiſcopo cum collegis ſuis, quos ad preces Donatiſtarum miſerat imperator, in Cæciliano nihil probari potuiſſe, ac per hoc illum in Epiſcopatu confirmato, Donatū qui aduerſus eum tunc aderat, improbatum. Quibus peractis rebus quum illi omnes in pertinacia ſceleſtiſſimi ſchiſmatis permanerent, pòſt apud Arelatum, memoratum Imperatorem eandem cauſam diligenter examinandam terminandámque curaſſe. Illos verò ab eccleſiaſtico iudicio prouocaſſe vt Conſtātinus audiret, quò poſteaquam ventum eſt, vtraque parte aſſiſtente, innocentem Cæcilianum fuiſſe iudicatum, atque illos receſſiſſe ſuperatos.* Obſecro verò, lector, quum hæc legis, & cum Romana tyrannide cuius fundamenta iam tum iaciebantur, comparas, an non Pontificum audaciam, & Regum ignauiam demiraris? Sed conducticius noſter Romanæ ſedis patronus, quid iſtis opponit? acta Arelatenſis concilii quæ nuper eſt nactus, & Optatum ſuum manuſcriptum, ex quibus appareat Conſtantinum tale prouocationis genus non laudaſſe. Enimuerò quis tantam peruicaciam laudaret? & quis ignorat in cauſæ merè Eccleſiaſticæ cognitione, iure potuiſſe Imperatorem præfractos illos à ſe reiicere, & quod toties iam erat ab Eccleſia iudicatum, vt obtineret curare? Sed hoc quæritur quod nō attingis, Balduine, licueritne Imperatori iudices Epiſcopos dare cum Romano pontifice, atque adeò quod Romæ iudicatum erat ſua authoritate curare apud Arelatenſes retractandum. Hoc, inquam, quæritur, iuréne ſit ab Imperatore tam religioſo factum, approbantibus Epiſcopis, ipſóque adeò Auguſtino ita rem totam narrante, vt ne tenuiſſima quidem ſit ſuſpicio id ei diſplicuiſſe. Quæritur etiam an Melciades habendus ſit pro Apoſtolicæ ſedis proditore, qui ne verbo quidem reſtiterit, nedum vt legatos miſerit à latere, vel Imperatorem diris deuouerit. Tu videris ergo clariſsime iuriſconſulte, quomodo hanc cauſam ſis defenſurus, vel potiùs ſummam tuam tum inſcitiam tum impudentiam excuſaturus. Et hæc quidem de nobis hactenus. Video enim te reliquam tui libelli partem in aliis quibuſdam hominibus exagitandis conſumere, quibus magnam iniuriam à me fieri arbitrarer, niſi quum ipſi & eruditione & iuris cognitione excellant, & optimam cauſam tueantur, totam iſtam controuerſiam quam tecum habent integram eis relinquerem. Sed de his, vos iuriſconſulti inter vos, vt ſpero, facilè tranſigetis. Quòd enim eos, Balduine, à nobis accerſitos putas, vana ſuſpicio eſt, quum ne nunc quidem Contium niſi de nomine nouerimus, alter autem quis ſit ex tuo potiùs reſponſo quàm ex ἀνωνύμῳ epiſtola cœperimus ſuſpicari. Nam hoc teſtari ſanctè poſſumus, non ex Germania vbi tum ille erat, ſed ex ipſa Lutetia illam epiſtolam miſſam fuiſſe, & quidem ignota manu ſcriptam. Sed placuit librario tuo, vno volumine qualemcunque tuarum virtutum deſcriptionem oculis hominum ſubiicere. Ἁμάρτημα χρονικὸν de Sabellii & Arii ætate quod Caluino obiicis, longè eſt tuo illi de quo modò dixi exemplo diſsimile. Neque enim ibi de temporibus quæſtio èſt, ſed de rebus ipſis, id eſt illorum hæreſibus, quas etſi non ex temporum ordine, rectè tamen & diſtinctè ab illo refutari ne tu quidem inficiari potes. Imò etiam

apud

apud Lucam Gamaliel Act.5.v.37, ſimiliter labitur,ſi tuiſ Ioſephi hiſtoriis credimus. Cæterùm alter ille noſter amicus,cui tu olim,id eſt tantiſper dum Argentinæ neſcio cuius ſceleris te coniunceret, nihil non tribuebas,nunc autem omnia detrahis, quis ſit, & quum forte calamum arripuit, quid præſtare poſſit non ignoras. Itaque magnum tibi certamen ſupereſſe video. Nam quæ tibi obierit magnam inſcitiam arguunt,quæ tamen (vt aiunt) refellere nó poſsis.Illa verò quæ regeris cuiuſmodi ſunt quæſo? Latinè ſcilicet neſcit, vt eum oportuerit ad Latinam epiſtolam ſcribendam alterius operam requirere.Crimen autem ἀθεότητος, etſi omnium eſt grauiſſimum, ille tamen, vt opinor,ne reſponſo quidem dignum putabit. Quid enim hoc aliud eſt quàm latrare?Sed te video nonnulla præterea de ſacris myſteriis aſpergere,quæ cuiuſmodi tandem ſint agè expendamus. Dicis te eorum ſequi ſententiam,qui tale tantùmque myſterium exinaniri non patiuntur, & magni facere perpetuam veteris Eccleſiæ ſententiam. Tuum hoc ænigma,Balduine,non difficile eſt explicatu. Audiui enim ego ipſe hæc eadem à tuo illo Cardinali,quum nos in colloquio Puſſiaceno eluderet.nec dubito quin poſtea apud illuſtriſſimum Ducem VVitembergenſem,tuis conſiliis abundè inſtructus,longè maiore ornatu hanc fabulam egerit inſtituerit,in cuius δράματι miſera Gallia,atque adeò totus orbis nunc verſatur.Sed mihi crede,Balduine,iam ſatis ſupérque veſtræ fraudes patent. Vetus & rancida illa calumnia, qua ferebatur nos docere Cœnam Domini nihil aliud eſſe quàm μνημόσυνον quoddam mortis Domini,iam olim apud omnes ſanos & pios homines euanuit. Neque enim veram veri corporis & ſanguinis κοινωνίας negauimus,neque negamus,cuius præcipuè cauſa ſunt αὐτόπτας inſtituta. Tantùm ſupereſt controuerſia,vtrùm cum pane reipſa in terris coniunctum Chriſti corpus,an verò in cælis quidem abſens,ſed fidei tamen præſentiſſimum, verè nihilominus per Spiritus ſancti virtutem credentibus communicetur. Quid tu igitur,Balduine,de exinanitione garris? an enim Baptiſmum inanem eſſe dices in quo ne tui quidem catholici Cyclopes inter quos nunc verſaris,realem ſanguinis præſentiam requirunt? Et quæ iſta eſt impudentia? Si placet Heshuſiana illa & VVeſphalina manducatio quam diſertè Philippus ipſe paulò ante mortem redarguit,& noſtram improbas,cur ad Tranſſubſtantiatores tranſiuiſti? cur ab illis pendes?cur eorum ſacra participas? Noſti enim quid dicat Paulus,menſæ dæmoniorum cum menſa Domini nihil eſſe commune. Imò an tibi eſſe in Tridentino conciliabulo,an tibi Papiſticis bullis munito in patriam regredi, & alterius Cardinalis conſiliis aduerſum nos intereſſe nunc liceret, niſi confeſſioni etiam Auguſtanæ renuntiaſſes? Sed tuæ nimirum manifeſtiſſimæ apoſtaſiæ maculam putaſti apud illos quos ſoles ſtolidos Germanos vocare,tribus verbis elui poſſe.& quũ vtroſque in ſinu pariter rideas, vis tamen videri alteris fauere,vt ex mutuis noſtris vulneribus ſecurus voluptatem capias. Sed dabit nobis,vt ſpero,Dominus,quem quibuſcunque modis poteſtis conſenſum impeditis, nec etiam efficere poterit Satan hoc qualicunque quod ſupereſt diſſidio, quin alij alios pro fratribus habeamus.& veſtra portentoſa mendacia coniunctis animis fortiter oppugnare pergamus. Sed de his vt video multò plura quàm velis. Dicis enim te nolle de myſteriis diſputare,quoniam lex prohibet,ex quo videlicet ad eos tranſiuiſti qui Chriſtianam religionem in ἀθεΐαν,vt illa Cereris myſteria tráſformarunt. Verùm quid hæc ad miſerum illum Zebedæum, cuius etiam nomen dignum putaſti quod libello tuo inſcriberes? Noſtram quidem vitam illi quem vix vnquam aſpeximus,neſcimus cur deſcribendam relinquas. Sed ſuſpicamur,multò te illi gratiùs facturum,ſi propter detecta tandem flagitia ſua nunc egenti & erranti,vnde ſuam ipſius vitam tueatur potiùs ſubminiſtres,quàm alienam perſequi iubeas. Et te certè hominem tam liberalem quàm te eſſe dicis,quíque noſtrorum ſyngraphis & chirographis te onuſtum eſſe narras,hoc officium in miſerum hominem & quidem conterraneũ tuum,in primis decet. Sed qui te norunt,iurant te eſſe ex iſtorum cauſidicorum genere qui μίσθον, μισθὸν, ἢ ἐπὶ μισθὸν,neſcio an contra legum veſtrarum formulam,accipere conſueuerunt:& ex quatuor illis veſtris cótractibus innominatis illum vnum FACIO VT DES maximè probant. Imò non deſunt adhuc in hac vrbe qui te inſalutato hoſpite diſceſſiſſe conquerantur,nedum vt de tuo ſubleues aliorum egeſtatem. Negas te vnquam Argentorato iuiſſe Geneuam,quam tu Metropolitanam ſynagogam vocas, & quoniam hoc de te ſcriptum eſt in ea epiſtola quam amico illi noſtro,& tuo, vt ſcis, præceptori, tribuis, idcirco nos nebulones,vertiginoſos,impoſtores,præſtigiatores, cæcos duces, vafros ἀγύρτας vocas, atque adeò velut ἐξεπίτηδες,Deum & Chriſtum noſtrarum præſtigiarum vltorem appellas. Digna res profectò cur cælum terræ commiſceatur, & actum eſt de republica Chriſtiana, quoniam aliquis auſus eſt Balduinum ſcribere Argentorato Geneuam iuiſſe,quum tamẽ Geneua Argentoratum ierit. Nec te tui pudet,hiſtrio? Sed noui cur tantopere te offendat auditum Argentorati nomen. Meminiſti te illic ſolenni & publica profeſſione & quidem ambitioſiſſimè,in totius Eccleſiæ cœtu omnes illas impietates & blaſphemias,ad quas nunc miſer vltro reuerſus es,eiuraſſe. Huius facti recordationem quam tu nullam eſſe velles,cum ſummo conſcientiæ tuæ cruciatu, illius itineris narratio renouauit. Hinc illi clamores,hinc illæ lacrymæ. Verùm quid facias? vtinam tibi mederi poſſemus. tu teipſum præcipitem dediſti,& manet alta mente repoſtum,quod nunquam euelles, *Vtinam*, inquis, *Rhenum priùs quàm Lemanum lacum ſalutaſſem.* Sed quid ſi Rhenus & Necarus tibi reſpondeant,vt ſanè faciunt, Vtinam tu perpetuò potiùs apud Scaldin manſiſſes? Denique ardelio, quoniam Sturmiani ſtyli toties mentionem iniicis, vt noris quàm illi gratum hac in re facias,integram ipſius ad Caluinum epiſtolam hac de re ſcriptam ſubiiciam.

MAXIMO THEOLOGO ET OPTIMO VIRO, D. Ioanni Caluino, amico veteri & obſeruando.

VEhementer doleo, mi Caluine, Balduinum verbis abuti cuiuſdam epiſtolæ meæ contra tuam & noſtri Bezæ exiſtimationem. Memini quidem me itatum ſcribere acerbiorem epiſtolam ad quendam olim nobis cõmunem amicum, vt eum in fidei & amicitiæ viam reuocarem. Sed Deum teſtor me nihil vnquam ſcripſiſſe quod tibi & Bezæ non ſit honorificum. Quid de te ſentiam meminerunt veteres amici, ſciunt noui. Bezam propter conuerſionem noui Teſtamenti & illos commentarios, etiam antequam noſſem amare cœperam. Velim Balduinum in hanc arenam non deſcendiſſe, præſertim in hac cauſa religionis aduerſus te athletam Domini, nondum fixis armis neque vllius opis indigum, quum à te tam multa beneficia, vt audio ex aliis, acceperit. Miſeram conditionem eruditorum & piorum hominum quibus doctis & bonis eſſe non licet, niſi exerceantur inimicitiis. Cogitare debes me iſta ex animo & cum dolore ſcribere, cuius rei tibi ſit indicium quod ad poſtremam tuam epiſtolam Calendis Auguſti ſcriptam non reſpondeam, quum tamen plena ſit beneuolentiæ & argumenti non parui. Audio quendam alium diuulgatum librum ἀνώνυμον, in quo Amboſiani temporis autor meminit, & meum teſtimonium vobis minatur. At ego rurſus Deum teſtor me nihil vnquam cuiquam ſcripſiſſe aut ſcribendum curaſſe, quod ad infelicia illa conſilia prodenda vel indicanda pertineret. Scio vos in concionibus veſtris & certo animi iudicio nunquam iſta probaſſe, & illius temporis conſilia vos cœlata fuiſſe de induſtria. Scribam ad Balduinum, & hominem admonebo officij. Video enim non ſine probro in iſtis famoſis libellis meum nomen aſpergi. Argentorati, 29 Auguſti, 1562. Ioannes Sturmius tuus.

Hæc ille, Balduine, de nobis & verè amicè, vt cauſam nullam eſſe intelligas cur eum iſtis controuerſiis inuoluas. Sed iam plus ſatis tecum ſum nugatus. Itaque tandem aliquando finem facio, téque pro mutua noſtra amicitia adhortor, vt quum multa ſint alia in quibus maiore cum lucro poſſis te exercere, & periculum ſit ne ſi ad Theologiam relicta iuriſprudentia tranſeas, magnum damnum accipiat Flandrenſis reſpublica, cui te nunc recèns accepi operam tuam locaſſe, malis Spartam tuam exornare quàm cum hominibus tam rixoſis, atque adeò tam ſeditioſis fruſtrà contendere. Quòd ſi fortè tui illi triduani, vt tu ipſe vocas, Theologi, quos etiam irridens, Tertullianos, Minutios, Ambroſios, Nectarios, Chryſoſtomos appellas, tuis clamoribus excitati, relicto foro, tuam cauſam agere voluerint, nobis ſcilicet, vt video vadimonium deſerendum erit. Sed longè meliora libet ominari. Sũt enim ſcio, & in illo Senatu, & in omnibus ordinibus homines, ad quos iniquiſſima illa facta non pertinent, nec ſemper maior pars meliorem vincet. Imò dabit etiam, vt ſpero, Dominus vt qui in nos ferociſſimi fuerunt, corda illa, Deo volente, deponant, & eos meliùs cognitos complectantur, quos incognitos ſunt perſequuti. Conſtituta lex eſt ἀμνηστίας, quam ego inuiolabiliter obſeruandam cõfido. Iam obliti ſunt noſtri maximam acceptarum iniuriarum partem, & cæteras, vt ſperamus, obliuiſcentur, nec alij cuiquam potiùs quàm ſuis peccatis omnia illa mala imputabunt. Idem etiam vt alij faciant, omnibus votis à Deo contendimus, &, vt ſpero, obtinebimus. Nec ego ſi quæ ſuperioris belli incommoda in hac reſponſione coactus commemoraui, idcirco id feci vt nondum obductas cicatrices renouarem, ſed vt bonorum innocentiam aduerſus importuniſſimi apoſtatæ diuulgata conuicia defenderem. Nam quod ad iſtud deſperatorum hominum genus attinet, conſilium Prophetæ vt omnium optimum ſequamur oportet, qui de iſtiuſmodi monſtris coram Deo expoſtulans, An non, inquit, oſores tuos odio habebo, & cum inſurgentibus contra te litigabo? ſummo odio illos odi, & pro meis hoſtibus habeo. Et alibi, Effunde, inquit, ſuper eos iram tuam, quia quem percuſſiſti perſequuti ſunt, & cornm quos vulneraſti doloribus dolores addiderunt.

AD NICOLAVM SELNECCERVM THEODORI BEZÆ RESPONSIO, PRIMA.

QVVM per ſe graue eſt ſemper falſi crimen, tum verò longè grauiſſimum quum de corruptis ſacri fœderis tabulis agitur: quod ſcelus quum immerēti mihi, & quidem ſcriptis accuſatoriis libellis, impingant Nicolaus Selneccerus & Ienenſes theologi, cogit me res ipſa ſilentiũ in quo iam annos aliquot perſeueraui, abrumpere. Neque id tamen facio, (ita me bene Deus amet) vel vt frigidam ſuffundam renaſcentibus

bus incendiis, quæ vtinam vel meo ipſius ſanguine reſtingui poſſent, vel vt iis ſuccenturiem qui in cauſa iuſtiſſima patrocinio meo minimè indigent: verùm quòd eò me adigant iſtorum calumniæ, vt aut mihi diluenda ſit iſta criminatio, aut prorſus deſerenda veritatis defenſio. Attingam igitur illa tantùm quæ ad me propriè ſpectant, & ita quidem vt conuitia & maledicta libens prætermittam quibus illi viuos & mortuos ſuo more conſcindunt. Ignoſcat hoc illis Dominus, faxitque vt ſeſe ipſi, & nos meliùs norint.

Summa accuſationis hæc eſt: Lucæ verba, Act. cap. 3. 21. *ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι*, Latinè ſum interpretatus, *Quem oportet cælo capi*: quam interpretationem iſti falſam & impiam eſſe vociferantur. De impietate poſtea viderimus. De falſitate priore loco reſpondebo.

De iſtis vocibus *ὃν δεῖ*, *Quem oportet*, controuerſia nulla eſt. Imò, quamuis Cæli nomine mei accuſatores aliud intelligant quàm ego, tamen illi Græco vocabulo non inficiantur reſpondere Cæli nomen. Sed & illud mihi videntur concedere, verbum *δέξασθαι* rectè pro *δέχεσθαι* exponi, quum ſic etiam vertat Lutherus. Duo igitur reprehendunt: vnum, quod *δέξασθαι* verterim *Capiendi* verbo: alterum, quòd paſſiuè interpretatus quæ Lucas actiuè ſcripſit, pro *Cælum accipere*, ſcripſerim, *Cælo capi*. Hoc autem vtrunque quanti ſit momenti, agè ſigillatim expendamus.

Dico ergo, verbum *δέξασθαι* eo differre à *λαμβάνειν*, ſi propria vtriuſque verbi vis ſpectetur, quòd illud demum de iis dicatur quæ aliunde illata vel oblata quiſpiam recipiat. Hoc ſcio mihi conceſſuros quicunque Græcas literas vel à limine ſalutarunt, vt nulla hîc à me probatio meritò requiratur, ac minimè dubium ſit quin τὸ *δέχεσθαι* Græcis prorſus illud declaret, quod Hebræis קבל ſicut verterunt interpretes Græci 1. Paralipomenon capite 12. 18, & 2. Paralipomenon cap. 29. 21, & Eſdræ capite octauo, verſu 29. & alibi paſsim. Quid plura? Syrus ille interpres, quo nullum neque vetuſtiorem neque certiorem nobis quærendum arbitror, hunc ipſum locum de quo agimus ſic vertit, דלחולא לשמיא ניקבלוהי,

Itaque reſpondet τὸ *δέχεσθαι* Latino verbo Recipere quo vſus eſt vetus Latinus noſter interpres, pro quo minùs perſpicuum eſt verbum Accipere, verbo Hebræo לקח, & Græco *λαμβάνειν* ex aduerſo reſpondens, quo tamen vti maluit Eraſmus, quamuis Accipere etiam pro Recipere Latini vſurpent, vt quum Accipere literas, & Hoſpitem domo accipere dicunt.

At contrà *δέχεσθαι* pro *λαμβάνειν*, Recipere pro Accipere poſitum nuſquam inuenio.

Sed quorſum hæc? Cedò enim, dicent mei accuſatores, cur non igitur vertiſti *Cælum recipere*? & quis noſtrûm (inquient) negat Chriſtum à Patre hanc de qua diſceptamus gloriam recepiſſe? Audiant ergo quid reſpondeam, & quid illos in meis annotationibus obſeruare oportuerit priuſquã tranſlationem meam adeò impotenter reprehenderent.

Agè ponamus quod iſti volunt, nempe, *Accipere cælum* idem valere atque *Accipere gloriam Patris*. Quum tamen eo tempore quo Petrus hæc loquebatur, imò, ſi Brentianis deliriis credimus, ab ipſo hypoſtaticæ vnionis momento iam in iſtud cælum euectus eſſet Filius hominis, quis non videt vel dicendum non fuiſſe *δεῖ*, *Oportet*, ſed *ἔδει*, *Oportuit*: vel pro *Accipere* vertendum fuiſſe, *Accepiſſe*? Eſſet enim certè inepta hæc Petri oratio, *Oportet vt Chriſtus accipiat cælum*, quum iam illud accepiſſet: iſta autem oratio fuiſſet veritati conſentanea, *Oportet vt Chriſtus acceperit cælum*. Et tamen nemo eſt iſtorum qui aliter ſit interpretatus, ne Lutherus quidem ipſe, quàm *Quem oportet cælum accipere*.

Deinde ſiue dicatur Chriſtus accipere cælum, vt iſti volunt, ſiue dicatur cælum accipere Chriſtum, quum iſta acceptio ſiue receptio ſit quiddam præteriens (aliud enim eſt accipere aliquid quã eo frui quod acceperis) quis nõ videt ineptiſsimè cohærere quod ſubiicitur apud Lucam, *ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων*, vſque ad tempora reſtitutionis omnium? Nam ita certè ſignificaretur tum demum iſti acceptioni locum fore quum reſtituta fuerint omnia, ac proinde nondum ſedere Chriſtum ad dextram Patris, ſed hoc adhuc agere vt ſedeat, vt tum demum dicendus ſit cælum accepiſſe, id eſt ad dextram Patris ſedere, quum reſtituta fuerint omnia.

Quòd ſi etiam conuertas *δέξασθαι*, *Accepiſſe* vel *Recepiſſe*, abſque vlla videlicet temporis enallage, rurſum illud *ἄχρι*, quo ſignificatur certa quæpiã meta, minimè conueniet, niſi ſtatuere velimus Chriſtum in ſuo illo altero aduentu quẽ hîc notari certum eſt, gloriam illam ſuam depoſiturum. Atqui potiùs tum demum eſt venturus in plena maieſtatis ſuæ gloria, ſicut poſt ipſum Chriſtum teſtatur Apoſtolus, ideo etiam plerunque alterum eius aduentũ illuſtri *παρουσίας* nomine declarãs.

Nec obſtat nobis illud, quòd particula Donec vel Vſque, interdum ea quæ præcedunt non terminet, vt quum dicitur Ioſeph non cognouiſſe Mariam donec peperiſſet, & Chriſtus nobiſcum fu turus ad conſummationem vſque ſeculi. Nam res ipſa clamat de ſecundo aduentu loqui Petrum, quo futurum dicit vt illa Chriſti carnis in cælis commoratio non quidem finiatur, ſed tamen intercumpatur Chriſto videlicet tum demum è cælis deſcenſuro, ſicuti Petrus vnà cum diſcipulis ex ipſis Angelis intellexerat.

Ex his autem efficitur neque *Accipiendi* neque *Recipiendi* verbum huic loco ſatis conuenire, ſiue *Accipere* aut *Recipere*, ſiue *Accepiſſe* aut *Recepiſſe* conuertas: nec ſatis rectè D. Lutherũ (quod tanti viri pace dixerim) pro *δέχεσθαι* ſcripſiſſe *Einnemen*, id eſt *λαμβάνειν*, pro quo audio Germanos potiùs dicere *Empfangen*.

Itaque vtroque illo repudiato, vſurpaui Latinum *Capiendi* verbum, quod reſpondet verbo Hebræo כול, & Græcis verbis *χωρεῖν* & *δέχεσθαι*, pro continere ſiue comprehendere, diciturque de ſpatii ſiue loci menſura, ex more Hebræorum videlicet, quibus eſt familiare ex antecedente intelligere conſequens, quod tum hoc loco de quo nunc quærimus, tum alibi ſæpe in meis noui Teſtamenti annotationibus obſeruaui.

MAXIMO THEOLOGO ET OPTIMO VIRO, D. Ioanni Caluino, amico veteri & obſeruando.

VEhementer doleo, mi Caluine, Balduinum verbis abuti cuiuſdam epiſtolæ meæ contra tuam & noſtri Bezæ exiſtimationem. Memini quidem me iratum ſcribere acerbiorem epiſtolam ad quendam olim nobis cõmunem amicum, vt eum in fidei & amicitiæ viam reuocarem. Sed Deum teſtor me nihil vnquam ſcripſiſſe quod tibi & Bezæ non ſit honorificum. Quid de te ſentiam meminerunt veteres amici, ſciunt noui. Bezam propter conuerſionem noui Teſtamenti & illos commentarios, etiam antequam noſſem amare cœperam. Velim Balduinum in hanc arenam non deſcendiſſe, præſertim in hac cauſa religionis aduerſus te athletam Domini, nondum fixis armis neque vllius opis indigum, quum à te tam multa beneficia, vt audio ex aliis, acceperit. Miſeram conditionem eruditorum & piorum hominum quibus doctis & bonis eſſe non licet, niſi exerceantur inimicitiis. Cogitare debes me iſta ex animo & cum dolore ſcribere, cuius rei tibi ſit indicium quod ad poſtremam tuam epiſtolam Calendis Auguſti ſcriptam non reſpondeam, quum tamen plena ſit beneuolentiæ & argumenti non parui. Audio quendam alium diuulgatum librum ἀνώνυμον, in quo Amboſiani temporis autor meminit, & meum teſtimonium vobis minatur. At ego rurſus Deum teſtor me nihil vnquam cuiquam ſcripſiſſe aut ſcribendum curaſſe, quod ad infelicia illa conſilia prodenda vel indicanda pertineret. Scio vos in concionibus veſtris & certo animi iudicio nunquam iſta probaſſe, & illius temporis conſilia vos cælata fuiſſe de induſtria. Scribam ad Balduinum, & hominem admonebo officij. Video enim non ſine probro in iſtis famoſis libellis meum nomen aſpergi. Argentorati, 29 Auguſti, 1562. Ioannes Sturmius tuus.

Hæc ille, Balduine, de nobis & verè amicè, vt cauſam nullam eſſe intelligas cur eum iſtis controuerſiis inuoluas. Sed iam plus ſatis tecum ſum nugatus. Itaque tandem aliquando finem facio, téque pro mutua noſtra amicitia adhortor, vt quum multa ſint alia in quibus maiore cum lucro poſſis te exercere, & periculum ſit ne ſi ad Theologiam relicta iuriſprudentia transſeas, magnum damnum accipiat Flandrienſis reſpublica, cui te nunc recèns accepi operam tuam locaſſe, malis Spartam tuam exornare quàm cum hominibus tam rixoſis, atque adeò tam ſeditioſis fruſtrà contendere. Quòd ſi fortè tui illi triduani, vt tu ipſe vocas, Theologi, quos etiam irridens, Tertullianos, Minutios, Ambroſios, Nectarios, Chryſoſtomos appellas, tuis clamoribus excitati, relicto foro, tuam cauſam agere voluerint, nobis ſcilicet, vt video vadimonium deſerendum erit. Sed longè meliora libet ominari. Sũt enim ſcio, & in illo Senatu, & in omnibus ordinibus homines, ad quos iniquiſſima illa facta non pertinent, nec ſemper maior pars meliorem vincet. Imò dabit etiam, vt ſpero, Dominus vt qui in nos ferociſſimi fuerunt, corda illa, Deo volente, deponant, & eos meliùs cognitos complectantur, quos incognitos ſunt perſequuti. Conſtituta lex eſt ἀμνηστίας, quam ego inuiolabiliter obſeruandam cõfido. Iam obliti ſunt noſtri maximam acceptarum iniuriarum partem, & cæteras, vt ſperamus, obliuiſcentur, nec alij cuiquam potiùs quàm ſuis peccatis omnia illa mala imputabunt. Idem etiam vt alij faciant, omnibus votis à Deo contendimus, &, vt ſpero, obtinebimus. Nec ego ſi quæ ſuperioris belli incommoda in hac reſponſione coactus commemoraui, idcirco id feci vt nondum obductas cicatrices renouarem, ſed vt bonorum innocentiam aduerſus importuniſſimi apoſtatæ diuulgata conuicia defenderem. Nam quod ad iſtud deſperatorum hominum genus attinet, conſilium Prophetæ vt omnium optimum ſequamur oportet, qui de iſtiuſmodi monſtris coram Deo expoſtulans, An non, inquit, oſores tuos odio habebo, & cum inſurgentibus contra te litigabo? ſummo odio illos odi, & pro meis hoſtibus habeo. Et alibi, Effunde, inquit, ſuper eos iram tuam, quia quem percuſſiſti perſequuti ſunt, & eorum quos vulneraſti doloribus dolores addiderunt.

AD NICOLAVM SELNECCERVM THEODORI BEZÆ RESPONSIO, PRIMA.

QVVM per ſe graue eſt ſemper falſi crimen, tum verò longè grauiſſimum quum de corruptis ſacri fœderis tabulis agitur: quod ſcelus quum immerẽti mihi, & quidem ſcriptis accuſatoriis libellis, impingant Nicolaus Selneccerus & Ienenſes theologi, cogit me res ipſa ſilentiũ in quo iam annos aliquot perſeueraui, abrumpere. Neque id tamen facio, (ita me bene Deus amet) vel vt frigidam ſuffundam renaſcenti-

bus

bus incendiis, quæ vtinam vel meo ipſius ſanguine reſtingui poſſent, vel vt iis ſuccenturiem qui in cauſa iuſtiſſima patrocinio meo minimè indigent: verùm quòd eò me adigant iſtorum calumniæ, vt aut mihi diluenda ſit iſta criminatio, aut prorſus deſerenda veritatis defenſio. Attingam igitur illa tantùm quæ ad me propriè ſpectant, & ita quidem vt conuitia & maledicta libens prætermittam quibus illi viuos & mortuos ſuo more conſcindunt. Ignoſcat hoc illis Dominus, faxitque vt ſeſe ipſi, & nos meliùs norint.

Summa accuſationis hæc eſt: Lucæ verba, Act. cap. 3. 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, Latinè ſum interpretatus, *Quem oportet cælo capi*: quam interpretationem iſti falſam & impiam eſſe vociferantur. De impietate poſtea viderimus. De falſitate priore loco reſpondebo.

De iſtis vocibus ὃν δεῖ, *Quem oportet*, controuerſia nulla eſt. Imò, quanuis Cæli nomine mei accuſatores aliud intelligant quàm ego, tamen illi Græco vocabulo non inficiantur reſpondere Cæli nomen. Sed & illud mihi videntur concedere, verbum δέξασθαι rectè pro δέχεσθαι exponi, quum ſic etiam vertat Lutherus. Duo igitur reprehendunt: vnum, quod δέξασθαι verterim *Capiendi* verbo: alterum, quòd paſſiuè interpretatus quæ Lucas actiuè ſcripſit, pro *Cælum accipere*, ſcripſerim, *Cælo capi*. Hoc autem vtrunque quanti ſit momenti, agè ſigillatim expendamus.

Dico ergo, verbum δέξασθαι eo differre à λαμβάνειν, ſi propria vtriuſque verbi vis ſpectetur, quòd illud demum de iis dicatur quæ aliunde illata vel oblata quiſpiam recipiat. Hoc ſcio mihi conceſſuros quicunque Græcas literas vel à limine ſalutarunt, vt nulla hîc à me probatio meritò requiratur, ac minimè dubium ſit quin τὸ δέχεσθαι Græcis prorſus illud declaret, quod Hebræis קבל ſicut verterunt interpretes Græci 1. Paralipomenon capite 12. 18, & 2. Paralipomenon cap. 29. 21, & Eſdræ capite octauo, verſu 29. & alibi paſſim. Quid plura? Syrus ille interpres, quo nullum neque vetuſtiorem neque certiorem nobis quærendum arbitror, hunc ipſum locum de quo agimus ſic vertit, דלה ולא לשמיא ד־יקבלון.

Itaque reſpondet τὸ δέχεσθαι Latino verbo Recipere quo vſus eſt verus Latinus noſter interpres, pro quo minùs perſpicuum eſt verbum Accipere, verbo Hebræo לקח, & Græco λαμβάνειν ex aduerſo reſpondens, quo tamen vti maluit Eraſmus, quanuis Accipere etiam pro Recipere Latini vſurpent, vt quum Accipere literas, & Hoſpitem domo accipere dicunt.

At contrà δέχεσθαι pro λαμβάνειν, Recipere pro Accipere poſitum nuſquam inuenio.

Sed quorſum hæc? Cedò enim, dicent mei accuſatores, cur non igitur vertiſti *Cælum recipere*? & quis noſtrûm (inquient) negat Christum à Patre hanc de qua diſceptamus gloriam recepiſſe? Audiant ergo quid reſpondeam, & quid illos in meis annotationibus obſeruare oportuerit priuſquã tranſlationem meam adeò impotenter reprehenderent.

Agè ponamus quod iſti volunt, nempe, *Accipere cælum* idem valere atque *Accipere gloriam Patris*. Quum tamen eo tempore quo Petrus hæc loquebatur, imò, ſi Brentianis deliriis credimus, ab ipſo hypoſtaticæ vnionis momento iam in iſtud cælum euectus eſſet Filius hominis, quis non videt vel dicendum non fuiſſe δεῖ *Oportet*, ſed ἔδει, *Oportuit*: vel pro *Accipere* vertendum fuiſſe, *Accepiſſe*? Eſſet enim certè inepta hæc Petri oratio, *Oportet vt Christus accipiat cælum*, quum iam illud accepiſſet: iſta autem oratio fuiſſet veritati conſentanea, *Oportet vt Christus acceperit cælum*. Et tamen nemo eſt iſtorum qui aliter ſit interpretatus, ne Lutherus quidem ipſe, quàm *Quem oportet cælum accipere*.

Deinde ſiue dicatur Christus accipere cælum, vt iſti volunt, ſiue dicatur cælum accipere Christum, quum iſta acceptio ſiue receptio ſit quiddam præteriens (aliud enim eſt accipere aliquid quã eo frui quod acceperis) quis nõ videt ineptiſsimè cohærere quod ſubiicitur apud Lucam, ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, vſque ad tempora reſtitutionis omnium? Nam ita certè ſignificaretur tum demum iſti acceptioni locum fore quum reſtituta fuerint omnia, ac proinde nondum ſedere Chriſtum ad dextram Patris, ſed hoc adhuc agere vt ſedeat, vt tum demum dicendus ſit cælum accepiſſe, id eſt ad dextram Patris ſedere, quum reſtituta fuerint omnia.

Quòd ſi etiam conuertas δέξασθαι, *Accepiſſe* vel *Recepiſſe*, abſque vlla videlicet temporis enallage, rurſum illud ἄχρι, quo ſignificatur certa quæpiã meta, minimè conueniet, niſi ſtatuere velimus Chriſtum in ſuo illo altero aduentu quẽ hîc notari certum eſt, gloriam illam ſuam depoſiturum. Atqui potiùs tum demum eſt venturus in plena maieſtatis ſuæ gloria, ſicut poſt ipſum Chriſtum teſtatur Apoſtolus, ideo etiam plerunque alterum eius aduentũ illuſtri ἐπιφανείας nomine declarãs.

Nec obſtat nobis illud, quòd particula Donec vel Vſque, interdum ea quæ præcedunt non terminet, vt quum dicitur Ioſeph non cognouiſſe Mariam donec peperiſſet, & Christus nobiſcum futurus ad conſummationem vſque ſeculi. Nam res ipſa clamat de ſecundo aduentu loqui Petrum, quo futurum dicit vt illa Chriſti carnis in cælis commoratio non quidem finiatur, ſed tamen interrumpatur Chriſto videlicet tum demum è cælis deſcenſuro, ſicuti Petrus vnà cum diſcipulis ex ipſis Angelis intellexerat.

Ex his autem efficitur neque *Accipiendi* neque *Recipiendi* verbum huic loco ſatis conuenire, ſiue *Accipere* aut *Recipere*, ſiue *Accepiſſe* aut *Recepiſſe* conuertas: nec ſatis rectè D. Lutherũ (quod tanti viri pace dixerim) pro δέξασθαι ſcripſiſſe *Einnemen*, id eſt λαμβάνειν, pro quo audio Germanos potiùs dicere *Entpfangen*.

Itaque vtroque illo repudiato, vſurpaui Latinum *Capien*[illegible]d reſpondet verbo Hebræo כול. & Græcis verbis χωρεῖν & δέξασθαι, pro continere [illegible]re, dicitúrque de ſpatii ſiue loci menſura, ex more Hebræorum videlicet, qu[illegible] antecedente intelligere conſequens, quod tum hoc loco de quo nunc quæ[illegible] in meis noui Teſtamenti annotationibus obſeruaui.

Quoniam enim quod certo ſpatio comprehenditur ſiue continetur, priùs in id recipi & admitti oportet, ideo Hebræi הכיל & קבל & כול promiſcuè vſurpant: Græci verò δέχεσθαι & χωρεῖν. Latini *Capere & Continere*, ſiue *Certo loco & ſpatio comprehendere*, 2. Paralipomenon quarto 5. אלפים יכיל מחזיק בתים שלשת, pro quo Græcus interpres χωροῦσα μετρητὰς τρισχιλίους. Ioſephus autē lib. 8. Antiquit. ca. 2, ἐδέχετο δὲ λουτῆρα ἐκάστης τεσσαράκοντα χόας. Idem Ioſephus etiam de nummi æſtimatione loquens, Antiquit. libro 3, cap. 9, ὁ δὲ σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὢν Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. Quin etiam Græcus interpres Ieremiæ 2, 13. יכלו vertit συνέχειν, id eſt ad verbum, *Continere*: pro quo fortaſſe vſitatiùs poſuit τὸ χωρεῖν vel τὸ κατέχειν vſurpare. Plato De legibus libro 12, vbi de ſepulchris extruendis agit, λίθον δὲ ἐπιστάναι μὴ μείζω τοῦτον ὃ ἂν δέχηται τὰ τοῦ τετελευτηκότος ἐγκώμια: id eſt Cicerone interprete, Nec è lapide excitari plus nec imponi quàm quod capiat laudem mortui inciſam. Idem Cicero, Illi eam gloriam conſecuti quæ vix cælo capi poſſe videatur. Heſych. in κώθων, δέχεται κώθων χοῦ πρὸς ἐγγύς δύο. Plinius, capit congium aquæ.

Ex his omnibus hoc vnum effectum volo, falſam nō eſſe meam interpretationem verbi δέχεσθαι, ſiue vis ipſa verbi, ſiue Hebraicæ, vel Græcæ, Latinæ denique linguæ vſus ſpectetur, ac etiam à me fuiſſe meritò mutatas aliorum interpretationes, niſi fortaſſe probarint iſti vel non rectè me pro actiuo paſſiuum vſurpaſſe, vel etiam ſi verba Græca interpretationem meam admittant, naſci tamē inde ſententiam à Petri inſtituto, adeóque veritate ipſa diſſidentem, de quo poſtremo dicam in altero defenſionis meæ capite, quum videlicet de ipſa huius loci explicatione, ſiue περὶ διανοίας diſſeram. Dicamus ergo cur verterim, *Quem oportet cælo capi*, potiùs quàm αὐτολεξεί, *Quem oportet cælum capere*, ac primùm quidem accuſatorum obiectiones diluamus. Aiunt Ienenſes vbique verbum δέχεσθαι in nouo Teſtamento actiuè poni. Primùm ſi hoc negem, licebit vel eorum alterum Heliā, bonum ſcilicet illum Illyricum teſtem adhibere, qui, licet longè maximam partem ad verbum ex meo nouo teſtamento in ſuum tranſtulerit, maluit tamen admiſſum ab Eraſmo, & à me emendatum errorem reponendo, 1. Pet. 3. 20, ἐξεδέχετο vertere *Expectabatur* quàm *Expectabat*. Sed de hoc alius fortaſsis erit dicendi locus, ſi omnia iſtius ἀλάστορος plagia in indice relata, & ad ea quæ in meis partim corrupit partim temerè reprehendit, defenſionem edere vacabit. Concedo igitur meis accuſatoribus quod volunt. Quid autem inde conſequetur? Malè certè in D. Philippi ſchola iſti diſcipuli profecerunt, qui tam ἀτέχνοις conſecutionibus vtuntur. Cæterùm ne hoc exagitem, quiſquámne eſt tam indoctus, vel vſque adeò impudens qui in hac formula ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, ſentiat δέξασθαι aliter quàm actiuè conſtrui, quocunque ordine cum pronomine ὅν, & cum nomine οὐρανὸν componatur? Verùm quis hanc legem impoſuit interpretibus, vt quæcunque actiuè ab aliquo ſcripta dicuntur, non niſi actiuè conuertantur? Imò fingamus ita fuiſſe hunc locum à me conuerſum? *A quo oportet cælum accipi*, num iſti quæſo me reprehenderent? Imò certè miris modis collaudarēt, quoniam multò apertiùs pro illis faceret hæc interpretatio, quàm Græca verba quibus vſus eſt Lucas. Itaque quàm ſit inanis hæc obiectio & vanis Sophiſtis potiùs quàm grauibus Theologiæ magiſtris conueniens, nemini iam obſcurum eſſe poteſt. Nam iſtæ certè enuntiationes, *Chriſtus accepit cælum*. & *Cælum acceptum eſt à Chriſto*: item iſtæ, *Cælum capit Chriſtum*, & *Chriſtus capitur cælo*, verbis quidem nonnihil, reipſa verò nihil prorſus diſcrepant. At enim, ait Selneccerus admodum confidenter, verſio iſta excogitata eſt nuper, fuitque vniuerſæ antiquitati noſtríſque Eccleſiis & Scholis hactenus ignota. Deus bone, tantam cuiquam ineſſe poſſe audaciam qui tuendæ veritatis zelum præferat? Agè igitur ex tota antiquitate, imò vel ex noſtræ memoriæ ſcriptoribus qui Lutherū anteceſſerunt, vel vnum oſtendat iſta verba ſic interpretatum, ac ſi dicatur Chriſtus cælum accepiſſe, ac non potiùs vt dicatur Chriſtus ſecūdum carnem in cælum receptus, ibíque, etſi ſumma gloria fruens, ſpatio tamen quod ſpirituali quidem ſed vero & naturali corpori conueniat, comprehenſus.

Profert verſionem vulgatam, quam etiam Hieronymo tribuit. Habet autem, inquit, illa *Quem oportet cælum ſuſcipere*. Ego in meis codicibus ſcriptum reperio Recipere: ſed quid tum? Ambigua eſt certè horum verborum conſtructio ſicut & in Græcis. Itaque nō magis probare poteſt ex hac Hieronymi verſione quòd Chriſtus cælum acceperit, quàm quod cælum acceperit Chriſtum.

Citat præterea Syri teſtamenti verſionem, quæ habeat, *Quem oportet cælos excipere*. At quænam hæc rurſum audacia eſt? Ita certè conuertit Tremellius noſter, rectè quidem (ſi verbum קבל Excipere pro Capere ſiue Continere accipias à conſequenti, vt paulò antè diximus:) non tamen αὐτολεξεί, quod eum feciſſe iſtorum cauſa mallem. Sic enim habet ad verbum doctiſsimus ille & vetuſtiſsimus, vt apparet, interpres, דלה ולאלשמיא ריקבלון id eſt *Quem oportet cæli capiant*. Agnoſcis igitur tandem, Selneccere, tuam, ne quid grauius dicam, imprudentiam? Vides enim verbum eſſe pluralis numeri, quîcum neceſſariò Cælorum nomen à parte anteriore conſtruitur, ac proinde conſtructionem illam veſtram tuo ipſius calamo expungi.

En bellæ illius quam defendunt interpretationis teſtes, quorum vnus non minùs pro me quàm pro illis facit, alter planè ipſos conuellit. Et iſtum non pudet antiquitatem & orbis totius auctoritatem iactare? Tandem igitur ad ſacram anchoram venit Selneccerus, nimirum ad Lutheri verſionem, quam nos quidem quantò rectiùs vt & nouam & prauam hoc loco reprehenderimus? Etenim etiamſi Lutheri ſententiam admitterem, tamen, vt antea probaui, verbum δέξασθαι non reſpondet verbo *Einnemen*, quod accipere ſiue occupare declarat, niſi fortè occupare Cælū Chriſtus dicatur, ſicut locus à re contenta occupatur, quod prorſus pro nobis faceret. Deinde vt illum ſuū ſenſum Lutherus commodè eliceret, verbum δεῖ explicandum fuit pro ἔδει, id eſt pro *Muſt* ſcribendum *Hat muſſen*, niſi pro præſenti *Einnemen* maluiſſet vſurpare perfectū. Iterum enim inculco

& omnes

& omnes communi ſenſu perditos homines iſtis iudices fero, non poſſe non ineptè locutum videri qui de re peracta loquens dicat, *Oportet Chriſtum accipere cælum*, id eſt vt Chriſtus accipiat cælũ *vſque ad tempora reſtitutionis omnium*: ſed omnino dicendum fuiſſe, *Oportuit Chriſtum accipere cælum*, id eſt, vt Chriſtus acciperet cælũ, vel, *Oportet Chriſtum accepiſſe*, id eſt vt Chriſtus acceperit cælum ſiue *a Chriſto acceptum fuiſſe cælũ*. Viderit igitur Selneccerus quomodo iſtam interpretationem pro ſana & recta venditet, quam, vt oſtendimus, & verborum proprietas, & ſententiæ ipſius ratio manifeſtè conuellit, nedum vt illam tanquam irrefragabilem nobis obtrudat.

Sed iam audire mihi videor illorum tonitrua, quaſi videlicet inexpiabile ſit ſcelus quicquam in Germanica D. Lutheri verſione emendare, quod tamen ipſimet quoties faciunt? Sed agè, maneat ſanè ſua laus magno illi viro, & plurimis in Eccleſia Dei vtiliſsimiſque laboribus defuncto. Quis enim hoc inficietur? Liceat tamen eius ſcripta, quæcunque tandem ſint, vt & omnium poſt Apoſtolos ſcriptorũ, ad Dei verbi normam in primis exigere, & aliorum quoque tum vetuſtiorum, tũ recentium Doctorum rationes & argumenta expendere, niſi fortaſsis hunc vnum ἀναμάρτητον fuiſſe oſtendant. Sin minus, clament licet, & pro more quiduis apud imperitum vulgus ſpargant, ego vnum ſaltem illud Democriti regeram, Deſinite ineptire, pueri.

Vt autem nullus ſit tergiuerſandi locus, & illam potiùs verſionem conſtet nouam eſſe, & vetuſtati inauditam: iſtam verò cuius auctorem me faciunt Ienenſes (in eo quidem à Selneccero diſſentientes qui ſe ab hinc annis viginti iſta verſione mirificè (proh dolor) commotum, turbatum, perculſum denique clamitat, quum tamen interpretatio mea anno demum 1556. prodierit) vt iſtã, inquam, verſionem quam illi non vt nouam modò verùm etiam vt falſam & impiam criminantur, oſtendam certo ipſius verbi Dei, ac præterea doctiſsimorum tum veterum tum recentiorũ ſcriptorum teſtimonio confirmari: primùm hoc ex illis quæro, vbi tandem inuenerint ſiue in vetere ſiue in nouo Teſtamento durum illud, & obſcurum, adeòque ænigmaticum dicendi genus, *Accipere cælum*, ſiue pro cæleſti regione ſiue pro cæleſti gloria Cæli nomen intelligant? Certè nuſquã hanc formulam vel ſimilem aliam quampiam deprehendent. At contrà lego Luc. 24. 51, διέστη ἀπ' αὐτῶν καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν. Item Act 29. ἐπήρθη ἀπ' αὐτῶν, & 11, ἀναληφθεὶς εἰς τὸν οὐρανόν, quibus verbis niſi clare, perſpicuè, diſertè ſignificari fateantur diſceſſum Chriſti à terra iſta quam calcabant diſcipuli, in illud ipſum Cælum quod ſupra nos eſt, agè ipſum quoque Solem ſurſum eſſe negemus.

Sed rurſum hîc in Bezam inſurgunt Ienenſes, verùm quo tandem pudore? Adiecit, inquiunt, Beza particulam SVRSVM. At ego cogor rurſum exclamare, Quæ hæc eſt audacia, quæ hæc eſt calumniandi libido? Chriſtum iſti ferunt dici *Aſcendiſſe in cælum, Eleuatum fuiſſe, Profectum fuiſſe in cælum*: & hoc ſaltem nobis ne Brentius quidem vbiquitarii tum cæli tum inferni fabricator, nec Illyricus ille Iſmael inficiantur, Chriſtum fuiſſe ad nubes vſque ſublatum. At iſti ferre non poſſunt Bezam interpretantem ἀναληφθεὶς *Surſum receptus*, & ἀνεφέρετο *Surſum ferebatur*. Malunt enim verti *Aſſumptus*, & *Ferebatur*. Atqui *Aſſumere* ſignificat *Ad ſe ſumere*, quod quibuſuis Grammaticis iudicibus, non reſpondet τῷ ἀναλαμβάνειν, ſed τῷ προσλαμβάνειν. Deinde quum eò demum ſit receptus ſiue aſſumptus Chriſtus quò profectus eſt, dicatur autem ἐπήρθη, id eſt, vt transfert vetus interpres, *Eleuatus*, Eraſmo autem interprete, *In altum ſublatus*, & à nube exceptus, & in illud ipſum cælum profectus quò diſcipuli direxerunt oculos, cuius eſt vel ſtuporis vel impudentiæ arguere me quòd ἀναλαμβάνεσθαι vertam *Surſum recipi*? Verba autem ἀναφέρεσθαι & καταφέρεσθαι oportuit iſtos ſaltem ex Ariſtotelis meteoris didiciſſe, inter ſe opponi. Quòd ſi Chriſtus ſurſum eſt ſublatus, & ſurſum acceptus, vter rectiùs iſtum locum Petri conuerit, qui dicit quòd Chriſtus cælum acceperit, an qui dicit quòd Cælum venientem Chriſtum receperit, ac proinde ipſum capiat?

Agè verò, addamus etiam vetuſtatis teſtimonia. De Syro interprete doctiſsimo & vetuſtiſſimo diximus antea, qui etiã Lucæ 9, 51, & 24. 51, & Act. 1, 9, & 11, & 1. Tim. 3, 16. verba, ἐπαίρεσθαι, ἀναφέρεσθαι & ἀναλαμβάνεσθαι, vnico Syriaco expreſsit quo ſignificatur τὸ ἀναβαίνειν, vt & Græcus interpres 2. Reg. 2. 11. ויעל vertit καὶ ἀνελήφθη.

Omnium autem clariſſimè Nazianzenus altera concione περὶ τοῦ υἱοῦ totidem his verbis illum Petri locum citat, καὶ ὃν οὐρανοῦ δέχεσθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως, *A cælo recipi* (id eſt, ſicut antea probaui, receptum teneri) *vſque ad tempora reſtaurationis*. Huius igitur tanti viri quum ſim veſtigia ipſa in hoc quoque ſequutus quòd perſpicuitatis cauſa paſſiuam formulam vſurpaui, viderit an ſanus fuerit ille quum inſaniam mihi obiiceret, ac non potiùs verum eſſe comprobet quod initio ſuæ accuſationis ſcripſit, ſe nimirum neſciuiſſe quid faceret, quum hanc criminationem aggrederetur.

Sed & OEcumenius, cuius etiam teſtimonio iidem abutuntur, Cælum vocat, τὸ ἀπεκδοχῆς ὑποδοχεῖον, id eſt Chriſti receptaculum. Itaque (quod etiam plenius mox demonſtrabimus) qui negat totam vetuſtatem hæc Petri verba ſic accepiſſe, vt dicatur Chriſtus in cælos receptus, ibidem nunc vt in loco reſidere ſecundum carnem, neceſſe eſt pudorem omnem abiecerit. Quòd autem Petrus ita ſignificarit Chriſtum accepiſſe cælum, id eſt cæleſtem gloriam, nunquam ex vllo Patrum teſtimonio ne ad Græcas quidem Calendas accuſatores mei probabunt.

Ex his igitur rurſum effici dico quod volebam, illam videlicet interpretationem, *Oportet Chriſtum cælo capi*, ſiue proprietas verborum ſpectetur, ſiue totius vetuſtatis auctoritas, bonam & veram eſſe, ac proinde meos accuſatores in calumnia manifeſta deprehendi.

Iam ſupereſt vt illud quoque videamus, num videlicet mea interpretatio qua dicitur Chriſtus in cælo vt in loco ſecundum carnem contineri, aliquid Petro affingat quod non conueniat ipſius inſtituto. Poteſt enim ſæpe ſic verti locus aliquis, vt vera quidem ſit ſententia quæ inde elicitur,

& tamen ſcriptoris menti parùm conſentanea. Atqui fideliter à me expreſſum fuiſſe quod Petrus dictum voluit, puto iam ſatis ea ſuperioribus liquere.

Vnum tamen placet expendere quod ille meus plagiarius in illa ſua præclara gloſſa nobis obiicit. Refutationem enim illam quam ſe edidiſſe ſcribit anno 1567, nanciſci quum hæc ſcriberem nondum potueram. *Alij*, inquit, *volunt intelligendum ipſum Chriſtum capi aut detineri à cælo, quæ ſententia eſſet contra Apoſtoli ſcopum, potius imbecillitatis, quàm gloriæ & potentiæ Chriſti prædicatio.* Hæc ille, in quibus multa ſunt errata. Primùm enim illud *Retineri* inuidioſè ſcribit, quaſi videlicet quum Chriſti corpus dicimus, quia corpus eſt, ſuo ſpatio contineri, eum veluti carcere includamus, de qua vaniſsima calumnia mox dicemus. Deinde in eo quoque fallitur quòd circunſcriptionem ſiue finitionem circa creaturam, putat eſſe infirmitatem, quum ſit potiùs eius perfectio ac complementum, vt ipſi quoque ſcholaſtici rectè tradiderunt. Quid enim dici poſſit abſurdius quàm eſſentialis proprietatis abolitione eſſentias perfici? Nec tamen nego ſic diſcriminari creata (quæ omnia finita ſunt,) ab eo qui vnus eſt infinitus. Sed quid hoc Illyricum iuuat? nihil certe, niſi putat rũ Brentio ab iis deprimi Chriſti gloriam, qui carnem non induunt deitatis ſpoliis. Præterea quis hoc docuit Petro propoſitum fuiſſe Chriſti gloriam ſic prædicare, vt nihil niſi Deo conueniens ei attribueret, ſiue vt velut altera natura ipſum ſpoliaret? Certè hominem eſſe, & interfectum fuiſſe palàm fatetur Petrus non minùs quàm ſanctum, & iuſtum, & authorem vitæ, & à mortuis excitatũ. Imò ſi hoc vnum ei propoſitum erat quod iſte dicit, cur obſecro apud iſtos præſertim adhuc ad Chriſtum potiùs adducẽdos quàm adductos, iſto tam nouo, obſcuro, inſolenti, adeóque ænigmatico dicendi genere potiùs quàm vſitato exaltationis, & ſeſsionis nomine vteretur? Quotus enim quiſq; diuinaret, *Accipere cælum* idem declarare atque *ſummæ illius gloriæ fieri participem*? Res autẽ, (meo quidem iudicio) ita ſe habet. Petrus à reprehenſione exorſus ſummam perfidiam & crudelitatem Iudæis exprobrat, quæ tamen Chriſti gloriæ & dignitati nihil detrahat, vt qui ſit à mortuis excitatus, & quanta virtute polleat ſignis & prodigiis in ipſius nomine editis abundè demonſtret. Hìc verò quum nihil conuenientius eſſet quàm vt quærerent Iudæi, vbinam igitur eſſet Chriſtus ille à mortuis excitatus, & cur in apertum non prodiret, occurrit huic quæſtioni Petrus, reſpondens oportere ipſum in cælis reſidere donec rurſum appareat plenè mundum inſtauraturus, ſicut prædixerunt Prophetæ: quorum denique propoſitis & ad ipſos Iudæos applicatis teſtimoniis, eos ad reſipiſcentiam & fidem hortatur. Rectè igitur OEcumenius quærens cur Petrus potiùs non dixerit ὃν οὐρανὸς ἐδέξατο, *Quem cælum recepit, Hoc*, inquit, *dixit vt de ſuperiore tempore differens. Iſtis autem verbis* ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως, *vſque ad tempora reſtitutionis omnium, cauſam declarat quare nondum nunc veniat. Oportet*, inquit, *omnia reſtitui, & ad finem deuenire, & tunc veniet.* Hæc ille, ſignificans Petri verba perinde explicanda ac ſi dixiſſet, *Quem recepit cælum, vnde oportet*, (id eſt, vt rectè exponit Chryſoſtomus, *conſtitutum ac decretum eſt*) *vt veniat quando omnia reſtituet, quæ tempora prædixerunt Prophetæ, &c.* Et de hoc quidem hactenus.

Obiicit rurſum nobis idem ille plagiarius decerptam ex D. Caluini commentariis particulã. Quidni enim hoc auſit iſte quem nihil pudet? *Locutio*, inquit D. Caluinus, *eſt ambigua, quia tam intelligere poſſumus Chriſtum cælo capi vel contineri, quàm cælum capere. Ne ergo verbum dubiæ ſignificationis vrgeamus.* Hæc igitur Caluinus, minimè ſanè vel approbans ineptum illud dictum *Chriſtus accepit cælum*, id eſt *gloriam Patris*, vel vt iſte garrit, nos taxans quaſi ſuper dubium fundamentũ ingentem molem extruamus, ſed hoc iſtis præfractis ingeniis largiens, vt nulla niſi prorſus perſpicua & dilucida Scripturæ teſtimonia aduerſum eos vrgeamus. Hac autem modeſtia noſtra quum nonnullos tandiu videamus abuti, vrgere ne hæc quidem, detectis quibus obſcurantur argutulis ineptiis, deſinemus. Cæterùm qua tandem niſi Dalmatica ſiue Illyrica fide illum D. Caluini locũ iſte decurtauit? Sic enim mox D. Caluinus, *Sed eo contenti ſimus quod certum eſt, Chriſtum, interea dum ſperatur vltima rerum omnium inſtauratio, non alibi quàm in cælo quærendum eſſe.* Iſta verò priùs dixerat: *Quoniam ad craſſum terrenúmque Dei & Chriſti aſpectum ſemper propendent hominum ſenſus, poterat in mentem Iudæis venire, Chriſtum quidem prædicari à mortuis excitatum, ſed vbinam eſſet non oſtendi. Præuenit ergo Petrus quum in cælo eſſe docet. Vnde ſequitur tollendas eſſe in altum mentes, vt Chriſtum fidei oculis requirant, quamuis immenſa locorum diſtantia ſit remotus, & in cæleſti gloria extra mundum habitet.* Hæc ille. Viden' igitur, plagiarie, te ſic eſſe in mortuos quoque crudelem, vt hunc etiam Caluini partum truncato capite ac pedibus in monſtrum transformaris?

Et hactenus quidem de priore accuſationis parte. Nũc de ipſa huius dicti ſententia diſſeramus, num videlicet impiè dicatur, Carnem illam Chriſti glorioſam cælis capi, id eſt vltra mundum in illis regionibus in quibus ſumma illa Dei maieſtas pleniſsimè refulget & quæ ſunt æternæ noſtræ felicitati deſtinatæ, nec vſquam alibi, nunc reſidere: & ita quidem vt naturalis corporis loco & ſpatio quacunque tandem cælorum parte conſiſtere ipſi libuerit, contineatur ac comprehendatur, num, inquam, hoc impiè dicatur, ac non potiùs putida & rancida ſit hæreſis contrarium affirmare. Primùm autem diluemus accuſatorum argumenta, ac deinceps noſtra confirmabimus.

Hæc Petri verba (inquit rurſum admodum confidenter Selneccerus) *nunquam aliter à vera Eccleſia niſi de exaltatione naturæ humanæ in Chriſto ſiue de ſeſſione Chriſti ad Patris omnipotentis dextram accepta & intellecta fuerunt, vt erudita antiquitas & conſenſus omnium ſanorum comprobant.* Ergo tibi Selneccere, inſanimus. Et ſane ita eſt, ſi verum dicis. Sed quando tandem te verum dicere, imò quando te potiùs in iſtis non inſanire probabis? Audiamus enim quid dicas.

Aſcendit (inquis) *Chriſtus in cælos, id eſt, vt ait Auguſtinus, conditionem naturæ quam de hominum matre natus aſſumpſit, ſuper Cælos in dexteram Dei collocauit.* Obſecro, mi homo, an ſani eſt hominis

ſeipſum

ſeipſum confodere? Qualis eſt, obſecro, iſta conditio aſſumptæ humanæ naturæ? num Vbique eſſe? Quid eſt aliud collocare quàm in loco conſtituere? Et tamē hæc ipſa natura, quatenus eſt aſſumpta, quod ad conditionem ipſam naturæ attinet, diſertè hic dicitur collocata ad dextrā Patris. Ergo, teipſo teſte, ſi Auguſtino aſſentiris, locus & ſeſsio ad dextram, ſiue glorificatio carnis Chriſti, inter ſe non pugnant. Quod ſi, vt tu vis, per Cælos idem atque Dexteræ nomine, gloria videlicet æterna ſignificatur, quorſum Auguſtinus iſta battologia vteretur, ac non potiùs *ſuper cælos, id eſt, ad dexteram Dei*, addita videlicet particula exegetica ſcripſiſſet? Denique quid erit iſtud ſupra cælos? nempe ſupra ipſam dexteram. Poſtremò an oblitus es agi de Petri loco? Num dixit Petrus, Quem oportet Chriſtum aſcendere in cælos? non certè. Eſſet enim inepta oratio, quoniam iam Chriſtus eò aſcenderat. Atqui, non minus inepta fuerit oratio, ſi idem valet, Accipere Cælum atque aſcendere in Cælum. Hoccine verò eſt ſapere?

Dextera Dei, (inquit idem Selneccerus,) *vt Athanaſius & Baſilius categoricè, euidenter ac veriſſimè interpretantur, non ſignificat aliquid circumſcriptū, ſed gloriam ad quam ſit euectus Chriſtus ſecundum ſuam humanam naturā.* Nos verò concedimus tibi totum hoc argumentum, Selneccere, ſed conſecutionem pernegamus. Nec enim dicimus dexteram Dei ſignificare circunſcriptum aliquid, ſed diuinam Chriſti gloriam qui tamen eſt in loco propter veri corporis modum, vt iſta ſeſsio circunſcriptionem loci non excludat. Vis vt tecum craſsiùs agam? Aliud eſſe dicimus *Aſcendere in cælum* quàm *Cælo capi*, & hoc rurſus aliud quàm *Cœleſti gloria ornari*, ſicut exempli gratia, aliud eſt *Aſcendere in montem*, quàm *In monte reſidere*, & hoc rurſus aliud quàm *In illo monte felicem & beatum eſſe*, atque adeò, ſi vis, quàm *In illo monte vt in regni ſui ſolio commorantem, imperium in vniuerſum mundum obtinere.* An verò rurſus oblitus es agi de Petri loco, non de articulo, Sedet ad dextram Patris?

Profert poſtea locum Damaſceni, in quo dicit Christum ſedere *σωματικῶς* ad dexteram Dei Patris, quæ tamen dextera Patris non ſit localis. Enimuerò an quiſquam noſtrûm eſt qui Deum Patrem dicat inſtar hominis eſſe, qui dextrum vel ſiniſtrum latus habeat? Quid ergo eſt iſta Patris dextera? *Gloria*, inquit, *& magnificentia ipſius, cuius eſt particeps Filius ſecundum carnem*, ſed *σωματικῶς*. Ergo talis eſt glorificatio quæ non impediat ſedentis & vera carne præditi circunſcriptionem, & talis viciſsim circunſcriptio quæ glorificationi nō officiat. Cur igitur impius fuerit qui dicit Chriſtum cælo capi, id eſt loco & ſpatio in cælis contineri?

Citat etiam illud Chryſoſtomi in Hebr. c. 3, teſtantis verbis Apoſtoli, *ad dextram maieſtatis in excelſis*, Deum non concludi loco, ſed oſtendi hominem Chriſtū omnibus altiorem & excellentiorem. Et quis tandem iſta negat? Verùm vt ſumma glorificatio corporis Chriſti ipſum euehat ſupra omne nomen, quis tamen inde meritò concluſerit eum nullo loco capi, id eſt abſorptam eſſe corporis naturam?

Adſers etiam iſta Seueriani verba, *Nam diuinitas carni contulit quod ſemper Filius Dei cum Patre poſſedit.* Concedo ſanè, quum vnione hypoſtatica datum ſit huic aſſumptæ carni vt ſit Filii Dei caro, ac proinde homo ille ſit eſſentialiter Deus, quatenus eſt hypoſtaticè cum Verbo coniunctus. Quòd ſi hoc referas ad ipſius vnionis dona, cogêris ſanè excipere diuinæ naturæ idiomata, niſi malis apertè in Eutychetis caſtra tranſire.

Quid plura? Theodoretum etiam audes in tuas partes pertrahere, non tamen quaſi pro te facientem (conſtat enim illum ex profeſſo oppugnare quod tu nunc defendis) ſed quaſi à ſeipſo diſſentientem. Cedò verò quomodo? *Quoniam*, inquis, *citat Athanaſii verba, ſcribentis, Hæc verba, Sede à dextris meis, corpori Domini conuenire, non diuinitati quæ omnia implet.* Et quid hoc eſt rurſum aliud quàm Scipſum confodere? Nam ſi Sedere à dextris idcirco competere non poteſt Deitati quoniā omnia replet, efficitur humanitati ſic competere vt omnia non repleat. Nam, ex illa Athanaſii ratione, ſi ipſa quoque caro omnia repleret, non minùs poſſet dici ſedere ad Patris dextram quàm Deitas. Non igitur ſibiipſi Theodoretus, ſed tibi, vt & tu tibiipſi manifeſtè repugnas, Selneccere, tanta vis eſt veritatis.

Gregorius Nyſſenus ſic habet, *Quæ naturaliter habet Chriſtus vt Deus, ea dicitur accipere vt homo certo conſilio factus. Ideò dicebat, Pater glorifica me apud temetipſum ea gloria quam habebam, &c. Niſi enim hanc haberet propriam vt Deus, fieri non poſſet vt eam tanquam alienam acciperet, Deo & Patre per Prophetam dicente, Gloriam meam alteri non dabo.* Pulcherrimus certè locus, quem ſi mei accuſatores intelligerent, tota mox definita eſſet controuerſia. Agit Nyſſenus de idiomatibus Diuinæ naturæ. Hæc enim ſunt quæ naturaliter Chriſtus vt Deus habet ſibi propria. Illa igitur dicit Chriſtum non aliter poſſe dici vt hominem accepiſſe, quàm quomodo aſſumptus ille homo, & eſt & dicitur Deus. Atqui homo iſte non eſt Deus in ſe ſe ſed *κατ' ἄλλο*, id eſt reſpectu naturæ diuinæ in qua ſubſiſtit. Ergo homo quidem ille eſt omnipotens, omnipræſens, viuificus & adorari debet, non tamē in ſeſe, ſed *κατ' ἄλλο*, id eſt, quatenus in natura Diuina ſubſiſtit, cuius illa ſunt propria & proinde incommunicabilia idiomata: quia ſcriptum eſt, inquit Nyſſenus, Gloriam meam alteri non dabo. Itaque rurſum tibi gratiam habeo, Selneccere, quòd tam commode cauſam noſtram, id eſt, veritatem ſiue prudens ſiue imprudens tueris. Nam ſi vera illa ſunt, vti ſine ſunt, totam illam Brentianam effuſionem omnium proprietatum Deitatis in carnem aſſumptam, ſiue illam idiomatum cōmunicationem quam vos ipſarum etiam naturarum ſingularum reſpectu realem eſſe vultis, vt Eutychianam, id eſt, vt falſam, blaſphemam, impiam, deſtructo à vobis ipſis veſtro fundamento, funditus ruere neceſſe eſt.

Hæc quum ita ſe habeant, iudicet nūc quiuis quo pudore iſti mei accuſatores iactent totius pię

& eruditæ vetuſtatis, adeóque omnium qui vſquam fuerunt, orthodoxorum conſenſum, quod vt magis etiam liqueat, agè ea infinitis omnium veterum ſcriptorum teſtimoniis quæ toties Brentianis ſiue Iacobandreanis deliriis oppoſita, nunquam refutata ſunt, pauca ſummatim repouamus.

Ignatius ad Trallianos, *Verum corpus Maria peperit, quod hæc omnia quæ propria ſunt corporis humani nobiſcum habet communia.* Ergo vel in primis circunſcriptionem, quam ſi depoſuit per ſeſsionem, ſimul veritatem corporis abiecit.

Dydimus lib. de Spir. ſancto, interprete Hieronymo, *Ipſe Spiritus ſanctus ſi vnus eſſet ex creaturis, ſaltem circumſcriptam haberet ſubſtantiam, ſicut vniuerſa quæ facta ſunt.* Ergo loco non circunſcribi eſt proprium Deitatis prorſus incommunicabile, alioqui non ſtaret Dydimi argumentum.

Apollinaris citante Theodoreto, *Christi coniunctio cum corpore, non mutat corporis naturam.* Ergo vel natura corporis non eſt finitum & loco circunſcriptum eſſe, vel fallitur qui corpus Chriſti reipſa negat cælo capi, quum in cælo ſit.

Seuerianus, *Myſterium verè cœleſte & terrenum. Talis enim erat natus Chriſtus cœleſtis & terrenus: verſans in loco & extra locum poſitus: viſibilis & inuiſibilis: & cœleſtis ſecundum diuinitatis naturam, terrenus verò ſecundum humanitatis naturam: viſibilis ſecundum carnem, inuiſibilis ſecundum ſpiritum: in loco verſans ſecundum corpus, extra locum poſitus ſecundum Verbum.* Aliud autem eſt Verbum cui vni eſt aſſumpta illa caro, aliud eſt ipſius Verbi in aſſumptam carnem ἐνέργεια. Itaque præſens quidem eſt vbique etiam homo ille, ſed κατ᾽ ἄλλο, id eſt, quatenus Deus, nec tamen κατ᾽ ἄλλον, quia vnus eſt Deus & homo.

Origenes Homil. 33. in Matthæum: *Quaſi homo peregrinatur, qui eſt vbique ſecundum Diuinitatis naturam. Nec enim eſt homo qui eſt vbicunque duo vel tres in nomine eius congregati fuerint: neque homo nobiſcum eſt omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi: nec congregatis vbique fidelibus præſens eſt homo, ſed virtus Diuina quæ eſt in Ieſu.* Vera & orthodoxa eſt hæc ſententia, id eſt, vobis Brentianis & Semibrentianis, vt olim erant Ἀρειανοὶ & ἡμιάρειοι, prorſus repugnans. Hoc tamen notandum, cautiùs loquutos qui ætatē illam ſequuti ſunt quum nomina concreta ab abſtractis diſtinguerent. Itaque illud *Nec enim eſt homo* dictum eſt pro *Nec enim eſt humana natura*, ſiue pro *Nec enim Chriſtus ſecundum humanam naturam.*

Athanaſius apud Vigilium: *Quomodo ait, Vade ad Patrem cum quo ſemper erat, & à quo nunquam receſſerat? (eius eſt enim ire & venire, qui aliquibus locorum terminis circunſcribitur, & eum in quo erat deſerere locum, vt ad alium vbi non erat, veniat) niſi quia vtique de illo quem aſſumpſerat homine loquebatur?* Ergo totus ille veſter allegoricus aſcenſus, quo tolli poſſe putatis corporis circūſcriptionem, vanum & futile eſt commentum.

Theodoretus dial. 2. *Corpus Domini quod reſurrexit, à corruptione quidem & interitu alienum & impaſſibile, & immortale & Diuina gloria glorificatum, & ſeſſione ad dexteram Patris dignatum eſt, & à cœleſtibus adoratur poteſtatibus (nempe vt Dei corpus) corpus tamen eſt, & habet quam priùs habuit formā, figuram & circunſcriptionem.* Non eſt igitur impium dicere Chriſtum qui aſcendit in cælos & ibi ſedet ad dexteram Patris, cælo capi, id eſt contineri ſecundum carnem: ſed hoc negare eſt impium.

Gregor. Nanzianzenus apud Theod. dial. 1. *Chriſtus habitat in cordibus noſtris, videlicet non ſecūdum apparentem naturam ſed inuiſibilem.* Item, *Docemus eundem Chriſtum, circunſcriptum corpore, incircumſcriptum ſpiritu, qui loco continetur & loco non continetur.* Quid apertiùs in eos dici potuit qui illum cælo capi negant?

Tertullianus de Trinit. *Vbique inuocatum adeſſe, non hominis natura eſt, ſed Dei, vt adeſſe omni loco poſſit.* Hoc vere firmum eſt argumentum quo ſanctorum mortuorum inuocatio non tantùm ſtulta & inanis ſed etiam impia eſſe conuincitur. Τὸ εὐήχεν autem argumenti manifeſtè veſtram illam realem carnis Chriſti πανταχουσίαν euertit. Quod ſi ea concipiatis ex eo conſequi inuocandū igitur non eſſe hominem Chriſtum, planè ineptè feceritis. Etſi enim aſſumpti illius hominis natura non eſt vbique, is tamen qui illam aſſumpſit hypoſtaticè, vbique eſt, nempe Verbum æternum Patris. Ideo non inuocatur quidem humana natura per ſe, ſed inuocatur Filius Dei qui idem & vnus etiam eſt homo. Hæc qui non diſtinguit, quid inuocet neſcit.

Cyrillus lib. 2. dial. de Trinitate, *Si diuina natura partitionem reciperet, intelligeretur & corpus. Si autem hoc, in loco omnino & magnitudine & quantitate: & ſi caderet in eam quantitas, non effugeret circūſcriptionem.* Item lib. 10. cap. 38. in Ioan. *Nullus ambigit, quum ad cælos aſcenderit, quamuis virtute Spiritus ſemper adfuerit præſentia tamen carnis ipſum abeſſe.* Idem lib. 11. cap. 3. *Etſi corpore abſens ſit Chriſtus, Patri pro nobis apparens, & ad dexteram ipſius ſedens, habitat tamen in ſanctis per Spiritum, nec patitur eos orphanos eſſe, quibus cælum aſcendens Spiritum miſit. Non enim conuerſari carne cum Apoſtolis poterat, quum ad Patrem aſcenderet.* Ergo ex aſcenſione & ſeſsione tantum abeſt vt colligi poſsit realis illa commentitia Omnipræſentia, vt contrà inde neceſſariò adſtruatur carnis abſentia, qua tamen non tolli corporis & ſanguinis παρουσίαν certum eſt.

Vigilius Martyr lib. 1. contra Eutychen. *Dei Filius ſecundum humanitatem ſuam receſſit à nobis, ſecundum verò Diuinitatē ſuam ait nobis, Ecce ego vobiſcū ſum. Eſt igitur nobiſcum & non nobiſcum, quia quos reliquit & à quibus diſceſſit humanitate ſua, non reliquit nec deſeruit Diuinitate ſua.* Itē lib. 4. *Quomodo quum Verbum vbique ſit, nō vbiq; inuenitur & caro? Nam quando in terra fuit, non erat vtique in cælo: & nunc quia in cælo eſt, non eſt vtique in terra, & in tantum non eſt, vt ſecundum ipſam Chriſtum expectemus venturum de cælo, quem ſecundum Verbum nobiſcum eſſe dicimus in terra. Aut Verbum cum carne ſua loco continetur aut caro cum Verbo vbique eſt: ſed quia Verbum vbique, caro autem vbique non eſt, apparet vnum eūdemque Chriſtū, vtriuſque eſſe naturæ, & eſſe quidē vbique ſecundum naturā Diuinitatis ſuæ,*

tatis ſuæ, & loco contineri ſecundum naturam humanitatis ſuæ. Circumſcribitur loco ſecundum naturam carnis ſuæ, & non capitur loco, per naturam Diuinitatis ſuæ. Hæc eſt fides & confeſſio catholica, quam Apoſtoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles nunc vſque cuſtodiunt. Auditis, boni viri, carnem Chriſti vbique non eſſe? loco contineri? loco capi? auditis mendacii conuinci qui Bezam faciunt primum authorem iſtius dicti, *Chriſtum cælo capi?* auditis tanto teſte quantum vniuerſa poſt Apoſtolos antiquitas in hoc argumento vix vllum habet, fidem vocari Catholicam ab Apoſtolis traditam, à Martyribus roboratam, à fidelibus ſemper cuſtoditam, illud ipſum quod ex profeſſo vos ſcilicet orthodoxi, Vos martyres, Vos fideles Eccleſiæ Dei paſtores tam Chriſtianè oppugnatis, vt te, Selneccere, non pudeat crucem etiam iis à quibus tam leuiter deſciuiſti precari? ſed quàm potiùs mirum ni tandem comperias te tibiipſi fixiſſe.

Ambroſ. epiſt. 22, & lib. de incar. Domini: *Eadem in Chriſto corporis veritas eſt, quæ in nobis.* Idem lib. de Spiritu ſancto, *Omnis creatura certis ſuæ naturæ circumſcripta eſt limitibus, nec creatura dicenda eſt quæ non habet circumſcriptam determinatámque virtutem.* Ite nunc & negate humanitatem Chriſti à vobis perimi, quum vt hæreticum damnetis qui Chriſti corpus poſt Petrum affirmat cælo capi.

Auguſtinus epiſt. ad Dardanum, *Spatia locorum tolle corporibus, & nuſquam erunt, & quia nuſquam, ergo nec erunt. Hinc vbique crede Chriſtum, per id quod Deus eſt: in cælo autem per id quod homo, ſecundū veri corporis modum.* Si nuſquam ſunt corpora quibus tolluntur ſpatia, quid vobis fiet quibus impiū eſt dicere Chriſtū cælo, id eſt, cæleſti ſpatio capi? Et ſi vera ſunt iſta non tam Auguſtini, quàm totius Eccleſiæ argumēta, vbi veri corporis modus ſi non circumſcribitur? & Cæli nomine ſignificari realem vbiquitatē quis vobis concedet? Item cap. 1. tract. 30. in Ioan. *Donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt Dominus, ſed tamen hic nobiſcum etiam eſt veritas Domini. Corpus enim in quo reſurrexit, in vno loco eſſe oportet, Veritas autem eius vbique diffuſa eſt.* Vtrum verò duriùs eſt dicere, oportere Chriſtum ſurſum eſſe, id eſt, in vno loco, vel, Chriſtum cælo capi vſque ad tempora reſtitutionis omnium? Vtrum igitur impium dogma? hoccine an noſtrum? Item lib. 22. De ciuit. Dei: *Deus totus in cælo, & in terra ſimul totus eſt, quod nulla natura corporalis poteſt.* Vnde igitur niſi ex erroris ſpiritu emanauit veſtra illa realis omnipræſentia non dico hominis Chriſti, (nec enim hoc negamus quum vnus ſit Chriſtus Deus & homo) ſed carnis Chriſti, quæ certè Deitas non eſt nec erit? Vnde etiam illa veſtra oralis manducatio, id eſt, commentum cuius vel ipſum Satanam pudeat?

Item epiſtola 3. *Quantumcunque ſit corpus vel corpuſculum, vt loci occupet ſpatium, eundémque ſic impleat, vt in nulla eius parte ſit totum neceſſe eſt.* Et ne hic fortaſſe cuiquam imponatis, non poteſtis inficiari Auguſtinum de illo ipſo glorificato Chriſti corpore diſſerere.

Idem, *Hoc eſt Deum eſſe, quod vbique totum eſſe.* Ergo vel negate Chriſti carnem vbique totam eſſe, vel fatemini eam à vobis in Deitatem transformari.

Idem, De eſſentia Diuinitatis: *Sicut eundem Dei Filium & Redemptorem noſtrum ſecundum Diuinitatem inuiſibilem, incorporeum & incircumſcriptum, ſicut & Patrem & Spiritum ſanctum, non credere impium eſt: ita eundem Dei Filium, in homine aſſumpto, viſibilem, corporeum, atque localem poſt reſurrectionem non credere & profiteri, eſt prophanum.* Vtri igitur impii, vtri prophani, Selneccere?

Idem lib. 22. de Ciuit. Dei, *Chriſtus vbique eſt tanquam Deus, & in loco aliquo cæli propter veri corporis modum, cui immortalitatē dedit, naturā non abſtulit.* Si in loco aliquo cæli eſt, quomodo impius qui dicit Chriſtum cælo capi: imò quomodo non impii qui hoc negant?

Item epiſt. 146. *Ego corpus Chriſti ita in cælo eſſe credo, vt erat in terra quum aſcenderet in cælum, & quemadmodum ipſe Chriſtus diſcipulis de reſurrectione ipſius dubitantibus ait, Palpate & videte, Spiritus carnem & oſſa non habet.* Idem & nos credimus, ideóque Brentianos incarnationem, aſcenſionem ſeſsionem vbique confundentes toto corde deteſtamur.

Item epiſt. ad Dardanum: *Secundum hominem in terra erat, non in cælo vbi nunc eſt, quando dicebat, Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit Filius hominis qui eſt in cælo, quamuis ſecundum quod Filius Dei erat, eſſet in cælo, ſecundum quod verò Filius hominis erat, adhuc eſſet in terra. Noli itaque dubitare ibi nunc eſſe hominem Chriſtum, vnde venturus eſt ſecundum Chriſtianam confeſſionem in eadem videlicet carnis forma, cui immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. Secundum hanc formam, non eſt putandus vbique diffuſus. Cauendum eſt enim ne ita Diuinitatem aſtruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens, vt quod in Deo eſt, ita ſit vbique vt Deus.* His qui non aſſentitur, anathema ſit. Quàm verò futile, quàm vanum & ineptum ſit Brentianum commentum de vbiquitate ex dono ſiue effuſione ἐνεργείας, alibi pleniſsime eſt demōſtratum, ſi modò apud ſanos homines refutatione indiget. Certè qui quicquam creatum ſentit hoc adeptum eſſe vt realiter & in ſeſe ſit vbique, is neceſſe eſt fabricet Deum per accidens, id eſt, portentoſum idolum. Vos verò, quæſo, quandiu Chriſtianam religionem exponetis ipſorum etiam Mahumetanorum ludibriis?

Item Serm. 60. de Verb. Domini: *Semper quidem nobiſcum eſt Diuinitate ſua, ſed niſi corporaliter abiret à nobis, ſemper eius corpus carnaliter videremus, & nunquam ſpiritualiter crederemus.* Hinc tandē aliquando colligite, quis ſpiritus id ſubſternat tanquam neceſſarium ad eam fidem quæ ad Cœnā Domini cum fructu celebrandam requiritur, quo poſito ruit quod in Cœna primarium & præcipuum eſt.

Itē tractat. 87. in Ioan. *A quibus homo abſcedebat, Deus non recedebat. Et idem ipſe Chriſtus Deus & homo. Ergo ibat per hoc quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat: Ibat per hoc quod in vno loco erat, manebat per hoc quod vbique erat.* An aliud dicit qui Chriſtum quatenus Deus eſt vbique verè eſſe, quatenus verò homo eſt cælo capi ſiue contineri docet?

Item tractatu 36, & 50. in Ioan. *Secundum corporis quidem præſentiam, & ſecundum carnem quam*

rum eſt tantam nihilominus fuiſſe Epiſcoporum negligentiam, vt hunc abuſum ferre maluerint quàm emendare. Adhiberi ſolebant ſponſores in catechumenorum Baptiſmis, qui videlicet de eorum voluntate ſponderent quos in Eccleſiam recipi poſtulabant. Tum qui adductus erat, ab antiſtite de ſua fide rogabatur. Ille de Symbolo reſpondebat, & conceptis verbis Satanæ & ipſius regno abrenuntians, Chriſto ſe credere profitebatur, ac tandem multis adhibitis ceremoniis, quarum poſtea nullus fuit modus, baptiſabatur. Verùm vt demus in adultis qui de iſtis rebus & myſteriis omnibus edocebantur, omnes illos ritus tolerabiles fuiſſe, quid tamen erat cauſæ cur ad infantes iſta transferrentur? nulla profectò ſatis idonea. Itaque iam olim non defuerunt qui in infantium Baptiſmo mirati ſunt à ſponſoribus illam abrenuntiationem & fidei profeſſionem requiri. Cuius rei rationem quum velit reddere Auguſtinus ad Bonifacium ſcribens, ita obſcurè loquitur, vt mihi quidem non ſatisfaciat, quanuis alioqui epiſtola illa multas præclaras ſententias contineat. Sed Dionyſius ille, quem Areopagitam falſò vocant, ſcriptor alioqui Græcanicæ vanitatis plenus, vnus mihi videtur id quod res eſt vidiſſe, & ſatis perſpicuè explicaſſe, quum illas ſponſiones ſic interpretatur, *Viſum eſt*, inquit, *noſtris ductoribus admittere infantes hoc modo: Naturales parentes eius pueri qui offerendus eſt, eum tradunt cuipiam ex fidelibus, præclaro diuinarum rerum doctori, ſub quo iam puer ſit quaſi ſub patre diuino, à quo in ſancta ſalute educetur. Ab hoc itaque ſpondente, ſe facturum vt puer in ſancta vita educetur, præſul requirit vt abrenuntiationem profiteatur, fidémque confiteatur, nec tamen, vt quidam ridentes aiunt, alium pro alio imbuit ſacris. Neque enim hoc ille ait, Ego pro puero abrenuntiationes facio, aut fidei myſteria profiteor, ſed ita puer renunciat & profitetur, id eſt, Spondeo fore vt hunc puerum quum ad ætatem peruenerit intelligendorum ſacrorum capacem, inducam ſedulis meis adhortationibus, vt prorſus abrenuntiet contrariis, & profiteatur diuina illa quæ pollicetur.* Et hæc quidem ille, ex quibus ſatis intelligi poteſt, longè rectiùs facturos fuiſſe Epiſcopos, ſi infantiũ baptiſandorum numero creſcente, adultorum autem turba decreſcente, rituum formam mutaſſent, & iſtas ſponſiones quæ prorſus neceſſariæ ſunt & verbo Dei & certa ratione nituntur, ad præſentem circunſtantiam potiùs accommodaſſent, quàm quum nouitatis inuidiam fruſtrà metuentes, aut aliis rebus intenti (dicam enim quod ipſi faterentur ſi viuerent) maluerunt priſca retinere quàm ædificationi ſeruire. Nec alia certè fuit iſtarum corruptelarum origo, hinc merente Chriſtiani populi perfidia, vt inter tot cæcutientes Epiſcopos vix vnus & alter exiſteret qui doctrinæ ſaltem puritatem tueretur. Et hæc quidem ſcio fore, Balduine, vt derideas, quaſi nimirum totam antiquitatem præ nobis aſpernemur. Sed tua & tuorum dicteria nihil moramur: & ad omnes ſani iudicij homines, denique ad Deum ipſum prouocamus. Iam verò videamus, an iuſta de cauſa nos omnia maiorum inſtituta ſuſtuliſſe dicas. Ex Baptiſmi noſtrarum Eccleſiarum formula, adhibetur ſemper ſponſor quiſpiam, vitæ & doctrinæ inculpatæ. Percontatur ex eo miniſter Verbi coram Eccleſiæ cœtu, an puerum quem brachiis geſtat, ad Baptiſmum offerre velit. Reſpondet ille clara voce, hunc eſſe animum ſuum. Subiicitur breuis & perſpicua declaratio inſtitutionis, & vſus Baptiſmi ex Dei verbo, quæ vernaculo ſermone, audientibus & intelligentibus omnibus, ex ſcripto recitatur. Adduntur preces, vt Deus in puero per ſanctum ſuum Spiritum obſignet adoptionem & ablutionem, quæ per Baptiſmum externum velut oculis noſtris ſubiicitur. Poſtea ſtipulatur idem miniſter à ſponſore, ſpondeátne ſe facturum vt puer vbi per ætatem idoneus fuerit, in doctrina Chriſtiana, & ſymbolo Apoſtolico, quod diſtinctè recitat erudiatur. Aſſentitur ille huic doctrinæ, & ſe ita facturum ſpondet. Repetitur ſtipulatio, & requiritur vt rurſum ſpondeat ſe omnem operam daturũ vt puer erudiatur in vniuerſa vtriuſque Teſtamẽti doctrina & Lege Dei, cuius etiam epitome ex Matthæi Euangelio refertur, ex cuius præſcripto ita vitam inſtituat vt Dei gloriæ in Ieſu Chriſto, & proximi ædificationi ſe totum conſecret. Spondet ille, ac tum demum pura aqua baptiſatur puer in nomine Patris, Filij, & ſpiritus ſancti. Cedò verò, Balduine, quid hic reprehendis? Præcipuam Baptiſmi partem, id eſt, doctrinæ ipſius explicationem, à tuis catholicis ſublatam, nos, vt tu vides, reſtituimus. Nec ſponſores, nec ſtipulationes, nec fidei profeſſiones, vt tu falſò & impudenter mentitus es, ſuſtulimus, imò potiùs illos, non dicis cauſa, vt vos Dei irriſores ſoletis, ſed idoneos & legitimos: iſtas verò lõgè magis expreſſas & accõmodatas adhibemus, quàm ſi veſtrum illud ABRENVNTIO, & CREDO, quod veteribus multis meritò abſurdum viſum eſt in infantium Baptiſmo, à veſtris verò nullo modo intelligitur, retineremus. Preces etiam nõ alias quàm ab omni ſuperſtitione puras, & verbo Dei conſentaneas concipimus. Formam autem Baptiſmi qualem Chriſtus mandauit, vſurparunt Apoſtoli, & puriſſima Eccleſia obſeruauit, ſedulò obſeruamus. Itaque quid hîc requiris? exorciſmos, vnctiones, cereos, ſputa, cruces, & quid non? At tu, trãsfuga, potiùs abi in malam crucem, quàm Eccleſias nobis à Deo cõmiſſas iſtis ſordibus rurſum inquinari patiamur. Aliis conſilium petentibus, aliud conſulere nec poſſumus nec debemus, ſed quod ais nos in alias Eccleſias tyrannidem exercere, id verò non minùs falſum eſt quàm ſi te bonum virum eſſe iuraremus.

Quid plura? eouſque tandem inſaniuiſti vt Miſſam etiam propugnandam ſuſceperis, ſed præfari a te iis non ſeruire qui defendant τὸ βδέλυγμα. Quid ais, Balduine, an quicquam eſt in Miſſa quod tui domini non approbent? Sed me reprimo. Putò enim potiùs eorum plurimos tecum nec Miſſam nec Euangelium approbare. Sed tamẽ quæſo, quid eſt in veſtra illa Miſſa præter τὸ βδέλυγμα? Si de confeſſione peccatorum agitur, video ibi Dei nomen indigniſſimè profanari, quũ ſanctis quos vocant, attribuitur quod vnius Dei proprium eſt, vt nos vbique audire & cor noſtrum intueri poſſint. Vides etiam Filium Dei ſuæ interceſſionis dignitate ſpoliari, quum alii in cælis mediatores ei adiunguntur, etiã ſi cum ſophiſtis illos Chriſto ſubordinari excipias. Vides & audis miſer, Filium

Dei

Dei in ſuo verbo quaſi fruſtulatim concidi, quum modò hæc modò illa ſententia ex Scripturis arripitur, ſicut tu ſoles tuos centones conſuere. Et quorſum hoc? vt turpiſſimè profanetur. Quæ enim eſt particula in qua infinitæ blaſphemiæ veluti conceptis verbis non recitentur? Audis ex Euangelio & epiſtolis neſcio quid peregrina, & ſi non tibi, at certè populo circunſtanti, ipſique adeò plerunque ſacrificulo ignota lingua non prædicari ſicut oportuerat, ſed barbariſſime legi, aut etiam cantari ἀναιδῶς. Et quid eſt Deum irridere, ſi hoc non eſt? vides attolli τὸ βδέλυγμα, & vnus es ex eorum numero, qui panem inuocant, & adorant, qui Chriſtum offerunt pro viuis & mortuis, qui denique vnicum illud ſacrificium impiiſſimè polluunt & contaminant. Apage, inquies, iſtis quæ inuexit barbaries non aſſentior, nec alterius conſcientia meam polluit. Sed quum hoc dicis, quid aliud dicis, quàm te aliud in corde quàm quod præ te feras habere, atque adeò te nunc inter illos tuos catholicos non alium eſſe quàm olim inter noſtros fueris, inſignem videlicet hypocritam, & vtrorumque deriſorem? Itaque ſicut tu quodã libri tui loco noſtros admones vt videant cui ſeruiant, ita tuos catholicos ac in primis bonos illos patres ſiue Sorbonicos ſiue Louanienſes, ſiue Colonienſes ſedulò ac seriò moneo, videant etiam atque etiam quomodo te tolerent, qui te Miſſæ βδέλυγμα, id eſt, abominationem dicas & ſcribas non approbare. Sed videamus quàm fortiter Miſſam propugnes. Auguſtana confeſſio cenſet aliquam Miſſam eſſe retinendam. Quaſi verò Miſſam tuam illi nobiſcum communi conſenſu non execrentur, aut nos de nomine ac non potiùs de re contendamus. Hoc quidem non negamus, à quibuſdam in ſuis liturgiis aliquos adhuc ritus retineri, ſed neque eadem omnes retinuerũt, nec illorum ſanè quiſquam, niſi fortaſſe VVeſtphalus ille, dignus quem in deliciis habeas, ad ſuam formulam adigere nos voluit. Sciunt enim ſani homines quæ ſemper fuerit in his externis rebus Eccleſiarum libertas, nec iure damnari à quoquam poſſunt quibus in rebus ſacris id demum vt optimũ quod ſimpliciſſimũ eſt probatur. Quantum enim profuerint Eccleſiæ, qui non contenti Apoſtolorum ſimplicitate, dum Chriſtianiſmum præpoſtero zelo ſtudent exornare, Paganicos & Iudaicos ritus in Eccleſiam inuexerunt, qui non videt, nihil planè videt. Et miraris hac ætate inueniri qui ſcriptis libris, quos tu, ſcurra, ſcurriles appellas, craſſiſſimos iſtos abuſus exagitent, & eorum fontes aperiant? Quanquam hic quoq; Caluino totique huic Eccleſiæ iniuriã facis, quum hîc ſcribis natum & editum librum fuiſſe de Numę Pompilij ſacris, quod tu ipſe falſiſſimum eſſe noſti. Scriptus enim iſthic eſt & editus ab optimo & doctiſſimo, & præcipuæ nuper in curia Rothomagenſi dignitatis viro, quem tui illi catholici carnifices (quorum pleroſque nunc Deus iuſtis pœnis vlciſcitur) poſtea cum Marloratio fideli illo Dei ſeruo, fratre & ſymmyſta mihi chariſſimo, honorando nobis martyrio Rhotomagi ſuperiore anno affecerunt. Sed hoc non miramur te effutire, quum nullum ſit tam impudens mendacium, cuius te pudeat. Cuiuſmodi enim illud eſt quod te non puduit ſcribere, ſolennem illam exhortationem SVRSVM CORDA, à nobis in noſtra liturgia fuiſſe ſublatam? Mendacium enim tuum abſque vllis rogatis teſtibus ex ipſa noſtræ formulæ lectione deprehendet quiſquis eam vel leuiter inſpexerit, quum ibi non tantùm ſit expreſſa, ſed etiam pulchra & religioſa explicatione declarata. Similis tua impudentia eſt in eo quod tu, Balduine, non ſine blaſphemia captioſum verbum voces, de quo neceſſe eſt vt pauca quædam commemorem. In ſolennibus precibus quas diebus Mercurij habere ſolemus, illud etiam legitur, poſſe nos coram Deo per ipſius gratiã fœdus quoddam proferre melius eo quod Deus olim cum Patribus pepigit, illud videlicet quod per manum Ieſu Chriſti Filij ſui ſtabiliri atque adeò ipſius ſanguine ſcribi & morte ſanciri voluit. Hanc igitur voculam MELIVS quum quidam imperitus auſus eſſet reprehendere, obuiam itum eſt eius temeritati, & ipſe quoque erroris admonitus acquieuit. Quid verò Balduinus? nempe dignum etiã hoc putauit quod Caluino exprobraret, vt qui veluti dictaturam in Eccleſia gerens, ne apicem quidem in ſuis dictatis deleri patiatur. Et cur ſic exclamat? *Quoniam* inquis, *quum amici tui te verecundè monerent vt ambiguum & captioſum verbum tolleres, ne quis diuerſa eſſe hæc fœdera periculosè putaret, tu ſeditioſè tumultuoſos eſſe exclamaſti.* Bona verba, Balduine, non hic mos eſt huius Eccleſiæ, ita vt tu fingis, tumultuari. Ille ipſe cui te putas patrocinari, niſi nuper eſſet à tuis catholicis in bello interfectus, te mendacij redargueret, vt qui clementer admonitus, in veritate acquieuerit. Sed vnde hæc tua inſcitia? audere te de ratione conſtituendarum Eccleſiarum velut oracula proferre, quum ne prima quidem Chriſtianiſmi elementa teneas? an tu enim ignoras quod & quantum ſit veteris & noui fœderis diſcrimen? Sed vocabulum illud ambiguum eſt & captioſum. Nempe hoc eſt quod præclarè dicit Thucydides, ἀμαθία θρασεῖς ἀπεργάζεται. Inſpice quum voles, Balduine, caput Heb. 7. 5. 22. Ibi hęc verba inuenies, quæ in noſtrarũ precum formã tranſtulit Caluinus. κατὰ τοσοῦτον κρείττονος διαθήκης γέγονεν ἔγγυος Ἰησοῦς. Et miraris nos pati non potuiſſe vt quod Spiritus ſanctus dictauit expungeretur? Et te, blaſpheme apoſtata, nõ pudebit ipſius Spiritus ſancti ſermonem vt ambiguum & captioſum reprehendere? I nunc, Balduine, & nega ſi potes, te in manifeſta inſcitia, impudentia, & blaſphemia non eſſe deprehenſum.

Porrò quod muſices quoque mutationẽ in Eccleſiis noſtris factam reprehendis, minimè miramur, quoniam ex quo ad Romanos defeciſti, etiam ſaltare, vt audimus, didiciſti. Sed tibi ſanè & canito & ſaltato quandiu voles, nos hãc choreã minimè tibi inuidebimus, quoniã ſcimus fore vt dũ Doricum canimus, tu ab Ionico in Lydiũ deſinas. Sed ecce neſcio quomodo iniecta muſices mentione, nos ad res prorſus diſſimiles tranſire cogis. Age ergo te hiſtrione ſaltabimus, vt aliquantulum oblecteris. Quum nos tuus in hæreticos ſæuitiæ accuſandi, in qua deſcribenda tot egregij tui libri paginas, tu miſero illi & ab omnibus deſerto Bellio ſuccenturiatus, conſumpſiſti, non aliam occaſionem habeas quàm iuſtiſſimum illud ſupplicium de blaſphemo Serueto ſumptum, op-

poſuit tuæ calumniæ Caluinus grauiſſimum Philippi teſtimonium, quod inficiari nõ potes, quoniam publicè editum eſt non ſemel, adeò quidem vt hoc exemplum quod ſolo noſtri odio, tibi nunc diſplicet, & libentiſſimè tamen in nobis aſpiceres, dignum eſſe ſcribat quod omnes Chriſtiani Principes imitentur. Tu verò quid ad iſta reſpondes? planè quæ digna ſunt Balduini impudentia. *Non deſunt*, inquis, *teſtes idonei, quàm ille poſtremis vitæ ſuæ annis quibus eum vidimus & audiuimus, conquereretur de tua præfracta moroſitate*. Diceres Balduinum fuiſſe aſſiduum Philippi auditorem, qui Balduinus quum fortè Heidelbergæ illuſtriſſimum Electorem falleret, quo tempore Philippus VVormatiæ conuenerat, illum ſemel atque iterum vidit. Hoc prætextu putauit ſibi impunè mentiri licere. Nam quid de nobis ille ad extremum ſenſerit, & literis ac re ipſa teſtari ſit ſolitus, oſtendere quidem poſſumus, Balduine: ſed puderet nos in rebus honeſtis minùs eſſe pudentes, quàm tu in turpibus impudens eſſe ſoles. Proferam tamẽ quiddam quod à me extorques, quoniam via vllum aliud maioris improbitatis exemplum extat. Quæ fuerit Gallicarum eccleſiarum conditio ſub id tempus quo captum fuit S. Quintini oppidum, tota Europa nouit, & tum ipſos noſtros hoſtes aliqua cœpit noſtri commiſeratio, adeò vt quum maximus eſſet captiuorum numerus, paucorum ſupplicio fuerint contenti. Eo igitur tempore Pariſienſium fratrum precibus & lachrymis commoti, venimus aliquot ab his Eccleſiis miſſi cum literis ad illuſtriſſimos Germaniæ Principes Euangelicos, à quibus petebamus vt pro miſerorum fratrum ſalute, & Eccleſiarũ Gallicarum pace apud Henricum regem quorundam crudelitati planè ſeruientem, intercederent. Erat tum VVormatiæ D. Philippus cum præcipuis & doctiſſimis Germaniæ Theologis in illo conuentu qui cum catholicis quos vocant, erat inſtitutus. Illos ergo cõuenimus, à quibus ita certè & auditi & excepti ſumus, vt mihi quidem qui in eo eram numero, perpetuò iucunda ſit futura eius legationis memoria. Neque verò nos iſtius laboris pœnituit, quia ab illuſtriſſimis Principibus pro ſingulari eorum pietate impetrata legatio, id effecit vt noſtri ſaltem fratres reſpirarint. Quid autem Balduinus noſter, qui iam tum apoſtaſiam ſuam meditabatur? Audiamus rogo. *Quid*, inquis, *Philippus reſponderit tuo ſiue legato ſiue Apoſtolo* (is ſum ego Apoſtolus, vnus ex iis qui pro calamitoſiſſimis Eccleſiis quibus iſte iam tum inſultabat, laborabam) *de turbis Gallicis iam tum gliſcentibus agens* (ſcilicet turbas iam tum mouebamus & poſtea mouimus) *multi qui aderant, ſciunt*. Ergo Balduine, quàm impudenter mentiaris, illi ipſi teſtificentur, qui quàm honorifico teſtimonio nos apud illuſtriſſimos Principes iuuerint, prolatis, quum opus erit, literis oſtendemus, quibus hi omnes ſua manu ſubſcripſerunt, Philippus Melãchthon, Ioannes Brentius, Ioannes Marbachius, Michael Dillerus, Ioannes Piſtorius, Iacobus Andreæ, Georgius Cargius, qui tum ſoli Theologi VVormatiæ, nomine illuſtriſſimorum Euangelicorum Principum conuenerant. Vides igitur tandem quibus teſtibus craſſiſſimum tuum mendacium refellatur? Meminiſti tamen quarundam Philippi ad Caſtellionem literarum, in quibus illum dicis ſententiam iſtius de libero arbitrio & prædeſtinatione probaſſe, & noſtram in illo vexando, vt tu loqueris, intemperiem damnaſſe. Nempe digniſſimus erat Caſtellio qui te patronum inueniret, quãquam ne teipſum quidem exiſtimo perlectam eius ſententiam probaturum. Sed tamen de rebus ipſis, quum voles dicetur. De Philippi verò literis quicquid garris, falſiſſimum eſt, quod nõ modò ea omnibus ipſius ſcriptis liquet, ſed etiam ex iis ipſis literis quarum partem in accuſatione tua inſcribere voluiſti. Hoc quidem nõ inficiamur, eum, vt ſuum cuique iudicium eſt, aliam de rebus illis dicendi rationẽ ſequutum eſſe, ſed in rebus ipſis quàm inter illum & nos cõuenerit, vnde tandem meliùs quàm ex ipſius teſtimonio probabitur? Sic ergo ſcribit in iis literis quarum tu ipſe partem citaſti: *Quum autem & honorifico me teſtimonio ornaris, & de tota re non ſolum piè, ſed etiam eloquenter diſſerueris, de vtraque re, videlicet de mea gratitudine, & de ipſa diſputatione coram nos, vt ſoliti ſumus quoties vnà fuimus, prolixè colloqui poſſe optarim. Etſi enim, tantum vel ingenij vel doctrinæ mihi non arrogo quantum tribuis, & nos in primis in Eccleſia agnoſcere noſtram imbecillitatem decet, tamen beneuolentia erga me tua vehementer delector, tibique gratiam habeo quòd in ſcripta luculento* (loquitur autem de Caluini libris de libero arbitrio aduerſus Pighium ſcriptis) *tãquam in illuſtri poſitam loco extare ſignificationem amoris erga me tui voluiſti*. An hæc verba ſunt, Balduine, hominis à Caluino diſſentientis, & de tanto viro ita vt tu ſaceis iudicantis? Sed hîc neceſſe eſt, vt te manifeſtè falſariũ eſſe coarguã. Quum enim aliquã huius epiſtolæ partem deſcripſeris, ex qua ſuſpicionẽ aliquã iniiceres Philippum à Caluino diſſenſiſſe, quæ tua fuit impudentia, de induſtria prætermittere quæ tuam falſitatẽ penitus & manifeſtiſſimè refellunt? Neque eſt quòd dicas te noluiſſe totam epiſtolã inſerere. Nã id quod dico, & quod mox ſubiiciam, ita inſertum eſt iis ipſis quæ deſcripſiſti, vt in eius omiſſione ſumma tua improbitas & malitia tegi non poſſit. Sic enim ille, cuius αὐτόγραφον ipſe habeo, Balduine, quo tua iſta falſitas ſine vlla exceptione coarguatur, ſcribit poſt verba illa, *aſſentiẽtem Deus adiuuat qui per verbũ eſt efficax*, quæ tu repetiiſti: *Hæc nã ſcribo vt tibi tradam quaſi dictata, homini & eruditiſſimo & peritiſſimo exercitiorum pietatis. & quidem* SCIO HAEC CVM TVIS CONGRVERE, *ſed ſunt παχύτερα, & ad vſum accõmodata*. Et hæc quidẽ ſunt quæ de induſtria prætermiſiſti. Sequitur deinde quod tu quoque deſcripſiſti, *Hæc Romæ ſcripſi apud Bucerum*. I nunc, Balduine, & quum illa vltrò & de induſtria omiſeris quibus nihil contra tuam accuſationem apertiùs dici potuit, nega ſi poteris, te in manifeſta falſitate & calumnia deprehenſum. Sed aliud teſtimonium profers, ſententiam videlicet Senatus Bernenſis, latam 3. Aprilis, anno 1555, quæ tua illa Caluini axiomata ex ſuis ditionibus faceſſere iuſſit. Audi itaque, Balduine, quum iſtam quam dicis, ſententiam proferes, memineris tres alias adiungere, duas videlicet, quibus exilio mulctantur qui Caluinum auſi fuerant iſtorum

quæ

quæ nunc inculcas, accuſare: tertiam verò qua Lauſanenſis eccleſiæ ſuper illis rebus ſatisfaciunt, vt ad hoc quoque mendacium tuum refellendum melioribus teſtibus non egeamus quàm iis ipſis quibus te ſimulas inniti. Adiicis tamen vt tuam integritatem nobis probes, quoddam Philippi epiſtolium, & Bulingeri noſtri literulas. Atqui optimos illos viros qui te ita ſentire putabant vt tum ſcribebas, minimè miramur fuiſſe à te deceptos, quum eos ipſos quibuſcum quotidie verſabaris, tam turpiter fefelleris. Sed illud etiam nolui præterire, cauſam non eſſe quòd de Philippi teſtimonio glorieris, quem omnes norunt fuiſſe quotidie à tam multis paſſim ad eiuſmodi præbenda teſtimonia ſolicitatum, vt communes etiam eorum formulas illum habere oportuerit. Itaque vis dicam cuiuſmodi ſint illæ Philippi literæ, de quibus apud imperitos homines gloriaris? fuerunt certè apud Philippum veluti ſcenicæ veſtes, quas ille quibuſuis hiſtrionibus & agyrtis tui ſimilibus, commodare ſolebat, vt ſe ab eorum importunitate liberaret. De te verò quid nunc iudicet Bulingerus noſter, tu deinceps, vt ſpero, tibi ſcribendum non putabis. Sed obſecro quis tandem erit conuiciorum finis? Quod in te de priuignis ſumma perfidia ſpoliatis dictum fuit, hoc non contentus inficiari, neſcio quem Caluino exprobras, cum quo affinitatem contraxit, & cuius etiam creditoribus eum iubes ſatisfacere. At quo iure hoc decerneretur, clariſſime iuriſconſulte? an quòd in ſocietatem prædæ Caluinus venerit? ſcilicet. Nam hoc vociferantur illius creditores. Atqui ex iis qui huc venerunt, venerunt autem non pauci, nemo tam impudens fuit qui tam abſurdam calumniam auderet comminiſci. Sed quid, ſi cauſa cognita, comperrum eſt eum de quo nunc agis, extra doli culpam eſſe? Verùm quid hæc ad nos? an non in hac ciuitate ius dicitur? an non conſtituti ſunt iudices? Agant iſti ſanè inter ſe. Nunc ſaltem extra ſuſpicionem erit Caluinus, rupto illo affinitatis vinculo. Sed ego planè ſtultus qui tandiu in iſtis hæreo. Itaque ad cætera venio. Doles te impietatis accuſari, ſed vtinam tibi impium eſſe doleret potiùs quàm dici. Redis poſtea ad veteres tuas cantiones, & iſtius belli ciuilis inuidiam in nos deriuas. Caluinus enim, ſi tibi creditur, is eſt qui vnanimes antea fratres, Nauarrenum videlicet & Condenſem armauit. quomodo verò? quum me videlicet veluti vulpem in Galliam immitteret, ardentibus facibus caudæ meæ alligatis, vt quocunque diſcurrerem, incendium excitarem. Mox etiam tibi eſt Tiſiphone, Erinnys, Alecto, Saturninus, Druſus, Sulpitius, Ioannes Antiochenus, Dioſcurus, denique quid non? Sed dic, quæſo Balduine, quum illa conuicia euomeres, an non tua te conſcientia ſodiebat, quum eum à quo in meam perſonam iſta tranſtuliſti, quotidie videres ac penè adorares? Negabis, opinor, & quidem ea fide qua vti ſoles: ſed ego veriùs dicam, nos omnibus iſtis tuis conuiciis non magis quàm canum latratibus moueri, quoniam, Dei gratia, & qui ſitis, & qui ſimus omnes norunt. Itaque quò magis mentiendo teipſum fatigabis, eò ſuauiùs in bona conſcientia acquieſcemus. Illud verò quàm lepidum eſt quod recitas de quodam tibi charisſimo, qui in mediis caſtris de columba illa Nohæ & pace facienda ſit concionatus, quum ego quorundam etiam militum offenſione ſeditioſis meis concionibus interturbarim. Video te, Balduine, neſcio quid ex rumore accepiſſe, ſed quàm turpe eſt affirmare quod tot teſtibus refelletur? Is ipſe quem tu nunc ais, vt audio, tibi vitam debere, & nobis inimicum eſſe fingis, quoties voles, te ſibi vt perditum apoſtatam, inuiſum: nos vnà ſemper coniunctiſſimè toto illo tempore vixiſſe: blanditias quibus nonnulli nos lactabant, mecum cognouiſſe teſtabitur, & me tacente, tuum mendacium refellet. Venio ad Duarenum, de quo ſcripſerat Caluinus id quod res eſt. Quicquid videlicet ille in ſuis neſcio quibus commentariis de Eccleſiæ miniſteriis & beneficiis rectè ſcripſit, ex Inſtitutione ipſius Caluini deſumptum eſſe: te verò quum illi ob aliam cauſam eſſes inimicus, hoc plagium ei exprobraſſe, non vllo religionis ſtudio, ſed vt hominem inter Papiſtas verſantem eorum crudelitati obiiceres. Quid tu ad hæc reſpondes, bone vir? Nos mortuum laudare quem viuentem execrabamur, quod noſtrum factum poſtea multis paginis amplificas. Sed vt vno verbo omnia tua maledicta diluam, adeóne ineptus es, vt nos cenſeas integrum librum laudaſſe, quoniam quicquid rectè in eo ſcriptum eſt ex noſtrorum ſcriptis ſumptum eſſe diximus, & tu ita eſſe, aduerſus illũ ſcribens oſtendiſti? Non probauimus igitur librum illum, Balduine, ne neſcias, nec probamus (quis enim ſanus hoc faciat?) ſed tuum conſilium, ſicut par erat, vt crudele & Chriſtiano homine penitus indignum damnauimus, qui (vt inimicum perderes) vel omiſſis vel leuiſſimè refutatis illorum commentariorum erroribus, in eo demum capite inſtiteris, in quo, quod ad doctrinam attinet, non reprehenſionem ſed laudem merebatur. Hoc eſt tuum facinus Balduine, de quo te reſpondere oportuit, potiùs quàm de eo dicere quod nobis nunquam in mentem venit. Addo etiam aliud de quo tu videris quomodo ſis reſponſurus. Arguis nos (& quidem falſò) vt parum candidos, quòd quem hominem antea vituperauimus, repentè laudemus. At ego tibi, Balduine, obiicio quod longè eſt vitioſius, & nunquam à te diluetur: Te videlicet eum ipſum hominem in eodem facto improbiſſimè nunc vituperare, quem antea omni laude dignum cenſuiſti. Diximus paulò antè quibus conuitiis Criſpinum noſtrum affeceris, quem per ludibrium ſcribis ex iuriſconſulto librarium eſſe factum. Iam autem audiamus quid tu de eodem Criſpino & eadem re, in eo libello cenſueris quem Chriſtianorum iuriſconſultorum nomine aduerſus Duarenum edidiſti. *Indignè*, inquis, *ferimus, te Geneuam excurriſſe Duarene, vt, ſi poſſes, Criſpinum tentares. Ille quidem qui in ordine iuriſconſultorum non minùs quàm tu ſedere potuiſſet, & aliquando ſederat, ſeſe nunc ad artem typographicam demiſit, vt Eccleſiæ Chriſti magis prodeſſe poſſet, & verò profuit hactenus, quantum optimis & ſanctiſſimis libris editis prodeſſe licuit.* Quid tu ad hæc, Ecceboli? Si te poſtea Criſpinus amare deſiit, quoniam Chriſti Eccleſiam odiſſe cœpiſti, an propterea quod tu ipſe laudabile iudicaſti culpare meritò potuiſti? Itaque quis tandem ita poſthac inſaniet, vt te

amare incipiat,quum res ipſa oſtendat neque te aliter amare quàm adulatores ſolent,neque aliter
odiſſe quam ſi nunquam amaſſes? Quid plura? defendendam etiam tibi nunc exiſtimaſti Romanæ
eccleſiæ tyrannidem,& crimen illud falſi quo damnatus eſt in Africana ſynodo Romanus ponti-
fex ob ſuppoſititium Nicænum Canonem ita excuſas, vt totam potiùs Africam leuitatis accuſa-
re malis. Aís enim te poſtea comperiſſe hunc canonem fictum non fuiſſe, quamuis non fuerit in
Græcis exemplaribus ab Africanis Epiſcopis inuentus. Sed vbi hoc arcanum compe iſti,vir do
ctiſſime? Athanaſius,inquis,& Ægypti Thebaidos, ac Lybiæ epiſcopi, in ſua ad Felicē pontificem
epiſtola affirmant illud de prouocatione,decretū fuiſſe Nicææ. Itáne verò,Balduine, te ineptire,vt
illam epiſtolam, ſicut & reliquas ferè omnes,ſuppoſititiam eſſe non animaduerteres? Neque vt
id probem, afferam illa in hoc genere peruulgata argumenta, nullam eſſe eius ad Felicem epi-
ſtolæ mentionem in hiſtoria Eccleſiaſtica, eámque totam eſſe ex deprauatis ſacræ Scripturæ teſti-
moniis conflatam, & impudentiſſimæ adulationis plenam: Bonifacium qui falſi damnatus eſt, ſi
quod tale Romæ teſtimonium habuiſſet,fuiſſe ſtatim in Africam miſſurum: fieri non potuiſſe vt ſi
quid eiuſmodi ſancitum fuiſſet in ſynodo Nicæna, id Conſtantinopoli non extaret, & ab omni-
bus Africanis epiſcopis ignoraretur. Hæc,inquam,quæ tamen maximi ſunt pōderis non afferam,
ſed dicam quod refellere nullo modo poteris. Felicem ambitioſiſſimum hominem omnes norunt
ſub Conſtantio fuiſſe pontificem Romanum factum, Liberio in exilium acto,& eodem reuerſo
non diu ſuperuixiſſe,quem etiam pontificalis liber Damaſi papæ narrat à Conſtantio fuiſſe inter-
fectum. Toto autem illo tempore Athanaſium Alexandria exulaſſe nemo ignorat: nec ante Con-
ſtantii mortem à quo reſtitutus,& rurſum eiectus ante Liberii exilium fuerat, reuertiſſe. Illam i-
gitur ſynodum Alexandrinam nemo dubitare poteſt Felice iam mortuo, Iuliani apoſtatæ tempo-
ribus coactam,ac te proinde,apoſtata Balduine,non minùs indoctum quàm impudētem eſſe, quū
iſtis Romanæ curiæ ſtercoribus,quibus te recēns conſpurcaſti,os nobis ſublini poſſe exiſtimares.
Sed quis non miretur ne hoc quidem tantæ negligentiæ turpiſſimum in tam acri reprehenſore
exemplum tibi ſufficere potuiſſe,adeò quidem vt teipſum etiam ſuperare volueris? Notū eſt quid
in Cæciliani cuiuſdam cauſa acciderit,quæ hiſtoria plurimis locis ab Auguſtino præſertim narra-
tur,& à noſtris citari aduerſus Romani pſeudoepiſcopi tyrannidem ſolet, quoniam in ea extat illu
ſtre & perſpicuum teſtimonium eius authoritatis,qua tum imperator in Eccleſia Chriſtiana ſiue
controuerſia pollebat, quæ omnia non poſſumus meliùs vel clarius quàm ex Auguſtino ipſo in-
telligere. Is ergo tum aliis multis locis, tum verò epiſtola 162. totam illam narrationem contexēs,
ſic disertè ſcribit, *Deinde diximus eos* (intellige Cæciliani aduerſarios) *petiſſe à Conſtantino tunc
Imperatore iudices Epiſcopos, qui de ſuis quaſtionibus quæ in Africa exortæ, vinculum pacis dirimebant,
arbitrio medio iudicarent. quod poſteaquam factum eſt, præſente Cæciliano & illis qui aduerſus eum nauigauerant,
iudicante Melciade tunc Romanæ vrbis Epiſcopo cum collegis ſuis, quos ad preces Donatiſtarum
miſerat imperator, in Cæciliano nihil probari potuiſſe, ac per hoc, illo in Epiſcopatu confirmato, Donatū
qui aduerſus eum tunc aderat, improbatum. Quibus peractis rebus quum illi omnes in pertinacia ſceleſtiſſi-
mi ſchiſmatis permanerent, pòſt apud Arelatum, memoratum Imperatorem eandem cauſam diligenter exa-
minandam terminandámque curaſſe. Illos verò ab eccleſiaſtico iudicio prouocaſſe vt Conſtātinus audiret,
quò poſteaquam ventum eſt, vtraque parte aſſiſtente, innocentem Cæcilianum fuiſſe iudicatum, atque illos
receſſiſſe ſuperatos.* Obſecro verò,lector,quum hæc legis, & cum Romana tyrannide cuius funda-
menta iam tum iaciebantur,comparas, an non Pontificum audaciam, & Regum ignauiam demi-
raris? Sed conductitius noſter Romanæ ſedis patronus,quid iſtis opponit? acta Arelatenſis conci-
lii quæ nuper eſt nactus, & Optatum ſuum manuſcriptum,ex quibus appareat Conſtantinum ta-
le prouocationis genus non laudaſſe. Enimuerò quis tantam peruicaciam laudaret? & quis igno-
rat in cauſæ merè Eccleſiaſticæ cognitione, iure potuiſſe Imperatorem præfractos illos à ſe reii-
cere,& quod toties iam erat ab Eccleſia iudicatum,vt obtineret curare? Sed hoc quæritur quod nō
attingis,Balduine,licueritne Imperatori iudices Epiſcopos dare cum Romano pontifice, atque a-
deò quod Romæ iudicatum erat ſua authoritate curare apud Arelatenſes retractandum. Hoc,in-
quam,quæritur,iurénе ſit ab Imperatore tam religioſo factum,approbantibus Epiſcopis,ipsóque
adeò Auguſtino ita rem totam narrante, vt ne tenuiſſima quidem ſit ſuſpicio id ei diſplicuiſſe.
Quæritur etiam an Melciades habendus ſit pro Apoſtolicæ ſedis proditore, qui ne verbo quidem
teſtiterit,nedum vt legatos miſerit à latere,vel Imperatorem diris deuouerit. Tu videris ergo cla
riſſime iuriſconſulte,quomodo hanc cauſam ſis defenſurus, vel potiùs ſummam tuam tum inſci-
tiam tum impudentiam excuſaturus. Et hæc quidem de nobis hactenus. Video enim te reliquam
tui libelli partem in aliis quibuſdam hominibus exagitandis conſumere,quibus magnam iniuriam
à me fieri arbitrarer,niſi quum ipſi & eruditione & iuris cognitione excellant,& optimam cauſam
tueantur,totam iſtam controuerſiam quam tecum habent integram eis relinquerem. Sed de his,
vos iuriſconſulti inter vos,vt ſpero,facilè tranſigetis. Quòd enim eos,Balduine, à nobis accerſitos
putas,vana ſuſpicio eſt,quum ne nunc quidem Contium niſi de nomine nouerimus, alterum autem
quis ſit ex tuo potiùs reſponſo quàm ex ἀνωνύμῳ epiſtola cœperimus ſuſpicari. Nam hoc teſtari
ſanctè poſſumus, non ex Germania vbi tum ille erat, ſed ex ipſa Lutetia illam epiſtolam miſſam
fuiſſe,& quidem ignota manu ſcriptam. Sed placuit librario tuo, vno volumine qualemcunque
tuarum virium deſcriptionem oculis hominum ſubiicere. Ἁμάρτημα χρονικὸν de Sabellii & A-
rii ætate quod Caluino obiicis, longè eſt tuo illi de quo modò dixi exemplo diſſimile. Neque
enim ibi de temporibus quæſtio èſt, ſed de rebus ipſis, id eſt illorum hæreſibus, quas etſi non ex
temporum ordine,rectè tamen & diſtinctè ab illo refutari ne tu quidem inficiari potes. Imò etiam
ſpod

apud Lucam Gamaliel Act.5.v.37, ſimiliter labitur, ſi tuis Ioſephi hiſtoriis credimus. Cæterùm alter ille noſter amicus, cui tu olim, id eſt tantiſper dum Argentinæ neſcio cuius ſceleris te conuinceret, nihil non tribuebas, nunc autem omnia detrahis, quis ſit, & quum fortè calamum arripuit, quid præſtare poſſit non ignotas. Itaque magnum tibi certamen ſupereſſe video. Nam quæ tibi obiecit magnam inſcitiam arguunt, quæ tamen (vt aiunt) refellere nó poſsis. illa verò quæ regeria cuiuſmodi ſunt quæſo? Latinè ſcilicet neſcit, vt eum oportueris ad Latinam epiſtolam ſcribendam alterius operam requirere. Crimen autem ἀθεότητος, etſi omnium eſt grauiſſimum, ille tamen, vt opinor, ne reſponſu quidem dignum putabit. Quid enim hoc aliud eſt quàm latrare? Sed te video nonnulla præterea de ſacris myſteriis aſpergere, quæ cuiuſmodi tandem ſint agè expendamus. Dicis te eorum ſequi ſententiam, qui tale tantùmque myſterium exinaniri non patiuntur, & magni facere perpetuam veteris Eccleſiæ ſententiam. Tuum hoc ænigma, Balduine, non difficile eſt explicatu. Audiui enim ego ipſe hæc eadem à tuo illo Cardinali, quum nos in colloquio Puſiaceno eluderet. nec dubito quin poſtea apud illuſtriſſimum Ducem VVirtembergenſem. tuis conſiliis abundè inſtructus, longè maiore ornatu hanc fabulam agere inſtituerit, in cuius ὑπόκρισιν miſera Gallia, atque adeò totus orbis nunc verſatur. Sed mihi crede, Balduine, iam ſatis ſupérque veſtræ fraudes patent. Vetus & rancida illa calumnia, qua ferebatur nos docere Cœnam Domini nihil aliud eſſe quàm μνημόσυνον quoddam mortis Domini, iam olim apud omnes ſanos & pios homines euanuit. Neque enim veram veri corporis & ſanguinis κοινωνίαν negauimus, neque negamus; cuius præcipuè cauſa ſunt αὐτόθι inſtituta. Tantùm supereſt controuerſia, ſitne cum pane reipſa in terris coniunctum Chriſti corpus, an verò in cælis quidem abſens, ſed fidei tamen præſentiſſimum, verè nihilominus per Spiritus ſancti virtutem credentibus communicetur. Quid tu igitur, Balduine, de exinanitione garris? an enim Baptiſmum inanem eſſe dices in quo ne tui quidem catholici Cyclopes inter quos nunc verſaris, realem ſanguinis præſentiam requirunt? Et quæ iſta eſt impudentia? Si placet Heshuſiana illa & VVeſphalina manducatio quam diſertè Philippus ipſe paulò ante mortem redarguit, & noſtram improbas, cur ad Tranſſubſtantiatores tranſiuiſti? cur ab illis pendes? cur eorum ſacra participas? Noſti enim quid dicat Paulus, mēſæ dæmoniorum cum menſa Domini nihil eſſe commune. Imò an tibi eſſe in Tridentino conciliabulo, an tibi Papiſticis bullis munito in patriam regredi, & alterius Cardinalis conſiliis aduerſum nos intereſſe nunc liceret, niſi confeſſioni etiam Auguſtanæ renuntiaſſes? Sed tuæ nimirum manifeſtiſſimæ apoſtaſiæ maculam putaſti apud illos quos ſoles ſtolidos Germanos vocare, tribus verbis elui poſſe. & quũ vtroſque in ſinu pariter rideas, vis tamen videri alteris fauere, vt ex mutuis noſtris vulneribus ſecuram voluptatem capias. Sed dabit nobis, vt ſpero, Dominus, quem quibuſcunque modis poteſtis, conſenſum impeditis, nec etiam efficere poterit Satan hoc qualicunque quod ſupereſt diſſidio, quin alij alios pro fratribus habeamus, & veſtra portentoſa mendacia coniunctis animis fortiter oppugnare pergamus. Sed de his vt video multò plura quàm velis. Dicis enim te nolle de myſteriis diſputare, quoniam lex prohibet, ex quo videlicet ad eos tranſiuiſti qui Chriſtianam religionem in ὄργια illa Cereris myſteria trāſformarunt. Verùm quid hæc ad miſerum illum Zebedæum, cuius etiam nomen dignum putaſti quod libello tuo inſcriberes? Noſtram quidem vitam illi quem vix vnquam aſpeximus, neſcimus cur deſcribendam relinquas. Sed ſuſpicamur, multò ſe illi gratiùs facturum, ſi propter detecta tandem flagitia ſua nunc egenti & erranti, vnde ſuam ipſius vitam tueatur potiùs ſubminiſtres, quàm alienam perſequi iubeas. Et te certè hominem tam liberalem quàm te eſſe dicis, quíque noſtrorum ſyngraphis & chirographis te onuſtum eſſe narras, hoc officium in miſerum hominem & quidem conterraneũ tuum, in primis decet. Sed qui te norunt, iurant te eſſe ex iſtorum cauſidicorum genere qui πάντα, πάντοθεν, οὐδὲ πάντων, neſcio an contra legum veſtrarum formulam, accipere conſueuerunt: & ex quatuor illis veſtris cōtractibus innominatis illum vnum FACIO VT DES maximè probant. Imò non deſunt adhuc in hac vrbe qui te inſalutato hoſpite diſceſſiſſe conquerantur, nedum vt de tuo ſubleues aliorum egeſtatem. Negas te vnquam Argentorato iuiſſe Geneuam, quam tu Metropolitanam ſynagogam vocas, & quoniam hoc de te ſcriptum eſt in ea epiſtola quam amico illi noſtro, & tuo, vt ſcis, præceptori, tribuis, idcirco nos nebulones, vertiginoſos, impoſtores, præſtigiatores, cæcos duces, vafros ἀγύρτας vocas, atque adeò velut ἐξαπατῶν, Deum & Chriſtum noſtrarum præſtigiarum vltorem appellas. Digna res profectò cur cælum terræ commiſceatur, & actum eſt de republica Chriſtiana, quoniam aliquis auſus eſt Balduinum ſcribere Argentorato Geneuam iuiſſe, quum tamē Geneua Argentoratum ierit. Nec te tui pudet, hiſtrio? Sed noui cur tantopere te offendat auditum Argentorati nomen. Meminiſti illic ſolenni & publica profeſſione & quidem ambitioſiſſimè, in totius Eccleſiæ cœtu omnes illas impietates & blaſphemias, ad quas nunc miſer vltro reuerſus es, eiuraſſe. Huius facti recordationem quam tu nullam eſſe velles, cum ſummo conſcientiæ tuæ cruciatu, illius itineris narratio renouauit. Hinc illi clamores, hinc illæ lachrymæ. Verùm quid facias? vtinam tibi mederi poſſemus. tu teipſum præcipitem dediſti, & manet alta mente repoſtum, quod nunquam euelles, *Vtinam*, inquis, *Rhenum priùs quàm Lemanum lacum ſalutaſſem.* Sed quid ſi Rhenus & Necarus tibi reſpondeant, vt ſanè faciunt, Vtinam tu perpetuò potiùs apud Scaldin manſiſſes? Denique ardelio, quoniam Sturmiani ſtyli toties mentionem iniicis, vt noris quàm illi gratum hac in re facias, integram ipſius ad Caluinum epiſtolam hac de re ſcriptam ſubiiciam.

MAXIMO THEOLOGO ET OPTIMO VIRO, D.Ioanni Caluino, amico veteri & obſeruando.

VEhementer doleo, mi Caluine, Balduinum verbis abuti cuiuſdam epiſtolæ meæ contra tuam & noſtri Bezæ exiſtimationem. Memini quidem me iratum ſcribere acerbiorem epiſtolam ad quendam olim nobis cõmunem amicum, vt eum in fidei & amicitiæ viam reuocarem. Sed Deum teſtor me nihil vnquam ſcripſiſſe quod tibi & Bezæ non ſit honorificum. Quid de te ſentiam meminerunt veteres amici, ſciunt noui. Bezam propter conuerſionem noui Teſtamenti & illos commentarios, etiam antequam noſſem amare cœperam. Velim Balduinum in hanc arenam non deſcendiſſe, præſertim in hac cauſa religionis aduerſus te athletam Domini, nondum fixis armis neque vllius opis indigum, quum à te tam multa beneficia, vt audio ex aliis, acceperit. Miſeram conditionem eruditorum & piorum hominum quibus doctis & bonis eſſe non licet, niſi exerceantur inimicitiis. Cogitare debes me iſta ex animo & cum dolore ſcribere, cuius rei tibi ſit indicium quod ad poſtremam tuam epiſtolam Calendis Auguſti ſcriptam non reſpondeam, quum tamen plena ſit beneuolentiæ & argumenti non parui. Audio quendam alium diuulgatum librum ἀνώνυμον, in quo Amboſiani temporis autor meminit, & meum teſtimonium vobis minatur. At ego rurſus Deum teſtor me nihil vnquam cuiquam ſcripſiſſe aut ſcribendum curaſſe, quod ad infelicia illa conſilia prodenda vel indicanda pertineret. Scio vos in concionibus veſtris & certo animi iudicio nunquam iſta probaſſe, & illius temporis conſilia vos cælata fuiſſe de induſtria. Scribam ad Balduinum, & hominem admonebo officij. Video enim non ſine probro in iſtis famoſis libellis meum nomen aſpergi. Argentorati, 29 Auguſti, 1562. Ioannes Sturmius tuus.

Hæc ille, Balduine, de nobis & verè amicè, vt cauſam nullam eſſe intelligas cur eum iſtis controuerſiis inuoluas. Sed iam plus ſatis tecum ſum nugatus. Itaque tandem aliquando finem facio, téque pro mutua noſtra amicitia adhortor, vt quum multa ſint alia in quibus maiore cum lucro poſſis te exercere, & periculum ſit ne ſi ad Theologiam relicta iuriſprudentia transeas, magnum damnum accipiat Flandrenſis reſpublica, cui te nunc recèns accepi operam tuam locaſſe, malis Spartam tuam exornare quàm cum hominibus tam rixoſis, atque adeò tam ſeditioſis fruſtrà contendere. Quòd ſi fortè tui illi triduani, vt tu ipſe vocas, Theologi, quos etiam irridens, Tertullianos, Minutios, Ambroſios, Nectarios, Chryſoſtomos appellas, tuis clamoribus excitati, relicto foro, tuam cauſam agere voluerint, nobis ſcilicet, vt video vadimonium deferendum erit. Sed longè meliora libet ominari. Sũt enim ſcio, & in illo Senatu, & in omnibus ordinibus homines, ad quos iniquiſſima illa facta non pertinent, nec ſemper maior pars meliorem vincet. Imò dabit etiam, vt ſpero, Dominus vt qui in nos ferociſſimi fuerunt, corda illa, Deo volente, deponant, & eos meliùs cognitos complectantur, quos incognitos ſunt perſequuti. Conſtituta lex eſt ἀμνηστίας, quam ego inuiolabiliter obſeruandam cõfido. Iam obliti ſunt noſtri maximam acceptarum iniuriarum partem, & cæteras, vt ſperamus, obliuiſcentur, nec alij cuiquam potiùs quàm ſuis peccatis omnia illa mala imputabunt. Idem etiam vt alij faciant, omnibus votis à Deo contendimus, &, vt ſpero, obtinebimus. Nec ego ſi quæ ſuperioris belli incommoda in hac reſponſione coactus commemoraui, idcirco id feci vt nondum obductas cicatrices renouarem, ſed vt bonorum innocentiam aduerſus importuniſſimi apoſtatæ diuulgata conuicia defenderem. Nam quod ad iſtud deſperatorum hominum genus attinet, conſilium Prophetæ vt omnium optimum ſequamur oportet, qui de iſtiuſmodi monſtris coram Deo expoſtulans, An non, inquit, oſores tuos odio habebo, & cum inſurgentibus contra te litigabo? ſummo odio illos odi, & pro meis hoſtibus habeo. Et alibi, Effunde, inquit, ſuper eos iram tuam, quia quem percuſſiſti perſequuti ſunt, & eorum quos vulneraſti doloribus dolores addiderunt.

AD NICOLAVM SELNECCERVM THEODORI BEZÆ RESPONSIO, PRIMA.

CVM per ſe graue eſt ſemper falſi crimen, tum verò longè grauiſſimum quum de corruptis ſacri fœderis tabulis agitur: quod ſcelus quum immeriti mihi, & quidem ſcriptis accuſationis libellis, impingant Nicolaus Selneccerus & Ienenſes theologi, cogit me res ipſa ſilentiũ in quo iam annos aliquot perſeueraui, abrumpere. Neque id tamen facio, (ita me bene Deus amet) vel vt frigidam ſuffundam renaſcentibus

bus incendiis, quæ vtinam vel meo ipſius ſanguine reſtingui poſſent, vel vt iis ſuccenturiem qui in cauſa iuſtiſſima patrocinio meo minimè indigent: verùm quòd eò me adigant iſtorum calumniæ, vt aut mihi diluenda ſit iſta criminatio, aut prorſus deſerenda veritatis defenſio. Attingam igitur illa tantùm quæ ad me propriè ſpectant, & ita quidem vt conuitia & maledicta libens prætermittam quibus illi viuos & mortuos ſuo more conſcindunt. Ignoſcat hoc illis Dominus, faxitque vt ſeſe ipſi, & nos meliùs norint.

Summa accuſationis hæc eſt: Lucæ verba, Act. cap. 3. 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, Latinè ſum interpretatus, *Quem oportet cælo capi*: quam interpretationem iſti falſam & impiam eſſe vociferantur. De impietate poſtea viderimus. De falſitate priore loco reſpondebo.

De iſtis vocibus ὃν δεῖ, *Quem oportet*, controuerſia nulla eſt. Imò, quanuis Cæli nomine mei accuſatores aliud intelligant quàm ego, tamen illi Græco vocabulo non inficiantur reſpondere Cæli nomen. Sed & illud mihi videntur concedere, verbum δέξασθαι rectè pro δέχεσθαι exponi, quum ſic etiam vertat Lutherus. Duo igitur reprehendunt: vnum, quod δέξασθαι verterim *Capiendi* verbo: alterum, quòd paſſiuè interpretatus quæ Lucas actiuè ſcripſit, pro *Cælum accipere*, ſcripſerim, *Cælo capi*. Hoc autem vtrunque quanti ſit momenti, agè ſigillatim expendamus.

Dico ergo, verbum δέξασθαι eo differre à λαμβάνειν, ſi propria vtriuſque verbi vis ſpectetur, quòd illud demum de iis dicatur quæ aliunde illata vel oblata quiſpiam recipiat. Hoc ſcio mihi conceſſuros quicunque Græcas literas vel à limine ſalutarunt, vt nulla hîc à me probatio meritò requiratur, ac minimè dubium ſit quin τὸ δέχεσθαι Græcis prorſus illud declaret, quod Hebræis קבל ſicut verterunt interpretes Græci 1. Paralipomenon capite 12. 18. & 2. Paralipomenon cap. 29. 22. & Eſdræ capite octauo, verſu 29. & alibi paſſim. Quid plura? Syrus ille interpres, quo nullum neque vetuſtiorem neque certiorem nobis quærendum arbitror, hunc ipſum locum de quo agimus ſic vertit, רלהולא לשמיא ריקבלון.

Itaque reſpondet τὸ δέχεσθαι Latino verbo Recipere quo vſus eſt verus Latinus noſter interpres, pro quo minùs perſpicuum eſt verbum Accipere, verbo Hebræo לקח, & Græco λαμβάνειν ex aduerſo reſpondens, quo tamen vti maluit Eraſmus, quanuis Accipere etiam pro Recipere Latini vſurpent, vt quum Accipere literas, & Hoſpitem domo accipere dicunt.

At contrà δέχεσθαι pro λαμβάνειν, Recipere pro Accipere poſitum nuſquam inuenio.

Sed quorſum hæc? Cedò enim, dicent mei accuſatores, cur non igitur vertiſti *Cælum recipere*? & quis noſtrûm (inquient) negat Chriſtum à Patre hanc de qua diſceptamus gloriam recepiſſe? Audiant ergo quid reſpondeam, & quid illos in meis annotationibus obſeruare oportuerit priuſquã tranſlationem meam adeò impotenter reprehenderent.

Agè ponamus quod iſti volunt, nempe, *Accipere cælum* idem valere atque *Accipere gloriam Patris*. Quum tamen eo tempore quo Petrus hæc loquebatur, imò, ſi Brentianis deliriis credimus, ab ipſo hypoſtaticæ vnionis momento iam in iſtud cælum euectus eſſet Filius hominis, quis non videt vel dicendum non fuiſſe δεῖ *Oportet*, ſed ἔδει, *Oportuit*: vel pro *Accipere* vertendum fuiſſe, *Accepiſſe*? Eſſet enim certè inepta hæc Petri oratio, *Oportet vt Chriſtus accipiat cælum*, quum iam illud accepiſſet: iſta autem oratio fuiſſet veritati conſentanea, *Oportet vt Chriſtus acceperit cælum*. Et tamen nemo eſt iſtorum qui aliter ſit interpretatus, ne Lutherus quidem ipſe, quàm *Quem oportet cælum accipere*.

Deinde ſiue dicatur Chriſtus accipere cælum, vt iſti volunt, ſiue dicatur cælum accipere Chriſtum, quum iſta acceptio ſiue receptio ſit quiddam præteriens (aliud enim eſt accipere aliquid quã eo frui quod acceperis) quis nõ videt ineptiſſimè cohærere quod ſubiicitur apud Lucam, ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, vſque ad tempora reſtitutionis omnium? Nam ita certè ſignificaretur tum demum iſti acceptioni locum fore quum reſtituta fuerint omnia, ac proinde nondum ſedere Chriſtum ad dextram Patris, ſed hoc adhuc agere vt ſedeat, vt tum demum dicendus ſit cælum accepiſſe, id eſt ad dextram Patris ſedere, quum reſtitura fuerint omnia.

Quòd ſi etiam conuertas δέξασθαι, *Accepiſſe* vel *Recepiſſe*, abſque vlla videlicet temporis enallage, rurſum illud ἄχρι, quo ſignificatur certa quæpiã meta, minimè conueniet, niſi ſtatuere velimus Chriſtum in ſuo illo altero aduentu quẽ hîc notari certum eſt, gloriam illam ſuam depoſiturum. Atqui potiùs tum demum eſt venturus in plena maieſtatis ſuæ gloria, ſicut poſt ipſum Chriſtum teſtatur Apoſtolus, ideo etiam plerunque alterum eius aduentũ illuſtri ἐπιφανείας nomine declarãs.

Nec obſtat nobis illud, quòd particula Donec vel Vſque, interdum ea quæ præcedunt non terminet, vt quum dicitur Ioſeph non cognouiſſe Mariam donec peperiſſet, & Chriſtus nobiſcum futurus ad conſummationem vſque ſeculi. Nam res ipſa clamat de ſecundo aduentu loqui Petrum, quo futurum dicit vt illa Chriſti carnis in cælis commoratio non quidem finiatur, ſed tamen interrumpatur Chriſto videlicet tum demum è cælis deſcenſuro, ſicuti Petrus vnà cum diſcipulis ex ipſis Angelis intellexerat.

Ex his autem efficitur neque *Accipiendi* neque *Recipiendi* verbum huic loco ſatis conuenire, ſiue *Accipere* aut *Recipere*, ſiue *Accepiſſe* aut *Recepiſſe* conuertas: nec ſatis rectè D. Lutherũ (quod tanti viri pace dixerim) pro δέχεσθαι ſcripſiſſe *Einnemen*, id eſt λαμβάνειν, pro quo audio Germanos potiùs dicere *Entpfangen*.

Itaque vtroque illo repudiato, vſurpaui Latinum *Capiendi* verbum, quod reſpondet verbo Hebræo כול, & Græcis verbis χωρεῖν & δέχεσθαι, pro continere ſiue comprehendere, diciturque de ſpatii ſiue loci menſura, ex more Hebræorum videlicet, quibus eſt familiare ex antecedente intelligere conſequens, quod tum hoc loco de quo nunc quærimus, tum alibi ſæpe in meis noui Teſtamenti annotationibus obſeruaui.

Quoniam enim quod certo ſpatio comprehenditur ſiue continetur, priùs in id recipi & admitti oportet, ideo Hebræi חוק & קבל & כול promiſcuè vſurpant: Græci verò δέχεσθαι & χωρεῖν. Latini *Capere* & *Continere*, ſiue *Certo loco & ſpatio comprehendere*, 2. Paralipomenon quarto 5. אלפים יכיל מחזיק בתים שלשת, pro quo Græcus interpres χωροῦσα τρεῖς μετρητάς. Ioſephus autẽ lib. 8. Antiquit. ca. 2. ἐδέχετο δὲ ϑάλασσα ϐάτους τρισχιλίους. Idem Ioſephus etiam de nummi æſtimatione loquens, Antiquit. libro 3, cap. 9, ὁ δὲ σίκλος νόμισμα Ἑϐραίων ὢν Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. Quin etiam Græcus interpres Ieremiæ 2, 13. יכלו vertit συνέχειν, id eſt ad verbum, *Continere*: pro quo fortaſſe vſitatiùs potuit τὸ χωρεῖν vel τὸ κατέχειν vſurpare. Plato De legibus libro 12, vbi de ſepulchris extruendis agit, λίϑους δὲ ἐπιστάναι τε μὴ μείζω τούτων ὅσοι δέχονται τὰ τοῦ τετελευτηκότος ἐγκώμια: id eſt Cicerone interprete, Nec è lapide excitari plus nec imponi quàm quod capiat laudem mortui inciſam. Idem Cicero, Illi eam gloriam conſecuti quæ vix cælo capi poſſe videatur. Heſych. in κύαϑος, δέχεται κύαϑος ὑγροῦ πρὸς ἐγγίας δύο. Plinius, capit congium aquæ.

Ex his omnibus hoc vnum effectum volo, falſam nõ eſſe meam interpretationem verbi δέχεσθαι, ſiue vis ipſa verbi, ſiue Hebraicæ, vel Græcæ, Latinæ denique linguæ vſus ſpectetur, ac etiam à me fuiſſe meritò mutatas aliorum interpretationes, niſi fortaſſe probarint iſti vel non rectè me pro actiuo paſſiuum vſurpaſſe, vel, etiam ſi verba Græca interpretationem meam admittant, naſci tamẽ inde ſententiam à Petri inſtituto, adeóque veritate ipſa diſſidentem, de quo poſtremo dicam in altero defenſionis meæ capite, quum videlicet de ipſa huius loci explicatione, ſiue περὶ διανοίας diſſeram. Dicamus ergo cur verterim, *Quem oportet cælo capi*, potiùs quàm αὐτολεξεί, *Quem oportet cælum capere*, ac primùm quidem accuſatorum obiectiones diluamus. Aiunt Ienenſes vbique verbum δέχεσθαι in nouo Teſtamento actiuè poni. Primùm ſi hoc negem, licebit vel eorum alterum Heliã, bonum ſcilicet illum Illyricum teſtem adhibere, qui, licet longè maximam partem ad verbum ex meo nouo teſtamento in ſuum tranſtulerit, maluit tamen admiſſum ab Eraſmo, & à me emendatum errorem reponendo, 1. Pet. 3. 20, ἐξεδέχετο vertere *Expectabatur* quàm *Expectabat*. Sed de hoc alius fortaſsis erit dicendi locus, ſi omnia iſtius ἀλάστορος plagia in indice relata, & ad ea quæ in meis partim corrupit partim temerè reprehendit, defenſionem edere vacabit. Concedo igitur meis accuſatoribus quod volunt. Quid autem inde conſequetur? Malè certè in D. Philippi ſchola iſti diſcipuli profecerunt, qui tam ἀτέχνοις conſecutionibus vtuntur. Cæterùm ne hoc exagitem, quiſquámne eſt tam indoctus, vel vſque adeò impudens qui in hac formula ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, ſentiat δέξασθαι aliter quàm actiuè conſtrui, quocunque ordine cum pronomine ὅν, & cum nomine οὐρανὸν componatur? Verùm quis hanc legem impoſuit interpretibus, vt quæcunque actiuè ab aliquo ſcripta dicuntur, non niſi actiuè conuertantur? Imò fingamus ita fuiſſe hunc locum à me conuerſum? *Quem oportet cælum accipi*, num iſti quæſo me reprehenderent? Imò certè miris modis collaudarẽt. quoniam multò apertiùs pro illis faceret hæc interpretatio, quàm Græca verba quibus vſus eſt Lucas. Itaque quàm ſit inanis hæc obiectio & vana Sophiſtis potiùs quàm grauibus Theologiæ magiſtris cõueniens, nemini iam obſcurum eſſe poteſt. Nam iſtæ certè enuntiationes, *Chriſtus accepit cælum*. & *Cælum acceptum eſt à Chriſto*: item iſtæ, *Cælum capit Chriſtum*, & *Chriſtus capitur cælo*, verbis quidem nonnihil, reipſa verò nihil prorſus diſcrepant. At enim, ait Selneccerus admodum confidenter, verſio iſta excogitata eſt nuper, fuitque vniuerſæ antiquitati noſtríſque Eccleſiis & Scholis hactenus ignota. Deus bone, tantam cuiquam ineſſe poſſe audaciam qui tuendæ veritatis zelum præferat? Agè igitur ex tota antiquitate, imò vel ex noſtræ memoriæ ſcriptoribus qui Lutherũ anteceſſerunt, vel vnum oſtendat iſta verba ſic interpretatum, ac ſi dicatur Chriſtus cælum accepiſſe, ac non potiùs vt dicatur Chriſtus ſecũdum carnem in cælum receptus, ibíque, etſi ſumma gloria fruens, ſpatio tamen quod ſpirituali quidem ſed vero & naturali corpori conueniat, comprehenſus.

Profert verſionem vulgatam, quam etiam Hieronymo tribuit. Habet autem, inquit, illa *Quem oportet cælum ſuſcipere*. Ego in meis codicibus ſcriptum reperio Recipere: ſed quid tum? Ambigua eſt certè horum verborum conſtructio ſicut & in Græcis. Itaque nõ magis probare poteſt ex hac Hieronymi verſione quòd Chriſtus cælum acceperit, quàm quòd cælum acceperit Chriſtum.

Citat præterea Syri teſtamenti verſionem, quæ habeat, *Quem oportet cælos excipere*. At quænam hæc rurſum audacia eſt? Ita certè conuertit Tremellius noſter, rectè quidem (ſi verbum קבל Excipere pro Capere ſiue Continere accipias à conſequenti, vt paulò antè diximus:) non tamen αὐτολεξεί, quod cum feciſſe iſtorum cauſa mallem. Sic enim habet ad verbum doctiſsimus ille & vetuſtiſsimus, vt apparet, interpres, דלה ולאלשמיא דיקבלון id eſt *Quem oportet cæli capiant*. Agnoſcis igitur tandem, Selneccere, tuam, ne quid grauius dicam, imprudentiam? Vides enim verbum eſſe pluralis numeri, quîcum neceſſariò Cælorum nomen à parte anteriore conſtruitur, ac proinde conſtructionem illam vel ſtramtuo ipſius calamo expungi.

En bellæ illius quam defendunt interpretationis teſtes, quorum vnus non minùs pro me quàm pro illis facit, alter planè ipſos conuellit. Et iſtum non pudet antiquitatem & orbis totius auctoritatem iactare? Tandem igitur ad ſacram anchoram venit Selneccerus, nimirum ad Lutheri verſionem, quam nos quidem quantò rectiùs vt & nouam & prauam hoc loco reprehenderimus? Etenim etiamſi Lutheri ſententiam admitterem, tamen, vt antea probaui, verbum δέξασθαι non reſpondet verbo *Einnemen*, quod accipere ſiue occupare declarat, niſi fortè occupare cælũ Chriſtus dicatur, ſicut locus à re contenta occupatur, quod prorſus pro nobis faceret. Deinde vt illum ſuũ ſenſum Lutherus commodè eliceret, verbum δεῖ explicandum fuit pro ἔδει, id eſt pro *Muſs* ſcribendum *Hat muſſen*, niſi pro præſenti *Einnemen* maluiſſet vſurpare perfectũ. Iterum enim inculco

& omnes

& omnes communi ſenſu præditos homines iſtis iudices fero, non poſſe non ineptè locutum videri qui de re peracta loquens dicat, *Oportet Chriſtum accipere cælum*, id eſt vt Chriſtus accipiat cælū *vſque ad tempora reſtitutionis omnium*: ſed omnino dicendum fuiſſe, *Oportuit Chriſtum accipere cælum*, id eſt, vt Chriſtus acciperet cælū, vel, *Oportet Chriſtum accepiſſe*, id eſt vt Chriſtus acceperit *cælum ſiue à Chriſto acceptum fuiſſe cælū*. Viderit igitur Selneccerus quomodo iſtam interpretationem pro ſana & recta venditet, quam, vt oſtendimus, & verborum proprietas, & ſententiæ ipſius ratio manifeſtè conuellit, nedum vt illam tanquam irrefragabilem nobis obtrudat.

Sed iam audire mihi videor illorum tonitrua, quaſi videlicet inexpiabile ſit ſcelus quicquam in Germanica D. Lutheri verſione emendare, quod tamen ipſimet quoties faciunt? Sed agè, maneat ſaluè ſua laus magno illi viro, & plurimis in Eccleſia Dei vtiliſsimiſque laboribus defuncto. Quis enim hoc inficietur? Liceat tamen eius ſcripta, quæcunque tandem ſint, vt & omnium poſt Apoſtolos ſcriptorū, ad Dei verbi normam in primis exigere, & aliorum quoque tum vetuſtiorum, tū recentium Doctorum rationes & argumenta expendere, niſi fortaſsis hunc vnum ἀναμάρτητον fuiſſe oſtendant. Sin minus, clament licet, & pro more quiduis apud imperitum vulgus ſpargant, ego vnum ſaltem illud Democriti regeram, Deſinite ineptire, pueri.

Vt autem nullus ſit tergiuerſandi locus, & illam potiùs verſionem conſtet nouam eſſe, & vetuſtati inauditam: iſtam verò cuius auctorem me faciunt Ienenſes (in eo quidem à Selneccero diſſentientes qui ſe ab hinc annis viginti iſta verſione mirificè (proh dolor) commotum, turbatum, perculſum denique clamitat, quum tamen interpretatio mea anno demum 1556. prodierit) vt iſtā, inquam, verſionem quam illi non vt nouam modò verùm etiam vt falſam & impiam criminantur, oſtendam certo ipſius verbi Dei, ac præterea doctiſsimorum tum veterum tum recentiorū ſcriptorum teſtimonio confirmari: primùm hoc ex iſtis quæro, vbi tandem inuenerint ſiue in vetere ſiue in nouo Teſtamento durum iſtud, & obſcurum, adeóque ænigmaticum dicendi genus, *Accipere cælum*, ſiue pro cæleſti regione ſiue pro cæleſti gloria Cæli nomen intelligant? Certè nuſquā hanc formulam vel ſimilem aliam quampiam deprehendent. At contrà lego Luc. 24.51. διέστη ἀπ᾽ αὐτῶν καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν. Item Act. 1.9. ἐπήρθη ἀπ᾽ αὐτῶν, & 11, ἀναληφθεὶς εἰς τὸν οὐρανόν, quibus verbis niſi clare, perſpicuè, diſertè ſignificari fateamur diſceſſum Chriſti à terra iſta quam calcabant diſcipuli, in illud ipſum Cælum quod ſupra nos eſt, agè ipſum quoque Solém ſurſum eſſe negemus.

Sed rurſum hîc in Bezam inſurgunt Ienenſes, verùm quo tandem pudore? Adiecit, inquiunt, Beza particulam SVRSVM. At ego cogor rurſum exclamare, Quæ hæc eſt audacia, quæ hæc eſt calumniandi libido? Chriſtum iſti ferunt dici *Aſcendiſſe in cælum, Eleuatum fuiſſe, Profectum fuiſſe in cælum*: & hoc ſaltem nobis ne Brentius quidem vbiquitarii tum cæli tum inferni fabricator, nec Illyricus ille Iſmael inficiantur, Chriſtum fuiſſe ad nubes vſque ſublatum. At iſti ferre non poſſunt Bezam interpretantem ἀνελήφθη *Surſum receptus*, & ἀνεφέρετο *Surſum ferebatur*. Malunt enim verti, *Aſſumptus*, & *Ferebatur*. Atqui *Aſſumere* ſignificat *Ad ſe ſumere*, quod quibuſuis Grammaticis iudicibus, non reſpondet τῷ ἀναλαμβάνειν, ſed τῷ προσλαμβάνειν. Deinde quum eò demum ſit receptus ſiue aſſumptus Chriſtus quo profectus eſt, dicatur autem ἐπήρθη, id eſt, vt transfert vetus interpres, *Eleuatus*, Eraſmo autem interprete, *In altum ſublatus*, & à nube exceptus, & in illud ipſum cælum profectus quò diſcipuli direxerunt oculos, cuius eſt vel ſtuporis vel impudentiæ arguere me quòd ἀναλαμβάνεσθαι vertam *Surſum recipi*? Verba autem ἀναφέρεσθαι & καταφέρεσθαι oportuit iſtos ſaltem ex Ariſtotelis meteoris didiciſſe, inter ſe opponi. Quòd ſi Chriſtus ſurſum eſt ſublatus, & ſurſum acceptus, vter rectiùs iſtum locum Petri conuertit, qui dicit quòd Chriſtus cælum acceperit, an qui dicit quòd Cælum venientem Chriſtum receperit, ac proinde ipſum capiat?

Agè verò, addamus etiam vetuſtatis teſtimonia. De Syro interprete doctiſsimo & vetuſtiſſimo diximus antea, qui etiā Lucæ 9,51, & 24,51, & Act. 1,9, & 11, & 1. Tim. 3,16. verba, ἐπήρθη, ἀνεφέρετο & ἀναλαμβάνεσθαι, vnico Syriaco expreſsit quo ſignificatur τὸ ἀναβαίνειν, vt & Græcus interpres 2. Reg. 2.11. ויעל vertit ἀνελήφθη.

Omnium autem clariſſimè Nanzianzenus altera concione περὶ τοῦ υἱοῦ totidem his verbis illum Petri locum citat. ὃν οὐρανὸν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως, *A cælo recipi* (id eſt, ſicut antea probaui, receptum teneri) *vſque ad tempora reſtaurationis*. Huius igitur tanti viri quum ſim veſtigia ipſa in hoc quoque ſequutus quòd perſpicuitatis cauſa paſſiuam formulam vſurpaui, viderit an ſanus fuerit ille quum inſaniam mihi obiiceret, ac non potiùs verum eſſe comprobet quod initio ſuæ accuſationis ſcripſit, ſe nimirum neſciuiſſe quid faceret, quum hanc criminationem aggrederetur.

Sed & OEcumenius, cuius etiam teſtimonio iidem abutuntur, Cælum vocat, τὸ ἀναληπτικὸν Χριστοῦ, id eſt Chriſti receptaculum. Itaque (quod etiam plenius mox demonſtrabimus) qui negat totam vetuſtatem hæc Petri verba ſic accepiſſe, vt dicatur Chriſtus in cælos receptus, ibidem nunc vt in loco reſidere ſecundum carnem, neceſſe eſt pudorem omnem abiecerit. Quòd autem Petrus ita ſignificarit Chriſtum accepiſſe cælum, id eſt cæleſtem gloriam, nunquam ex vllo Patrum teſtimonio ne ad Græcas quidem Calendas accuſatores mei probabunt.

Ex his igitur rurſum effici dico quod volebam, illam videlicet interpretationem, *Oportet Chriſtum cælo capi*, ſiue proprietas verborum ſpectetur, ſiue totius vetuſtatis auctoritas, bonam & veram eſſe, ac proinde meos accuſatores in calumnia manifeſta deprehendi.

Iam ſupereſt vt illud quoque videamus, num videlicet mea interpretatio qua dicitur Chriſtus in cælo vt in loco ſecundum carnem contineri, aliquid Petro affingat quod non conueniat ipſius inſtituto. Poteſt enim ſæpe ſic verti locus aliquis, vt vera quidem ſit ſententia quæ inde elicitur,

& tamen ſcriptoris menti parùm conſentanea. Atqui fideliter à me expreſſum fuiſſe quod Petrus dictum voluit, puto iam ſatis ex ſuperioribus liquere.

Vnum tamen placet expendere quod ille meus plagiarius in illa ſua præclara gloſſa nobis obiicit. Refutationem enim illam quam ſe edidiſſe ſcribit anno 1567, nanciſci quum hæc ſcriberem nondum potueram. *Alij, inquit, volunt intelligendum ipſum Chriſtum capi aut detineri à cælo, quæ ſententia eſſet contra Apoſtoli ſcopum, potius imbecillitatis, quàm gloriæ & potentiæ Chriſti prædicatio.* Hæc ille, in quibus multa ſunt errata. Primùm enim illud *Retineri* inuidioſè ſcribit, quaſi videlicet quum Chriſti corpus dicimus, quia corpus eſt, ſuo ſpatio contineri, eum veluti carcere includamus, de qua vaniſsima calumnia mox dicemus. Deinde in eo quoque fallitur quòd circunſcriptionem ſiue finitionem circa creaturam, putat eſſe infirmitatem, quum ſit potiùs eius perfectio ac complementum, vt ipſi quoque ſcholaſtici rectè tradiderunt. Qui id enim dici poſſit abſurdius quàm eſſentialis proprietatis abolitione eſſentias perfici? Nec tamen nego ſic diſcriminari creata (quæ omnia finita ſunt,) ab eo qui vnus eſt infinitus. Sed quid hoc Illyricum iuuat? nihil certe, niſi putat cũ Brentio ab iis deprimi Chriſti gloriam, qui carnem non induunt deitatis ſpoliis. Præterea quis hũc docuit Petro propoſitum fuiſſe Chriſti gloriam ſic prædicare, vt nihil niſi Deo conueniens ei attribueret, ſiue vt velut altera natura ipſum ſpoliaret? Certè hominem eſſe, & interfectum fuiſſe palàm fatetur Petrus non minùs quàm ſanctum, & iuſtum, & authorem vitæ, & à mortuis excitatũ. Imò ſi hoc vnum ei propoſitum erat quod iſte dicit, cur obſecro apud iſtos præſertim adhuc ad Chriſtum potiùs adducẽdos quàm adductos, iſto tam nouo, obſcuro, inſolenti, adeóque ænigmatico dicendi genere potiùs quàm vſitato exaltationis, & ſeſsionis nomine vteretur? Quotus enim quiſq; diuinaret, *Accipere cælum* idem declarare atque *ſummæ illius gloriæ fieri participem*? Res autẽ, (meo quidem iudicio) ita ſe habet. Petrus à reprehenſione exorſus ſummam perfidiam & crudelitatem Iudæis exprobrat, quæ tamen Chriſti gloriæ & dignitati nihil detrahat, vt qui ſit à mortuis excitatus, & quanta virtute polleat ſignis & prodigiis in ipſius nomine editis abundè demonſtret. Hîc verò quum nihil conuenientius eſſet quàm vt quærerent Iudæi, vbinam igitur eſſet Chriſtus ille à mortuis excitatus, & cur in apertum non prodiret, occurrit huic quæſtioni Petrus, reſpondens oportere ipſum in cælis reſidere donec rurſum appareat plenè mundum inſtauraturus, ſicut prædixerunt Prophetæ: quorum denique propoſitis & ad ipſos Iudæos applicatis teſtimoniis, eos ad reſipiſcentiam & fidem hortatur. Rectè igitur OEcumenius quærens cur Petrus potiùs non dixerit ἐν οὐρανῷ ἐστὶν, *Quem cælum recepit*, *Hoc*, inquit, *dixit vt de ſuperiore tempore differens. Iſtis autem verbis ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως, vſque ad tempora reſtitutionis omnium, cauſam declarat quare nondum nunc veniat. Oportet*, inquit, *omnia reſtitui, & ad finem deuenire, & tunc veniet.* Hæc ille, ſignificans Petri verba perinde explicanda ac ſi dixiſſet. *Quem recepit cælum, vnde oportet*, (Id eſt, vt rectè exponit Chryſoſtomus, *conſtitutum ac decretum eſt*) *vt veniat quando omnia reſtituet, quæ tempora prædixerunt Prophetæ, &c.* Et de hoc quidem hactenus,

Obiicit rurſum nobis idem ille plagiarius decerptam ex D. Caluini commentariis particulã. Quidni enim hoc auſit iſte quem nihil pudet? *Locutio*, inquit D. Caluinus, *eſt ambigua, quia tam intelligere poſſumus Chriſtum cælo capi vel contineri, quàm cælum capere. Ne ergo verbum dubiæ ſignificationis vrgeamus.* Hæc igitur Caluinus, minimè ſanè vel approbans ineptum illud dictum *Chriſtus accepit cælum*, id eſt *gloriam Patris*, vel vt iſte garrit, nos taxans quaſi ſuper dubium fundamentũ ingentem molem extruamus, ſed hoc iſtis præfractis ingeniis largiens, vt nulla niſi prorſus perſpicua & dilucida Scripturæ teſtimonia aduerſum eos vrgeamus. Hac autem modeſtia noſtra quum nonnullos tandiu videamus abuti, vrgere ne hæc quidem, detectis quibus obſcurantur argutulis ineptiis, deſinemus. Cæterùm qua tandem niſi Dalmatica ſiue Illyrica fide illum D. Caluini locũ iſte decurtauit? Sic enim mox D. Caluinus, *Sed eo contenti ſimus quod certum eſt, Chriſtum, interea dum ſperatur vltima rerum omnium inſtauratio, non alibi quàm in cælo quærendum eſſe.* Iſta verò priùs dixerat: *Quoniam ad craſſum terrenúmque Dei & Chriſti aſpectum ſemper propendent hominum ſenſus, poterat in mentem Iudæis venire, Chriſtum quidem prædicari à mortuis excitatum, ſed vbinam eſſet non oſtendi. Præuenit ergo Petrus quum in cælo eſſe docet. Vnde ſequitur tollendas eſſe in altum mentes, vt Chriſtum fidei oculis requirant, quamuis immenſa locorum diſtantia ſit remotus, & in cæleſti gloria extra mundum habitet.* Hæc ille. Viden' igitur, plagiarie, te ſic eſſe in mortuos quoque crudelem, vt hunc etiam Caluini partum truncato capite ac pedibus in monſtrum transformaris?

Et hactenus quidem de priore accuſationis parte. Nũc de ipſa huius dicti ſententia diſſeramus, num videlicet impiè dicatur, Carnem illam Chriſti glorioſam cælis capi, id eſt vltra mundum in illis regionibus in quibus ſumma illa Dei maieſtas pleniſsimè refulget & quæ ſunt æternæ noſtræ felicitati deſtinatæ, nec vſquam alibi, nunc reſidere: & ita quidem vt naturalis corporis loco & ſpatio quacunque tandem cælorum parte conſiſtere ipſi libuerit, contineatur ac comprehendatur, num, inquam, hoc impiè dicatur, ac non potiùs putida & rancida ſit hæreſis contrarium affirmare. Primùm autem diluemus accuſatorum argumenta, ac deinceps noſtra confirmabimus.

Hæc Petri verba (inquit rurſum admodum confidenter Selneccerus) *nunquam aliter à vera Eccleſia niſi de exaltatione naturæ humanæ in Chriſto ſiue de ſeſſione Chriſti ad Patris omnipotentis dextram accepta & intellecta fuerunt, vt erudita antiquitas & conſenſus omnium ſanorum comprobant.* Ergo tibi Selneccere, inſanimus. Et ſane Ita eſt, ſi verum dicis. Sed quando tandem te verum dicere, imò quando te potiùs in iſtis non inſanire probabis? Audiamus enim quid dicas.

Aſcendit (inquis) *Chriſtus in cælos, id eſt, vt ait Auguſtinus, conditionem naturæ quam de hominum matre natus aſſumpſit, ſuper Cælos in dexteram Dei collocauit.* Obſecro, mi homo, an ſani eſt hominis

ſeipſum

ſeipſum confodere? Qualis eſt, obſecro, iſta conditio aſſumptæ humanæ naturæ? num Vbique eſſe? Quid eſt aliud collocare quàm in loco conſtituere? Et tamẽ hæc ipſa natura, qualis eſt aſſumpta, quod ad conditionem ipſam naturæ attinet, diſertè hîc dicitur collocata ad dextrã Patris. Ergo, teipſo teſte, ſi Auguſtino aſſentiris, locus & ſeſsio ad dextram, ſiue glorificatio carnis Chriſti, inter ſe non pugnant. Quod ſi, vt tu vis, per Cælos idem atque Dexteræ nomine, gloria videlicet æterna ſignificatur, quorſum Auguſtinus iſta battologia vteretur, ac non potiùs *ſuper cælos, id eſt, ad dexteram Dei*, addita videlicet particula exegetica ſcripſiſſet? Denique quid erit iſtud ſupra cælos? nempe ſupra ipſam dexteram. Poſtremò an oblitus es agi de Petri loco? Num dixit Petrus, Quem oportet Chriſtum aſcendere in cælos? non certè. Eſſet enim inepta oratio, quoniam iam Chriſtus eò aſcenderat. Atqui, non minus inepta fuerit oratio, ſi idem valet, Accipere Cælum atque aſcendere in Cælum. Hoccine verò eſt ſapere?

Dextera Dei, (inquit idem Selneccerus,) *vt Athanaſius & Baſilius categoricè, euidenter ac veriſſimè interpretantur, non ſignificat aliquid circumſcriptũ, ſed gloriam ad quam ſic euectus Chriſtus ſecundum ſuam humanam naturã.* Nos verò concedimus tibi totum hoc argumentum, Selneccere, ſed conſecutionem pernegamus. Nec enim dicimus dexteram Dei ſignificare circunſcriptum aliquid, ſed diuinam Chriſti gloriam qui tamen eſt in loco propter veri corporis modum, vt iſta ſeſsio circunſcriptionem loci non excludat. Vis vt tecum craſsiùs agam? Aliud eſſe dicimus *Aſcendere in cælum* quàm *Cælo capi*, & hoc rurſus aliud quàm *Cæleſti gloria ornari*, ſicut exempli gratia, aliud eſt *Aſcendere in montem*, quàm *In monte reſidere*, & hoc rurſus aliud quàm *In illo monte felicem & beatum eſſe*, atque adeò, ſi vis, quàm *In illo monte vt in regni ſui ſolio commorantem, imperium in vniuerſum mundum obtinere.* An verò rurſus oblitus es agi de Petri loco, non de articulo, Sedet ad dextram Patris?

Profert poſtea locum Damaſceni, in quo dicit Chriſtum ſedere σωματικῶς ad dexteram Dei Patris, quæ tamen dextera Patris non ſit localis. Enimuerò an quiſquam noſtrûm eſt qui Deum Patrem dicat inſtar hominis eſſe, qui dextrum vel ſiniſtrum latus habeat? Quid ergo eſt iſta Patris dextera? *Gloria*, inquit, *& magnificentia ipſius, cuius eſt particeps Filius ſecundum carnem*, ſed σωματικῶς. Ergo talis eſt glorificatio quæ non impediat ſedentis & vera carne præditi circunſcriptionem, & talis viciſsim circunſcriptio quæ glorificationi nõ officiat. Cur igitur impius fuerit qui dicit Chriſtum cælo capi, id eſt loco & ſpatio in cælis contineri?

Citat etiam illud Chryſoſtomi in Hebr. 1, 3, teſtantis verbis Apoſtoli, *ad dextram maieſtatis in excelſis*, Deum non concludi loco, ſed oſtendi hominem Chriſtũ omnibus altiorem & excellentiorem. Et quis tandem iſta negat? Verùm vt ſumma glorificatio corporis Chriſti ipſum euehat ſupra omne nomen, quis tamen inde meritò concluſerit eum nullo loco capi, id eſt abſorptam eſſe corporis naturam?

Adfers etiam iſta Seueriani verba, *Nam diuinitas carni contulit quod ſemper Filius Dei cum Patre poſſedit.* Concedo ſanè, quum vnione hypoſtatica datum ſit huic aſſumptæ carni vt ſit Filii Dei caro, ac proinde homo ille ſit eſſentialiter Deus, quatenus eſt hypoſtaticè cum Verbo coniunctus. Quòd ſi hoc referas ad ipſius vnionis dona, cogêris ſanè excipere diuinæ naturæ idiomata, niſi malis apertè in Eutychetis caſtra tranſire.

Quid plura? Theodoretum etiam audes in tuas partes pertrahere, non tamen quaſi pro te facientem (conſtat enim illum ex profeſſo oppugnare quod tu nunc defendis) ſed quaſi à ſeipſo diſſentientem. Cedò verò quomodo? *Quoniam*, inquis, *citat Athanaſii verba, ſcribentis, Hæc verba, Sede à dextris meis, corpori Domini conuenire, non diuinitati quæ omnia implet.* Et quid hoc eſt rurſum aliud quàm Seipſum confodere? Nam ſi Sedere à dextris idcirco competere non poteſt Deitati quoniã omnia replet, efficitur humanitati ſic competere vt omnia non repleat. Nam, ex illa Athanaſii ratione, ſi ipſa quoque caro omnia repleret, non minùs poſſet dici ſedere ad Patris dextram quàm Deitas. Non igitur ſibiipſi Theodoretus, ſed tibi, vt & tu tibiipſi manifeſtè repugnas, Selneccere, tanta vis eſt veritatis.

Gregorius Nyſſenus ſic habet, *Quæ naturaliter habet Chriſtus vt Deus, ea dicitur accipere vt homo certo conſilio factus. Ideò dicebat, Pater glorifica me apud temetipſum ea gloria quam habebam, &c. Niſi enim hanc haberet propriam vt Deus, fieri non poſſet vt eam tanquam alienam acciperet, Deo & Patre per Prophetam dicente, Gloriam meam alteri non dabo.* Pulcherrimus certè locus, quem ſi mei accuſatores intelligerent, tota mox definita eſſet controuerſia. Agit Nyſſenus de idiomatibus Diuinæ naturæ. Hæc enim ſunt quæ naturaliter Chriſtus vt Deus habet ſibi propria. Illa igitur dicit Chriſtum non aliter poſſe dici vt hominem accepiſſe, quàm quomodo aſſumptus ille homo, & eſt & dicitur Deus. Atqui homo ille non eſt Deus in ſeſe ſed κατ' ἄλλο, id eſt reſpectu naturæ diuinæ in qua ſubſiſtit. Ergo homo quidem ille eſt omnipotens, omnipræſens, viuificus & adorari debet, non tamẽ in ſeſe, ſed κατ' ἄλλο, id eſt, quatenus in natura Diuina ſubſiſtit, cuius illa ſunt propria & proinde incommunicabilia idiomata: quia ſcriptum eſt, inquit Nyſſenus, Gloriam meam alteri non dabo. Itaque rurſum tibi gratiam habeo, Selneccere, quòd tam commode cauſam noſtram, id eſt, veritatem ſiue prudens ſiue imprudens tuearis. Nam ſi vera illa ſunt, vti ſane ſunt, totam illam Brentianam effuſionem omnium proprietatum Deitatis in carnem aſſumptam, ſiue illam idiomatum cõmunicationem quam vos ipſarum etiam naturarum ſingularum reſpectu realem eſſe vultis, vt Eutychianam, id eſt, vt falſam, blaſphemam, impiam, deſtructo à vobis ipſis veſtro fundamento, funditus ruere neceſſe eſt.

Hæc quum ita ſe habeant, iudicet nũc quiuis quo pudore iſti mei accuſatores iactent totius pię

& eruditæ vetuſtatis, adeóque omnium qui vſquam fuerunt, orthodoxorum conſenſum, quod vt magis etiam liqueat, agè ex infinitis omnium veterum ſcriptorum teſtimoniis quæ toties Brentianis ſiue Iacobandreanis deliriis oppoſita, nunquam refutata ſunt, pauca ſummatim reponamus.

Ignatius ad Trallianos, *Verum corpus Maria peperit, quod hæc omnia quæ propria ſunt corporis humani nobiſcum habet communia.* Ergo vel in primis circunſcriptionem, quam ſi depoſuit per ſeſsionem, ſimul veritatem corporis abiecit.

Dydimus lib. de Spir. ſancto, interprete Hieronymo, *Ipſe Spiritus ſanctus ſi vnus eſſet ex creaturis, ſaltem circumſcriptam haberet ſubſtantiam, ſicut vniuerſa quæ facta ſunt.* Ergo loco non circunſcribi eſt proprium Deitatis prorſus incommunicabile, alioqui non ſtaret Dydimi argumentum.

Apollinaris citante Theodoreto, *Chriſti copulatio cum corpore, non mutat corporis naturam.* Ergo vel natura corporis non eſt finitum & loco circunſcriptum eſſe, vel fallitur qui corpus Chriſti reipſa negat cælo capi, quum in cælo ſit.

Seuerianus. *Myſterium verè cæleſte & terrenum. Talis enim erat natus Chriſtus cæleſtis & terrenus verſans in loco & extra locum poſitus: viſibilis & inuiſibilis & cæleſtis ſecundum diuinitatis naturam, terrenus verò ſecundum humanitatis naturam: viſibilis ſecundum carnem, inuiſibilis ſecundum ſpiritum: in loco verſans ſecundum corpus, extra locum poſitus ſecundum Verbum.* Aliud autem eſt Verbum cui vni eſt aſſumpta illa caro, aliud eſt ipſius Verbi in aſſumptam carnem ἐνέργεια. Itaque præſens quidem eſt vbique etiam homo ille, ſed κατ' ἄλλο, id eſt, quatenus Deus, nec tamen κατ' ἄλλον, quia vnus eſt Deus & homo.

Origenes Homil. 33. in Matthæum: *Quaſi homo peregrinatur, qui eſt vbique ſecundum Diuinitatis naturam. Nec enim eſt homo qui eſt vbicunque duo vel tres in nomine eius congregati fuerint: neque homo nobiſcum eſt omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi: nec congregatis vbique fidelibus præſens eſt homo, ſed virtus Diuina quæ eſt in Ieſu.* Vera & orthodoxa eſt hæc ſententia, id eſt, vobis Brentianis & Semibrentianis, vt olim erant Ἄρειοι & ἡμιάρειοι, prorſus repugnans. Hoc tamen notandum, cautiùs loquutos qui ætatẽ illam ſequuti ſunt quum nomina concreta ab abſtractis diſtinguerent. Itaque illud *Nec enim eſt homo* dictum eſt pro *Nec enim eſt humana natura*, ſiue pro *Nec enim Chriſtus ſecundum humanam naturam.*

Athanaſius apud Vigilium: *Quomodo ait, Vado ad Patrem cum quo ſemper erat, & à quo nunquam receſſerat? (cuius eſt enim ire & venire, qui aliquibus locorum terminis circunſcribitur, & enim in quo erat deſerere locum, vt ad alium vbi non erat, veniat) niſi quia vtique de illo quem aſſumpſerat homine loquebatur?* Ergo totus ille veſter allegoricus aſcenſus, quo tolli poſſe putatis corporis circũſcriptionem, vanum & futile eſt commentum.

Theodoretus dial. 2 *Corpus Domini quod reſurrexit, à corruptione quidem & interitu alienum & impaſſibile, & immortale & Diuina gloria glorificatum, & ſeſſione ad dexteram Patris dignatum eſt, & à cæleſtibus adoratur poteſtatibus (nempe vt Dei corpus) corpus tamen eſt, & habet quam prius habuit formã, figuram & circumſcriptionem.* Non eſt igitur impium dicere Chriſtum qui aſcendit in cælos & ibi ſedet ad dexteram Patris, cælo capi, id eſt contineri ſecundum carnem: ſed hoc negare eſt impium.

Gregor. Nanzianzenus apud Theod. dial. 1, *Chriſtus habitat in cordibus noſtris, videlicet non ſecũdum apparentem naturam ſed inuiſibilem.* Item, *Docemus eundem Chriſtum, circumſcriptum corpore, incircumſcriptum ſpiritu, qui loco continetur & loco non continetur.* Quid apertiùs in eos dici potuit qui illum cælo capi negant?

Tertullianus de Trinit. *Vbique inuocatum adeſſe, non hominis natura eſt, ſed Dei, vt adeſſe omni loco poſſit.* Hoc vere firmum eſt argumentum quo ſanctorum mortuorum inuocatio non tantùm ſtulta & inanis ſed etiam impia eſſe conuincitur. Τὸ συνέχον autem argumenti manifeſtè veſtram illam realem carnis Chriſti πανταχουσίαν euertit. Quod ſi ea capiatis ex eo conſequi inuocandũ igitur non eſſe hominem Chriſtum, plane ineptè feceritis. Etſi enim aſſumpti illius hominis natura non eſt vbique, is tamen qui illam aſſumpſit hypoſtaticè, vbique eſt, nempe Verbum æternum Patris. Ideo non inuocatur quidem humana natura per ſe, ſed inuocatur Filius Dei qui idem & vnus etiam eſt homo. Hæc qui non diſtinguit, quid inuocet neſcit.

Cyrillus lib. 2. dial. de Trinitate, *Si diuina natura partitionem reciperet, intelligeretur & corpus. Si autem hoc, in loco omnino & magnitudine & quantitate: & ſi caderet in eam quantitas, non effugeret circũſcriptionem.* Item lib. 10. cap. 38. in Ioan. *Nullus ambigit, quum ad cælos aſcenderit, quamuis virtute Spiritus ſemper adfuerit, præſentia tamen carnis ipſum abeſſe.* Idem lib. 11. cap. 3. *Etſi corpore abſens ſit Chriſtus, Patri pro nobis apparens, & ad dextram ipſius ſedens, habitat tamen in ſanctis per Spiritum, nec patitur eos orphanos eſſe, quibus cælum aſcendens Spiritum miſit. Non enim conuerſari carne cum Apoſtolis poterat, quum ad Patrem aſcenderit.* Ergo ex aſcenſione & ſeſsione tantum abeſt vt colligi poſsit realis illa commentitia Omnipræſentia, vt contrà inde neceſſariò adſtruatur carnis abſentia, qua tamen non tolli corporis & ſanguinis παρουσίαν certum eſt.

Vigilius Martyr lib. 1. contra Eutychen. *Dei Filius ſecundum humanitatem ſuam receſſit à nobis, ſecundum verò Diuinitatẽ ſuam ait nobis, Ecce ego vobiſcũ ſum. Eſt igitur nobiſcum & non nobiſcum, quia quos reliquit & à quibus diſceſſit humanitate ſua, non reliquit nec deſeruit Diuinitate ſua.* Itẽ lib. 4. *Quomodo quum Verbum vbique ſit, nõ vbiq; inuenitur & caro? Nam quando in terra fuit, non erat vtique in cælo: & nunc quia in cælo eſt, non eſt vtique in terra, & in tantum non eſt, vt ſecundum ipſam Chriſtum expectemus venturum de cælo, quem ſecundum Verbum nobiſcum eſſe dicimus in terra. Aut Verbum cum carne ſua loco continetur aut caro cum Verbo vbique eſt. ſed quia Verbum vbique, caro autem vbique non eſt, apparet vnum eũdémque Chriſtũ, vtriuſque eſſe naturæ, & eſſe quidẽ vbique ſecundum naturã Diuinitatis ſuæ,*

tatis ſuæ, & loco contineri ſecundum naturam humanitatis ſuæ. Circumſcribitur loco ſecundum naturam carnis ſuæ, & non capitur loco, per naturam Diuinitatis ſuæ. Hæc eſt fides & confeſſio catholica, quam Apoſtoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles nunc vſque cuſtodiunt. Auditis, boni viri, carnem Chriſti vbique non eſſe? loco contineri? loco capi? auditis mendacii conuinci qui Bezam faciant primum authorem iſtius dicti, *Chriſtum cælo capi?* auditis tanto teſte quantum vniuerſa poſt Apoſtolos antiquitas in hoc argumento vix vllum habet, fidem vocari Catholicam ab Apoſtolis traditam, à Martyribus roboratam, à fidelibus ſemper cuſtoditam, illud ipſum quod ex profeſſo vos ſcilicet orthodoxi, Vos martyres, Vos fideles Eccleſiæ Dei paſtores tam Chriſtianè oppugnatis, vt re, Selneccere, non pudeat crucem etiam iis à quibus tam leuiter defeciſti precari? ſed quàm potiùs mirum ni tandem comperias te tibipſi fixiſſe.

Ambroſ. epiſt. 22, & lib. de incar. Domini: *Eadem in Chriſto corporis veritas eſt, quæ in nobis.* Idem lib. de Spiritu ſancto, *Omnis creatura certis ſuæ naturæ circumſcripta eſt limitibus, nec creatura dicenda eſt quæ non habet circumſcriptam determinatámque virtutem.* Ite nunc & negate humanitatem Chriſti à vobis perimi, quum vt hæreticum damnatis qui Chriſti corpus poſt Petrum affirmat cælo capi.

Auguſtinus epiſt. ad Dardanum, *Spatia locorum tolle corporibus, & nuſquam erunt, & quia nuſquam, ergo nec erunt. Hunc vbique crede Chriſtum, per id quod Deus eſt: in cælo autem per id quod homo, ſecundũ veri corporis modum.* Si nuſquam ſunt corpora quibus tolluntur ſpatia, quid vobis fiet quibus impiũ eſt dicere Chriſtũ cælo, id eſt, cæleſti ſpatio capi? Et ſi vera ſunt iſta non tam Auguſtini, quàm totius Eccleſiæ argumẽta, vbi veri corporis modus ſi non circumſcribitur? & Cæli nomine ſignificari talem vbiquitatẽ quis vobis concedet? Item cap. 1. tract. 30. in Ioan. *Donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt Dominus, ſed tamen hic nobiſcum etiam eſt veritas Domini. Corpus enim in quo reſurrexit, in vno loco eſſe oportet, Veritas autem eius vbique diffuſa eſt.* Vtrum verò duriùs eſt dicere, oportere Chriſtum ſurſum eſſe, id eſt, in vno loco, vel, Chriſtum cælo capi vſque ad tempora reſtitutionis omnium? Vtrum igitur impium dogma? hoccine an noſtrum? Item lib. 22. De ciuit. Dei: *Deus totus in cælo, & in terra ſimul totus eſt, quod nulla natura corporalis poteſt.* Vnde igitur niſi ex erroris ſpiritu emanauit veſtra iſta realis omnipræſentia non dico hominis Chriſti, (nec enim hoc negamus quum vnus ſit Chriſtus Deus & homo) ſed carnis Chriſti, quæ certè Deitas non eſt nec erit? Vnde etiam illa veſtra oralis manducatio, id eſt, commentum cuius vel ipſum Satanam pudeat?

Item epiſto. 3, *Quantumcunque ſit corpus vel corpuſculum, vt loci occupet ſpatium, eundémque ſic impleat, vt in nulla eius parte ſit totum neceſſe eſt.* Et ne hic fortaſſe cuiquam imponatis, non poteſtis inficiari Auguſtinum de illo ipſo glorificato Chriſti corpore diſſerere.

Idem, *Hoc eſt Deum eſſe, quod vbique totum eſſe.* Ergo vel negate Chriſti carnem vbique totam eſſe, vel fatemini eam à vobis in Deitatem transformari.

Idem, De eſſentia Diuinitatis: *Sicut eundem Dei Filium & Redemptorem noſtrum ſecundum Diuinitatem inuiſibilem, incorporeum & incircumſcriptum, ſicut & Patrem & Spiritum ſanctum, non credere impium eſt: ita eundem Dei Filium, in homine aſſumpto, viſibilem, corporeum, atque localem poſt reſurrectionem non credere & profiteri, eſt prophanum.* Vtri igitur impii, vtri prophani, Selneccere?

Idem lib. 22. de Ciuit. Dei, *Chriſtus vbique eſt tanquam Deus, & in loco aliquo cæli propter veri corporis modum, cui immortalitatẽ dedit, naturã non abſtulit.* Si in loco aliquo cæli eſt, quomodo impius qui dicit Chriſtum cælo capi: imò quomodo non impii qui hoc negant?

Item epiſt. 146, *Ego corpus Chriſti ita in cælo eſſe credo, vt erat in terra quum aſcenderet in cælum, & quemadmodum ipſe Chriſtus diſcipulis de reſurrectione ipſius dubitantibus ait, Palpate & videte, Spiritus carnem & oſſa non habet.* Idem & nos credimus, ideóque Brentianos incarnationem, aſcenſionem ſeſsionem vbique confundentes toto corde deteſtamur.

Item epiſt. ad Dardanum: *Secundum hominem in terra erat, non in cælo vbi nunc eſt, quando dicebat, Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit Filius hominis qui eſt in cælo, quamuis ſecundum quod Filius Dei erat, eſſet in cælo, ſecundum quod verò Filius hominis erat, adhuc eſſet in terra. Noli itaque dubitare ibi nunc eſſe hominem Chriſtum, vnde venturus eſt ſecundum Chriſtianam confeſſionem in eadem videlicet carnis forma, cui immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. Secundum hanc formam, non eſt putandus vbique diffuſus. Cauendum eſt enim ne ita Diuinitatem aſtruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens, vt quod in Deo eſt, ita ſit vbique vt Deus.* His qui non aſſentitur, anathema ſit. Quàm verò futile, quàm vanum & ineptum ſit Brentianum commentum de vbiquitate ex dono ſiue effuſione ἐνεργείας, alibi pleniſsime eſt demõſtratum, ſi modò apud ſanos homines refutatione indiget. Certè qui quicquam creatum ſentit hoc adeptum eſſe vt realiter & in ſeſe ſit vbique, is neceſſe eſt fabricet Deum per accidens, id eſt, portentoſum idolum. Vos verò, quæſo, quandiu Chriſtianam religionem exponetis ipſorum etiam Mahumetanorum ludibriis?

Item Serm. 60. de Verb. Domini: *Semper quidem nobiſcum eſt Diuinitate ſua, ſed niſi corporaliter abiret à nobis, ſemper eius corpus carnaliter videremus, & nunquam ſpiritualiter crederemus.* Hinc tandẽ aliquando colligite, quis ſpiritus id ſubſternat tanquam neceſſarium ad eam fidem quæ ad Cœnã Domini cum ſtuctu celebrandam requiritur, quo poſito ruit quod in Cœna primarium & præcipuum eſt.

Itẽ tractat. 87. in Ioan. *A quibus homo abſcedebat, Deus non recedebat. Et idem ipſe Chriſtus Deus & homo. Ergo ibat per hoc quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat: Ibat per hoc quod in vno loco erat, manebat per hoc quod vbique erat.* An aliud dicit qui Chriſtum quatenus Deus eſt vbique verè eſſe, quatenus verò homo eſt cælo capi ſiue contineri docet?

Item tractatu 36, & 50. in Ioan. *Secundum corporis quidem præſentiam, & ſecundum carnem quam*

Verbum aſſumpſit, aſcendit in cælum, non eſt hîc. Ibi ſedet ad dexteram Patris: & hîc eſt: non enim receſſit præſentia maieſtatis. Secundum præſentiam maieſtatis ſemper habemus Christum: ſecundum præſentiã carnis, rectè dictum eſt, Me ſemper non habebitis. Maieſtatis nomine, non illam commentitiam *ὑποστατικὴν* omnipræſentiam ſed Deitatem ipſam ſignificari liquet tum ex aliis perſpicuis locis, tum ex ipſo Carnis vocabulo, quod illi opponitur. Quod ſi ex aſcenſione in cælum rectè colligitur carnem quia aſcendit, hîc non eſſe, cuiuſmodi eſt eorum Theologia qui ea aſcenſione colligunt omnipræſentiam, & locum in quo ſedet glorificatus, cum ipſa glorificatione confundunt? qui denique tam latè patere, ſomniant ipſam regnantem carnem, quàm ipſius imperium? Item lib. de Vnit. & Trinit. cap 2, *Per id quod Deus eſt, æqualis Patri, & vbique præſens eſt, & in cælo totus, & in terra totus, & in nullo continetur loco. Per id quod homo & paſſus & mortuus eſt. & reſurrexit & aſcendit in cælum, ſedétque ad dexteram Patris, & ſic veniet ad iudicandum viuos & mortuos quemadmodum eſt ire viſus in cælum, in eadem forma carnis & ſubſtantia, cui profectò immortalitatẽ dedit, naturam non abſtulit.* Ergo ſeſsio, id eſt glorificationis plenitudo aliud eſt quàm aſcenſio, circonſcriptionem autem carnis nec aſcenſio tollit nec glorificatio.

Item Serm. 140. ferio 2. paſchæ, *Ideo Dominus noſter abſentauit ſe corpore ab omni Eccleſia, & aſcendit in cælum vt fides ædificetur.* Fidem igitur non ædificat ſed deſtruit falſum & impium dogma de reali carnis Christi omnipræſentia.

Fulgentius lib. 2. ad Traſimundum, *Vnus idémque homo localis ex homine, qui eſt Deus immenſus ex Patre. vnus idémque ſecundum ſubſtantiam humanam abſens cælo, quum eſſet in terra, & derelinquens terram quum aſcendit in cælum, ſecundum Diuinam verò immenſamq́; ſubſtantiam nec cælum dimittens quũ de cælo deſcendit, nec terrã deſerẽs quũ ad cælũ aſcẽdit: quod ipſius Domini certiſſimo poteſt dignoſci ſermone, qui vt localẽ oſtenderet humanitatẽ ſuã, dixit diſcipulis ſuis, Aſcendo ad Patrẽ meũ & ad Patrẽ veſtrũ, Deũ meũ, & Deũ veſtrũ. De Lazaro quoq́; quũ dixiſſet, Lazarus mortuus eſt, adiunxit dicens, Et gaudeo propter vos vt credatis, quoniã non eram ibi. Immenſitatem verò ſuæ Diuinitatis oſtendit diſcipulis dicens, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Quomodo autem aſcendit in cælum niſi quia verus & localis eſt homo? Aut quomodo adeſt fidelibus ſuis, niſi quia immenſus & verus eſt Deus?* Et paulò pòſt, *Iſtam Christi veram humanitatem (quæ localis eſt) & veram Diuinitatem (quæ immenſa eſt) Apoſtolica quoque doctrina cernimus intimari. Nam vt Christi veri hominis corpus localiter contineri Paulus Apoſtolus monſtraret, ait ad Theſſalonicenſes, Quo conuerſi eſtis ad Deum à ſimulachris ſeruire Deo viuo & vero, & expectare Filium eius de cælis, quem ſuſcitauit à mortuis. Ieſum ipſum vtique mõſtrant corporaliter de cælo venturum, quem corporaliter à mortuis nouerat ſuſcitatum. Propterea rurſus ait, Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum Ieſum Christum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, conforme corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem qua poteſt etiam ſibi ſubiicere omnia.* Et paulò pòſt: *Hanc veritatem corporis Christi de cælo venturi, Ioannes quoq́; confirmat dicens, Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt. In libris quoque Actorum, ſic eius corporalis intimatur aſcenſus, Et quum hæc dixiſſet, videntibus illis, eleuatus eſt. Quum ergo caro Christi, localis abſque dubitatione monſtraretur, Diuinitas tamen eius vbique ſemper eſſe Paulo teſtante cognoſcitur, qui fidelibus dicit, An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* Hæc ille eſt ſcilicet iners gloſſa, Selneccere, vt tu ridiculè profectò ſcribis. Imò hæc illa eſt veritas ipſis inferorum portis, nedum homunculis inexpugnabilis, localem fuiſſe aſcenſum carnis eius è terra in cælum, localem carnis eius abſentiam à terra, localem expectari carnis eius aduentum è cælis in terras: Cælorum nomine in quos caro eius aſcendit, in quibus nunc eſt, è quibus expectatur, & in quos attollimur, non ſignificari gloriam illam æternam, (cuius etiam nomine minimè intelligitur realis illa & commentitia Omnipræſentia) ſed ſedes cæleſtes nobis inenarrabiles in quibus vnà cum eo regnabimus in æternum. Ergo, inquient iſti, veram communicationẽ corporis & ſanguinis negatis. Imò, boni viri, veram non negamus, ſed veſtram ſanè quæ falſiſſima eſt, abominamur.

Idem lib. 3. ad Traſimun. *Idem atque inſeparabilis Christus ſecundum totum hominem quem accepit, terram localiter deſerens, ad cælum aſcendit & in dextra Dei ſedet: ſecundum eundem totum hominem venturus eſt ad iudicandum.* Num ergo vel aſcenſio vel ſeſsio ad dexteram tollit circunſcriptionem?

Damaſceni verò hæc ſententia eſt li. 3. cap 4, de duarum naturarum in Christo perſonali vnione, & mutua Idiomatum communicatione. 1 *In Christo Ieſu Domino noſtro duas naturas agnoſcimus, & vnam hypoſtaſim ex vtraque natura conſtantem.*

2 *Quando naturas reſpicimus, Deitatem & Humanitatem vocamus, quando verò ipſam hypoſtaſim & perſonam aut ex vtraque natura ſimul, Christũ nominamus Deum & Hominem ſecundum idẽ, & Deũ incarnatum: aut ex altera natura tantum, Deum & Dei Filium, vel Hominẽ & hominis Filiũ appellamus.*

3 *Quoties de naturis aliquid dicimus, ea quæ humanitatis propria ſunt, de diuinitate non dicuntur. Non enim Deitatem aut paſſibilem aut creatam dicimus. Sicut nec viciſſim de carne & humanitate prædicamus ea quæ Deitatis ſunt propria. Sic non dicimus carnem ſeu humanitatem increatam.*

4 *Cæterùm de Hypoſtaſi & perſona ſiue ex vtraque ſimul, ſiue ex altera natura tantùm, appellata, vtriuſque naturæ propria prædicantur. Et quidem quum ab vna natura tantùm Filius Dei & Deus vocatur, ſuſcepit ſibi vnitæ carnis naturæ propria, dicitúrque Dominus paſſibilis & Dominus gloriæ crucifixus, non vtique ſecundum quòd Deus eſt, ſed ſecundum quòd homo idem eſt. Et viciſſim, quando dicitur homo & Filius hominis, ſuſcepit Diuinæ naturæ propria & glorificationis, vocatúrque Paruulus ante ſecula, & Homo ſine principio, non ſecũdum quod Deus eſt, qui quum ſit ante ſecula, factus eſt nouiſſimis temporibus puer paruulus. Atque hic eſt modus ἀντιδόσεως & alternationis ſeu viciſſitudinariæ attributionis, (ἀντιδόσεως) quæ vſitatè dicitur Idiomatum communicatio.*

Quid

Quid plura? deſcribendi eſſent mihi integri libri omnium veterum, qui contra Eutychianos ex profeſſo ſcripſerunt, vt Theodoreti & Vigilii, quos teſtea quum certiſsimum ſit omni exceptione maiorea eſſe in hoc quidem argumento, quis tandem illos æquo animo ferre poſsit vel debeat ab iſtiuſmodi hominibus reprehendi? Omitto conuitia in maximos illos viros Theodoretum & Vigilium à Brentio & Andrea (Deus bone quantis & quibus theologis!) iactata. De vno Selneccero meo accuſatore nunc ago. Is verò qua fronte Theodoretum redarguere ſit auſus paulò antè oſtendi. Nunc audiamus quomodo Vigilium flagellet, quo tamen in hoc quidem argumento, nullum certiorem habemus veritatis orthodoxæ defenſorem, *Vigilij*, inquit, *qui Martyr nominatur* (num verò hoc etiam nomen ei eripies, Selneccere?) *verba hæc de re qua pro explicatione loci Actorum 3. adducuntur,* (Ergo calumniabaris quum noſtram ſententiam, *Chriſtum cælo capi*, vt nouam & inauditā reprehenderes, quū Vigilius cōtrarium dogma in Eutychete ante mille & amplius annos oppugnarit & expugnauerit.) *ſine exceptione nō admittimus quæ ſic habent. Si Verbi & carnis vna natura eſt, quomodo quū Verbū vbique ſit, nō inuenitur vbiq. & caro?* (Atqui negare nō poteſtis ideo eſſe vbique præſentem Deum totum, quia loco non continetur: & idcirco loco non contineri, quoniā infinitæ ſit eſſentiæ. Ergo ab infinitate eſſentiæ pendet omnipræſentia. Quis ergo ſanæ mentis homo negarit carni tribui eſſentiæ infinitatem, ac proinde carnem in Deitatem transformari cui attribuatur omnipræſentia, &c. non in natura Verbi in qua ſubſiſtit, (hoc enim non negamus) ſed realiter & in ſemetipſa?) *Nam quando in terra fuit, non vtique erat in cælo: & nunc quia in cælo eſt, nō eſt vtique in terra.* (Erat enim ipſis quoque pleriſque Eutychianis Brentianum illud vbiquiſticum cælum ignotum, cuius vos primi architecti fuiſtis, magna cum totius orbis Chriſtiani infamia) *Et in tantum non eſt, vt ſecundum ipſam Chriſtum ſperemus venturum de cælo,* (Atqui certiſsimum eſt neminem eò venire vbi iam ſit) *quem ſecundum Verbum credimus eſſe in terra.* Hæc ſunt quibus ſine exceptione nolunt iſti aſſentiri: quaſi verò non idem dixerint, clamarint, ſcripſerint veteres omnes & Græci & Latini, quorum teſtimonia paulò antè ex infinitis nonnulla tantùm protulimus. Audiamus tamen quid iſte reprehenſor proferat.

Habet idem Vigilius (inquit) *multa obeliſco digna.* Vt hoc demus, cuiuſmodi tamen eſt iſta conſequutio? Quid ſi ſic collegerem, Multa Selneccerus habet in ſuo illo in Geneſin ingēti volumine, partim falſo affirmata, veluti Animā eſſe ex traduce, Animæ potētias non eſſe λογικὸν, θυμικὸν, ἐπιθυμητικὸν, & de Prouidentia ac Prædeſtinatione non pauca: multa item inepta, cuiuſmodi ſunt moleſtiſsimæ digreſsiones: multa ridicula, quales ſunt pueriles verſiculi quos ad nauſeam vſque inculcat: an pateretur inde colligi Selneccerum in hoc argumento de quo nunc agimus toto cælo errare? Et tamen hæc omnia certiſsimè, ſi ſit opus, demonſtrabuntur. Quænam autem iſta ſunt Vigilii errata ne ab ipſis quidem Centuriatoribus animaduerſa?

Quòd, inquit, *Chriſtus non ſit mediator & aduocatus noſter ſecundum Deitatem, ſed tantùm ſecundum noſtram naturam interpellet pro nobis Patrem.* Vbi verò hoc comperies apud Vigilium? Nuſquā profectò, nuſquam inquam, Selneccere, inuenies Chriſtum eſſe Mediatorem duntaxat ſecūdum humanam naturam. Sed tibi nimirum idem eſt pars atque totum. Interpellare Chriſtum, Aduocati officio fungi, Sacerdotii miniſterium implere ſecundum Deitatem negat Vigilius: & rectè negat, ſi quid dicat rectè ſpectetur. Etſi enim Mediatoris officiū eſt Perſonæ, non alterutrius naturæ, tamē diſtinguendæ ſunt naturarū proprietates in iis quæ ad Mediatoris officium pertinent exequendis, ita videlicet vt diuina Diuinæ, ſeruilia humanæ naturæ, ac etiam præterea ipſorum ſeruilium dignitas & vis Diuinæ naturæ tribuantur: de quibus quum copioſiſsimè ſit à noſtris aduerſus Stancari deliria diſputatum, nolo nunc pluribus diſſerere.

Hanc eſſe verò Vigilii mentem, ex eiuſdem operis lib. 5. diſcere debuit Selneccerus, in quo mediatorem vtriuſque naturæ eſſe oportere, non minùs eleganter quàm verè demonſtrat, aut ſaltem ipſis Cēturiatoribus credere, quorum hæc verba ſunt Centuriæ quintæ ca. 10. pag. 1311. *Idē Vigilius oſtendit ideo ipſum oportuiſſe Deum & hominem eſſe vt Mediatoris officio fungi poſſet, lib. 5. contra Eutychen.* Hæc ſi neſciebas, Selneccere, quis hanc negligentiam excuſabit in accuſatore? Si ſciebas, quid tandem iſti calumniæ prætexes? Quod ſi in Mediatoris munere non noſti diuina Deitati, humana humanitati diſtinctè tribuere, quod eſt iſtud dedecus, cenſeri Magiſtrum, imò etiam Cenſorem in Iſrael qui hæc ignoret?

Audiamus alterum Vigilii erratum: *Quòd dicat appellationem Ieſu Chriſti non ad Deum ſed ad hominem pertinere, cui delirio ipſe quoque Theodoretus contradicit.* Reſpondeat pro Vigilio Auguſtinus, lib. de Trinit. Dei 17. cap. 16. *Quis tam rudis eſt in hac religione vt Chriſtum neſciat à chriſmate, hoc eſt ab vnctione dubitet appellatum?* Idem contra ſermonem Arianorum, cap. 8. *Chriſti nomen quum ex eo illi ſit quòd ſcriptum ſit in prophetia, Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis, ad id quòd homo factus eſt pertinet.* Idem epiſt. 175. *Ieſu Chriſti nomen ex diſpenſatione miſericordiæ ſuſceptæque humanitatis aſſumptum eſt.* Ergo, inquies, Ieſus Chriſtus non eſt Dei & hominis nomen? Reſpondeat idem Auguſt. loco es ſermone Arianorum citato. *Qui erat in forma Dei nondum erat Chriſtus, quod eſſe cœpit quum ſemetipſum exinaniuit. Verum ſi quæramus, Quis eſt ille qui quum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualem Deo? reſpondetur nobis voce Apoſtolica, Chriſtus Ieſus. Ergo & illa Diuinitas huius humani ſtatus vocem accepit.* Eadem & penè totidem verbia deſcripta inuenies apud Theodoretum in Epitome Diuinorum decretorum, cap. de Seruatoris diſpenſatione. Nec aliter intelligendus eſt eiuſdem locua ex dial. 2, quem tu fœdè in contrariam ſententiam deprauas.

Tertium erratum Vigilii iſte numerat, *Quòd humanam naturam aſſumptam & glorificatam certo loco cæli alliget.* Imò vero Selneccere, magis ac magis calumniæ ſpiritum prodis. Vbi enim peculiarē

aliquem cæli locum inuenies à Vigilio vel quoquam noſtrûm Chriſto ſtatui? Vbi comperies verba iſta Alligati, Includi, Deuinciri, Captiuum teneri, &c. iſtiuſmodi non minùs ineptè & ridiculè quàm falsò nobis attributa? Et tamen hi ſunt tribunitii veſtri clamores, hi veſtri latratus, de quibus Dominus inter vos & nos certè iudicabit. Hoc quidem cum Verbo Dei & tota erudita vetuſtate dicimus, Chriſti carnem nunc in cælis eſſe quos conſcendit, ibíque quocunque cæli locu verſari illi libuerit, (nec enim hæc arcana ſcrutari noſtrum eſt) eo ſpatio capi ſiue contineri quod ſit vero ipſius corpori quantumuis glorificato conueniens, indéque omnia gubernare: & quoniam in cælis ſit, nunc non eſſe in terris, ſicut non erat in cælis, quum eſſet in terris. Sic ſenſiſſe, docuiſſe, ſcripſiſſe omnes ab Euangelio promulgato fideles, doctores, & veſtrum vbiquitarium cælum ignoraſſe, veſtrámque carnis realem omnipræſentiã ex profeſſo damnaſſe, prolatis teſtimoniis certis, euidentibus, perſpicuis demonſtrauimus. Vis tamen fortaſsis aliquid amplius? audi Iuſtinum Apologetico ſecundo ex totius orthodoxæ Eccleſiæ ſententia ſic loquẽtem, ne hoc fortè inter ipſius næuos reponas, quod ne ipſi quidem Centuriatores fecerunt, malè alioqui carpentes ipſius locum περὶ τ῀ δυνάμεως.

Quòd autem, inquit, *Chriſtum à mortuis excitatũ Deus omnium Pater eſſet in cælum adducturus & detenturus, donec dæmonas ipſius hoſtes percuſſerit: audite verba iſta Prophetæ Dauidis, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis.* Audis verbum κατέχειν multò etiam durius quàm ſit Capi vel Contineri? Audis ſeſsione ad dexteram Patris non impediri iſtam detentionem in cælis? Audis Cælorum nomine, non ipſam gloriam, ſed gloriæ ſedem ſignificari? Vis etiam vt plenius patefaciam falſum eſſe quod dixiſti, quòd videlicet per iſtud dictũ *Chriſti carnem nunc cælo capi*, & per aſcenſionẽ in cælos ſignificetur loci mutatio, non autem euectio ad dexteram Patris, hactenus veſtris eccleſiis incognitum fuiſſe? Sic certè ſcribit diſertis verbis Philippus in epiſtolam ad Coloſſenſes: *In Symbolo intelligatur dictum vt ſonat litera, & de corpore, & de corporali locatione. Aſcendit ſcilicet CORPORALI ET PHYSICA LOCATIONE IN CÆLVM, id eſt in locum cæleſtem, vbicunque eſt, quia non ſunt hic fingendæ allegoriæ. Aſcenſio fuit viſibilis & corporalis. & ita ſemper ſcripſit tota antiquitas, Chriſtum CORPORALI LOCATIONE in aliquo loco (nempe cæleſti) eſſe vbicunque vult, & aſcenſio corporalis facta eſt ſurſum, &c.* Et mox, *Sicut de locali aſcenſione naturæ humanæ dictum eſt, Aſcendit in cælos: ita de exaltatione naturæ humanæ ſupra omnes creaturas*, (At non de omnipræſentia ſiue infinitate quæ phyſicam locationem & verum corporis modum euertit) *dictum eſt Sede ad dexteram Patris.* Hæc ille. Quæ ſi vera ſunt, vti ſanè ſunt, quid in vos apertiùs dici potuit, qui aſcenſionem cum ſeſsione, qui cælos cum Dei dextera confunditis: & quibus hæreticus eſt qui Chriſtum ſecundum carnem ait cælo capi, id eſt, phyſica locatione in cælis collocatum? Vbi verò hæc ſenſit, docuit, ſcripſit Philippus? An non in veſtris ſcholis? Num tunc vel mutire Brentius, vel Iacobus Andreas diſcurſare ferendæ ſuæ vbiquitatis cauſa auſus eſt? Vbi tum zelus iſte tuus, Selneccere? Imò etiam audiamus quid tum ſenſerit & ſcripſerit ille ipſe qui nunc iſtorum incendiorum facem præfert Heshuſius. Sic enim habet ad verbum pagina libri ſui in Caluinũ 30. cui duobus dialogis reſpondi: *Libenter accipimus Chriſtum phyſica locatione viſibiliter ſuũ corpus ſurſum ſuſtuliſſe & in cæleſti LOCO COLLOCASSE.* Et pa. 82, *Neceſſe eſt* (audite Brentiani Vbiquiſtæ) *fateri corpus Chriſti in cælo certo ſpatio concludi.* Audis mi homo? audis, Heshuſi, quid olim ſcripſeris? Si neceſſe eſt fateri Chriſti carnis phyſicam locationem, atque adeò certam in cælo, certo loco concluſionem, (quod verbum multò illis quæ vſurpamus durius eſt) quo pudore vt falſam & impiam hanc interpretationem criminamini, *Chriſtum cælo capi*? Quoniam, inquit Heshuſius, ſimul dixi fatendum etiam eſſe Chriſti carnem verè & ſubſtantialiter adeſſe in Cœna, quod vos negatis. Negamus ſanè eo quidem ſenſu quo tu hæc ſcripſiſti. Sed quid tum? Manet tamen illud ex Heshuſii dictis, tantum abeſſe vt falſum aut impium ſit dicere Chriſtum cælo capi, atque adeò certo ſpatio in cælo concludi, vt contrà habendus ſit impius qui hoc negat, nec ſatis ſanus qui aſcenſionem cum ſeſsione, & cælum cum gloria cæleſti confundat. Itaque non mea interpretatio, ſed tantùm mala ex eo Petri dicto collectio argui & probari à meis accuſatoribus debuit. Sed agè progrediamur etiam paulò ampliùs. Tu ipſe, Selneccere, in illis propoſitionibus iſthic editis quæ nomen tuum quoque præferunt ita ſcripſiſti, propoſitione XXX, *Valde dolemus veterum errorum ſemina audacter à multis etiam nunc ſpargi, & iudicamus ab vniuerſa Antiquitatis piæ & eruditæ conſenſu, ſi non rebus & ſententiis, certè formis verborum & phraſeon recens confictis, diſcrepare eos qui vnionem perſonalem definiunt quandam totius energiæ Diuinæ in naturam humanam effuſionem, qua realiter Diuinitas ſuas proprietates humanæ naturæ communicauerit: aut qui humanitati quod eſt perſonæ tribuentes, peculiariter Diuinam naturam aſſumentem humanæ aſſumptæ realiter communicare dicunt perſonam, maieſtatem, & actiones: aut qui prodigioſis verborum commentis innumeras idiomatum diſtinctiones fingunt. Denique quòd miſcent aliqui dona & ornamenta excellentia humanæ naturæ glorificatæ in Chriſto, cũ proprietatibus Diuinæ eſſentiæ.* Et propoſitione 31, *Solius diuinæ naturæ propria ſunt, eſſe omnipotentem, æternum, infinitum* (ergo & omnipræſentem eſſe, vt illud verbi portentum vſurpemus) *omniſcium, omnipotentem: humanæ naturæ propria ſunt cæpiſſe in tempore, finitum, circumſcriptum eſſe* (ergo pluribus locis ſimul non eſſe.) *Hæc quum ſint eſſentiales proprietates naturæ humanæ, nunquam abiiciuntur. Sed alia ſunt in natura humana quam λόγος aſſumpſit, quæ corpori nondum glorificato rectè tribuuntur, vt eſurire, ſitire, lacerari, mori, &c. hæc quæ fuerunt infirmitatis humanæ, deſierunt poſt glorificationem. Nec tamen propterea amiſſa eſt humana natura, nec ſecundum ſe infinita vel omnipotens facta eſt, nec diuinæ naturæ idiomata in eam transfuſa ſunt.* Et propoſitione 33, *Communicatio idiomatum nequaquam eſt phyſica, aut transfuſio proprietatum eſſentialium in alterutram naturam, vt nunc aliqui communicationem idiomatũ rea-*

lem ſeu

lem ſeu phyſicam comminiſci non ſunt veriti,ſed eſt forma loquendi qua proprietas aut operatio vni naturæ conueniens tribuitur perſonæ certa lege ac modo,ſcilicet in concreto quod totum agens ſignificat habens vtranque naturam,non autem in abſtracto quo alterutra natura ſecundum ſe ſignificata conſideratur. Hæc tu non ita pridem,Selneccere:quæ ſi adhuc ſentis, quîuam hoc tuum vltimum ſcriptum cum illis, id eſt, teipſum tecum conciliabis? Nam ſi infinitum ac proinde pluribus ſiue omnibus ſimul locis eſſe, idioma eſt diuinæ naturæ quod realiter nonquam communicetur,quomodo verum eſt quod tu nouus homo factus nunc ſcribis.De corporali locatione, noua (inquis) & periculoſa voce,nullũ in ſacris literis teſtimonium extare? Et ſi glorificatio ademit carni ſolas infirmitates, quas tu ipſe à proprietate eſſentiali circunſcriptionis diſtinguis,quid relinquitur niſi ſalli vehemẽter qui ſeſsione ad dextram volunt omnipræſentiam ipſi carni communicatam, & Chriſtum cælo capi negant? Quid igitur tibi prodeſt latibulum illud donorum ἀπειρομεγῶν,cui tu ipſe nullum in illis propoſitionibus locum relinquis? Cedò verò,in quos hæc ſcripta eſſe dices,ſi non in Brentianas illas blaſphemias? Quòd ſi ita eſt, vnde iſta tam ſubita mutatio, vt illi doctrinæ renuncians quã falſus es verbo Dei,ipſa veritate,omnium orthodoxorum ſcriptorum perpetuo conſenſu niti,dicere audeas nullũ eſſe carnis circunſcriptioni,in doctrina potentiæ & maieſtatis Filii Dei locum? Imò Selneccere, nullus eſt in Eccleſia cothurno Theramenis locus. Et quum iſta duo vis conciliare,quòd videlicet corpus retineat ſuam περιγραφὴν,& tamen ſit ἀπερίγραπτον omnipræſens,nihil aliud agis,vel teipſo teſte,quàm quòd contradicentia inter ſe conciliare ſtudes. Præponderat, fateor, cũctis rebus Dei verbum,ſed in quo tandem Dei verbo carnem Chriſti reipſa ſimul nobis adeſſe & abeſſe, id eſt,ſimul finitam & infinitam eſſe comperies?

Si Cœnæ inſtitutioni hoc tribuis,quorſum refugis ad glorificationem quæ poſtea conſequuta eſt? Imò audi quid dicat Schekius Brentii ὑπέρασπις. *De glorioſo corpore Chriſti*,inquit, *non poteſt ἁπλῶς dici quòd ſit in Cœna,quum τὸ ἐστὶν prædicati ei non conueniat. Nam glorioſum neque traditum eſt, neque tradetur.*

Ergo,inquies,tollis Chriſti præſentiam in Cœna. Hoc enim eſt vlcus quod pungi non pateris. Reſpondeo,ſi Præſentiæ nomine ſitum corporis intelligis, vt iis locis ſiſtatur corpus vbi Cœna peragitur,negari ſanè illam à nobis:vtpote quæ (præterquam quòd ad ſpiritualem communicationis modum nihil prorſus facit,imò & fidei obſtaculo eſt, vt ipſe Chriſtus diſcipulis teſtatur,) veritati corporis, & verbo Dei, & totius piæ vetuſtatis, tuóque adeò ipſius teſtimonio paulò antè deſcripto,penitus & ex diametro repugnet. Sin verò præſentiam ad fidei conſpectum,ipſiúſque adeò rei per fidem apprehenſæ veriſsimam,quia & efficaciſſimam, ſed tamen ſpiritualem perceptionem refers,ſane & nos in Cœna Chriſti carnem præſentiſſimam ſtatuimus,non vt ex duabus ſubſtantiis vna quæpiam concreſcat,ſed vt myſticum inde corpus exurgat, vnà Spiritus Chriſti vi & efficacitate viuificatum.

Requiris etiam aliquid amplius? Sicut Filius hominis loquens in terris cum Nicodemo,erat in cælo,ita etiam nunc,quamuis cælo (vt loquitur Iuſtinus) κατεχόμενος,eſt tamen vbique in terris, nedum vt à Cœna abſit:ſed non niſi ſecundum vnitatem perſonæ, ſiue quatenus caro aſſumpta (quæ nunc in cælis eſt,& non alibi) eſt tamen vnum ὑφιστάμενον, cum Verbo in quo ſubſiſtit:id eſt, communicatione idiomatum,quam tu ipſe rectè ſcripſiſti realem non eſſe naturarum in ſeſe, ſiue in abſtracto conſideratarum,reſpectu. Denique admittite vos illud κατ' ἄλλο,& ſtabilita veritate, pax erit Eccleſiis reſtituta.

Poſtremum Vigilii erratum recenſes, *Quòd formam ſeruilem dicat in cælum translatam*,quod tamen negas. Reſpondeat Auguſtinus contra Maximinum eodem prorſus argumento,quamuis in alium finem,vtentem,diſputans lib.3, cap.16, *Forma ſerui* inquit,*leuata eſt in cælum:in ipſa ſedet ad dextram Dei Patris,in ipſa venturus eſt ad iudicium.* At enim, inquies,non vt ſeruilis forma tranſlata eſt in cælum. Reſpondeat idem Auguſtinus,eodem loco, *Formam ſerui reſurrectio non conſumpſit, ſed in melius commutauit.* Ergo vt ſit meliore conditione,tamen etiamſi vt ipſe ſcripſiſti, infirmitatem non naturam ei ademerit gloria, ſerui forma ſit quoque ſeruilis neceſſe eſt, reſpectu naturæ ſemper dominantis. Sed hoc pati non poſſunt qui cum Eutychete ſentiunt,per ſeſsionem ad dexteram Patris,formam ſerui exæquatam formæ Dei : quod vt falſum meritò damnauit ſancta Synodus,ſcribentibus disertè Patribus, Chriſtum glorificatũ, cui vna gloria & adoratio debetur quoniam vnus eſt,ſeipſo minorem eſſe ſecundum ſerui formam ſiue humanitatem,ſicut ſeipſo maior eſt ſecundum Dei formam.id eſt,Deitatem, vt disertè docet Auguſtinus lib. de Trinit.1.cap.7,& 11. Nec tamen propterea in duas perſonas Chriſtus diuiditur,ſed naturarum perpetua diſtinctio ſeruatur. Vides ergo tandem Selneccere te rurſum optimum ſcriptorem immeritò accuſare? ſed illud te fefellit quòd Brentianos ſecutus,per formam Dei neque ipſam deitatem Verbi,neque itidem gratiam vnionis,ſicut omnes veteres tum Græci tum Latini, ſed gratiam (vt loquuntur ſcholaſtici) habitualem intellexiſti,quæ aliquandiu deliteſcens,tandem ad formã Dei, id eſt, Deo conuenientem, ſit euecta,de quo commento pleniùs alibi eſt à nobis diſputatum.

En igitur quam iuſtis de cauſis Selneccerus & Ienenſes theologi in me tanquam falſum & impium interpretem tanto impetu inſurrexerint,qui vtinam præclarum illud Irenæi dictum obſeruaſſent, *Multa male interpretari coguntur qui vnum rectè intelligere nolunt.* Dominus illorum & mei miſertus,faxit vt in veræ fidei ὁμοφροσύνῃ alii aliis occurramus, Satanã & ipſius flabella comprimat, Eccleſiam ſuam denique ab omnibus & inteſtinis & exteris hoſtibus ſeruet. Geneuæ 21. Augoſti. anno vltimi ſeculi,1571.

EXCVSO hoc libello, perlata eſt ad me quædam ad Eccleſiam Vuitbergenſem Selneccerii epiſtola, in qua locum Nanzianzeni, καὶ ὑπ' οὐρανοῦ δεχθῆναι, ſic eludit quod illa dicat Nanzianzenus μιμητικῶς in perſona aduerſariorum, ideóque adiiciat, ὡς πολεμικὸς ἐξηγητὴς σύ. Ego verò fateor quidem recitari à Nanzianzeno obiectionem aduerſariorum. Sed quæ eſt iſta conſequutio: recitat Nanzianzenus teſtimonium Scripturæ quo abutebantur Arriani, ergo non approbantur verba quibus locus ille ab Arrianis citabatur? Quaſi verò ſi, vt ſæpiſsime fecerunt hæretici, locum iſtum corrupiſſent Arriani, hoc diſsimulaturus fuerit Theologus. Quid ergo, dices, reprehendit in illa Arrianorum obiectione? nempe quòd falſo inde colligebant ceſſaturum Chriſti regnum, ex illa particula ἄχρι malè expoſita, ſicut ea reſponſione patet: in qua de verbis Petri malè citatis aut corruptis nullum verbum, ſed de falſitate & abſurditate argumenti diſſeritur. Vanum eſt ergo iſtud perfugium, ſicut iis accidat neceſſe eſt qui potiùs quàm veritati quantumuis manifeſtæ cedant, & errorem agnoſcant, ad quæuis etiam abſurdiſsima deueniunt. Sic iſti fatetur quidem Chriſti interdum corpus eſſe finitum & circumſcriptum, & localiter aſcendiſſe in cælos, ſed nolût fateri cælis capi, ſiue contineri, ſpacio videlicet naturali corpori conueniente, vt ſi faterer quidem quempiam eſſe in loco ſed negarem loco contineri. Miror autem quid ſint Iuſtino Martyri reſpõſuri, cuius locum Latinè verſum antea citaui, nunc verò ipſa Græca verba placuit ſubiicere, quæ ſic habent, ὅτι δὲ ἀγαγεῖν τὸν Χριστὸν εἰς τὸν οὐρανὸν Πατὴρ μετὰ τὸ ἀναστῆσαι ἐκ νεκρῶν αὐτὸν, ἤμελλε, καὶ ΚΑΤΕΧΕΙΝ ἕως ἂν πατάξῃ τοὺς ἐχθραίνοντας αὐτῷ, &c. ἐπειδὴ ... τῇ εἰρημένῃ διὰ Δαβὶδ τῇ προφητείᾳ, Εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου, &c. En Chriſtum ait ſedentem ad dexteram non tantùm capi, ſed etiam detineri cælo vſque ad diẽ illum vltimum. Mirum ergo ni hæreticum etiam Iuſtinum faciant, aut hunc quoque næuum in ipſo inueniant, à centuriatoribus nondum animaduerſum. Sed Angelorum & Petri teſtimonium perſpicuum apud ſanos homines ſatis ſupérque Iuſtinum vindicabit.

AD NICOLAVM SELNECCERVM THEODORI BEZÆ RESPONSIO, ALTERA.

ILLVSTRISSIMO AC POTENTISSIMO PRINcipi, ac Domino, D. Auguſto, Duci Saxoniæ, Electori, S. Romani Imperii Archimarſchallo, Landgrauio Turingiæ, Marchioni Miſniæ, Burgrauio Magdeburgenſi, &c. Domino ſuo clementiſsimo.

***

MIRANTVR hodie & indignè ferunt multi, Princeps illuſtriſsime, quum his annis quadraginta tot acerrima tum ciuilia tum externa omnium orbis gentium bella vel ſua ſponte conciderint, vel certis pactionibus dirempta ſint, ſolum iſtud bellum Theologicum inter eos qui ſe pacis internuntios profitentur, non modò deſinere non poſſe, verùm etiam magis ac magis efferueſcere, & vt interdum ſopitum videatur, velut Ætnæum quoddam incendium exundans, Eccleſiarum Chriſtianarum campos longè latéque populari. Huius autem planè deplorandi mali qui cauſas perſcrutantur, non vnum idémque ſentiunt, ex quo longè triſtiſsimum illud conſequitur, vt dum non intellecta morbi cauſa, vel nulla, vel incerta, vel etiam ipſo malo deteriora remedia vſurpantur, inſanabile ſenſim malum euadat. Alii perpetuitatem huius inteſtini belli non modò non mirantur, ſed etiam vſque adeò negligunt, vt, ſicut medici febrim in paralyſi, penè probandum ac fouendum illud putare videantur. Aiunt enim hanc eſſe Eccleſiæ conditionem, vt ſit illi ἄσπονδος πόλεμος cum externis ſimul ac domeſticis hoſtibus: & bono Eccleſiæ cedere, vt non tantùm ſchiſmata, ſed etiam hæreſes exiſtant, vt qui probati ſunt manifeſti fiant. Alii damnant iſta quidem, ſed prout ſuæ illos opiniones trahunt, in hunc vel illum quemuis potiùs quàm in iſtorum malorum auctores culpam omnem deriuant. Iacet interea languens Eccleſiæ corpus, eò redactum vt à nullis magis lædatur quàm ab iis ipſis qui ſe medicos ipſius profitentur. Itaque non defuerunt nec etiam deſunt qui quod in deſperatis morbis fieri ſolet, omnia tempori, ſeu potiùs Dei prouidentiæ relinquenda putent: nec prorſus tentandum quicquam, non modò ſententiis verum etiam ipſarum opinionum vel auctoribus vel defenſoribus tam inter ſe pertinaciter confligentibus. Hic ego verò quid dicam, qui nec ſententiam roger, nec, ſi fortè roger, habeam quod dicam, nec ſi habeã, ea ſim auctoritate cui fides habeatur? Imò quis me in alios dicentẽ ferat, cui potiùs pro ſe dicenda

cauſa videatur? Dicam tamen aliquid apud te, Illuſtriſſime Princeps, ſumma tum æquitate tum humanitate tua fretus, de hoc quoque exultans, & Deo Opt. Max. gratias agens quòd tu ſis vnus inter omnes ab eo quîcum nunc mihi res eſt ad hæc cognoſcenda delectus. Id verò ſi fortè fecit ille audaciùs, & ὡς τὸ πλεῖον ſuſtineat ipſe culpam omnem oportet. Ego interea velut ad Celſitudinis tuæ tribunal vocatus, compareo, Illuſtriſs. Princeps, primùm quidem aliquid de cauſæ ipſius ſumma, deinde verò pauca de me priuatim dicturus.

Perpetuum eſſe bellum Eccleſiæ cum exteris domeſticiſque hoſtibus, tantiſper dum vltimus ille dies appareat quo Pater omnia Filio ſubiiciet, tum ex ipſo Dei verbo tum ea perpetua experientia ſatis liquet. Sed nos eſſe ex iſtorum hoſtium numero, id verò priùs fuit probandum, quàm excuſati habeantur qui nos tam diu & ita impotenter perſequuntur, vt ipſis etiam iuratiſſimis hoſtibus omiſſis, & neglectis ouium ſuarum peſtilentiſſimis, & ob oculos obuerſantibus morbis, in nos vnos ferantur. Et cur tandem, obſecro? num quòd de vna Dei eſſentia, de tribus hypoſtaſibus, de Chriſti perſona vel officio, de Lege aut Euangelio, de peccato, de gratia, de fide, de iuſtificatione, de bonis operibus, de reſurrectione, de futuro iudicio, de vita æterna, num deniq; quòd de Sacramenti definitione, de Sacramentorum vniuerſalium & perpetuorum numero, de ſignis, de re ſignificata, de fine & vſu Sacramentorum diſſideamus? minimè, opinor, hoc dicet eorum quiſpiam, ſi eos excipias à quibus planè diſſentire nos (ipſis etiam VVitebergenſibus tuis disertè conſentientibus) & corde & ore profitemur: qui videlicet naturas ipſas cum Neſtorio, & earum eſſentiales proprietates cum Eutychete confundunt. Etſi enim ex iſtis quibus hoc vnum propoſitum videtur vt litem ex lite ſerant (quaſi ſcilicet veteres turbæ impediendo operi Domini ſatis non ſufficiant) nonnulli quædam alia nobis exprobrare conantur, extant tamen communes noſtræ confeſſiones, Heluetica dico & Gallica, illa quidem pleniſſimè, iſta verò compendioſe capita noſtræ, id eſt Euangelicæ fidei complectens, quæ vel ſolæ nos ſatis ſupérque ab huiuſmodi calumniis vindicant. Quænam autem eſt igitur tanti & tam implacabilis odij cauſa? *Quòd*, inquit ille qui me nunc inuitum in hoc certamen pertrahit, *Chriſto homini adimamus potentiam eam quam ſibi datam accepit in omnes creaturas, id eſt, potentiam diuinam. Deinde quòd eidem Chriſto adimamus veritatem promiſſionis & Teſtamenti, quaſi ſuo corpore & ſanguine in Cœna vbicunque ritè peragitur non ſit præſens, neque etiam ſi velit poſſit eſſe præſens: neque poſſit diſtribuere pane & vino benedictionis præſentibus re vera verum & eſſentiale corpus & ſanguinem ſuum.* Hæc ille. Quæ ſi vera ſunt, vti dicuntur, ſanè non odio hominum duntaxat, ſed etiam vltimo exitio dignos eſſe nos vltrò profiteor: méque adeò primùm luendis tantorum criminum pœnis offero. Itaque te vehementer precor, Illuſtriſſime Princeps, vt me de iſtis capitibus non quidem planè diſputantem, ſed paucis tantùm agentem placidè & patienter audire ſuſtineas. Num igitur, quæſo, illi Chriſtum hominem omnipotentia Dei, quæ quidem ſumma & vna eſt, ſpoliant, qui eundem eſſe verum, vnicum, & æternum æterni Patris Filium profitentur, & aduerſus noſtri temporis hæreticos omnium conſtantiſſimè (abſit verbo inuidia) ſemper defenderunt? Quòd ſi noſtri accuſatores per diuinam Chriſti hominis potentiam intelligunt habitualem, vt non incómodè Scholaſtici loquuntur, ſiue, vt ſcribunt Brentiani, effuſam, & in ipſa carne tanquam ſubiecto hærentem gratiam, obſecro vtri pleniorem & abundantiorē Chriſti carni potentiam tribuunt? iſtine qui quum illam ſpatio veritati corporis humani conuenienter definiri non inficienter, ipſius carnis imperium & ſubſtantiæ ipſius præſentiam paribus ſpatiis terminant: an verò nos qui ſic hominem illum, quatenus homo eſt, reſidere in cælis, ibíque ſeſe, nec vſquam alibi, liberrima voluntate, continere docemus ex Scriptura, & iis præditum quæ veritatem naturalis quantumuis glorificati corporis neceſſariò conſequuntur, vt nihilominus idē homo, quatenus vnus & idem eſt etiam Deus, (id eſt κατ᾽ ἄλλο, non καθ᾽ ἑαυτὸν, neque κατ᾽ ἄλλον) ſit vbique nedum in Cœna & Eccleſia ſua: & καθ᾽ ἑαυτὸν quoque, id eſt in ſemetipſo conſideratus, omnia & ſingula cæleſtia, terreſtria, infera, accepta pleniſſima poteſtate adminiſtret? Illud dogma verè Eutychianum in reali idiomatis diuini effuſione Brentiani renouarunt: iſtud verò nos tuemur. Ab vtra parte ſtet veritas vel ipſi VVitebergenſes tui diiudicent. Hîc verò inſurgunt illi quibus nunc reſpondeo, & illam quidem σύγχυσιν, vt prorſus impiam & hæreticam meritò abominantur, interim verò Chriſti carnem Diuina potentia ſpoliari à nobis declamitant, niſi eam quamuis in cælis ſua quantitate definitam, tamen ſeſe præſentem reipſa vbicunque vult ac præſertim in Cœna Domini nobis ſiſtere fateamur, vtpote quæ ad dexteram Patris ſedeat, id eſt, omnem poteſtatē in cælo & in terra acceperit. Nos omiſſa pauliſper quęſtione de ſacra Cœna Domini, ſic reſpondemus, Si præſentia iſta æſtimanda eſt ex vnione hypoſtatica, (ſicuti ſanè eſt) ſiue, (vt loquuntur ſcholaſtici) ex gratia vnionis, falſum eſſe commentum de reali ipſius carnis pluribus ſimul locis præſentia, quoniam per hypoſtaticam vnionē homo iſte non eſt aliter pluribus ſimul locis quàm ſicut Deus eſt. Hic autem homo eſt Deus, non transformatione ſui aliqua, neque in ſeſe, ſed vnione, & κατ᾽ ἄλλο, cui vnitus eſt: Loquar planiùs. Homo ille non alia ratione, per gratiam vnionis, eſt pluribus ſimul locis, quàm qua ratione Deus eſt. At non eſt Deus in ſeſe (quod perpetuò Selneccerus perperam confundit cum *Per ſeſe & Seorſim*) ſed quatenus cum ea natura quæ vnica nullo loco definitur, eſt vnitus, non confuſus nec permixtus. Ergo etiam non eſt ſimul pluribus locis, in ſemetipſo, ſed in altera natura conſideratus. Præterea, ſi de gratia vnionis hoc, ſicut dixi, accipiūt, ſanè in eo grauiter hallucinantur, quòd non apertè vbiquitatem defendunt. Chriſti enim aſſumpta caro quatenus hypoſtaticè cohæret cum natura aſſumente, tam ſanè vbique eſt quàm natura ipſa aſſumens, ſed illa quidem κατ᾽ ἄλλο, vt ſæpe dixi: iſta verò καθ᾽ ἑαυτὸν, ſiue ἐν ἑαυτῷ. Sin verò habitualem gratiam ipſi intelligant, abſurdiùs etiam quàm Brentiani ſcribere & loqui mihi quidem

videntur, adeóque ſemetipſos redarguere. Etenim ſi quod nobis obiiciunt verum eſt, id eſt ſi Chriſtum hominem ſua diuina potentia ſpoliat quiſquis ſtatuit aliquid eſſe ipſi ἀδύνατον, an non rei ſceleris iſtius peraguntur qui non vbique, ſed tantùm vbicunque vult præſentem illum eſſe poſſe definiunt? plus enim eſt ſemel vbique eſſe, quàm duntaxat vbicunque velis. Deinde ſi Chriſti caro non vbique eſt, & tamen vbique protenditur eius potentia (quod ſanè veriſſimum eſt, quoniam omne genu coram ipſo flectitur) quomodo non ipſimet euertunt quod in nos extruunt, ideo nimirum nos Chriſti carnis potentiam deſtruere, quia non niſi in cælo nunc illam eſſe, & ad vltimum diem vſque futuram doceamus? Si, inquam, negatur Chriſtus homo eſſe Dominus, vbicunque negatur eſſe reipſa & in ſeſe præſens, an non hoc ipſimet faciunt, quum vbique eſſe negant, ſed tantùm vbicunque vult, ibi demum eſſe affirmant? Denique vnde hæc realis præſentia in Cœna Domini? ſi ea ipſa hypoſtatica vnione, vt contendunt Brentiani, quorſum ad ſeſſionem ad dexteram Patris deuenietur? ineptè profectò niſi cum iiſdem illis ſeſſionem ad dexteram & incarnationem pro vno & eodem accipias. Sin verò ex ipſa ſeſſione ad dexteram, quod iſti vrgent: aut certè veniendum non fuit ad Cœnæ verba, Hoc eſt corpus meum, Hoc eſt ſanguis meus, quum illa ſeſſio ſufficeret: aut duplex ſtatuendum fuit iſtius præſentiæ fundamentum, nempe ſeſſio ad dextram, quæ faciat vt adeſſe poſſit: & illa inſtitutionis verba, quæ tamen profectò non faciant vt adeſſe poſſit, aut velit, aut etiam vt adſit, ſed tantùm teſtentur quòd adeſſe velit, & adſit. Et de primo quidem accuſationis capite hactenus.

Obiiciunt rurſum, quòd eidem Chriſto veritatem promiſſionis & Teſtamenti adimamus. Horrendum profectò ſcelus. Sed ſi ſatis eſt accuſare, aiebat ille, quis innocẽs euaſerit? Quæro igitur an non fateantur Chriſti veritatis promiſſionis ac Teſtamenti participes fieri oportere quicunque ſeruantur. Niſi enim hoc verum ſit, erit ſalus aliqua extra promiſſionem & fœdus Domini, quod eſt omnium abſurdiſſimum. Ergo fateãtur ipſi neceſſe eſt, ſi Chriſto homini veritatem promiſſionis & Teſtamenti adimunt quicunque realiter eum præſentem eſſe & dari non cõfitentur, ſeipſos eſſe huius ſceleris reos, vt qui in ſola Cœna Domini hoc præſentiæ genus vrgeant, quum tamen credentes & baptiſatos, etiam ante Cœnam Domini peractam, ſeruari concedant, ac proinde rstam eſſe in illis fœderis promiſſionem: aut, ſi verum iſtud non eſt, agnoſcant nos immeritò tanti ſacrilegij reos traduci.

Itaque iſtud video poſtea ad Cœnam Domini ab ipſis reſtringi, quod tertium eſt grauiſſimæ iſtius accuſationis caput. In hac autem vociferantur iſti negari à nobis veri & eſſentialis corporis Domini tum præſentiam tum communicationem. Quaſi verò nos aut aliud corpus, quàm quod pro nobis traditum eſt, aliũmve ſanguinem quàm illum pro nobis effuſum Chriſto attribuamus, id eſt Chriſtum in Gerionem aut Ianum quempiam transformemus: aut quaſi non vbique tot annis ad rauim vſque reſponderimus Sacramenta duabus rebus conſtare, vna terrena putà pane illo & vino illo, altera cœleſti, id eſt vero tum corpore tum ſanguine Domini. Num enim, obſecro, ita inſanimus vt Sacramentum aliquod eſſe dicamus vbi nulla res ſignificetur? Corporis autem & ſanguinis nominibus quis vnquam noſtrûm aliud quàm vera illa intellexit, etiam ſi ſacramentaliter illa de ſymbolis prædicari docemus? At negatis, aiunt, eorum præſentiam. Sanè ſi præſens demum id eſſe intelligunt quod ſit eo ipſo loco vbi Cœna celebratur, & ſumitur, præſentiam illam prorſus vt commentum analogiæ fidei orthodoxæ Eccleſiarum confeſſioni, veritati aſcenſionis cantis Chriſti, ea diametro repugnans, item vt ei communicationi cuius cauſa ſunt hæc inſtituta myſteria minimè omnium conueniens repudiauimus & repudiamus. Sin verò præſentiam non ad loci & corporum ſitum, ſed ad fidei obiectum referunt, quæ tum Verbi promiſſione, tum ſymbolis quæ offeruntur tanquam alis ſubuecta in cælum vſque aſſurgit, ibíque Filium Dei conſpicit & amplectitur, hoc ſanè ſenſu tantum abeſt vt præſentiam carnis Chriſti inficiemur, vt è contrariò hæc ſymbola pro certis illius præſentiæ & dationis pignoribus habeamus. Non igitur præſentiam negamus, ſed eam ponimus quæ & analogiæ fidei & ſacramentali inſtitutioni conuenit. Si de verbo Dei quæritur, nullũ ſanè expreſſius habemus, & in quo libentiùs acquieſcamus, quàm ipſius Cœnæ inſtitutionẽ, Hoc (id eſt Hic panis) eſt corpus meum, Hoc poculũ eſt ſanguis meus. Hinc eliciunt ipſi realiter præſens, id eſt eo ipſo loco adeſſe corpus Domini & eiuſdẽ ſanguinem, in quo loco ſit ipſe panis & vinum. At iſta conſequutio quo tandem firmamento nititur? Repugnat enim veritas corporis Chriſti, aſcenſionis hiſtoria, fides, inquit Vigilius, omnium Eccleſiarum perpetua, quòd videlicet Chriſti caro ſicuti aberat à cælis quum eſſet in terris, abſit nunc à terris, quoniam ſit in cælis, vnde etiam ventura ſperatur. Et verò niſi ita eſſet, cur nos à Domino peregrè nunc abeſſe diceret Apoſtolus? quæ tamen ſpiritualem præſentiæ modum minimè excludunt. Sin verò ſacramẽtalis inſtitutionis finis & ſcopus cõſideretur, nũ, obſecro, hæc ſunt myſteria inſtituta vt corpora cũ corporibus cõpingantur, an potiùs vt myſticũ inde Eccleſiæ corpus capiti ſuo agglotinatũ cõſurgat? Quorſum igitur ad myſticã iſtã coniunctionẽ, realis iſte ſiue corporalis præſentiæ modus, eo ipſo loco caput cõſtituẽs vbi mẽbra ſunt? Sed hæc tã paucis abſolui ſanè non poſſunt, quæ tamẽ paucis putaui delibãda, vt quid ſentiamus & doceamus, & quid ſit adhuc in cõtrouerſia poſitũ, non ex incõditis & maledicis illorũ accuſationibus, ſed ex nobis ipſis omnes cognoſcãt. Quæ de cõmunicatione ſuperſunt, facilè ex ſuperioribus intelligũtur. Qualis enim eſt præſentiæ, talis quoq; eſt perceptionis & cõmunicationis modus, minimè quidẽ certè imaginarius aut inanis, ſed veriſſimus & efficaciſſimus, etiã ſi animo & fidei manu fiat: niſi fortaſſe criminatores noſtri vanum eſſe fidei obiectum, & inane ipſius effectum arbitrantur. Dari igitur verũ corpus & verum ſanguinem, ſiue ipſum Chriſtum, abſit vt inficiemur, (quomodo enim verũ eſſet quod ait Apoſtolus,

poſtolus, hæc eſſe communicationem corporis & ſanguinis Domini?) ſed animo non corpore, fide videlicet non ore, non corporali ſed ſpirituali modo, non ad corporalem nutritionem, ſed ad vitam æternam ſumendum. non, inquam, vt ſubſtantiæ traijciantur aut permiſceantur, ſed vt quæcunque ad vitam æternam tum animi tum reſurrecturi corporis faciunt, à Chriſto capite in nos, vera quidem ſed myſtica eius membra, deriuentur. Hæc omnia ſi ſpiritualia ſunt, cedò quorſum nobis iſte realis & ſubſtantialis præſentiæ modus? quorſum iſta manuum & oris ſumptio? Et hinc ſaltem, Illuſtriſsime Princeps, obſecro per Ieſu Chriſti nomen, vt quoniam aduerſarij non deſinunt diuinam Chriſti ſecundum carnem potentiam, perinde ac ſi à nobis oppugnaretur, inculcare, hinc, inquam, obſecro & precor ſupplex vt perſpicias vtri plus tribuant carni Chriſti glorificatæ, &, quod minimè omnium negamus ad dexteram Patris euectæ: ipsi ne qui niſi reipſa ſit eo loco præſens in quo ſymbola porriguntur, nos illius verè participes fieri non poſſe ſibi perſuadent, (cur enim alioqui iſtam realem præſentiam & oralem quam vocant manducationem, vt prorſus neceſſariam vrgerent?) an verò nos, qui ſicut carnis veritas flagitat, & tota Euangelica hiſtoria teſtatur, carnem Chriſti quamuis ſummè ſupra res omnes creatas glorificatam, nunc in cælis quidem & non alibi reſidere profitemur, & tamen nobis in terra poſitis veriſſimè & quàm efficaciſſimè, ſpiritualiter & per fidem communicari credimus? vtrum enim diuinioris eſt virtutis, non obſtãte locorum interuallo ſeſe nobis tam procul diſsitis, inſinuare, vnire, incorporare non quidem ad ſubſtantiarum coagmentationem, ſed vt vitam in nos æternam inſpiret, (quam Eccleſiæ & Chriſti coniunctionem verè magnam eſſe clamat Apoſtolus) an verò vt ſe nobis adiungat, proximè ad nos accedere, & manibus ac ori reipſa ſeſe ingerere? Ex quo ſaltem intelligere licet vtri de Chriſti etiam hominis carne, ipſáque ſacra Domini Cœna auguſtiùs & diuiniùs ſentiant & loquantur.

Quæ quum ita ſe habeant, Illuſtriſſime Princeps, quo tandem iure nos hæretici, impii, blaſphemi, Sacramentarij, Ipſis Iudæis & Turcis deteriores perpetuis illorum ſcriptis & vocibus traducimur? Quando verò iſtæ nefariæ Zuinglianorum & Caluinianorũ voces deſinẽt? quonſque iſtis contentionibus opus Domini impedietur? quandiu aduerſariis communibus ludos præbebimus? habéntne iſti homines plura vel illuſtriora Eccleſiæ Chriſtianæ ſigna quàm nos habeamus? ſi tam chara iſtis eſt D. Philippi præceptoris memoria (atque vtinam eſſet) quàm, quoties libet, præ ſe ferunt, cur eius in loquendo & ſcribendo modeſtiam non imitantur? an nos Zuinglij, an Caluini, an cuiuſquam hominis authoritate niti conſueuimus? num ipſam noſtram confeſsionem, ac non potiùs vnicum ex quo deſumpta eſt Domini verbum profitemur? Imò (liceat enim hoc mihi pace tua, Illuſtriſſime Princeps, & ſine vlla boni cuiuſquam iniuria liberè dicere) num in noſtris Eccleſiis diſſidia, ſectæ, contentiones de hoc vel illo doctrinæ capite, cuiuſmodi nunc turbis, heu nimiũ ſanè diuturnis & acribus Germaniæ Paſtores, quamuis omnes Auguſtanam vnam confeſſionem iactantes, confligunt?

Vtinam verò tua, Illuſtriſſime Princeps, cæterorúmque excellentiſſimorum Principum authoritas, ea ſit apud Germanicas Eccleſias quæ eſſe debet: qua nimirum boni & modeſti ſubleuentur, ſi qui verò ſunt alij, ſic coerceantur, vt regi ſe quoque ſinant. Sicut enim Principes Filium Dei per ſeruos ſuos quantumuis alioquin viles & abiectos loquentem oſculari & revereri par eſt, ita etiã nulli magis ſeuera Magiſtratuum coercione digni ſunt, quàm qui ſacri miniſterii auctoritate abuſi, quiduis ſibi tum dicere tum ſcribere licere arbitrantur. Illud enim ferè euenit in hoc etiam hominum genere, vt quò quiſque eſt ἀμαθέστερος, eò ſit in tanta licentia θρασύτερος, cuius vtinam pauciora exempla haberemus. Sed hæc certè me pluribus perſequi minimè omnium decet, quem aduerſarii horum fortaſsis omnium præcipuè inſimulant. Itaque longiùs in hanc partem non excurram, ac potiùs de me ipſo aliquid dicam. Pertractus in hoc certamen indigniſſimis quorundam ſcriptis tandem partim vltro, partim ab illuſtriſſimo Principe Heſſiæ Langrauio commonefactus, mihi prorſus conquieſcendum putaui, quamuis multis multorum conuitiis impetitus. Exoritur tandem illud, vtinam vltimum, inter veſtrarum partium concionatores, & VVitebergenſem ſcholam, longè luctuoſiſsimum certamen. quod quum partim fama partim ex ipſis quorundam virulentiſsimis libellis cognouiſſem, quid aliud potiùs facerem quàm vt tacitus gemerem & iram Dei deprecarer? Et ſanè pro viribus id (teſte Deo) faciebam, quum ecce inter alios turbatores non minimus (vt aiunt) D. Selneccerus ſubſcriptoribus Ieneoſibus ſiue neſcio quod ὑπνῶν, animaduertens, ſiue quòd certamina ex quibus inclareſceret ſatis multa ſe domi habere non crederet, me quoque nominatim aggreditur, quaſi tum falſæ tum impiæ cuiuſdã interpretationis auctorem: cui hanc quoque nouam nunc criminationem adiecit, quòd iſtic emiſſarios turbis nimirum vel excitandis vel fouendis conductitios habeam. Ego verò quid hic rurſus agerem potiùs quàm vt falſitatis & impietatis crimen à me depellerem? Itaque prouocatus, quàm breuiſsimè & quàm moderatiſsimè in iſtiuſmodi accuſatione fieri à me potuit, reſpondi. Huic reſpõſioni idem nunc D. Selneccerus alteram defenſionem, & quidem auguſto tuo nomini dicatam oppoſuit, qua ſanè neſcio an quicquam virulentius & truculentius ſcribi potuerit. Huic igitur ego nunc alteram defenſionem oppoſui, minimè id quidem vt litem producam (libenter enim iſtos ſi perrexerint ſilentio potiùs quàm ſcriptis poſthac vltus fuero) ſed vt nunc ſaltem quis ſit iſtorum in accuſando pudor, quæ in agendo vis omnibus eluceſcat. Quòd ſi tuæ accuſatoribus aures patuerunt, Illuſtriſsime Princeps, cur non fore ſperem ſumma illa æquitate & humanitate ſingulari tua fretus, vt defendentem quoque non illibenter audias? Eſt enim certè vetus illa lex Athenienſium ab ipſa naturæ æquitate dictata, quæ iubet ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι. Hoc igitur humiliter petens accedo: Sed multò etiam magis hoc à Deo Opt. Max. dies ac noctes precor, vt Germanis (inter

quos facilè vnus eminet) Principibus in mentem iniiciat, vt Eccleſiarum pacem rebus negotiiſque omnibus anteponant:&,ſiue vtriuſque partis auditione ſit opus,ſiue nonnullorum turbulentorum coercio requiratur, ſiue potiùs à mutuis exagitationibus abſtinendo res ipſa ſponte ſua confici poſſe videatur,ea remedia ſuggerat quæ quàm ſint orbi Chriſtiano non vtilia modò, verùm etiam prorſus neceſſaria nemo eſt,opinor, Dei gloriæ publicæq́ue pacis amans qui non animaduertat.Magnum certè momentum ad hanc pacem conciliandam afferet quòd iſtic nuper in Dreſdenſi conuentu feliciter auſpiciis tuis curatum eſt, quanuis nimium iam multi ſint qui ex hoc ipſo nouorum certaminum occaſiones captent. Etenim quæcunque de Chriſti perſona & incarnatione,eiuſdem in cælum aſcenſione,ſeſſione ad Patris dexteram, gloria denique & maieſtate à piiſſimis doctiſſimiſque viris in illa Synodo ſcripta legi,verè,piè,orthodoxè perſcripta ſunt, & iis quæ ſemper docuimus prorſus conſentanea,vt Chriſtiani hominis nomen ſatis mereri non arbitrer quicunque iis non aſſentiatur,& planè D. Selneccerum mirer in re non controuerſa(niſi fortaſſe à tuis nunc etiam diſſentit) tot verba ſibi apud te conſumenda cenſuiſſe.Sed & in Cœnæ Domini negotio non pauca illic ſunt,quæ & ipſa bene & perſpicuè dicuntur: ſunt rurſus nonnulla de quibus ſi inter eruditos,vero zelo præditos,& placidi ingenij homines, interueniente præſertim Illuſtriſſimorum Principum imperio & authoritate,quæratur, non ita difficulter illa tranſigi poſſe planè exiſtimo.Ego verò iſtiuſmodi conuentum cur non libenter vel ipſius vitæ quouis diſcrimine redimam,nedum vt vllum hìc laborem,vllum periculum defugiam? Sed de his plus ſatis. Dominus Ieſus verus ille & æternus Deus miſericordiæ & pacis, heroico ſuo Spiritu magis ac magis, Illuſtriſſime Princeps,induere te pergat, & illa ſua ex alto virtute,quàm potentiſſimè & quàm feliciſſimè in vltimum illum diem conſeruare. Geneuæ 18. Februarij, anno vltimi temporis 1572.

Tuæ Illuſtriſſimæ Celſitudini deditiſſimus
Theodorus Beza, ex Geneuenſis
Eccleſiæ Miniſtris.

AD NICOLAVM SELNECCERVM RESPONSIO ALTERA.

DVRVM quidem eſt,Selneccere,conuitia referre ab eo cui benefacere ſtudueris:& ſic etiam iraſci licet,vt non peccetur. Sed hoc etiam durum franget patientia,& iraſci tibi nolo, quòd commiſeratione potiùs quàm ira dignus videaris.Itaque quàm breuiſſimè fieri à me poterit, & quàm modeſtiſſimè tibi omnibus etiam quæ extra cauſam in me deblateras prætermiſſis, reſpondere conſtitui.

Huius igitur cauſæ tria facis capita, *De tribus enim*,inquis,*reſpondebo,nempe de verſione loci Act.cap.3,De Chriſti Filij hominis ad cælos aſcenſione,& ad dextram dei ſeſſione,itémque de Cœna Dominica,& quidem apertè & ſine fuco,ne vanitatibus & perplexitatibus tuæ reſponſioni inſertis viros bonos detineamus.* At ego de vno illo Petri loco propriè diſſerueram:de aſcenſione verò & ſeſſione dixeram quantum mihi requirere res ipſa videbatur:à tertio abſtinueram conſultò, noſtrarum duntaxat Eccleſiarum ſententiam de corporis in Cœna Domini κοινωνίᾳ breuiſſimè contentus propoſuiſſe, vt calumniis occurrerem.An ego verò ordine & perſpicuè tu contrà nulla prorſus methodo & perturbatè ſcripſeris penes lectores iudicium eſto.

DE PRIMO CAVSÆ CAPITE, ID EST loco Petri, Oportet Chriſtum cælo capi.

Si ordine reſpondere decreueras,primùm ſic tibi explicandum fuit de quo quæreretur,vt probationes non admiſceres.Deinde ſigillatim opponendæ noſtris argumentis refutationes,meæ refutationes diluendæ,nouæ denique ſi quas habebas probationes afferendæ. Tu verò dum nihil iſtorum agis,ſed præcipua negligis,quædam eludis,attingis nonnulla,omnia permiſces,cogis me profectò per inuia te fugientem perſequi, quod tamen ſic faciam vt quantum fieri poterit, intra iuſtæ diſputationis fines te concludam.

Primùm in ſtatu quæſtionis explicando tibi non conſtas: ſic enim initio ſcribis, *De verbis Petri mecum diſputas, quomodo Latinè actiuéne an paſſiuè vertenda ſint.* Atqui totum hoc falſum eſt. Neque enim de Latinitate(qua de re planè inepti hominis fuerit tecum diſceptare) ſed de rei ipſius veritate

tate inter nos quæritur. Hæc verò neque in actiua neque in paſſiua quam vocas verſione poſita eſt, quum mea, id eſt vera, ſententia poſſit etiam optimè agente Capiendi verbo explicari. Alibi verò ſic ſcribis, *Non igitur quæſtio eſt nobis, multò minus lis de phraſi. Oportet Christum cælo ſuſcipi ſiue excipi, ſi abſque dolo, omiſſis compoſitis per ſimplex verbum Capi idem dicere voluiſſetis quod Euangeliſta paſſiua ſignificatione, quum inquiunt ἀνελήφθη εἰς οὐρανὸν, &c. Vos autem qui Christi hominis localem inclusionem & detentionem in cælo intelligitis vitatis cōpoſita, ſimplicique verbo C A P I vtimini, vt eo innuatis cælum ſit continens, Christus verò contentum.* Ergo, Selneccere, non iam inter nos quæritur, *Sitne Christus receptus à cælo*, quod nunc non negas: imò ne hoc quidem, *An Christus rectè dicatur cælo capi*, ſi modò Capi ſumatur pro ſuſcipi & excipi, & ita quidem vt localis illa detentio expungatur. Hoc verò ſi ita eſt, cur litem mihi de ipſa verſione, ac non potiùs de mala expoſitione duntaxat intēditis? aut ſi verbum ſimplex C A P I vt ambiguum duntaxat reprehenditis, cur meam verſionem nō tantùm vt ambiguam, verùm etiam vt falſam, impiam, profanam reprehenditis? Imò quomodo tibi ipſi conſtabis? Sic enim ſcribis eodem loco, *Nos τὸ δέξασθαι hactenus retulimus ad officium ſiue opus Christi qui cælos penetrauit, & cælorum dominium accepit. Tu verò, Beza, cum tuis ſuffraganeis* (ego ſcilicet Metropolitanus aliquis Epiſcopus) *refertis τὸ δέξασθαι non ad Christum, ſed ad cæli actionem* (ſic enim incommodè ſanè loqueris) *vt ſcilicet cælum ſit δεκτικὸν ſiue δεξάμενον Christus verò contentum.* Hæc tua ſunt, & quidem vera. Hic enim eſt noſtræ controuerſiæ ſtatus. Quomodo autem cum illis prioribus illa cohæreant, id eſt quomodo tibi ipſi conſtes, tu videris. Nos hîc pedem figamus, ac primùm videamus quomodo noſtra refellas.

Ad hanc, inquis, opinionem ſtabiliendam (quòd videlicet cælum ſit continens, Christus Contentum) *affers primum amphibolam ſententiam Petri. Oportet Christum cælum accipere.* Quid audio, Selneccere? egóne ex ambiguitate ſermonis deſumpſerim certæ ſententiæ probationem? Extat meus libellus pluribus quàm fortaſſe velles locis. Si quid tale ibi comperiatur, viceris. Sin minus, an nō tu ipſe in manifeſta calumnia deprehenderis? Quorſum enim iſti improbiſſimi clamores? *Repudiamus, inquis, istam ambiguam verborum conſtructionem. Non enim admittimus in diuina maieſtatis ſacroſanctis literis vllas propheticas flexibilitates quales ſunt oraculorum diabolicorum, Aio te Æacida, Romanos vincere poſſe.* Quid igitur, Selneccere? certè ſi vel negas in ſacris literis ambiguas tum voces tum vocum conſtructiones inueniri: vel eum affirmas qui ſic ſentiat, prophana flexibilitate veritatem ſacram in dubium reuocare, vtrumuis, inquam, iſtorum dicas, reſponſum non mereris. nec video quidem ego quo pudore inficiari poſſis ambiguam eſſe iſtius enuntiationis cōſtructionem, *Quem oportet cælum capere.* Imò an non tu ipſe imprudens hoc paulò antè conceſſiſti, quum vno quidem loco diceres ita eſſe hæc accipienda vt intelligatur Christus cælum accepiſſe, altero verò concederes ſic dici quòd cælum Christum ſuſceperit ſiue exceperit? Itaque vel teipſo iudice anceps eſt illius dicti tum conſtructio tum ſententia, ſed illam quam ſequeris probandam eſſe, meam verò repudiandam, illud ipſum eſt in quo tibi laborandum fuit. Sed ad rem redeamus. Falſum & commentitium eſt quod ais, me ex ambiguitate conſtructionis voluiſſe ſententiam meam probare. Hoc enim inſani & amentis hominis fuiſſet. Sed hoc ego dixi, &, vt opinor, ſolidè demonſtraui, vtrouis modo dictum illud accipiatur, id eſt ſiue dicatur Christus cælum accepiſſe, ſiue cælum accepiſſe Christum, ineptiſſimam fore ſententiam propter illud quod cōſequitur, nempe ἄχρι χρόνων, &c. Tu verò cur tandem aliena reſpondes, & quod res eſt diſſimulas? Aut igitur aptiùs reſponde, aut veritati acquieſce.

Secundò, inquis, affers vim vocabuli δέξασθαι. Sanè affero, vt obiectæ mihi falſitatis crimen diluam. Ac primò quidem oſtendo inter δέχεσθαι & λαμβάνειν magnum eſſe diſcrimen, & quanuis λαμβάνειν pro δέχεσθαι ſumatur nonnunquam, inuenire me δέχεσθαι pro λαμβάνειν poſitum, ex quo efficitur, à vobis non rectè verti δέξασθαι accipere, niſi Accipere per Recipere explicetis. poſtea rationes attuli cur neque accipiendi neque recipiendi verbum huic loco ſatis conueniat. poſtremò oſtendi τὸ δέχεσθαι idem quoque ſignificare quod certo ſpatio comprehendere, idque ex Hebrææ, Græcæ, & Latinæ linguæ collatis planis ac perſpicuis exemplis probaui. Denique cur hæc ſignificatio potiùs quàm alia vlla huic Petri dicto conueniret, ſi non demonſtraui, at certè demonſtrare ſum conatus. Duæ verò me rationes in has Grammaticas anguſtias compulerunt, Vna, quòd ita res ipſa ab eo flagitaret qui Græca & quidem ſacra abs te, Selneccere, falſa & impia verſione corrupiſſe diceretur: altera, quòd Ienenſes, tui ſaltem ſubſcriptores, ex ea potiſſimùm arce me, quanquam leui admodum impreſſione, ſint adorti. Hæc eſt meæ defenſionis ratio tuæ accuſationi oppoſita. Quid tu contrà cui penè vni falſum & impium eſt dicere, Cælum eſſe continens, Christi carnem contentum? Certè quippiam opponere te, ſi non ex Grammaticis, quos etiam ſi non profitearis te contemnere, res ipſa tamen probat quanti facias, at certè ex coniecturis aut ex Theologiæ penu depromptum oportuit, ſi quid habebas, ex quo te rectiùs ſenſiſſe, me verò hallucinatū probares. De verſione ipſa loquor quam tu oppugnandam ſuſcepiſti, non de ipſius verſionis expoſitione, de qua fortaſſe habuiſti nonnihil quod diceres. Audiamus ergo quid reſpondeas.

Nobis (inquis pag. tuæ reſp. 12.) *diſcrimine illo tuo non eſt opus inter λαμβάνειν & δέχεσθαι.* Sanè ei opus non erat qui ſe doceri non ſuſtineat. Cedò verò quamobrem? Quia, inquis, ſcriptum eſt Luc. 19, Homo quidam nobilis profectus eſt in regionem illam longinquam λαβεῖν ἑαυτῷ βασιλείαν. Marci autem 10. & Luc. 18. ſcriptum eſt, ὃς ἐὰν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Mira certè conſecutio, quoniam dicatur Christus ſub illius regis imagine λαβεῖν βασιλείαν, nos autem iubemur ſimiles puerulis fieri, ſi volumus regnum Dei nobis per eius gratiam oblatum ſiue recipere ſiue accipere, idcirco nullum eſt inter λαμβάνειν & δέχεσθαι diſcrimen. Certè quum ſic colligis, penè mihi perſua-

des non fuiſſe te D. Philippi diſcipulum, quum nullum ſit prorſus iſtius probationis *ἐνάργειαν*. Præteres vide, obſecro, quàm multipliciter hìc pecces. Ioquis nomen *βασιλεύειν* aliter primo loco quàm duobus aliis accipi, veritus nimirum ne tibi præiudicium faceres. At ego falſiſſimum iſtud diſcrimen eſſe, & in homine theologo minimè tolerandum errorem à te commiſſi ſic demonſtro. Loquitur Chriſtus, puerulos nobis imitandos proponens, de regno cælorum ad quod prædicatione Euangelij vocamur. Num aliud verò iniit ipſe prior quàm quò nos inuitat, & quod ipſe primitiæ reſurgentium à Patre accepit, quum hoc etiam impetraſſet, vt vbi eſt, ibi ſint etiam quicunque credituri ſunt in nomen ipſius? Ergo, inquies, exiſtimas nos quoque ad dexteram Patris ſeſſuros? minimè id quidem eo quo caput ipſum gradu (accepit enim ipſe vnus nomen quod eſt ſupra omne nomen) ſed tamen pro noſtro quiſque modulo vt membra cum capite cohærentia. Datum enim eſt etiam nobis vt filij Dei, vt reges, vt hæredes Dei, vt cohæredes Chriſti ſimus, & fient noſtra quoque corpora illius corpori glorioſo conformia. Vis denique aliquid amplius audire? *Si quis vicerit* (inquit ipſe Filius ille hominis Apoc. 3. 21.) *Dabo ei ſedere mecum in throno meo, vt & ego vici, & ſedeo cum Patre meo in throno eius.* Num vt æqualis ſit primogeniti & reliquorum gloria? minimè profectò, ſed vt eadem tamen ſit totius familiæ regiæ hæreditas. Gloria enim illa ne neſcias, Selneccere, quæ non ſecundum gratiam vnionis, ſed in Chriſti carne vt ſubiecto inhærens conſideratur, éſtque gloriæ illius æternæ effectum, illa ipſa eſt cuius plenitudo eſt in capite, nos autem pro noſtro modulo participes fiemus, vt defluat à noſtro vero Aarone ſupra conſortes ſuos vncto in oram vſque veſtimentorum, quæ ipſe induit vt in ipſo vngeremur, & cum eo in æternum in illo cælorum regno regnaremus. Hæc autem paulò pleniùs explicare volui, tum vt quàm adhuc ſis rerum iſtarum rudis intelligas, de quibus tamen tanta cum authoritate diſſeris: tum etiam vt Iacobi Andreę calumniam *περιέργως* refellerem, qui inter cætera hoc quoque mihi obiicere non eſt veritus, quòd fideles ad dexteram Patris collocans, membra capiti exæquarem. Tuum igitur iſtud diſcrimen inane eſt, & tamen etiam contra te maximè facit, quoniam fortis quidem ille Rex meritò dicitur hoſtium debellatorum reſpectu, regnum ab ipſis vſurpatum inuadere & occupare, quod tamen ſi Patrem reſpicias non tam accipere quàm recipere dicendus eſt, vt qui hanc poteſtatem ſibi à Patre datam vltrò teſtetur: Nos autem quid habemus quod non ex mera gratia receperimus? Vides, opinor, quàm futile & vanum ſit quod oppoſuiſti. Itaque vel aliud reſponſum quære, vel veritati acquieſce.

Ais poſtea: *Has ſententias æquipollentes eſſe non arbitror à te negari, Act. 3, Oportet Chriſtum cælum accipere, vſque ad tempora reſtitutionis omnium, & 1. Cor. 15, Oportet ipſum regnare vſqueque Deus omnes inimicos ſubiecerit ſub pedibus eius. quod eâdem ratione dictum eſt atque vſque ad tempora ἀποκαταστάσεως πάντων.* Et poſtea nobis quid ſit ἀποκατάστασις definis. At vide quàm hìc rurſum fallaris. Ridiculũ eſt quòd quæ Petrus dixit de loco vbi verſetur & verſaturus eſt Chriſtus vſq; ad vltimã mundi reſtitutionem, cum iis confundit, quæ de ipſius ſtatu & conditione à Paulo referuntur. Obſecro enim hæccine vna & eadem ſunt, Illuſtriſſ. Princeps Auguſtus Dreſdæ eſt ibique ſe continebit ad hoc vel illud vſque tempus: &, Illuſtriſſ. Princeps ad hoc vel illud vſque tempus Saxoniæ dominabitur? Imò vide quàm hoc quoque contra te faciat. Petrus capi ſeu contineri Chriſtum dicit in cælis vſque ad vltimum illum diem. Eundem dicit Paulus vſque ad illum diem regnaturum. Ergo capi cælis, id eſt in vnis cælis ſe continere, & tamen omnem in terris & cælis poteſtatẽ exercere, inter ſe non repugnant. Non ſpoliant igitur Chriſtum ſua in res omnes creatas potentia, neque à Patris dextera ipſum detrahunt, qui in cælis, in quos verè corporali motu aſcẽdit, & in quibus phyſica, id eſt naturali loci circunſcriptione ſe continet, & vſque ad vltimum diem continebit, & alibi nuſquam nunc illum eſſe & futurum ex Dei verbo docent. Rurſum ergo dico, Selneccere, aut aliud reſponde, aut veritati acquieſce.

Quoniam D. Lutheri verſionem mihi oppoſueras, oſtendi neque verbum δεῖ neque verbum δέξασθαι fuiſſe ab eo rectè expoſitum. Quid tu contrà? De re ipſa ne γρῦ quidem. Sed me quidem in primis rides, (homo certè minimè vrbanus nec acutus) quod Lutherum Germanicè loqui docere non erubeſcam. Quaſi verò ſic inſaniam vt de Germanico idiomate cum Germano quoquam nedum cum D. Luthero contendam, ac non potiùs de eo quæratur recténe Græca Germanicè intellexerit & expreſſerit. Hoccine eſt igitur, Selneccere, reſpondere vel potiùs tergiuerſando calumniari? Agis poſtea mihi gratias de dulciſſima cõmonefactione Germanicæ vocis Empfahen. *Verè enim Chriſtus*, inquis, *occupauit & poſſedit non tantùm cælum, ſed etiam dominium in omnes cælos.* Hoc eſt ſcilicet ad argumenta propoſita reſpondere. Quis enim iſtud vnquam eſt inficiatus? Sed an rectè expreſſerit Lutherus Petri verba, hoc illud eſt de quo quærimus, & de quo tibi reſpondendum fuit. Aut igitur reſponde, Selneccere, aut veritati acquieſce. Poſtremò, quanquam aliquot interiectis paginis (hæc enim eſt perſpicua illa tua methodus) hæc etiã adiicis. *Tibi*, inquis, *etiam proculdubio conſtat iam antea totam illam Noui Teſtamenti verſionem anno* 1529 *editam, in qua verba Act. 3. ſunt reddita hoc modo, Oportebat Chriſtum cælo ſuſcipi, Lutheri nunquam fuiſſe.* Ignoſce mihi, Selneccere, hæc myſteria nunquam cognoueram, neque nunc ſum magnopere de iis ſolicitus. Hæc quæ tu narras vera ſint an ſecus, tu videris. Interim hoc rurſum inculco, Aut reſponde, Selneccere, aut veritati acquieſce.

Τὸ δέξασθαι oſtendi perſpicuis exemplis reſpondere Hebrææ voci Kibbel, quæ & ipſa ſignificet aliunde oblatum vel traditum recipere, & à conſequenti pro χωρεῖν, ſicut & Latinum verbum Capere pro continere ſumatur. Quid tu verò? Rides Grammaticam iſtam diſputationem & hæc omnia [illegible] declamitas. Denique deſcendis ad turpiſſima cõuicia, & diſputationem hanc di-

cis

eis minimè Grammaticam eſſe, imò neque piam, neque honeſtam, neque ſanam, vel pacificam: quin etiam lepidum neſcio quid ex quodam Pontaui dialogo, exhilarandis nimirum lectoribus profers, atque adeò ſic eludis à me prolata ex idoneis authoribus exempla, vt ad trāſuaſatores me releges. Atqui, mi homo, non ſic elabêre. Hîc pedem figas oportet. De falſitate meæ verſionis non de ſenſu quæritur. Hæ ſunt, velis nolis, Grammaticorum partes. Imò in hanc arenam ab ipſis Ienenſibus mecum pertraheris. Aut igitur reſponde, Selneccere, aut veritati acquieſce. Audiamus ergo num quid ſaltem de reipſa dicas. *De voce Kibbel*, inquis, *non eſt quod diſputem*. Imò verò fuit quod diſputarem, deeſt autem tibi quod reſpondeas. Quod enim ais *illam vocem idem ſignificare quod Accipere, ſiue per manus traditum, ſiue alio modo apprehenſum*, hoc, inquam, poſterius donec exemplis aliquibus idoneis probaris, falſiſſimum eſſe dicam, & linguæ peritos tibi iudices feram. *Sed τὸ δέξασθαι*, inquis, *ſignificat etiam excipere ſiue ſuſcipere. Itaque*, inquis, pag. 14, *non eſt quæſtio ac mouere manus in de phraſi. Oportet Chriſtū cælo ſuſcipi ſiue excipi, vt dicantur cæli omnes hunc hominem glorioſo triumpho excepiſſe & ſeſe ipſi vt rectori ſubieciſſe.* Itaque iam à teipſo diſſentiens concedis iſtud δέξασθαι ſic etiam poſſe verti vt non Chriſtus cælum accepiſſe, ſed cæli Chriſtum excepiſſe dicantur: neque hoc ſanè vnquam negauimus, quum contineri non poſsit quiſpiam niſi eo loco vel in quo ſemper fuerit, (quod de Chriſti carne iam in cælis verſante ne tu quidem dixeris) vel in quem aliunde veniens fuerit receptus. Verùm cur id prӕteris quod maximè fuit animaduertēdum? Addit enim Petrus, *Vſque ad tempora reſtitutionis omnium*, ex quo efficitur verbo δέξασθαι non tantùm exceptionem ſeu ſuſceptionem carnis, ſed eiuſdem etiam in eo loco in quem fuit ſuſcepta, commorationem neceſſariò declarari, quod quum disertè expreſſerim pag. reſponſionis meæ 7, & 9, aut reſponde, Selneccere, aut veritati acquieſce.

Dixi futurum fuiſſe vt me non modò non reprehenderetis, ſed etiam collaudaretis, ſi pro *Oportet Chriſtum cælo capi*, vertiſſem, *Oportet Chriſtum à cælo accipi*. Ac proinde dixi vanam eſſe ſophiſticen Ienenſium, qui vt meam interpretationem carpant, pugnant ex eo, quòd τὸ δέξασθαι actiuè ſoleat in Scripturis vſurpari: quum nihil prorſus interſit inter iſtas enuntiationes, *Chriſtus accepit cælum*, &, *Cælum acceptum eſt à Chriſto*, item inter iſtas, *Cælum capit Chriſtum*, &, *Chriſtus capitur cælo*. Hæc, inquam, ſcripſi vt oſtenderem tum actiuæ tum paſſiuæ interpretationis vnam & eādem vim eſſe, ac proinde ineptum eſſe quicquid illi de actiua ſeu paſſiua verſione verbi δέξασθαι garriunt: quum de re ipſa potiùs quærendum fuerit, id eſt quid verbo δέξασθαι ſignificetur. At tu quidnam? *Neſcio*, inquis, *an reſpondendum tibi ſit, an verò rectè negaris vos inſanire. Duo enim ſunt de quibus prædicatio inſtituitur, Chriſtus & cælum. Nunc quæſtio eſt an quod de Chriſto etiam de cælo poſſit idem prædicari. Chriſtus cælum accepit, ergo cælum Chriſtum cepit. Chriſtus cælos penetrauit, ergo cæli Chriſtum penetrarunt. Chriſtus aſcendit in cælum, ergo cælum aſcendit in Chriſtum, &c.* Et mox, *Quæ hæc conſecutio? quàm inſana, quàm profana?* Certè prorſus inſana, ſed tua vnius, Selneccere. An enim ego actionem cum actione, ac non potiùs actionem cum paſſione comparaui? an ignoras concurrere in vnum reipſa actionem & paſſionem, etiam ſi diuerſa ſunt agens & patiens, vt mutuò inter ſe recurrant quæ de agente & patiente prædicantur? Num ego ita vt tu ſomnias ineptij, vt inter ſe compararem has duas enunciationes, *Chriſtus cælum capit*, &, *Cælum capit Chriſtum*, quum illam ex profeſſo oppugnem, iſtam ex profeſſo defendam? imò an non potiùs iſtas inter ſe meritò contuli, *Cælum capit Chriſtum*, &, *Chriſtus capitur cælo*? Hoccine igitur eſt reſpondere, an potiùs vel obtuſiſſimo eſſe ingenio, vel ſcientem calumniari & conuiciari?

Tertio loco, inquis, *profers veterum teſtimonia, &c.* Sanè ita eſt. Etſi enim à ſolis ſacris Literis pendemus, multum prodeſt tamen ac etiam iuuat veterum Doctorum & idoneorum teſtium conſenſus. Quid tu verò? Concionaris nobis ex alto non eſſe exæquanda ſcripta Patrum ſanctis Scripturis, ſed poſtponenda: & triplex in eorum dictis obſeruandum diſcrimen proponis. Hæc verò, Selneccere, quorſum in nos dicuntur? An noſter mos eſt ſcriptorum aut veterum aut recentium, aut etiam confeſſiones à nobis editas quantumuis pias & orthodoxas, pro norma & regula doctrinæ proponere? Tuum hoc ſit tuæque factionis. Nos nullum quintum Euāgelium agnoſcimus: neque vel Lutheranam, vel Zuinglianam, vel Caluinianam, ſed Chriſtianam, Propheticam, Apoſtolicam fidem profitemur. Tanti denique apud nos eſt nouus atque vetus aliquis ſcriptor, dummodo eloquia Dei loquatur. Sed audiamus an aptiùs aliquid reſpondeas.

Citaſti prior Syriacam interpretationem, pereruditam ſanè & peruetuſtam, ſed ita vt manifeſtam inſcitiam vel oſcitantiam prodas, vt quæ manifeſtè Petri verba ſic accipiat, vt Cæli dicantur Chriſtum accepiſſe, non autem Chriſtus cælos. Quid tu contrà? *Non diſplicet*, inquis, *verſio, vero & fidei analogo ſenſu*. Cur ergo falſitatis & impietatis arguiſti quoſcunque Lutheri verſionem non ſequuntur? Nec enim expoſitionem duntaxat, ſed ipſam verſionem meam iſtorum criminum accuſaſti. Habeo igitur reum aliquatenus cōfitentem. Sed interea quid fiet tuæ vel inſcitiæ vel ſummæ in illa paraphraſi citanda impudentiæ? Nam hæc etiam apertè fateri debuiſti, ſi veritatem ingenuè profiteris.

Obiectus eſt tibi locus Nazianzeni, vbi pro ὃν δεῖ τὸν οὐρανὸν δέξασθαι, ſcribitur ὑπ᾽ οὐρανῶ δεχθῆναι, vt illud tuum, *Chriſtus accepit cælum*, nullum habere locum poſſit. Ad hoc initiò admodum abſurdè reſpondiſti recitari Arianorum obiectionem à Nazianzeno. Ex ea tergiuerſatione detruſus nūc excipis, hæc non eſſe Scripturæ verba. Eſto. at certè ex his manifeſtè conuinceris falſum eſſe quod affirmaſti, eruditam videlicet vetuſtatem ſic illa Petri verba intellexiſſe vt vos primi omnium vertiſtis. Adiicis poſtremò ne ſic quidem quicquam ſententiæ noſtræ accedere, quum nuſquam Nazianzenus ſcripſerit Chriſtum localiter ita contineri ſiue comprehendi in cælo concluſum vt

alibi,præſertim in Cœna,ſuo corpore adeſſe noo poſsit. Ar ego,Selneccere, nunc non ago quid ex illis Perti verbis conſequatur vel minùs:ſed de hoc ago,ſitne Chriſtiana & orthodoxa hæc verſio,Chriſtum cælo capi,ſiue contineri,ſiue comprehendi, phyſica inquam locatione & ſecuudum veri corporis modum.Si boc oegas,aio te peſſimè ſentire & loqui cootra verbum Dei, totius veteris Eccleſiæ conſeoſum,D.Philippum præceptorem tuum,adeóque cõtra ipſum Heshuſium, qui etiam certo cæli ſpatio in cælis coocludi corpus Chriſti diſertè & totidem verbis ſcripſit. Locum ſibi commonſtraui.Reſpoode igirur,aut veritati acquieſce.

Oppoſui etiam tibi OEcumenij ſcholiaſtæ auctoritatem,qui cælum vocat τὸ ἀποστολικὸν ὑποδοχεῖον,id eſt Chriſti receptaculum,vt nullus etiam hîc locus relinquatur illi tuo κρυφίῳ, quòd videlicet cæli læto triumpho exceperint Chriſtum aduenientem.Neque enim hoſpitij,ſed ipſi hoſpitio conuenit ὑποδοχῆς oomen.Quid tu verò? *Loquitur*,ioquis,*paſſiuè,Chriſtum eſſe in cælum ſublatum.* Imò diſertè dicit Cælos eſſe Chriſti receptaculũ. Falſum eſt igitur quod ſubijcis eum prorſus tacere de locali incluſiooe ſiue comprehenſione.Nam ὑποδοχὴ corporis oihil aliud poteſt quàm receptaculum ſignificare. *At non eſt ea*,inquis,*quam comminiſcuntur hæretici.* Quænam igitur iſta ſit, ſi non eſt localis & circunſcripta,oſtende,aut veritati acquieſce.

Citaui etiam locum Iuſtini γνώμην, in quo dicitur Pater adduxiſſe Filinm io cælum,& eum (ibidem videlicet) κατέχειν,id eſt retinere donec omoes ipſius inimicos percuriat.Quid tu contrà? *Flagellas*,inquis,*Iuſtinum malè interpretando*. Magnum certè flagitium, ſed quibus argumentis probatum? *Quia*,inquis,*dicit Iuſtinus Chriſtum qui in cælos aſcendit regnare.Ergo τὸ κατέχειν non ſignificat detentionem & comprehenſionem localem.* Imò neque is eſt ſcopus Iuſtini, neque ſi id diceret quod tu vis,conſecutio tua valeret.Inſpiciatur locus. Duo ſibi proponit probanda Iuſtinus: vnum quòd Pater adducturus eſſet Chriſtum in cælos:alterum, quòd ibi ſit eum retenturus donec omnes hoſtes ſubiecerit pedibus ipſius.quod vtrunq; probat ex illo Dauidis teſtimonio,Sede à dextris meis. Quod autem de ipſius in hoſtium medio dominatione ſubiicit,idcirco adiungitur, vt ſignificetur ſic eum in cælis expectare plenam ſui regni patefactionem, vt hoſtium multitudo & ferocitas nihil ſummæ ipſius gloriæ detrahat.Quæ verò ſic inter ſe tanquam repugnantia committis,(Regnũ videlicet ſiue ſeſſionem ad dexteram Patris & localem κατοχὴν ſiue comprehenſionem) in eo vide quàm ſibi repugnet Iuſtinus,vt qui Chriſti tum aſcẽſiouem in cælum, tum κατοχὴν ex ipſius ſeſſionis ad dexteram teſtimonio confirmet. Denique,mi homo,ſi negares ſic in cælo detineri carnem Chriſti vt alibi eſſe nuſquam poſsit,fortaſſe diceres aliquid,ſed quum ſine exceptiooe dicis & ſcribis detentionem & apprehenſionem localem non poſſe cum Chriſti regno cohærere,quid ſequitur niſi corpus Chriſti eſſe circunſcriptionis expers? Si fortè hoc ſentires,an oon ipſi te ſaltem Philippi manes conſpuerent? Sin autem iudicas oeque circunſcriptionem neque id quod circuuſcriptionem neceſſariò couſequitur,(nempe vt corpus quantumuis glorificatum,tamen ſuo ſpatio,ſicut ipſe Heshuſius loquitur, concludatur) impedire quominus Chriſti corpus peculiari quadam ineffabili gratia ſimul reipſa pluribus locis adſit,cur hoc certamen ſouere mauis quàm ingenuè fateri,Chriſtum rectè dici cælo capi,circunſcribi,cõprehendi locali & phyſica collocatione in cælis, modò illa quam imaginaris hyperphyſica prærogatiua ei non adimatur,ac proinde nullo meo merito verſionem illam abs te vt falſam & impiam culpari? An quia difficile eſt vt is errorem agnoſcat quem eius non pœnitet? *Imò*,inquis, *ita ſignificat Iuſtinus Chriſtum ſubductum à Patre in cælos* (mirum certè ſi ſubductus eſt abſque loci mutatioue, ac proinde corporis circunſcriptione) *ab eôdem teneri,immenſo nimirum amore & paterno complexu.* Quaſi verò,illum eo ipſo amore oon dilexerit Pater etiam ante aſcenſionem,aut ad illum amorem poſtea quippiam acceſſerit,aut mutatio loci fruſtrà facta ſit.Et vbi,Selneccere,τὸ κατέχειν illa tua ſignificatiooe poſitum iouenies? Poſtremò mirifica quadam demonſtratione me refellis,demirans fieri potoiſſe vt illam voculam τὸ κατέχειν arriperem,quum oeque præcedentia neque ſequentia comprobem, in quibus videlicet meam de prædeſtinatione doctrioam, cum maxima impietate & ſummo ſcelere coniunctam Iuſtinus oppugnet.At ego te miror,Seloeccere,tam citò tui promiſſi oblitum. *Agam*,dixiſti,*ſine fuco*. Cur non igitur apertè dicis te non magis Iuſtini verba morari, quàm ego eiuſdem περὶ εἱμαρμένης καὶ αὐτεξουσίου ſententiam? Nam tu ipſe poſteà rectè ſentis exigenda eſſe Patrum ſcripta ad verbi Dei oormam. Sed interim negare iam non potes,falſum eſſe qood ſcripſiſti, nempe eruditam vetuſtatem de illo Petri loco ſic ſenſiſſe vt tu ſentis, quod vnum ego teſtibus illis refutandum ſuſceperam.

Omitto quæ tu velut ex tripode oracula concinis de quibuſdam eoootiationibus quas vt ambiguas reiicis, Quorſnm enim hoc niſi vt quo grandior eſt tuæ reſpooſionis moles,eò plures illam refutationes continere homines imperiti præſumant? Tantùm hoc ἐπιφέρων dicam, etſi mihi valde diſpliceat omnis in dicendo,ac præſertim in tantis explicandis myſteriis ambiguitas, tamen multa hîc abs te vt dubia reprehendi quibus planiſſimè dicitur quod res eſt, & tuum illud fundameutum quod vnum ferè videris reprehenſionibus tuis ſubſternere, admodum eſſe fallax & lubricum:quòd videlicet Chriſti nomen conſtet perſonam ſignificare.Expende ſi libet quæ tibi antea reſpondi,neque iſtud ſine diſtinctione affirmabis.Sed de his fortaſſis pleniùs aliâs

AD

AD SECVNDAM ET TERTIAM PARTEM

Reſponſionis D. Nicolai Selnecceri: quarum vna eſt de aſcenſione Chriſti: altera de eiuſdem vbiquitate.

ALTERAM & tertiam tuæ reſponſionis partem ita ſanè diſtribuiſti & reipſa perſequutus es, Selneccere, vt vtranque prorſus permiſcueris. Deinde & ſtatum quæſtionis cum eiuſdem confirmatione, & hanc rurſus cum meorum argumentorum refutatione ſic commiſces, vt mihi quidem neque caput neque pes in iſto tuo libello appareat, ſiue hoc meo vitio fiat, ſiue quòd vt Grammaticam ſic etiam omnem methodi doctrinam aſperneris. At hoc ſanè turpe eſt eum committere, qui ſe paſtorem & doctorem in Eccleſia profiteatur, à quo diſertè requirit Apoſtolus vt ſit διδακτικός: in te verò vel eo nomine duplicem reprehenſionē meretur, quòd te D. Philippi diſcipulum & quidem intimum fuiſſe profitearis. Vtor hac pręfatione ne quis fortè arbitretur me tua veſtigia idcirco non perſequi, quòd deprehendi verear: quum potiùs in rectā diſputationis viam te ſtudeam reuocare. Agè igitur primùm de ſtatu cauſæ, poſtea de tuis refutationibus, (quandoquidem tu mihi reſpondes) poſtremò de nouis aut repetitis tuis argumētis dicamus. Status cauſæ is erat, quem transferre fruſtrà ſtudes, Sitne impia ſententia dicere Chriſtum ſecundum carnem cælo capi, id eſt ita nunc in cælo verſari, ſecundum veri & naturalis corporis modulum, vt hæc ipſius humana natura neque ſit, neque futura ſit reipſa in terris ante vltimum futuri iudicij diem. Hoc ego affirmo, tu ſic negas vt fatearis quidem vbique non eſſe, ſed tamen eſſe vbicūque velit, ac præſertim in ſacra ipſius Cœna, eo ipſo loco vbi Cœna adminiſtratur, & quidem eis ſymbolis *realiter* adiuncta, quæ viſibiliter dantur. Hoc enim poſterius etſi nunc non apertè profiteris, ſiue quòd tibi in mentem non venerit, ſiue quòd tam apertè loqui non audeas, tamen dicere te neceſſe eſt, niſi à teipſo malis in hoc quoque prorſus diſſentire. Hāc autem ſententiam tuā quum præfatus eſſes veſtro quodā more, cum tota erudita vetuſtate cōſentire, protuliſti in tua illa commonefactione, paucula quorundam Veterum teſtimonia, quibus ſingillatim reſpondere conatus hoc viciſſim nunc abs te reſponſum tuli.

Scripſeram, inquis, *verba illa Petri Act. 3, ab erudita & pia antiquitate ſemper intellecta fuiſſe de exaltatione naturæ humanæ in Chriſto, id quod conſenſu omnium ſanorum comprobas. Hoc argumentum ſic diluit Beza, vt neget ſe inſanire. Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla.* Imò, Selneccere, quid eſt calumniari ſi hoc non eſt? Concluſi ex tuis verbis nos tibi igitur inſanire, & modeſtiſſimè reſpondi, ita eſſe ſi modò probares quod diceres. Hoccine eſt ſimplici inficiatione velle obiectum crimē diluere? Num verò idcirco ineptio, quod tu ſic de induſtria inſanire vis vt inficiationē à refutatione nō diſtinguas? Sed ad rem.

Auguſtinus, inquiebas, *ſcripſit Chriſtum conditionem naturæ quam de homine matre natus aſſumpſit, ſuper cælos in dexteram Dei collocaſſe*. Hinc colligebas verba Petri intelligi ab Auguſtino de exaltatione naturæ humanæ in Chriſto. Ego primùm reſpondi nomine conditionis humanæ naturæ non poſſe intelligi illam quam comminiſceris conditionem. Nec enim naturæ eſſet ſi eſſet *ἀπερίγραπτος*, quod tu contendis. Multò minùs ſi eſt *ἀπανταχοῦ*, quod ego affirmo, quoniam ſimul eſſe ſiue multis ſiue omnibus locis, idioma eſt ex diametro finitæ naturæ humanæ repugnans. Quid tu contrà? certè *οὐδὲν ὑγιές*. Opponis enim locum ex veſtris Catechiſmis & quidem Græcè citatum, in quo dicitur Chriſtus ſedere *ἀχωρίστως* ad dexteram Patris: quaſi verò nos dextram aut ſeſſionem corpoream intelligamus, ac non potiùs inenarrabilem gloriam ac poteſtatem in quam Chriſti caro eſt euecta, ſed in cælis nunc, & nuſquam alibi collocata, cui hæc gloria, vt loquitur idem Auguſtinus, non naturam, ſed infirmitatem ademit. Vt autem poteſtas & gloria carnis illius vbique pareat, num idcirco idem de ipſius carnis ſubſtantia ſentiendum conſequitur? Dico autem etiam aliquid amplius. Si verum eſt quod tu perperam ſtatuis, nempe ſpoliari Chriſti carnem illa ſua glorioſa exaltatione, niſi ſtatuatur eam reipſa adeſſe ſimul quibuſcunque voluerit locis, cur non apertè ad Brentianos tranſis, quum non certis tantùm locis, ſed vbique regnet? Sin verò exiſtimas nihil eius potentiæ detrahi, etiam ſicubi non adſit vbi tamen regnare propterea nō deſinat, cur eum exiſtimas regno ſuo ſpoliari in Cœna, niſi in Cœna reipſa adeſſe ſtatuatur? *Quæris poſtea qualis ſit fides, Chriſtiana an phyſica, Corpus eſſe in certo loco.* Ego Chriſtianam eſſe dico, & contrariam eſſe blaſphemam. Si nec verbo Dei, nec Veterum ac præſertim Auguſtini toties prolatis teſtimoniis credis, crede ſaltem tuo Heshuſio, cuius hæc verba ſunt, *Neceſſe eſt fateri, corpus Chriſti in cælo certo ſpatio CONCLVDI.* Adiicis poſtea per ludibrium, *Præclara ſcilicet fides, corpus loco contineri, panem eſſe panem, vinum, vinum.* Præclara ſanè quoniam corpus quod non continetur loco, corpus non eſt: quoniam impius eſt qui Chriſti carnem ſpoliat carnis noſtræ veritate ac proinde circunſcriptione: quoniam denique mente captus eſt qui vnum & idem corpus vult eſſe quantum & non quantum. Panem autem eſſe panem, & vinum eſſe vinum etiam in Cœna Domini ſi negas, cur non apertè tranſis in Nicolai Papæ caſtra? Oppoſui præterea verbum Collocandi, quoniam *Collocare* ſit *in loco conſtituere*. Hîc verò vſque adeò continere te non potes, vt etiam ſcurram & hiſtrionem me ſemigallicè balbutiens nuncupes. Atqui hoc non eſt reſpondere, ſed conuiciari. Ne tamen fruſtrà hoc dicere videaris, reuocas me ad verbum Gręcum *ἱδρύειν*, quo, in-

quis, *nemo eſt præter Bezam qui neget adminiſtrationis præſentiam non autem circunſcriptionem ſignificari*. Quaſi verò negarim ego, ac non centies inculcarim per ſeſſionem ad dexteram ſignificari imperij conſortium, cuius tamen ſedes ſit in cælis, non in terris. Sed num quia ſeſſio ad dextram imperiū declarat, idcirco ſeſſionis nomē veræ carni quantūuis glorificatæ attributū, circunſcriptionis ſpatiū excludit? Quid? non docet idem Auguſtinus corpus Chriſti quoniā in cælis ſit, in terris nō eſſe, & ſic in cælis eſſe vt ſit in aliquo cæli loco propter veri corporis modū? Nō paulò antè citaui ipſius Heshuſij hac de re verba? non inculcauit D. Philippus phyſica & corporali locatione Chriſti corpus aſcendiſſe? an, obſecro, vt eam illuc profectus exueret? Num tu ipſe tanquam tui oblitus, hoc ipſum confiteris pagina tuæ reſponſionis 52? Itaque non debuiſti quod de verbo *Collocauit* dixeram redarguere, tanquam ſcurræ vel circulatoris vocem, ſed hoc potiùs, ſi poteras demonſtrare quòd iſta collocatione præſentia illa tua in terris non excludatur. Manet illud tamen, locum Auguſtini abs te non eſſe appoſitè citatum. Tertio loco quum ex illis verbis *Super cælos* colligere videreris illam tuam, quam vocas hyperphyſicam gloriam, quæſiui num igitur per cælos idem atque dexteræ nomine ſignificari velles. Neque id immeritò quæſiui. Nam ſi putas idem vtraque voce declarari, inanis fuerit battologia, & conſequetur *Super cælos* idem declarare atque *ſuper dexteram*, quod ridiculum eſt. Reſtat ergo vt per cælos locus ipſe in quem caro illa euecta nunc commoratur, per dexteram verò ipſa eius conditio, gloria videlicet inenarrabilis, intelligatur. Quid tu contrà? certè ne γρῦ quidem. Tantùm quæris, ecquis dixerit Cælos & Dexteram idem ſignificare. Certè ſi hoc non ſentis, ſed hæc diſtinguis ſicuti par eſt, neceſſe eſt vel te à teipſo diſſentire, vel mihi aſſentiri. Poſtremò quæſiui quorſum hæc Auguſtini verba ad illum Petri locum, de quo vno inter nos agebatur. Quid hîc Selneccerus? certè tam mutus quàm piſcis, ſi rem ſpectes: ſin verò conuitia, ſtrenuus admodùm vociferator.

Protuleras locos Athanaſij & Baſilij quoſdam, ex quibus intelligitur per Dexteram Dei non ſignificari aliquid circunſcriptum, ſed gloriam ad quam ſit caro Chriſti euecta. Reſpondi quod adhuc reſpondeo, fruſtrà hæc fieri, quoniam de eo inter nos probè conueniat. Sed negaui conſecutionem. Neque enim dūtaxat ad dexterā Patris ſedere dicitur Chriſtus, ſed additur IN CAELIS, in quos videlicet, verè relicto ſecundum carnem mundo, phyſico motu aſcendit. Quàm autem abſurdum eſt, quæſo, inter Regem & Regnum, inter poteſtatem & eum qui poteſtate fungatur, non diſtinguere? Quid tu contrà? accumulas alia teſtimonia, quaſi non ſatis fuerit ſemel otio & calamo abuſum eſſe: & nihil interea de re ipſa reſpondes. Laboras tamen vehementer vt oſtēdas vnum & idem Chriſti corpus in loco eſſe ſecundum veram corporis naturalis περιγραφὴν, ſed tamen eſſe ſimul vbicunque vult, quia ſit ad dexteram Patris euectum, de quo prorſus ἀνυπάρκτῳ & futiliſſimo commento quum millies ſit à noſtris dictum: à vobis autem nihildum niſi inaniſſimè reſponſum, non eſt quod toties actum agam: Qui volens ſordeſcit, ſordeſcat adhuc.

Monueram etiam vt hæc tria diſtingueres, *Aſcendere in cælum*, *Cælo capi*, & *Sedere ad dextram*, ſiue *Cæleſti gloria ornari*, ſicut exempli gratia tria ſunt diſtincta, *Aſcendere in montem*, *In monte reſidere*, &, *In illo monte beatum eſſe*, ſiue, *In illo monte reſidentem regnum exercere*. Tu reſpondes tibi ſatis eſſe notum, aliud eſſe *Aſcendere in cælum*, quàm *Eſſe in cælo*. Hoc autem quid aliud eſt quàm manifeſtè tergiuerſari?

Ad Seueriani fragmentum quod citaſti, *quòd videlicet diuinitas carni contulerit quod ſemper Filius Dei cum Patre poſſedit*, ſic reſpondi vt dicerem, quod adhuc confirmo, Iſta pertinere ad gratiam vnionis: quæ ſi torqueantur ad gratiam habitualem quam non ineptè Scholaſtici vocant, (id eſt, ad dotes quibus ipſa in ſeſe natura humana à verbo aſſumente affecta eſt) excipienda eſſe naturæ diuinæ idiomata, niſi malis ad Eutychetem manifeſtè deſciſcere. At tu primùm omnium illud negas, nec tamen inficiationis rationem affers, quanuis ipſam in primis eſſentiam, itémque æternitatem & cætera quæ conſequuntur, negare non poſſis SEMPER Filio cum Patre fuiſſe communia, id eſt, Dei propria. Deinde accumulas aliquot Patrum ſententias partim eòdem ſpectantes cuiuſmodi ſunt præſertim illæ Damaſceni, partim ad effuſas in naturam humanam dotes reſpicientes, ſed quæ nihil prorſus te iuuent, niſi oſtendas nomine Maieſtatis intelligi aliquod diuinæ naturæ idioma, quod nunquam facies, quum (vt inquit Damaſcenus eo ipſo loco quem citas) deitas excidere non poſſit ſuis proprietatibus: vnius autem deitatis eſſe conſtet, neque loco, neque proprietate naturæ definiri: & contrà omnis corporeæ ſubſtantiæ idioma ſit loco circunſcribi. Quòd ſi ad glorificationem refugias, aditum tibi occludit expreſſè Didymus, de ipſo Spiritu ſancto diſſerens, quo certèglorioſiorem imaginari non potes carnem Chriſti, quum ne quatenus quidē Deus eſt Chriſtus, ſit maior Spiritu ſancto, ſed illi in eadem eſſentia & gloria coæqualis. *Atqui*, inquit Didymus locuples in primis auctor, *ipſe Spiritus ſanctus ſi vnus eſſet ex creaturis, ſaltem circunſcriptam haberet ſubſtantiam, ſicut vniuerſa quæ facta ſunt.* Hæc quum iam antea tibi obiecerim, qui fit vt ad quiduis potiùs quàm ad id quod tibi opponitur reſpondeas? Eſt autem perlepidum ſanè argumentum quod mihi affingis, *Chriſtum dico*, inquis, *corpore ſuo eſſe euectum ad dexteram Patris, & poſſe præſtare omnia quæ promiſit. Ergo, inquit Beza, ſum Eutychianus.* Vbínam verò, Selneccere, me ſic ineptiuiſſe comperies? Hoc quidē dixi, quod adhuc dico, nec tu vnquā refutabis, Eutychianos eſſe qui etiā ſi ipſam deitatis eſſentiā non cōfundant cum humanitate, tamē eius idiomata permiſcent. Hic enim fuit alter Eutychetis error, in eo quidē non vſq; adeò atque vos deſipientis, vt qui idiomata abſque ipſa natura cuius ſunt idiomata, non poſſe reipſa communicari animaduerterit, quoniam alioqui idiomata eſſe deſinerent. Hoc ego, inquam, dixi, non id quod mihi affingis. Iſtud verò quorſum mihi obiicis, quòd poſſit Chriſtus præſtare quod promiſit? Nec enim quæritur an poſſit

poſſit præſtare quod promiſit, (de qua re quis vnquam noſtrûm dubitauit?) ſed an corpore ſuo ſeſe multis ſimul locis affuturum, ſuam carnem manu prehendendam, & ore in terris comedendam daturum, ſuum corpus alibi quàm in cælis ad vltimum vſque diem futurum, & aliter inde quàm fide & ſpiritualiter ſeſe nobis communicaturum dixerit, id eſt, an repugnantia & contradictoria promiſerit. Hoc, inquam, tibi probandum eſt, id eſt, Chriſtum mentiri poſſe. Nam contradicentium promiſſionem (ſunt autem neceſſariò contradictoria χωρητὸν & ἀχώρητον eſſe, item finitum corpus eſſe, & pluribus ſimul locis eſſe) neceſſe eſt falſitatem conſequi, quum ſimul vera eſſe contradicentia non poſſint.

Non minùs vanus eſt ille tuus ſyllogiſmus ineptiſſimè ſanè cõtextus, in cuius aſſumptione dicis maieſtatem & poteſtatem diuinam eſſe proprietatem diuinæ naturæ, confundẽs attributa cum idiomatibus: in concluſione verò aſſumis plura quàm præmiſeris. Sic autem illum contexere te oportuerat: Proprietates, id eſt, vt loquuntur Dialectici, propria quarto modo, non communicantur alteri naturæ reipſa. Eſſe verò ſimul multis imò omnibus locis eſt diuinæ naturæ idioma. Ergo eſſe ſimul multis locis non communicatur alteri naturæ reipſa. Propoſitio patet ex definitione proprii. Aſſumptionem nemo poteſt negare quin plura conſtituat infinita, id eſt, plures deos. Concluſio autem prorſus cohæret. Neque verò quod ſubiicis de Maieſtate & potentia pro te facit. Nam ſi dixeris iſtam tuam (vt ita loquar) πανταχουσίαν, ſub illa maieſtate comprehendi, quæ ſit diuinæ naturæ idioma: nihil effeceris niſi idioma & id quod commune eſt pluribus ἐπ' ἴσης vnum & idem eſſe probaris: quod eſt omnium falſorum & abſurdorum falſiſſimum & abſurdiſſimum. Sin verò dicas non comprehendi, tunc reipſo iudice, tua vana conſecutio coarguetur. Alter autem ſyllogiſmus ſic te ſanè conſtringit vt elabi non poſſis, quanuis ignorare videaris quid idioma & quid eſſentiale vocemus. Nam quod ſic eſſentiam deſcribit, vt eo ſublato aliquid deſinat id eſſe quod erat, & eodem communicato, id cui cõmunicatur, incipiat id eſſe quod non erat (veluti ſublata infinitate ac cum ea cohærente περιχωρήσει deitatem aboleri, iiſdem autem humanæ naturæ reipſa cõmunicatis eam euadere in deitatem neceſſe eſt) conſequitur abſque ipſa eſſentia cõmunicari idioma reipſa non poſſe: ac proinde non poſſe tribui carni Chriſti ſiue πανταχουσίαν ſiue περιχώρησιν abſque infinitate, nec infinitatem abſque ipſamet deitate, quod eſt merè Eutychianum portentum. Tu verò quid reſpondes? *Verum eſt,* inquis, *argumentum de confuſione naturarum ſiue phyſica communicatione, in qua idioma diuinæ naturæ fingitur fieri idioma humanæ naturæ, cuiuſmodi cõmunicatio nulla eſt.* Imò, mi homo, quis vnquam ita ineptiit vt fingeret idioma (intellige proprium Dialecticũ quarto modo) poſſe eſſe aliquid duobus proſſus ἐπ' ἴσης commune? Rectè igitur negas talem idiomatis cõmunicationem dari poſſe qua idioma deſinat eſſe idioma. ſed mox video tibi excidiſſe quod Deum precor vt tandem intelligas. *Sed,* inquis, *humana natura in Chriſto glorificata habet omnem poteſtatem in cælo & in terra, ſuper omnes Angelos, &c.* Subiicis poſtea teſtimonia neque neceſſaria neque à te non controuerſa, neque à teipſo intellecta, vtqui ne nunc quidem inter gratiam vnionis & collatas in carnem dotes, neque inter καθ' ἄλλο & καθ' αὑτὸ quod ſit diſcrimen noris. Maneamus in quæſtione propoſita, Selneccere. Agitur de eo an pluribus ſimul locis adeſſe reipſa poſſit vnum & idem Chriſti corpus quod tu tueris quantum potes, nos verò conſtanter negamus, quoniam ita euaneſceret carnis Chriſti veritas, alterum ſalutis noſtræ fulcrũ. Videris autem tibi pulchrè elabi ſi manifeſto paralogiſmo obiecta iſta πανταχουσίᾳ (liceat enim nobis nouum hoc vocabulum in nouo iſto περιχωρήσεως fœtu ſignificando vſurpare) dicas carnem Chriſti hoc non habere ex ſeſe ſed ex natura aſſumente, quaſi verò vnde illud ſit, ac non potiùs an aliunde datum ſit aut etiam dari potuerit quæramus, non quòd de Filij Dei potentia ambigamus, verùm quòd ipſius neque potentiam neque voluntatem confligere cum eiuſdem veritate credamus. Sed longiùs & quidem planè incautus progrederis, quũ *eas dotes quibus natura aſſumens aſſumptam exornauit negas eſſe accidentia. Quoniam,* inquis, *hypoſtatica vnio non poteſt locum habere accidentis.* Ego ſanè concedo deitatem non coniunctam eſſe humanitati vt accidens ſubiecto, quod abſurdiſſimum fuerit ſentire, vt etiam Thomas rectiſſimè docuit: ſed an inde conſequitur iſtius vnionis effecta carni non accidere? Dotes, inquã, quibus affecta eſt ipſa in ſeſe humanitas negare audes illi vt ſubiecto ineſſe? num verò mauis eaſdem eſſe ſubſtãtias? Sin verò ſunt συμβεβηκότα, cui ſubiecto niſi carni ineſſe dices? Nam deitatẽ noſti accidens non admittere, etiam ſi attributa in ea conſideramus: qua de re pleniſſimè contra Brentium diſſerui: & Papiſtarum eſt accidentia ſine ſubiecto conſtituere. Quid quòd aliud inde conſequitur quod te vel inuitum cogit nobis aſſentiri? Qui fit enim (exempli gratia) vt tua ſapientia non poſſim ſapere, tua valetudine valere? quia nimirum non mihi ſed tibi hæc inſunt. Quomodo vis igitur vt caro Chriſti ſit omnipotens omnipotentia deitatis, & propter infinitatem naturæ diuinæ pluribus ſimul locis? Nam aliud eſt deitas, aliud humanitas, quanuis alius non ſit Verbum, alius Filius hominis. Nempe, inquies, quia iſta duo ſic ſunt duo, vt tamẽ ſint vnum in Chriſto ὑποστατικῶς, tu autem & ego ſumus duo ὑφιστάμενα. Concedo: Sed an non tu ipſe confiteris in hypoſtatica vnione ſicut diſtinctas manere naturas, ita etiam idiomata manere diſtincta? Diſtinctio autem idiomatum realis, & communicatio earundem realis contradictoriè opponuntur, vt ſeparatio & vnio. Ideóque non dicitur natura naturæ communicari, ſed hypoſtaticè, id eſt ſeruata diſtinctione, vniri. Relinquitur ergo vt ſic dicatur caro iſta adeſſe multis ſimul locis, ſicut ſi dicatur infinita: nempe neque in ſeſe neque ex ſeſe ſiue coniunctim ſiue ſeorſim conſideretur, (quæ diſcrimina vel non intelligis vel prorſus negligis) ſed extra ſeſe ſiue κατ' ἄλλο, veluti ſi corpus meum dicerem eſſe intelligens, aut ratiocinans, quoniam cum animo meo intelligente & ratiocinante

coniunctum vnicam perſonam Bezam conſtituit. Eſt igitur hæc exaltatio ex gratia vnionis & κατ' ἄλλο, ac proinde minimè inchoanda ab aſcenſione in cælos vel ſeſsione, ſed ab ipſo incarnationis momento. Neque his verbis, Hoc eſt corpus meum, &c. declarauerit Chriſtus ſuũ corpus præſens adeſſe, ſed quòd illud nobis verè communicandum tradat. Quod igitur eſt illius veſtræ realis corporalis præſentiæ, & oralis manducationis fundamentum? Nam gratia vnionis nihil huiuſmodi ſtatuit: imò vt modò oſtendimus, hypoſtaticæ vnionis definitio manifeſtè hoc commentum vt ἀπερινόητον, non, vt tu vocas, hyperphyſicum funditus euertit. At gratia habitualis, id eſt habitus ſiue dotes quibus inenarrabiliter ornata eſt caro aſſumpta, ſiue tota illa glorificatio realis quàm libenter tibi concedimus ſeſsione ad dexteram declarari, vt immutabilitas, ſplendor, poteſtas illa in omnes excepto eo qui ipſi omnia ſubiecit: (quo etiam reſpectu ſeipſo minor dicitur Chriſtus ab Auguſtino & Ambroſio) longè aliud ſunt: accidentia videlicet quæ non impedio quominus ὑπερφυῆ vocentur, reipſa carnis aſſumptæ ſubiecto communicata, & inſeparabiliter inhærentia, ſiue quæ poſsidet ipſa caro, non quidem ex ſeſe, ſed in ſeſe, neque ſeorſim ac coniunctim caro hic conſideretur quicquam intereſt. Inter hæc autẽ dona nõ magis recenſeri poteſt iſta ſiue μιμητὰ ſiue μετοχικὰ ſiue vllum deitatis idioma, quàm ipſamet deitas. Et hæc quidem vniuerſæ ſectiũ tuæ reſponſioni oppoſita ſunto. Quum ex Theodoreti collectaneis quædam Athanaſii proferens, epiſcopum pietate, doctrina, eloquentia præcellentem, & veſtri dogmatis apertum oppugnatorem, hac nota aſperſiſſes, vt Athanaſium diceres ab eo contra ſeipſum citari, reſpondi paucula ad ipſius aduerſus vos tuendam quam meretur authoritatem. Tu verò reſpondes illum fuiſſe initiò Neſtorianum: quod ſi tibi concederem, quid hoc ad rem? At ego etiam Neſtorianum fuiſſe pernego, verùm neque Neſtorii ſententiam (vt ne alios quidem multos) neque Cyrilli mentem initiò ſatis cognouiſſe, quod ex illius & Cyrilli mutuis reſponſis liquet. Hoc autem illi accidiſſe, cur miremur, quum noſtra memoria D. ipſe Lutherus, vt ex libello de conſiliis apparet, ne hæc quidem ſatis intelligat: & ingenuè fateatur quod res eſt, & quod vtinam tandem vos intelligatis, ſeſe nimirum ſæpe erraſſe, tribuendo naturæ quod eſt perſonæ? Ais præterea te nihil detrahere Theodoreto, quem tamen ſacris Literis affirmes non eſſe præponendum, cuius etiã dialogos legeris, & primus fortaſſe verteris. Sanè verò, Selneccere, quid tu poſsis tanto viro, non ſuam, ſed Eccleſiæ, idque totius orbis applauſu, cauſam defendenti, etiam ſi fortaſſe velles, detrahere? Quid autem nobis aſſeueratione tua opus eſt? Quis enim noſtrûm vnquam dubitauit ſola Biblia eſſe αὐτόπιστα? Sanè ſi dialogos illius vertiſti, laborem hunc tuum rectè collocaſti, modò in illorum lectione proficias. Poſtremò excipis Theodoretum cum iis demum pugnare, qui vnam duntaxat naturam in Chriſto agnoſcunt. Et ſanè ita eſt. Sed ignorare viciſsim non potes duplicem fuiſſe errorem Eutychetis: vnum quòd ipſas οὐσίας, alterum quòd earum idiomata confunderet, vt & vos facitis, qui communicationem idiomatum realem etiam in ipſa carne vel initio ſtatuitis, quum illam reipſa multis locis ſimul eſſe cõtenditis. Nec illud etiam neſcis, Theodoretum eo potiſsimùm niti ad deſtruendam ipſarum οὐσιῶν confuſionem, quòd earum proprietates ſint ἀσύγχυτοι: & carnem Chriſti etiã glorificati ex eo colligere non eſſe in deitatem conuerſam, quòd ſit & maneat circunſcripta. Imò etiã noſſe te conſtat quid de ſacris myſteriis doceat, & diſertè non minùs aduerſus συνουσιαστὰς quam μετουσιαστὰς ſcribat. Aut igitur illum (id eſt totam veterem Eccleſiam) ſemel oſtende fuiſſe blaſphemum & impium, aut veritati acquieſce. Quid autem Athanaſius? Sede à dextris meis dictum eſſe de corpore Dominico, quoniam diuinitati non conueniat, vtpote quæ omnia compleat. Hinc collegi iſtam ſeſsionem corporis ad dexteram, Athanaſio iudice, non tollere corporis circunſcriptionem, imò potiùs ſtabilire, quòd alioqui non quadraret ratio allata cur deitati non cõueniat. Quid tu contrà? Fingis me ſic argumentari, *Diuinitas replet omnia, corpus verò ſedet ad dexteram, ergo humanitati competit vt omnia non repleat.* Imò, Selneccere, ne per ſomnium quidem ſic velim ſyllogiſmos contexere. Hoc dixi, Si idcirco illa ſeſsio non competit deitati, quòd omnia impleat, vt ait Athanaſius, conſequi vt corpus cui ſeſsio iſta cõpetit, non omnia impleat, contra veſtram iſtam matæologiam, Sedet corpus ad dexteram, ergo nihil ei impoſsibile, ac proinde poteſt quotcunque ſimul vult locis reipſa præſens adeſſe. *Hic tu*, inquis, *ſanúſne es, Beza?* Sanè, vt opinor. nec, vt tu conquereris, cauſæ ſtatum inuerto, ſed fundamentum abs te poſitum tuis ipſius argumentis funditus euerto. *Ergo*, inquis, *putas Chriſtum vt Deum, ab æterno non ſedere ad dexteram Patris?* At ego ex te quæro vbi hoc tandem in ſacris Literis inuenias. Filium lego in principio fuiſſe apud Patrem: Filium audio poſtulantem gloriam quam initio habuit apud Patrem. Nec ſanè Chriſtiani hominis fuerit dubitare ſicut vna eſt trium ὁμοουσίων eſſentia, ita & vnicam eſſe ac eandem illarum gloriam. Sed his verbis, Sede à dextris meis, dico ſignificari exaltationem: Naturæ autem humanæ eſt exaltari, non diuinæ. Itaque quum illis verbis non tantùm gloria, ſed etiam exaltatio ad eam gloriam ſignificetur: & eam idcirco neget Athanaſius competere deitati, quoniam omnia impleat: quod dixi iterũ dico, manifeſtè nimirũ liquere illa ſeſsione, quæ eſt ἔνθρονος, & cuius ſedes in cælis, non autem vbique deſignetur, non modò non confirmari, verumetiam prorſus euerti realem illam ſiue omnibus ſiue pluribus ſimul locis præſentiam, quòd alioqui Athanaſii ratio nullo modo conueniret.

Nyſſeni verba gaudes quòd tibi intemerata reliquerim, quem candorem bono viro dignum alibi nõ adhibuerim. An ego verò quicquam in reſponſione mea detorſerim, penes lectorem quoſuis iudicium eſto. At tu quo pudore hæc ſcribis, qui pro Nyſſeni verbis gloſſema prolixum & peſſimè ſanè conſutum reponas? Habes tamen in iis quædã de quibus tibi neceſſe eſt gratias agã, quoniã prorſus contra teipſum faciunt. Citas Euſtathii ex Theodoreto particulã vbi meminit diuinæ

gloriæ

gloriæ ita collatæ in carnem vt humana natura non ſit abolita, ſed in vnam virtutem vnita, quia vnicus ſit Dominus. Et multò apertius eſt etiam quod ex Vigilio citas, qui hanc glorificationem, non ad vnitatem Verbi (vt tu prorſus abſurdè ſcribis, & prorſus inſcienter, inter Vnionem & Vnitatem non diſtinguens) ſed ad vnionem cum Verbo. Obſecro enim an non hæc ſaltem docère te potuerunt, non agi de eo quod inſitum ſit ipſi carni, ſed de eo quod hactenus ei tribuatur, quatenus cum eo cui ineſt, vnum ὑφιστάμενον conſtituit? Vide verò quàm imperitè de his myſteriis loquaris. Pulchrè tibi videris elabi ſi dicas hanc quam vocas Maieſtatem non tribui humanæ naturæ vel ſoli vel in abſtracto conſideratæ. Si ſolam accipis pro ſeparata, certe nihil neque Verbo neque carni ſoli tribui fatemur, vt iſta tua exceptione nihil nobis fuerit opus, qui Neſtoriani non ſumus. Sin verò SOLÆ accipias pro Seorſim ſiue in ſeſe conſideratæ: quorſum iſtæ controuerſiæ, quum inter nos prorſus conueniat? Hîc enim te conceſſurum ſpero, ſi propius quid hîc ſcribas, & quid paulò antè dixerim expenderis. Num enim, quæſo, aliquid quantumlibet hypoſtaticè vnitum poteſt reipſa, & in ſeſe tale vel tale eſſe, ea qualitate quam in ſeſe non habeat, ſiue ea qualitate quæ ſit in eo duntaxat cui eſt vnitum? vt, exempli gratia, Corpus animæ intelligenti vnitum poteſtne dici in ſeſe & reipſa intelligens? num quoniam eſt incorporeæ animæ vnitum, poteſt dici incorporeum? certè non magis quàm ego tua ſapientia poſsim dici ſapiens, aut tua valetudine valens, quanuis tu & ego ſimus duæ ſeparatæ hypoſtaſes: corpus verò & anima vnita, vnicum ſingulare indiuiduum cõſtituant. Stat enim illud, vnumquodque vt tale vel tale ſit reipſa in ſeſe, à ſua non ab alterius cuiuſcunque qualitate affici & tale reddi oportere, ſiue illam ex ſeſe, ſiue aliunde, ſiue communem cum alio, ſiue propriam & peculiarem habeat: communem & aliunde, vt quum corpus ſentiens vocamus, quod ab anima habet, vnde prodeunt perſonales actiones: propriam & ex ſe, vt quum corpus φθαρτὸν, & ἀσχημάτιστον dicimus. Sic à nobis quæritur hodie, num corpus Chriſti tale ſit vt pluribus ſimul locis reipſa adeſſe poſsit. Hoc vt probes, neceſſe eſt demonſtres illum hac in ſeſe qualitate eſſe præditum. Nec te quicquam iuuat confiteri quòd illam neque ex ſeſe, neque ſola habeat, quum nõ quæramus ex ſeſe an aliunde, propriámne an cum alia communem, ſed an in ſeſe, (vndecunque & qualiſcunque tandem illa ſit) hanc dotem & qualitatem habeat: quod nunquam affirmabis quin à te ipſo diſſentias. Et hoc rogo te, mi Selneccere, ex animo vt, ſi pacem Eccleſiarum amas, diligenter expendas. Video enim tibi inter ſcribendum aliquam veritatis ſcintillam clariorem præluxiſſe. Nam in epiſtola ad Illuſtriſsimum Principem Electorem apertè dicis corpus Chriſti non amplius χωρητὸν, ſed ἀχώρητον eſſe, alibi verò agnoſcis circunſcriptionem ſuam retinere: imò eadem pagina quanuis non περιγραπτὸν, tamen περιγραπτὸν eſſe fateris. Quòd ſi partes habet, ſanè ne vno quidem loco totum ipſius contineri poteſt, nedum vt ſimul totum pluribus locis adeſſe reipſa poſsit. Et ne me queri poſsis philoſophum agere non theologum, meminiſſe potes iſta Auguſtini verba tibi à me obiecta in priore mea reſponſione, Auguſtini, inquam, de ipſo Chriſti glorificato corpore loquentis Epiſtola tertia, *Quantumcunque ſit corpus vel corpuſculum, vt loci occupet ſpatium neceſſe eſt, eundémque ſic impleat, vt in nulla eius parte ſit totum.* Quomodo igitur iſta conciliabuntur vt idem ſit ἀχώρητον & χωρητὸν, id eſt loci ſpatio non contentum & tamen loco comprehenſum corpus? nempe ad illam diſtinctionem quam ponimus deuenias neceſſe eſt, vt κατ' ἄλλο (id eſt in alio cui hypoſtaticè vnitum eſt,) non autem in ſeſe (id eſt καθ' ἑαυτὸ ſiue ἐν ἑαυτῷ, quod tu malè accipis pro ex ſeſe ſiue per ſeſe) ſit ἀχώρητον, qua ratione videlicet non in ſeſe, ſed κατ' ἄλλο hominem hunc vocamus Deum, qui in ſeſe eſt tantùm diuinus, id eſt diuinis dotibus inenarrabilibus ornatus, ita tamen vt ἀκοινώνητα deitatis idiomata excipias, ne in Eutychetis præcipitium ruas. Deinde in eadem epiſtola ſic ſcripſiſti, in quo etiam toties peccas quoties realem idiomatũ in naturis cõmunicationẽ ſtatuis: *Chriſtus* (inquis) *ſecundum humanam naturam habet omnem poteſtatem* (nihil autem vis exceptũ, quũ tamen Deum ac proinde deitatem & ipſius idiomata diſertè excipiat Apoſtolus) *non ab æterno ſed certo tempore, à ſeipſo* (nempe ſecundum deitatem) *& in ſeipſo* (nempe in carne) *acceptam.* Nã poſtea gratiam vnionis ab iſta exaltatione expreſsè diſtinguis. Et illud etiam addis in concluſione, *Humana hæc natura illam omnem poteſtatem quam à Patre accepit, non habet, ex ſe, per ſe, nec in ſeſe naturaliter:* quam vocem Naturaliter ſi accipis pro IN IPSAMET HVMANA NATVRA, rectè ſentis: ſed à priore loco diſſentis, & rurſum nonnihil peccas. Dicendum enim fuit eum quæ accepit per gratiam vnionis, (ſiue quæ ei tribuuntur quatenus Chriſtus vt vnum quoddam conſideratur,) neque ex ſe, neque per ſe, neque in ſe ſed ex verbo & per verbum & in verbo habere: quæ verò dona ex verbo effuſa accepit, quorum etiam ratione ſupra inferiora omnia inenarrabiliter eminet, ea non quidem ex ſe, vtpote quæ à verbo acceperit, ſed tamen per ſe quoque (id eſt etiam ſi non ſeparatim quidem ſed tamen diſtinctè conſideretur) & in ſemetipſo habere, quum ea omnia dona carni tanquam ſubiecto inhæreant. Iam verò illa priora cum poſterioribus coniungamus. Reprehendis quod ſic ſcripſerim, *Homo ille Chriſtus* (pro quo tu ſubſtituis ſiue calumnioſè ſiue inſcienter HOMO CHRISTVS) *eſt omnipotens, omnipræſens, viuificus, & adorari debet, non tamen in ſeſe, ſed κατ' ἄλλο, id eſt quatenus in natura diuina ſubſiſtit, cuius illa ſunt propria & ἀκοινώνητα ἰδιώματα.* Quid autem reprehendis? *Impropriè,* inquis, *loqueris, quia duas perſonam nominas, quid occultas neſcio.* Atqui ſententiam meam minimè à me fuiſſe occultatam tu ipſe alibi teſtaris. Quid autem hîc obſcurè dixi? *Perſonam,* inquis, *nominas.* Hoc verò falſum eſt. Nam HOMO ILLE ſi adiunxeris illud IN SE ĀSE, quod tu ſiue ſciens ſiue imprudens prætermittis, naturam humanam planè determinat. Quum autem pro HOMO ILLE ſubſtitueres HOMO CHRISTVS, ſic feciſti, opinor, vt ſolent imperiti qui inter CHRISTVS HOMO & HOMO CHRISTVS diſtinguere nondum didicerunt: quæ diſcrimina etſi fortaſſe negligis tanquam λογομαχίας aliquas, tamen vel tuo vnius exem-

plo apparet non temerè fuiſſe ad maximos vitandos errores vſurpata. Sed agè, errauerim cum veteribus nonnullis orthodoxis quos nondũ erudierant hæreticorum captiunculæ. Scripſerim quod ſaltem ſcriptum volui, *Humana natura non in ſeſe ſed κατ' ἄλλο id eſt quatenus in natura diuina ſubſiſtit, eſt omnipotens, omnipræſens, & adoranda*, quid nunc reſpondes? *Humanam*, inquis, *naturam in Chriſto* PER SE vel IN SESE *(ſi abſtractum habere locum poſſit) non adorari ſed κατ' ἄλλο, quia vnita eſt diuinæ Chriſti naturæ, verè & conſtanter dicimus.* Ergo Selneccere, quomodo verum eſt quòd Chriſtum dixiſti ſecondum humanam naturam in ſeſe illam maieſtatem recepiſſe? Nam certè ſi in ſeſe illam gloriam accepit, etiam habet: ſi habet, & ea eſt cauſa cur ſit omnipræſens (largior enim etiam ubi plura quàm petas, quum tu multipræſentem eſſe velis ego omnipræſentem illa ratione, non autẽ illa Eutychiana, ſiue Brentiana, ſiue Iacob-Andreana ſiue Illyricana eſſe vltrò & idem meritò cõcedam) & idcirco adorari debet, quo iure potes illam in ſeſe omnipræſentem & (quanquam ſanè neque per ſe neque ſeparatim) adorandam negare? Cauſam qui habet in ſeſe quanuis neque ex ſe, neque ſeparatim, cur tamen effectum non habeat? Deinde IN SESE non autem illa PER SE ſiue EX SE τῷ κατ' ἄλλο opponi, ſi mihi non credis, at certè aliunde diſcas velim. Præterea quorſum iſtud, *Si abſtractum locum habere poteſt*? Nam certè non fuit hîc ambiguè loquendum. Si caro donata eſt iſta quam tu vis omnipotentia in ſeſe, dubium non eſt quin ſit in ſeſe multipræſens & adoranda: ſin verò κατ' ἄλλο id eſt extra ſe, & in eo duntaxat quîcum non in eandem naturam eſt conflata, ſed diſtinctis reipſa manentibus tum naturis tum eorum idiomatibus, καθ' ὑπόστασιν, vt loquitur Damaſcenus, vnita: ergo in ſeſe neque eſt multis ſimul locis, neque eſt adoranda, Quînam igitur reipſa aderit in vel ſub vel cũ ſymbolis, ita vt ore ipſo & manu percipiatur, niſi ipſamet adſit? & ſi adeſt ipſamet, veſtúmne eſt illam tantùm adeſſe κατ' ἄλλο? Imò etiam agè audiamus quod altera pagina ſcribis etiam expreſſius: *Caro Chriſti* (inquis) *eſt viuifica, eſt adoranda, eſt omni poteſtate ornata, eſt præſens vbique in Cœna dominica adminiſtratione, non ſecundum ſeſe in abſtracto conſiderata, ſed in Chriſto per vnitatem verbi, quatenus in diuina natura ſubſiſtit κατ' ἄλλο, verùm non titulo tenus, ſed reuera.* Agè igitur, mi Selneccere, hîc pedem fige. Nam ſi quod dicis intelligis, & quod dicis hoc verè ſentis, pacata eſt omnia inter te & nos diſcordia. Primùm enim illa omnia inter ſe ſic cohærere certum eſt vt qua ratione eſt mirifica & adoranda; eadem quoque ratione præſens in Cœna dicatur. At non eſt adoranda in abſtracto, ſed duntaxat in concreto. Ergo, teipſo iudice, tam hæc enunciatio falſa eſt, Corpus Chriſti eſt vbique præſens in Cœna (corpus enim & caro ſunt abſtracta nomina) quàm hæc vera eſt, Homo ille aſſumptus, eſt præſens in Cœna, imò etiam vbique. Ratio eſt, quoniam natura humana non eſt Deus cuius proprium eſt vbique eſſe, ſed aſſumptus ille homo eſt Deus in eo à quo aſſumptus eſt τοῦ λόγου veritate. Hoc autem eſt illud ipſum quod verè & rectè dicis, nempe propter vnitatem Verbi, ſiue quatenus in Verbo ſubſiſtit, ſiue κατ' ἄλλο eſſe viuificã & adorandã. Neq; verò negari àliquo quoquà poteſt verè illa dici de carne, quin negetur & hypoſtatica vnio, & ipſa deitas eſſe viuifica, adorãda, & omnipræſens. Similiter etiã accipio quod rectè dicis, nẽpe idiomata diuinæ naturæ eſſe incommunicabilia abſolutè. Ita enim concedis relatè duntaxat communicari, id eſt, quatenus caro non in ſeſe, ſed in Verbo in quo ſubſiſtit conſideratur. Quod autem reale & phyſicum inter ſe vt contradictoria opponis in eo ſanè & à veritate & nominatim à D. Philippo præceptore tuo deflectis. An non enim ille inculcat non modò corporali, verùm etiam phyſica aſcenſione & collocatione Chriſti carnem in aliquo cæli loco, nempe vbicunque vult in cælis, eſſe? & ita quidem vt ſic ſemper ſcripſiſſe totam antiquitatem contendat?

Itaque ſanè ſum miratus poſtquam ita ſcripſiſti & ſenſiſti, rurſum te poſtea non tam ſanè aduerſum nos quàm contra teipſum contendere, diuinam illam gloriam (qualem tu videlicet imagitaris) datam fuiſſe homini Chriſto in ea natura ſecundum quam frater noſter eſt. Nam ſi hoc ita eſt, non habet κατ' ἄλλο & relatè duntaxat, quod etiam quanuis non ex ſe nec ſeorſim, tamen in ſe habet. Et certè quæcunque citas teſtimonia Patrum, partim ad gratiam vnionis ſpectant, partim ad effuſa quidem in ipſam carnem dona pertinent: ſed ita vt nihil te prorſus iuuent à teipſo diſſentientem. Nam (vt iam ſæpe dixi) hoc reſpectu exceptus eſt ab Apoſtolo Deus, ac proinde tum ipſa eſſentialis deitas, tum ipſius deitatis idiomata.

Iſtam autem calumniam qua nos aſficis, nobis hoc impingens quòd humanã naturam ſiue carnem noſtram dicamus in Chriſto nihil prorſus accepiſſe quod conditionem & proprietatem humanam ſuperet, quomodò excuſabis? An enim carnem vel in Verbo ſubſiſtere, vel in ſeſe obtinere dona quibus inenarrabiliter emineat ſupra res omnes conditas, humanæ eſt iſtius conditionis? nũ in mentem nobis vnquam venit vt huic etiam quatenus eſt Filius hominis omne iudicium à Patre datum negaremus? Quaſi verò quoniam inter ἀναιρετικὰ & τελειωτικά, id eſt, inter ea quæ naturam humanam abolent, & ea quæ illam exornant diſtinguere vel neſcis vel certè recuſas, idcirco ſimus in Chriſtum blaſphemi: aut quia nec idiomata diuina volumus humanæ naturæ, nec humana diuinæ cum Eutychete reipſa tribuere, idcirco hypoſtaticam ſiue perſonalem, tum naturarum ipſarum, tum ἰδιωμάτων vnionem tollamus.

Supereſt vt hoc etiam loco alteram vaniſſimam calumniam quanuis millies refutatam, paucis diluam: Tribuis nobis hoc dictum, quòd Chriſtus corpore ſuo, etiam ſi velit, alibi quàm in cælo eſſe non poſſit: quod quidem ſit perinde ac Dei ipſius omnipotentiam inficiari. Atqui millies iam reſponſum fuit, quum Deus non velit quicquid poteſt, nec quæratur quid in Cœna poſſit, ſed quid velit, non rectè facere qui quum de voluntate quæratur, de poteſtate diſceptent. Deinde profitemur etiã eſſe dicimus, quærere num Chriſtus velit corpus ipſummet ſuũ reipſa multis ſimul locis ſiſtere in terris, tũ quomiã illud eſt teſtatus ſeſe à nobis verè & reipſa ablatũ intuliſſe in cælos, & ibi

futurum

futurum donec veniat iudicaturus viuos & mortuos: tum etiam quoniam verum ſit corpus quod pro nobis aſſumpſit, ac proinde circumſcriptum: quod ſi circumſcriptum, ergo non pluribus ſimul locis: quæ noſtra non ſunt, ſed Auguſtini de ipſo corpore glorioſo diſſerentis argumenta. Concludimus ergo Chriſtum non modò nolle, verùm etiam non poſſe velle corpus illud ſuum verum & ἐγχώριον multis ſimul in locis ſiſtere: neque hoc eſt ei potentiam detrahere, ſed mutabilitatem adimere, quoniam videlicet mentiri non poſsit. Certè Cyrillus non modò non fuiſſe conuerſatum cum Apoſtolis Chriſtum ſecundum carnem, quum eis mitteret Spiritum ſanctum, ſed ne conuerſari quidem potuiſſe dicit, quoniam ad Patrem aſcenderat. Num ille verò Zuinglianus aut Caluinianus fuit?

Sic igitur à te reſpõſum eſt iis quę ex Patribus abs te citata refutaui. Nunc quod supereſt, videamus quomodo videlicet teſtimoniis Patrum à me tibi obiectis reſpondeas. Origenes tibi non placet, & iubes memorem eſſe mẽdacem, quid videlicet de ſcriptore illo alibi ſenſerim & ſcripſerim. Egregium ſanè reſponſum. Ergo ne Lutherum quidem admitte. nam & ille ingenuè faſſus eſt in hoc ipſo argumento ſæpenumero ſe peccaſſe, tribuendo naturæ quod eſt perſonæ, & contrà. Sed cur tu, Selneccere, de re ipſa ne γρῦ quidẽ? Nec enim verba Origenis ſed ipſius Apoſtoli ſunt, Nos à Chriſto peregrinari dum in hoc corpore verſamur: vnde rectè ille collegit Chriſtum quoque quatenus homo eſt, à nobis peregrinari.

De Iuſtino, cuius expreſſum teſtimoniũ eleuare conatus es, pleniſsimè à nobis antea dictũ eſt.

Vigilium, quem tute ſcis totum noſtrum eſſe, oſtendi & demonſtraui quot modis ſis calumniatus. Cur igitur vel inſcitiam non agnoſcis, ſi inſcienter hoc feciſti (vt ſanè exiſtimare malo) vel obiecta non diluis? Nam tu quidem de iſtis ne verbum quidem.

Ex Ignatio, affirmaui corpus Chriſti omnia quæ propria ſunt humani corporis habere nobiſcũ communia. *Ex Didymo*, ſolam deitatem eſſe ἀχώρητον, id eſt nullo ſpatio capi. *Ex Apollinari*, Verbi copulationem cum corpore non mutare corporis naturã. *Ex Seueriano*, Chriſtũ ſecundũ corpus in loco verſari, ſicut extra locum poſitus eſt ſecundum verbum. *Ex Athanaſio in hæc verba, Vado ad Patrem*, eius eſſe ire & venire (nempe aſſumpti hominis) qui locorum terminis circumſcribatur, & cum locum deſerens in quo erat, ad alium locum veniat vbi non erat. *Ex Theodoreto*, corpus illud licet incorruptibile, impaſsibile, immortale, diuina gloria glorificatũ, ſeſsione ad dexteram Patris dignatum, quod & ipſum (quia Dei corpus eſt) à cæleſtibus poteſtatibus adoretur, tamen corpus eſſe, & habere eam quam prius habuit formam, figuram, & circumſcriptionem. *Ex Nazanzeno*, eundem Chriſtum circumſcriptum corpore, incircumſcriptum ſpiritu, qui loco continetur, & loco non continetur, habitare in cordibus noſtris non ſecundum apparentem, ſed ſecundum inuiſibilem naturam. *Ex Tertulliano*, Non eſſe hominis naturæ, ſed Dei, vt adeſſe omni loco poſſit. *Ex Cyrillo*, Deitatem ipſam non effugituram circumſcriptionem, ac proinde futuram in loco, ſi intelligeretur eſſe corporeum aliquid. *Item*, nullum ambigere Chriſtum præſentia carnis abeſſe. *Item*, corpore abſentem ſedere & interpellare apud Patrem qui Spiritu habitet in ſanctis. *Item*, quũ Spiritum immitteret Apoſtolis, non potuiſſe cum eis carne conuerſari, vtqui ad Patrem aſcendiſſet. *Ex Vigilio*, Dei Filium humanitate ſua receſsiſſe à nobis qui ſecundum diuinitatem dixerit, Ego vobiſcum ſum ad conſummationem ſeculi. *Item*, quando caro fuit in terra, nõ fuiſſe in cælo, & nũc quia in cælo eſt, non eſſe vtique in terra quũ è cælo vẽtura ſperetur. *Itẽ*, Chriſtũ, ſicut nõ capitur loco per naturam diuinitatis, ita contineri & circumſcribi loco, ſecundum naturã carnis, quæ ſit fides & confeſsio catholica quam Apoſtoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles nunc vſque cuſtodiunt. *Ex Ambroſio*, eandem eſſe in Chriſto veritatem corporis, quæ eſt in nobis. *Item*, non eſſe dicendam creaturam quæ non habeat circumſcriptam determinatámque virtutem. *Ex Auguſtino*, ſublatis ſpatiis tolli corpora. *Item*, credẽdum eſſe Chriſtum vbique eſſe per id quod Deus eſt: in cælo autem per id quod homo, ſecundum veri corporis modum. *Itẽ*, donec finiatur ſeculum ſurſum fore Dominum, cuius corpus in quo reſurrexit, vno loco eſſe oporteat. *Item*, Deum totum in cælo & in terra ſimul totum eſſe, quod nulla creatura poſsit. *Item*, omne corpus, ipſiúſque adeò glorificati Chriſti, neceſſariò loci ſpatium occupare, quem ſic impleat vt in nulla eius parte ſit totum. *Item*, Chriſtum vbique eſſe tanquam Deum, & in loco eſſe propter veri corporis modum, cui immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. *Item*, credendum eſſe Chriſti corpus ita eſſe in cælo vt erat in terra quum aſcenderet in cælum. *Item*, ibi eſſe hominem Chriſtum vnde venturus eſt, in eadem carnis forma, ſecundum quam non eſt vbique diffuſus. *Item*, Cauendum eſſe ne ſic adſtruamus diuinitatem hominis vt veritatẽ corporis auferamus, nec eſſe conſequens, vt quod in Deo eſt, ſit vbique vt Deus. *Item*, niſi corporaliter abiiſſet à nobis, non ſemper fuiſſe corpus eius viſuros, & nunquam ſpiritualiter credituros. *Item*, abiiſſe per id quod homo, & vno in loco erat: manſiſſe per id quod Deus & vbique erat. *Item*, quia ſecũdum carnem aſcendit in cælum, non eſſe hic: & ibi, non autem hic, ſedere ad dexteram maieſtatis. *Item*, per id quod Deus eſt, æqualẽ eſſe Patri, & vbiq; præſentẽ totũ, nec vllo loco cõtineri: per id autem quod homo eſt, paſſum & mortuũ reſurrexiſſe, aſcẽdiſſe in cælũ, ſedere ad dexteram Patris & ſic venturum in eadem forma carnis & ſubſtantia, cui immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. *Item*, Dominum ſeſe corpore abſentaſſe ab omni Eccleſia, & aſcendiſſe in cælum vt fides ædificetur. *Ex Fulgentio*, Chriſtum eſſe hominem localem ex homine, ſecundum humanam ſubſtãtiam abfuiſſe cælo quum eſſet in terra, & dereliquiſſe terram quum aſcenderet in cælum. *Item*, aſcendiſſe in cælum quia verus & localis homo, ſicut adeſt fidelibus quia immenſus & verus eſt Deus. *Item*, Apoſtoli verbis demonſtrari Chriſti corpus localiter cælis contineri. *Item*, Chri-

ſtum ſecundum totum hominem quem accepit, terram localiter deſeruiſſe, ad cælum aſcendiſſe, & in dexteris Dei ſedere. *Ex Damaſceno*, ea quæ propria ſunt deitatis, de humanitate non dici, nec viciſsim de carne quæ ſunt deitatis propria.

Quid tu igitur ad hæc, Selneccere, toties vobis oppoſita, nunquam refutata? Cur non ſaltem aliquid? Nam quæ ſparſim & admodum perturbatè in tua reſponſione ſcribis cuiuſmodi tandem ſunt? Colligis multa, quæ præter rerum ſeriem Chriſto contigerunt, vel Chriſtus ipſe fecit: veluti quòd natus ſit ex Virgine, quòd ambulauit ſuper aquas, reſurrexerit clauſo ſepulchro, intrauerit ianuis clauſis, aſcenderit in cælos, quum grauia tendant deorſum. Quorſum autem hæc? vt probes eum ſedere ad dexteram ὑπερυψώσεως, id eſt (inquis) *vt habeat imperium in omnes creaturas in infinitum & quàm latè dextera Dei extenditur*. Quaſi verò de imperio Chriſti in omnes creaturas dubitetur, aut quaſi tam latè oporteat patere Regis corpus quàm latè patet eius regnum, aut vbicunque regiè dominatur, ibi regem reipſa eſſe oporteat. quaſi denique ſi hoc verum ſit, non multò meliùs quàm vos ſentiant Brentiani, qui propterea quòd vbique pateat Chriſti regnum, vbique etiam eũ eſſe volunt, quum vos velitis quidem hanc ſeſsionis gloriam vbique patere, ſed tamen eum non vbique eſſe ſtatuatis, ſed ibi demum vbi eſſe velit. Vt autem paucis reſpondeam, infirmitates (peccato excepto) per peccatum in naturam humanam inuectas, & à Chriſto noſtra cauſa ad tempus ſusceptas concedimus abolitas fuiſſe in eius carne per ipſius exaltationem. Concedimus etiam ſupra communem ipſius naturæ humanæ etiam ante peccatum conditionem, inenarrabiliter euectã in ſeſe Chriſti Domini noſtri carnem, præterquàm quòd per ſummam vnionis gratiam, facta eſt Dei caro, vt coram ea quoque omne genu flectatur. Sed quid hoc ad ſtabiliendam iſtam πολυτοπίαν planè Vtopicam, neque ὑπερύψωσιν, ſed merè ἀνύψωσιν, ipſiúſque naturæ & veritatis corporis penè pernicem? Certè ſi ambulare ſuper aquas, & per aerem vehi, ad illam πολυτοπίαν ſeu πανταχουσίαν ſtabiliendam faciunt, quid obſtat quominus Petri quoque & Heliæ, & Philippi corpus realiter multipræſens ſiue omnipræſens ſtatuatur? Nam ille quoque ambulauit ſuper aquas, & abreptus eſt Helias, & Philippus repentè Azoti repertus. Nec vos, obſecro, iſtas nugas toties reponere pudebit?

Quæris præterea num Petrus aut alius quiſpiam ea ſanctis ita ſedeat in cælis vt Chriſtus: vt inde euincas aliquid longè excellentiùs tribuendum Chriſti corpori: nec dubitas etiam ex libello nõ Auguſtini, ſed cuiuſdam philoſophaſtri monachi De cognitione veræ vitæ, neſcio quid prorſus ἀπροσδιόνυσον proferre. Quaſi verò inficiemur capitis gloriam ſupra omnia mẽbra eminere, aut quaſi non ſit talis hæc eminentia conſtituenda, vt tamen capitis & membrorum vna eadémque permaneat cum ſuis idiomatibus natura.

Clamas in auribus illuſtriſsimi & ſanè erga te & tuos patientiſsimi Principis electoris, *Triumphator Chriſtus Filius Mariæ dicit datam eſſe ſibi omnem poteſtatem. Item, Quid eſt omnis poteſtas? an nõ omnipotentia? Duplex enim poteſtas cui tribuatur particula (omnis) non eſt fingenda in Chriſto.* Bellæ ſanè declamitationes, ſed quæ demum apud imperitos rerum noſtrarum homines valeant. Volumus ſcilicet os obturare ipſi Chriſto, aut eius triumphum inficiamur à quo vita & felicitas noſtra pendet. *Omnis poteſtas*, inquis, *eſt omnis potentia.* Non diſputo tecum qui grammaticen contemnis, de nomine παντοκράτορος ſiue omnipotentis, quo certè non ſignificatur qui omnia poſsit, ſed qui in omnia obtineat imperiũ (quod poſterius ab illo diuerſum eſſe pleniùs alibi, Deo volente oſtendemus) ſed hoc ſepoſito, quæro abs te num carnem audeas (non dico ex ſeſe, vel per ſeſe) ſed in ſeſe ſiue οὐσίᾳ ſiue ἐξουσίᾳ exæquare Verbo: quam blaſphemiam Brentianis & Iacob-Andreænis vtinam totam reliqueris. Si hoc audes, agè cur non tranſis ad Eutychem, ibi expectaturus Dei iudicium quod ille verè ἀπηχῶς ſubiit? Vtranque enim blaſphemiam Eutychis eſſe ſi neſcis, non debuiſti in hanc arenam deſcendere, neſcius nec quicum nec contra quem decertes. Sin negas, ergo tutemet iſtud τὸ ἄπειρον ex ſubiecti, nempe carnis Chriſti finitæ, ratione determinas, vt teipſum redarguas, vt qui infinitum quiddam reale ipſi naturæ finitæ tribuas, idque adeò confidenter vt etiã hæreticos, impios, blaſphemos, (inſcienter, opinor, potiùs quàm malitioſè) voces qui negant finitum hominem ὑπερυψωθέντος eſſe infinitæ gloriæ capacẽ. Et vero, mi homo, quid agis? Apoſtolus hac ipſa de re, id eſt de gloria & imperio Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum carnem, diſſerens ex profeſſo, an non eum excipit qui ipſi omnia ſubiecit? qui verò Deum excipit (id eſt deitatem) num ipſius idiomata non excipit? num verò pluribus ſimul locis totum eſſe, non eſt vnius deitatis proprium? ſi proprium vnius, num vlli alii naturæ commune? Vides quid conſequatur, opinor, etiam vt reticeam: ac proinde quàm futiles & inanes ſint illi tui tribunitii clamores. Sed placet paulò etiam longiùs progredi, vt vnà, ſi fieri poteſt, rectam viam teneamus. Dico nondum plenè impletam eſſe Chriſti Domini noſtri gloriam, nedum vt ea ſeſsione ad Patris dexteram, iſtam neſcio quam, ſiue infinitatem naturæ aut proprietatis, ſiue abſque infinitate multi præſentiam, iam nunc meritò elicias. Nondum enim Patrem omnia Filio reipſa ſubieciſſe Apoſtolus ipſe teſtatur, & experientia probat, quum adhuc regnet paſsim Satan: regnet mors, vltimus debellandus hoſtis, in omnes etiam Chriſti ſubditos: caro denique non ſit in quoquam adhuc luctante fideli edomita. Sed iſta tibi fortaſſe, Selneccere, nondum in mentem venerunt, qui ſtatim ſomnies Chriſtum ex ſolio Patris detrahi, niſi multis ſimul locis, ac præſertim cum pane in manus dari, & in os ingeri ſtatuatur. Ecce progredior etiam longiùs non per inuia, ſed quò nos ipſe veritatis cõtinuus trames deducit. Non vis quicquam detrahi maximæ illi Chriſti poteſtati, & meritò quidem. Vter autem detrahit, túne qui quoniam verè communicari imò vniri ipſis membris Chriſtum caput non poſſe putas, niſi eo ipſo loco vbi ſunt membra reipſa adſit caro Chriſti, ideo in iſta abſurdiſsima & prorſus analogiæ ac principiis fidei ac vniuerſo Dei verbo totiúſque Eccleſiæ perpetuo conſen-

ſui

ſui (ſicuti vides) repugnantia corruis: an nos qui tantam eſſe Dei Patris & Ieſu Chriſti Domini noſtri Dei & hominis, & Spiritus ſancti potentiam credimus, vt quod nobis & Verbo declaratur, & ſacris ſymbolis ipſis penè ob oculos ponitur, verè nobis offeratur, & verè in iis qui mente fideli tantum oblatum bonum recipiunt, impleatur? Iſtud autem quidnam eſt? nempe vt verè fiat ille noſter, & nos illius: verè ille nobis in myſticum caput, nos cum ipſo in myſticum corpus vniamur: verè ille nos ſuo Spiritu imbuat, nos verè ipſius Spiritu ſanctificati iam nunc viuamus in æternæ vitæ arrabonē: denique vt ex eo quicquid ad vitam æternā pertinet efficaciſsimè deriuetur. Sed quódnam eſt illud myſticum corpus? certè non quo ſubſtantiæ ſubſtantiis, perſonæ perſonis, corpora corporibus alātur, miſceantur, vniantur (quorſum enim hoc?) ſed vt Spiritus ſancti vinculo multò fortiùs, multò arctius quàm vllis venis aut arteriis aut neruis per fidem ſpiritualiter in eo compacti, ſpirituale illud Chriſti complementum ſiamus. Non ſunt iſta, Selneccere, carnalia, non ſunt etiam imaginaria, ſed ſpiritualia & vera, cuiuſmodi eſt Dei regnum quod intra nos eſt.

Omitto libens illud tuum inter Brentianam Vbiquitatem & veſtram Multipræſentiam diſcrimen. Etenim, velitis nolitis, vnius & eiuſdem eſt tum naturæ tum poteſtatis multis vel omnibus ſimul locis eſſe. Sed illud non tam apertè quàm iſtud Eutychianum eſt, multò tamen profectò tū probabilius, (ſi quod mendacium probabile eſt) tum ad veſtrum ſcopum accommodatius. Itaque quod libenter eis perſuaſeris magnam à me factam Brentio & Vbiquitario illi apoſtolo iniuriam, quum & Neſtorianum ipſis dogma in naturarū ſeparatione, & Eutychianum commentum in reali proprietatum communicatione obieci, captare quidem ſic videris bonam illorum gratiā. Verùm vt ſimul coniungamini qui adhuc caſtra ſeorſim poſuiſtis, quid ad nos? tanto ſanè fortiùs vno veritatis impetu proſternetur impietas. Extant vtriuſque partis ſcripta. Si voles aut tu vnà cum illis aut illi ſeorſim, noſtra oppugnate, niſi malitis Deo gloriam dare. Tantùm rogo vt pro conuitiis argumenta proferatis: & ordine noſtra ſingula refellatis, quò faciliùs tum noſtra tum veſtra expendi poſsint.

Mones alicubi hac vna ratione poſſe ad omnia Patrum teſtimonia reſponderi, quòd videlicet illis abutamur. Cedò verò quamobrem? *quoniam*, inquis, *nihilominus veram veri corporis Chriſti in Cœna præſentiam & communicationem ſtatuunt*. Atqui priùs oſtenſum oportuit vel ex vnico inter tot locorum millia teſtimonio, Patres circunſcriptionem & abſentiam carnis Chriſti ex ipſa etiam ſeſsione ad dexteram Patris confirmantes: præſentiam illam quam in Cœna ſtatuitis excepiſſe, aut leuiſsimam ſaltem eius mentionem iniecisse. Etenim cui ſano homini perſuaſeritis, ita iſtos doctiſsimos & tantæ ſanctitatis Patres ad vnum omnes fuiſſe ad aſſerendam carnis Chriſti abſentiā intentos, vt nunquam eis in mentem venerit, quod de ſacris myſteriis obiici neceſſariò oportuit, ſi qua talis tum doctrina in Eccleſia viguiſſet? Præſentiam tamen, inquis, ſtatuunt. Sanè qualem & nos ſtatuimus, nempe quæ ob fidei oculos rem in terris per ſymbola verè & efficaciter repræſentatam & ſpiritualiter in cælis fide quærendam ac percipiendam demonſtret, non illam quæ veritatem carnis deſtruat, fidei noſtræ principia conuellat, mille contradictiones implicet, denique ipſi ſacramentorum fini, (ſpiritualis videlicet tum copulationis tum vitæ obſignationi,) ex diametro repugnet.

Hæc ſunt, Selneccere, quæ tot Patrum teſtimoniis, ac ne hæc quidem ſuo loco, ſed vt ſcopas diſſolutas perturbatè oppoſuiſti, vt eam tandem concluſionem adhiberes, cuius profectò magnopere meipſum, Euangelii cauſa, pudet. Quis enim communium aduerſariorum auditis tuis illis prioribus illa non ridebit? *Hæc eſt*, inquis, *Beza noſtra vbiquitas ſacroſancta, firma, inexpugnabilis, imperterrita, immota, quam tu & tui ferre non vultis, nos verò eam retinentes cum ea triumphabimus contra portas inferorum.* Miris ſanè triumphos, mi homo, ſed ante victoriam. Quînam enim vincetur iſtis vanis clamoribus veritas? Quid porrò ſupereſt niſi vt etiam litaniæ Papiſticæ adiiciatis, Sancta Vbiquitas miſerere nobis? at illa certè potiùs, niſi caueritis, vos coram Deo & tota Eccleſia condemnabit. Quid quòd Multipræſentiam veſtram non contentus obtrudere, Brentianæ quoque Omnipræſentiæ notam elui abs te poſſe credidiſti, ſi Brentium de illa quicquam cogitaſſe negaſſes? Quaſi verò inter Omnipræſentem eſſe & Vbique eſſe quicquam interſit. Accuſaui & accuſo Brentianos, quòd cum Neſtorio naturas diuidant, idiomata cum Eutychete confundant, vt qui hypoſtaticam vnionem *ἐνεργείᾳ* & omnium donorum reali in carnem effuſione peruerſiſsimè definiant. An ego immeritò id fecerim, malo ex ipſorum ſcriptis quàm ex mea accuſatione cognoſci. Et quis pudor eſt quæ à teipſo, hac de re dicta ſcriptáque ſunt, audere nunc inficiari? Quid amplius? *Conuaſa*, inquis, *comporta quæcunque voles, modò exordium*, (id eſt, opinor, fundamentum, nēpe ſeſsio illa tua: ſic enim homini diſerto loqui placet) *maneat inuiolatū*. Verùm hoccine eſt reſpōdere, an tergiuerſari? Etiámne verò aliquid amplius? *Satis*, inquis, *pro tēporis & otii mei negotioſiſſimi ratione reſponſum ſit tibi*. Imò, quînam mihi vel cuiquam alii ſufficeret quod nuſquam eſt, quum ad tot grauiſsima teſtimonia ne verbum, imò ne ſyllabam, imò ne literam quidem reſponderis: imò ne os quidem aperueris? Etiámne verò aliquid amplius homo tam negotioſus? *Hoc*, inquis, *addere tantum libet*, (mirum ſanè tantum otii ſupereſſe tibi vt etiam aliquid libeat) *me obſecrare, obteſtari, rogare, orare, precari, ſupplicare: vt deſinatis à calumniis. Deum enim teſtem inuoco, me contra meam voluntatem nominatim in te & alios vllum vehementius verbum proferre.* At mihi religio eſt, Selneccere, manifeſtè peierare. Quòd autem de calumniis tam putidè flagitas, ſanè non impetrabis, Quînam enim ab eo quod nunquam ſum aggreſſus, & abſit vt vnquam aggrediar, abſtinuero? At ego Deū precor vt diſſenſionis & blaſphemiæ ſpiritum coerceat, paſtores fidos veritatis defenſores confirmet, religioſos principes ad dignoſcendos, & ſua authoritate compeſcēdos Eccleſiarum turbatores excitet, vt pace Eccleſiis reſtituta in ſpiritu & veritate ipſum colamus.

AD SELNECCERI QVAM vocat Apologiam.

EXPECTATVR fortaſsis vt ad illam quoque Apologiam qua te purgatum VVitebergenſi ſcholæ de proditionis & defectionis crimine voluiſti, plenè reſpondeam: quod nunc quidem facere non libet, tum quoniam mecum non eſt hoc certamen inſtitutum, tum quòd nihil contineat vllo argumento confirmatum. Attingam tamen nonnulla vt quàm illa de quibus tam confidenter agis non intelligas, omnes intelligant.

Obiectum eſt tibi quòd realem communicationem idiomatum antea abs te oppugnatam, nūc tuearis. Tu polliceris breuem reſponſionem, ſed, Deus bone, quàm & verborum plenam, & rerū inanem? Itaque rem in pauca conferam, *Conſtat*, inquis, *hypoſtaticam vnionem factam eſſe, ſeruata tum naturarū, tum ipſarum proprietatum diſtinctione, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως.* Sane ita eſt: & hoc poſito totum quod ſuperſtruis ruat neceſſe eſt. *Conſtat etiam*, inquis, *ſacras literas interdum idiomata diuinæ naturæ tribuere humanæ & contrà.* Sanè conſtat. Sed quid hoc rei ſit ne nunc quidem ſatis intelligis, vt qui in iſta enuntiatione, *Chriſtus eſt paſſus, mortuus & ſepultus*, ſtatuas idiomatum cōmunicationē quæ nulla eſt. Diſce igitur priùs qua de re diſceptetur, vt habeas de quo appoſitè loquaris. Subtexis poſtea longam narrationem, ſed ex collectorum lacunis hauſtam, de Neſtorianorum & Eutychianorum blaſphemiis, in quibus mirum eſt fieri potuiſſe vt neque Brentiana neque tuas agnoſceres. Nam quòd alicubi Neſtorianos vocas duces noſtros, quàm putidum eſt? Separant ſcilicet naturas, qui quoniam illas non exæquant, humanam cælis contineri, diuinā cælum & terram continere docent. Num verò Selnecceri pedes idcirco ſeparati ſunt à capite, quòd ipſius quidem caput ſupra pulpitum debacchetur, pedes autem imum ſubſellium feriant? *Conſtat etiam*, inquis, *communicationem idiomatum eſſe ineffabilem quandam proprietatum vtriuſque naturæ pro modo & ratione naturarū in illa perſona communicationem, ſine naturarū & proprietatum confuſione.* Imò totum hoc, vt quidem à te intelligitur, falſum, ineptum, impium commentum eſſe conſtat. Etſi enim propter hypoſtaticam vnionem verè tribuuntur toti perſonæ perſonalia, tamen & naturarum & proprietatum & quamuis vnius ἀποτελέσματος actionum diſtinctio tuæ iſti reali communicationi ex diametro repugnans, vbique inuiolabiliter ſeruanda eſt: neque ad eam rem alio teſte quàm teipſo opus eſt qui tamen naturas & proprietates in hypoſtatica vnione diſtinctas ſeruari rectè paulò antè docuiſti. Si hæc non intelligis, quinam tibi arrogas doctoris partes? *Sextò*, inquis, *conſtat communicationem idiomatum eſſe modum loquendi quo propoſitiones quidem in abſtracto reiiciantur, quibus quod vni naturæ proprium eſt, alteri ſecundum ſe tribuitur, perſonæ verò quæ vtrunque eſt, Deus & homo* (rectiùs dixiſſes, *perſonæ verò ab alterutra natura denominatæ*) *propria alterius naturæ tribuuntur in concreto propter perſonæ vnitatem.* Rectè id quidem, idcóque tam falſum & impium eſt dicere, caro Chriſti eſt reipſa ſimul ſiue omnibus ſiue multis locis præſens, (quod eſt vnius deitatis idioma) quàm dicere, Caro Chriſti eſt deitas: iſta verò tam eſt vera, Homo ille eſt omnipræſens, quàm & hæc eſt orthodoxa, Homo ille eſt Deus, propter vnitatem perſonæ. Sed audiamus quid ſubiicias, *Non eſt tamen*, inquis, *illa loquendi forma titulus ſine re.* Sanè. Quis enim neget Verbum verè aſſumpſiſſe carnem, ac proinde veriſsimè dici, Verbum eſt homo, Homo eſt Deus, Caro illa eſt caro Dei, Panis ille eſt viuificās, Filius hominis eſt Deus, Dominus, Redemptor noſter, & quæcunque huiuſmodi ſunt? Sed quā iſta peruertas ex iis quæ ſequuntur apparet. *Quidā*, inquis, *cōmenti ſunt formam loquendi ſine re, quos Sacramentarios vocamus.* Scilicet niſi abſtracto tribuatur quod concreto, id eſt niſi ipſa hypoſtaticæ vnionis definitio euertatur, ſicut à teipſo tradita eſt: & niſi quod perſonæ reipſa tribuitur, reipſa quoque de naturis abſtractis dicatur, tota vis hypoſtaticæ vnionis euaneſcet. Nec vos vnquam pudebit [illegible] ſtatuere, vóſque ipſos & totam religionem omnium ludibriis exponere? *Quæſitum eſt*, inquis, *an corpus phyſicum & finitum in Cœna, paſſim præſens diſtribueretur ac acciperetur.* Imò, Selneccere, non agis bona fide. Sic enim dicere te oportuit, Quæſitum eſt num corpus Chriſti phyſicum & finitum, ſit vbicunque celebratur Cœna, eo ipſo loco ſitum in quo celebratur: & ibi manibus corporeis ſumatur, & ore ipſo corporis eſſentialiter, corporaliter, manducetur. Hoc ſanè vt ſcelus, ipſo Auguſtino teſte, Cyclopicum inficiamur, nec tamen veram præſentiam, qualē videlicet ipſum Verbum & ſymbola fidelibus mentibus verè annuntiant, ac multò minùs veriſſimam totius Chriſti κοινωνίαν inficiamur. Vos autem quid? *Nos*, inquis, *docemus corpus & ſanguinem verè adeſſe & cum pane & vino diſtribui.* Adde quod ſubdolè prætermittis, eo ipſo loco vbi rite celebratur Cœna Domini, & manibus ſumi, & ore corporis comedi ac bibi. Adde etiam, ſi libet, in ventriculum traiici, & ibi vel concoqui, vel non concoqui, indéque tandem adeò vel excerni vel non excerni. Hæc enim, velis nolis, neceſſariò cohærent. nec vos vnquam iſtarum tum ineptiarum tum blaſphemiarum pudebit? Audiamus tamen duplex huius præſentiæ realis fundamentum. *Sic*, inquis, *docemus ratione veritatis, quod Chriſtus dixerit ſe dare & exhibere verum corpus & verum ſanguinem in Cœna.* Atqui, Selneccere, de præſentia diſſerendum priùs fuit. Sed nimirum vos qui tam magnificè ſentitis de Chriſti carne, non putatis illam poſſe in terris communicari, niſi eo ipſo loco adſit vbi illa communicatio ſancitur. At nos longè auguſtiùs & diuiniùs de hoc myſterio ſentire & loqui ex Dei verbo, & ſpiritualia ſpiritualibus adaptare didicimus. Deinde an ſic colligere te docuit D. Philippus, Datur verum corpus in Cœna, ergo datur corporaliter manibus &

bus & oris? *Sic etiam docemur*, inquis, *ratione omnipotentiæ Chriſti & quòd Chriſtus ὑπερφυῶς verè poſſit præſtare quod promiſit.* Sanè verò, quaſi non ſufficerent verba inſtitutionis Cœnæ Domini, fuit ad ſeſsionis ſubſidium ex qua iſtam omnipotentiam deriuatis recurrendum. At cur non potiùs cum Brentio ad ipſam vſque incarnationem regrederis? Iſtam verò non ἰδίας ſed ἐξαιρέτως communicationem cedò, Selneccere, in ipſa carne tanquam habitum in ſubiecto inhærere vis an non? Si vis inhærere, vbi proprietatum diſtinctio quam te priùs adſtruere audiuimus? & quis alius fuit alter Eutychetis error? Si non placet inhærere, ergo κατ' ἄλλο, ergo non in ſeſe, ergo non reipſa aderit Chriſti caro: &, teipſo indice, cauſa cadis. Nec te quicquam iuuat tuus iſte παραλογισμὸς, naturam humanam non ex ſe neque ex naturæ ſuæ conditione habere omnipotentiam & omniſcientiam, (cedò verò cur aſtutè rurſum Omnipræſentiæ vocem omittis?) ſed accepiſſe illam ab aſſumente natura. Nec enim ſiue ex ſe ſiue aliunde hoc habeat, ad rem pertinet, ſed quæritur an in ſeſe ſit aliorū particeps, ſiue an Verbum illam vim effuderit in aſſumptam carnem, vt ſimul reipſa multis locis adeſſe poſsit. Hoc doce, Selneccere, & viceris. Sin minùs, da gloriam Deo, & veritati acquieſce. Præterea quod eſt iſtius in ipſam carnem effuſæ omnipotentiæ infinitæ fundamentum? Nam vt ſæpius iam dixi, Apoſtolus de glorificatione carnis, ſiue de gloria in ipſam carnem in ſeſe conſideratam collata diſſerens, manifeſtè excipit deitatem, ac proinde ipſius idiomata. Poſtremò Chriſtū oſtende carnis ſuæ præſentiam iſtam realem & corporalem ante alterum ſuum aduentum promiſiſſe, id eſt contradicentia pollicitū: deinque contradicentia efficere, id eſt, mentiri poſſe (quod ne cogitari quidem ſine blaſphemia poteſt) & viceris. Sin minùs, falſum, ineptum, impium eſſe denique ſcito quicquid de iſta ne à teipſo quidem intellecta Chriſti omnipotentia effutis. Sed agè quomodo tamen iſtam tuam realitatem explices, audiamus. Poſtquam lepidis quibuſdam narratiunculis more tuo nos oblectaſti, tandem *realis eſt*, inquis, *iſta communicatio, id eſt, non inanis, aut imaginaria, modò non phyſica, aut ſchetica nominatur.* Quaſi verò, mi homo, quicquid naturis in ſeſe cōſideratis non tribuitur, ſit inane vel imaginarium. Denique, obſecro, quæ hæc eſt imprudentia, phyſicam dici nolle quam paulò antè naturalem vocaras? Hæc enim tua ſunt verba pag. huius tuæ apologiæ 12. *corpus Chriſti in Cœna verè exhiberi naturali participatione:* niſi fortaſſe vis ὑπερφυσικὴν eſſe ſeſsionem, cuius effectum ſit φυσικόν: ſiue φυσικῶς illud ipſum agere quod ὑπερφυσικῶς moueatur: aut ſurſum in illa latibula Omnipotentiæ refugias, homo profectò in iſta nec grammaticum, nec phyſicum, nec theologum te præſtans. Nec tamen ignoramus quàm inſcitè & Petri ipſius & Cyrilli ad iſtam naturalē μετοχὴν explicandam teſtimonia detorqueatis: ſed hoc tibi homini occupatiſsimo, tam multa planè ἀκαίρως profundenti, agè condonemus. Quódnam verò tandem eſt iſtud phyſicū quod alibi probas, alibi repudias, alibi tanquam nubeculam quandam offundis, vt & ipſe lateas, & alios te perſequentes effugias? *Realis*, inquis, *communicatio nequaquam eſt phyſica, ſed diuina.* Ergo, mi homo, tibi ipſa natura non eſt diuina? Dices fortaſſe rurſum me ſcurriliter ludere. At ego feriò prorſus ago, neque ignoro interdum quod Deus extra ordinem efficit, opponi τῷ φυσικῷ. Sed hoc quæſo vt paulò ſaltem planiùs explices, quoniam te video ſæpiſsime ne quid ipſe quidem dicas aut ſcribas ſatis intelligere. Nō phyſicum igitur apellare te opinor quod etſi à Domino Deo eſt, tamē ab eo efficitur extra communem naturæ ordinem, ideóque abs te ὑπερφυσικὸν nominatur. Sed hîc rurſus diſtinctione opus eſt. Nam iſtud ſiue ordine ſiue extra ordinē efficiatur, aut naturale propterea eſſe non deſinit, quoniam qualitas eſt naturæ ſubiecti conueniens, veluti donum linguarū quod impoſitione manuum adhibita conferebatur ab Apoſtolis: aut ipſam naturalem ſpeciei conditionē tranſcendit, veluti quū facta eſt vocalis aſina Balaami, etſi ὑπερφυσικῶς potiùs hoc in illa effectum videtur quàm vt animal ἄλογον repentè λογικὸν euaſerit. Quid ſi igitur de te conquerar, quòd iſta non diſtinxeris? quid ſi poſcam vt nunc ſaltem iſta diſtinguas? Nempe ſicut antea grammaticā diſputationem ſic nunc etiam philoſophicam eiurabis, quanuis non deſit qui te iſtic adiutādo deſideat. Sed bono animo eſto. Exulet certè à nobis iſta ἀκριβολογία. Sapiamus ex ſolo Dei verbo. Vis etiam igitur antiphyſicam vocari iſtam realem communicationem? Ergo ſi ἀντιφυσικὸν id vocas quo natura ipſa à ſe degenerans aliam formam, ac proinde aliud Eſſe induit, aut nihil vides, aut à te vides naturam Chriſti humanā ea forma exui quæ corpoream naturam eſſentialiter definit, circumſcriptione videlicet, vt diuinam, id eſt, τὸ ἄπειρον καὶ ἀπερίγραπτον induat. Quinam igitur tu tibi conſtabis? Vtrunque enim ſimul in eodem ſubiecto ponere non potes, quin ad illud noſtrum τὸ κατ' ἄλλο refugias. Hoc autem poſito, rurſum illa tua realitate excidis, quæ non niſi in ſubiecto inhærens conſiderari poteſt, etiam ſi millies inculcatis hanc maieſtatem eſſe ἐξαίρετον. Itaque non caro illa fuerit omnipræſens, ac proinde in Cœna ſub, vel in, vel cum pane realiter, ſubſtantialiter, corporaliter præſens, quæ ſunt vaniſsima hominum commenta: ſed homo ille aſſumptus ſeſe fidelibus (ſolo enim fidei inſtrumento apprehenditur) verè & efficaciter in Cœna & ſpiritualiter percipiendum ad vitam ſpiritualem & æternam præbuerit, ſicut verbum auribus denunciat, & ſymbola ipſis oculis, manibus, ori denique teſtantur. Audiamus verò aliam etiam quandam iſtius realitatis hyperphyſicæ explicationem. *Æterna*, inquis, *maieſtas & gloria nunquam fit proprietas innata vel congenita humanæ naturæ ſecundum ſeſe.* Magnum ſcilicet myſterium, æternum non eſſe quidpiā in ea natura quæ eſſe cœperit: & quorſū iſtud, mi homo, niſi vt te planè prodas tergiuerſari? Deinde fateris *hanc gloriā non fieri innatam ſiue ingenitam humanæ naturæ.* Sed quid hoc monſtri eſt, quis ſic loquitur, fieri aliquid innatū aut ingenitū? Vin' igitur natæ humanæ carni iſtud ſuperueniſſe à ſeſsionis momēto? repugnabunt Brentiani qui ab ipſo incarnationis momēto iſtā ſuā ſiue vbiquitaticā ſiue omnipræſētialē, ſiue vt nūc mauultis Multiuolipræſētialē maieſtatē auſpicātur. Imò etiā

tibi fugiendum ſic fuerit Neſtorianum præcipitium, quod alicubi præſenſiſti. At nos recta via incedamus. Ineffabiliter euectam eſſe carnem Chriſti ſupra omnes res creatas, non idiomatum communicatione vlla reali ſiue Eutychiana, ſiue, vt rectè D. Philippus vocat, phyſica (hæc enim omnia ſynonyma ſunt quibuſcunque pigmentis iſtam tuam verè [illegible] & Antichriſtianam chimærã adornes) ſed tum excellentiſſimæ dignitatis ac gloriæ donorum effuſione in ipſam carnem illorũ ſubiectum: tum verò præcipuè ob gratiæ vnionem, quæ illam ipſi Verbo non in ſeſe exæquat (vt vos ſomniatis) ſed planè vnit in eo ipſo in quo ſubſiſtit, qui negauerit, anathema ſit. Tuam autem iſtam multipræſentiam, & quæcunque illi ſuperſtruis, non modo vt vanum & futile, ſed etiam vt falſum & impium dogma, ac proinde Cyclopicum illum eſum tu ipſe, vt ſpero, deſtrues, ſi fortè tibi dederit Dominus vt iſtis nubeculis depulſis in ipſam veritatem per ſe planam, limpidam, perſpicuam intuearis, nec te puduerit à tenebrarum latibulis quantumuis obſtinatè & pertinaciter defenſis, ad lucem ipſam tranſire. Cætera tuæ iſtius defenſionis quum partim ab iſtis pendeant, partim ſeſe vltrò deſtruant, idcirco vt tibi parcam prætermitto, Deum precans ex animo vt tibi mentis oculos tandem aperiat. Vin' etiam aliquid clariùs audire? Quæ in Dreſdenſi conuentu ab hominibus alioqui mihi ignotis, ſed quantum conijcere licet, eruditis, piis, modeſtis, & γνησίοις D. Philippi diſcipulis, de duabus in Chriſto naturis, & earundem vnione, itémque de Chriſti aſcenſione & ſeſſione ad dexteram Patris perſcripta ſunt, vt verè, & orthodoxè ex verbo Dei deſumpta toto animo complector: contraria deteſtor. Si cum illis facis, non eſt quòd hac de re ampliùs diſceptemus. Sin minùs, quo longiùs ab illis, id eſt (hac quidem in re) ab ipſa veritate diſceſſeris, eò certè propiùs ad iuſtum Dei iudicium acceſſeris, qui tot offendiculorum auctores ac fautores, rabidos ac furioſos canes potiùs quàm Eccleſiarum paſtores tandem iudicabit.

Adiecisti appendicem de eiuſdem Dreſdenſis conuentus in Cœnæ Domini negotio confeſſione, nempe vt ſic nos etiam vreres. At ego rurſum tibi ſignifico, eo excepto, quòd illa Dreſdenſia tuis gloſſematibus inſcitiſsimè deformaſti, multa illic eſſe etiam de Cœnæ negotio quæ non improbem, quædam rurſus eſſe in quibus non acquieſcam, de quibus tamen ſi ea qua cœptum eſt, pietate & affectuum moderatione, non inter illos prorſus efferatos conuitiatores, ſed inter homines eruditos, pios, & Chriſtianam concordiam ex animo quærentes (quales illos eſſe qui Dreſdæ conuenerunt, ex re ipſa coniecturam facio, & coram Domino toti Germaniæ gratulor) Deus aliquando Chriſtianis Principibus Germanis auctoritatem ſuam interponentibus agere ea Dei verbo concedatur, ſperare me ac etiam confidere vt tandem dies ille bonis omnibus iucundiſsimus, iis autem luctuoſiſsimus quos res ipſa plus ſatis oſtendit nihil magis quàm Eccleſiarũ pacẽ reformidare, quo videlicet tum pateſiant ipſi, tum veritas emergat, tandem aliquando illuceſcat.

Accelerate nobis hunc diem, Illuſtriſsimi Germaniæ Principes, pro veſtra tum in Deum ipſum & omnes eius Eccleſias pietate, atque adeò pro veſtra de populis vobis cõmiſsis ſolicitudine. Vel tu potiùs, ceſſantibus etiam omnibus hominibus, Deus Opt. Max. humani generis miſertus, tuorum omnium precibus gemitibúſque aſsiduis largire, Amen.

AD NICOLAI SELNECCERI ΚΟΚΚΥΣΜΟΥ͂Σ APOLOGIA TERTIA.

***

SAT citò ſi ſat bene, inquit vetus prouerbium. At tu certè multò rectiùs feciſſes ſi vel oppugnandam veritatem nunquam ſuſcepiſſes, vel maturè pedem retuliſſes, nedum vt tarditatem in reſpondendo tuam excuſare te oportuerit. Quotum enim quenque eſſe putas exiſtimationis tuæ ſtudioſum, qui te tacere non multò malit quàm tuam iſtam amentiam magis ac magis declarare? Ad me quidem quod attinet, falleris ſi tantum mihi otii eſſe putas vt iſtis quæ ſponte ruunt euertendis operam aliquam mihi deinceps ponendã putem. Itaque hoc ſemel tibi nunc reſponſum habeto. Quereris de alterius apologiæ meæ virulentia & maledicentia. Id verò iure an iniuria facias, penes eos iudicium eſto qui mea cum tuis compararint. Expoſtulas etiam mecum quòd multa extra cauſam dixerim. putas enim quicquid in te dicitur extra cauſam dici, in quo etiam magnopere falleris, quod ex re ipſa meliùs intelligetur. Interpretationem meam paucorum iſtorum Lucæ verborum ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, Quem oportet cælo capi, tum vt falſam tum vt impiam reprehendiſti.

Ego verò vt illam & à falſitate & ab impietate vindicarem, quorum illud ad verba, iſtud ad ſententiam propriè mihi viſum eſt pertinere, cùm alia non pauca, tum etiam quæ hac de re VVitebergæ vnà cum aliis doctiſsimis viris & in ſchola diſputaſſes, & vel ſcriptis ipſe tradidiſſes, vel ab aliis ſcripta comprobaſſes in ſubſidium cauſæ aduocaui, vt quum tuo ipſius teſtimonio tua leuitas & inconſtantia, vel etiam à veritate defectio patefacta eſſet, reliquæ tuæ orationi fides prorſus omnis detraheretur. Hóccine verò eſt extra oleas vagari? At tu multa tuo more quaſi ἐνδοιάζων ac non potiùs μεμψιμοιρῶν Deum precatus, qui ſanè inter te & me iudex eſto, perinde mecum agis ac ſi in vitam moréſque tuos inquirere conſtituiſſem. Atqui de hac controuerſia nec quidquã ampliùs dixi. Cætera quid ad me? Cõciliare te igitur poſteriora tua cum prioribus oportuit, & iniuſtè collegas tuos de ſua defectione conqueſtos demonſtrare, quod quum ita facias vt magis ac magis teipſum redarguas, illis nempe notis aſperſus maneas oportet, quas ſola & vnica peccati agnitio coram Deo & hominibus obliterabit. Quid enim? quum ipſa vi veritatis adactus nunc tãdem fatearis Chriſti corpus in cælis eſſe ſecundum veri corporis modum, & negare non poſsis quod loci ſpatio circunſcribitur, eo ipſo loco capi ſiue contineri, an non meam interpretationem admittis? niſi fortè voculam iſtam CAPI duriorem eſſe putas quàm circunſcribi, cõtineri, detineri, κατέχεσθαι: quum tamen illis omnibus & veteres omnes orthodoxos, ipſúmq; adeò Heshuſium Concludendi voce vſos eſſe, prolatis teſtimoniis oſtenderim. *Sed*, inquis, *impiè & blaſphemè ſententiam illam interpretaris, quũ ex ea Chriſti corpus in Cœna reipſa quàm longiſſimè à nobis abeſſe colligis.* Ergo bone vir, nõ ipſam interpretationem, ſed eius duntaxat explicationem, vel potiùs quod inde elicio reprehenſum oportuit. neque alio rurſum teſte nobis quàm teipſo eſt opus, vt tua non modò temeritas in accuſando, verùm etiam in loquendo leuitas & inconſtantia, maxima denique in errore tuo defendendo ſtultitia deprehendatur. Quod autem defectionis crimen ſic refutas, quòd nullum in te ſcriptum academia VVitebergenſis ediderit, quàm etiam ineptè abs te dicitur? Ad quos enim quaſi conciliator veniſti poſt illius Catechiſmi editionem? Quomodo ab illis diſceſsiſti? Quam illi poſtea expoſtulationem ſcripſerunt? quibus purgatum te voluiſti appendice alteri defenſioni tuæ adiuncta? *aliis*, inquis, *nonnullis vt copioſè in ipſa apologia ſignificaui.* Ergo, vt video, habes, Dei gratia, etiam plures quàm putaram qui tua deliria minimè probent, quos etiam ſpero tua illa reſponſione mirificè in ſua ſententia confirmatos. Sed niſi tam animoſus eſſes, cum illis ſanè priùs quam cum iſtis tranſigendum fuit. Num enim, quæſo, à priuato quopiam, ac non potiùs academiæ nomine hæc in te dicta factáque ſunt? & illa grammatica pererudita diſceptatio quamuis ab illo quem nominas ſcripta ſit, num tamen exiſtimari poteſt inſciis & diſſentientibus collegis edita? Tuum autem eiuſmodi tandem perfugium eſt, venerari te academiã VVitebergenſem cuius tamen rectores perſequaris, lumináque præcipua extinguere tanta cõtentione ſis conatus? Sed hæc, inquies, nihil ad noſtram cauſam. Imò verò maximè ad cauſam faciunt, vt quæ tibi ſit in iſtis habenda fides omnes perſpiciant. Sed de his plus ſatis. Nec enim tuis antagoniſtis ſiue iure ſiue iniuria de te cõquerãtur, patrocinio meo eſt opus. nec ego, ita me bene Deus amet, is ſum qui diſsidiũ vllũ vel excitare vel excitatũ fouere inter fratres ſtudeã, paratus, paratus, inquã, Selneccere, quouis periculo, labore, damno, vitæque ipſius meæ diſpendio, pacem concordiámque in Eccleſia pro exiguis meis viribus, ſiue coràm, ſiue ſcriptis conciliare. Prætermitto quæ tu extra cauſam planè nugaris, veluti quod παρέργως, & tamen non ab re de puerilibus illis plurimis verſiculis dixerã quibus integras paginas infarcis, quorum tamen auctores facis D. Philippum & alios nonnullos. Quàm autem verè hoc reſpondeas neſcio. Hoc ſcio multa etiam maximis viris huiuſmodi interdũ excidere conſueuiſſe, quæ ſi qui temere poſtea in lucem edant, peſsimè illorum exiſtimationi conſulunt. Si tamen in his tantopere tibi places, vt ſimiles habeant labra lactucas, agè tu tibi delicias iſtas habeto.

Conqueſtus ſum inter cætera quòd confuſè & perturbatè reſpondeas, & optimo iure conqueſtum me fuiſſe neminem fore exiſtimo qui perlecta ſaltem altera iſta tua defenſione non vltrò fateatur. Exemplo ſint illa de perſona & aſcenſiona Chriſti, de quibus certiorem factum dicis Illuſtriſsimum principem Electorem. Nunquam enim illa in tot capita diuideres ſi diuiſionis methodum noſſes: nec tam ineptè quæ ſunt prorſus eadem, vt diuerſa recenſeres: nec toties eadem oberrans chorda idem moleſtiſsimè inculcares: quum præſertim poſtea ſummam eorum quæ à me oppugnari dicis, ſemel atque iterum verboſiſsimè repetas. Itaque quum ſatis ſit mihi tecum ineptiuiſſe dum te per auia diſcurrentem perſequerer, certum iter inire nunc conſtitui, ita tamen vt nullũ ex tuis argumentis, quamuis illa ſint iam millies à nobis & ab aliis ante me refutata, ſciens prudẽs prætermittam. Primùm igitur de illo loco Oportet Chriſtum capi, deinde de reipſa, id eſt de hypoſtatica vnione, de Chriſti aſcenſione & glorificatione, ac poſtremò de Cœna Domini diſceptabo.

Dixi τὸ δέχεσθαι nunquam dici niſi de eo quod ab alio tradatur recipiendum, & ſimul oſtendi eue hac ſignificatione commodè accipi illo Act.3. capitis loco non poſsit: ac proinde malè conuerti Accipiẽdi verbo quamuis & apud Latinos Accipere pro ab alio recipere, & apud Græcos λαμβάνειν pro δέχεσθαι paſsim ponatur. Quid tu verò? dicis ἀναλαμβάνειν & δέχεσθαι idem valere. At ego hoc ipſum tibi de ipſo ſimplici λαμβάνειν conceſsi: nedum vt hoc negem de compoſito quod propter adiunctam præpoſitionem idem prorſus declarat atque τὸ δέχεσθαι, vt vel ipſi pueri norunt. Neque eſt quod mihi obiicias illud ἄλλο τι καὶ ἄλλο τι, quum res non poſsint niſi ex verbis intelligi. Nego inquam, Græce quemquam dici δέχεσθαι niſi qui ab alio traditum accipiat: nec tu vnquam contrarium probaris. *Dicatur ergo*, inquies, *Chriſtus ſuſcepiſſe ſiue in ſe recepiſſe adminiſtrationem*

& domum tali datam à Patre, ſicut apud Plutarchum dicitur Fabius ἀναδέξας τὴν πόλιν. Sed quinam conueniet illud ἄχρι, id eſt vſque ad tempora reſtitutionis omnium, quum tunc maximè ſit illa dominatio pateſacienda? Itaque res ipſa oſtendit nō de dominationē ipſa, ſed de commoratione in cælis ſiue de ipſo dominationis throno illum Lucæ locum intelligi oportere: &, quod nunquam refutabis, nihil aliud ſignificare quàm quod ex Angelis Petrus intellexerat, & in quotidiana confeſsione profitemur, aſcendiſſe videlicet Dominum in cælos, & inde ad viuos & mortuos iudicādos ſiue ad mundi inſtaurationem venturum, ac proinde illic ad eum vſque diem permanſurum. Excipis tamen hanc ipſam particulam duobus locis poni, in quibus nō de ſolio dominationis, ſed de ipſa dominatione agatur, nempe Pſalm. 110, & 1. Corinth. cap. 15. Concedo vtrunque, & dico particulam ἄχρι vtrobique propria ſignificatione accipi, ita videlicet vt tunc non quidem regnare, ſed eo modo quo nunc regnat, deſiturus ſit Chriſtus regnare, vt qui tunc non ſit pugnaturus vti nunc facit contra hoſtium reliquias, ſed electis omnibus plenè ſeruatis, perdomitiſque hoſtibus cum Patre triumphaturus, ſicut Nanzianzenus concione de Filio ſecunda declarat, & apertius etiā Auguſtinus lib. primo De Trinitate capite 10. Quid ſi igitur, inquies, hoc ipſum dicat Petrus? Reſpondeo nouam, inuſitatam, peregrinam eſſe hanc loquendi formulam, qua dicatur Chriſtus cælū recipere pro Cælorum imperium in ſe recipere. Et verò vt in omnes formas te conuertas, cui tibi religio eſt ſimpliciſsimam expoſitionē, & Syriacam interpretationem, veterúmque adeò auctoritatem ſequuto, fateri rectè dici cælum capere Chriſtum, ſiue Chriſtum cælo capi, quem etiam cælo concludi tuus ille fraterculus Heshuſius ſcribere non vereatur? Sed illud qua tandem fronte dicis, ſcribere me τὸ δέξασθαι nihil aliud ſignificare quàm Certo ſpatio quidpiam comprehendere? vbi enim hoc à me dictum comperies, ſycophanta? Imò docui non niſi à conſequenti accipi pro χωρεῖν ſiue quidpiam quod ſit receptum, in ſeſe continere, quam ſignificationem minimè dixi eſſe vnicā vel perpetuam, ſed huic loco maximè tamen conſentaneam eſſe demonſtraui. De voce Kibbel qua vſus eſt Syriacus interpres, non aliter mecum agis. Quum enim dixiſſem itidem nunquam vſurpari niſi de eo quod aliunde ſit oblatum, tu contrà reſpondiſti de eo dici quod per manus ſit traditū ſiue alio modo apprehenſum, id quod negaui & adhuc pernego. Tu verò locum profers ex capite Eſtheris 4. vbi dicitur idem verbum de Mardochæo, qui veſtes ab illa miſſas recipere noluerit. Itaque, Selneccere, planè præuaricaris, vt qui hoc ipſum confirmes quod tibi ſubruendum fuit niſi veritati aſſentiri malles. *Imò, inquis, dixi vocem iſtam dici non tantùm de eo quod manu, ſed etiam quod alio modo ſit apprehenſum.* Egregiè verò, Selneccere, quaſi de apprehenſionis inſtrumento vllam prorſus mentionem vel tenuiſsimam fecerim, ac non potiùs illud dixerim quod dico. nec tu vnquam refutabis, nempe nec Hebraicam vocem Kibbel, nec Græcam δέξασθαι aliter vſurpari quàm de eius demum rei receptione quæ aliunde ſit oblata. Et de hoc quidem hactenus. Nunc ad ipſam huius loci ſententiam, ſiue ad id potiùs venio quod ex hoc loco vt neceſſariò conſequens elicimus, Chriſtū videlicet corpore nunc à nobis tā abeſſe quàm tūc cælo aberat quum in terris verſaretur. ex quo & illud efficitur falſiſsimum eſſe quod non minùs vanè quàm pertinaciter defenditis, carnem Chriſti videlicet reipſa eſſe in, vel ſub, vel cum pane Cœnæ Domini rite adminiſtratæ, & ore ipſo accipi. Fortaſsis enim vobis quoque non minùs quàm ſtolidiſsimis Tranſſubſtātiatoribus religio eſt panem illum vel frangere vel manibus accipiendum tradere. De hoc, inquam, videamus, quandoquidem tranſlato abs te controuerſiæ noſtræ ſtatu, eò delapſi ſumus. Sequar autē hunc ordinem, nequid tuo more ſæpius iterare cogar, vt priore loco illa de quibus conſentimus, poſteriore de quibus diſſentimus certis theſibus deſcribam, & ita quidem vt quæ falsò nobis attribuis minimè prætermittam. Deinde tua ſigillatim argumenta nuda & in ſuos ſyllogiſmos redacta recenſebo, & refellam. In his igitur conſentire nos video.

DE PERSONA CHRISTI.

Pag. 108. 1 Perſona Chriſti conſtat ex duabus naturis totis, nempe diuina æterni Filii Dei aſſumente, & humana ex ſubſtantia Virginis aſſumpta, idque per hypoſtaticam vnionem.

2 Hypoſtatica vnio, id eſt qua ex duabus illis naturis conſtituitur vnicum & ſingulare ὑφιστάμενον primum opponitur ſeparationi, qua fit vt totidem ſint perſonæ quot naturæ: tum confuſioni, qua vel ipſæ naturæ vel earum ἰδιώματα confunduntur.

Pag. 31. 3 Chriſtus homo etiam in gloria ſecundum naturales & eſſentiales proprietates eſt circūſcriptus &, phyſicè loquendo, in vno loco, ſecundum veri corporis modum.

Pag. 30. 4 Humana natura per hanc vnionem eſt ſupra omnes res creatas (ſolo Deo excepto) euecta, tum propter vnionis gratiam, tum propter inenarrabilia dona in ipſam effuſa.

5 Chriſti aſcenſio nihil prorſus detrahit illi poteſtati quam accepit ſecundum carnem in cælo & in terra.

6 Chriſtus ſuam carnem & ſuum ſanguinem communicat in ſua Cœna ſpiritualiter & cum fide accedentibus.

In his, inquam, conſentimus, vt nihil tibi de illorum probatione fuerit laborandum niſi conſueuiſſes omiſsis, de quibus controuertitur multa non neceſſaria inculcare. Hæc autem quæ ſubiiciā falſiſsimè nobis attribuis ſub Caluiniſmi nomine, cui quum te non pudet Lutheraniſmū opponere, quid tandem agis, bone vir? Certè communibus aduerſariis gratū facis, quibus te auctore deinceps licebit ſectarum nomina nobis exprobrare. Itaque planè dignus es quē illi ipſi quorū ambitioſis teſtimoniis teipſum ineptiſsimè commendas, penè conſpuant. Nam etiā ſi Lutherū vel Caluinum tibi concederem non tanquam Verbi diuini interpretes, ſed tanquam ipſum Paulū αὐτόπτην

Chriſti

Chriſti Apoſtolum audiendos,an propterea vox iſta audienda eſſet in Eccleſia,Ego ſum Lutheri, Ego ſum Caluini? Sed de iſtis vt ne de aliis quidem plurimis cogitare tibi tam negotioſo licuit. Ego verò neque Caluiniſmum neque Lutheraniſmum,ſed Chriſtianiſmum agnoſco,ad cuius normam ſtudeo cuiuſuis ac meũ quidẽ in primis ſpiritũ pro viribus mihi à Deo conceſsis exigere. Sed ad rem venio. Hæc,inquam,dico te falſiſsimè nobis tribuere. quorum ſigillatim falſitatem refellã.

1 *Humana natura nihil in Chriſto aſſumpſit, & nihil habet quod humanæ naturæ conditionem & proprietatem ſuperet. Humana natura Chriſti nihil accepit quod ſuperet conditionem & proprietatem humanam.* Pag.47. Pag.72.

Primùm admodũ impropriè & valde imperitè vteris Aſſumendi verbo,vt te omnino priùs magiſtrum quàm bonum diſcipulum in hoc argumento euaſiſſe appareat. Neque quum hæc dico, ἀντιλογῶ,ſed dico quod res eſt:ſiquidem Eccleſiam docuerunt hæretici,ruíque ſimiles neceſſarium eſſe tum verba penè ſingula tum loquendi formulas,non quidem ſuperſtitioſè, ſed diligenter obſeruare. Et ſanè niſi diſcrimen inter δέχεσθαι & λαμβάνειν neglexiſſes,non eſſes abuſus Aſſumendi verbo, pro Accipere ſiue Recipere. Nam vt te hoc quoque grammaticum, ſed ad id de quo agimus appoſitum doceam, Aſſumere ex Ad & Sumo componitur, eíque competit qui quodam iure ſuo ſibi aliunde quippiam ſumat. Itaque nõ dicimus diuinam naturam ab humana, ſed humanam à diuina aſſumptã:neque dici propriè poteſt res creata quicquam ab opifice Deo aſſumpſiſſe, ſed Recepiſſe vel Accepiſſe,quod ex Ab & Capio componitur. Deinde vt ad rem ipſam veniam, quo tãdem pudore hæc in nos ſcripſiſti? Num enim Verbum factum eſſe carnem negamus? Eſſe verò carnem Filii Dei,ſiue hypoſtaticè Filio Dei vnitum eſſe, quis tale tantúmque eſſe negarit quantũ nihil aliud exiſtit in rerum natura? Prætereaquum Spiritum ſuum Pater huic vni homini non ſit admenſus,vbi nos ita inſaniuiſſe comperies vt eum inficiemur hac etiam ratione ſecundum carnẽ vno Deo minorem eſſe? Hinc iſtæ quoque turpiſsimæ calumniæ.

2 *Omnipotentia & veritas Chriſti nihil quod phyſicas proprietates ſuperet, admittit. Corpus etiam vnigeniti Dei, excepto ſolo peccato nihil habet quod ſuperet naturam humanam. Hyperphyſica nulla admittitis. In carne Chriſti nihil eſt diuinitatis ſed omnia phyſica ſunt, & phyſicis regulis obnoxia.* Pag.69. Pag.70. Pag.71.

Si in prima illa theſi nomine Chriſti perſonam,& phyſicas humanæ naturæ proprietates intelligis,inſignis hæc eſt blaſphemia,à qua, Dei beneficio,immunes eſſe nos, quaſi videlicet ſentiamus Chriſto nullam potentiam maiorem tribuendam quàm quæ humanæ naturæ conueniat, id eſt quaſi Chriſti deitatem aut dona ineffabilia negemus, verè teſtamur. Sin verò Chriſti nomẽ ad naturam humanam aſſumptam reſtringis,reſpondeo rurſum calumnioſè vel prorſus imperitè ἀνθρώπινα quæ meritò negamus, cum ἰδιώμασι, quæ vltro ſicuti par eſt concedimus, abs te confundi.

3 *Dona ipſa tamen Chriſti à deitate aſſumente collata, non ſunt diuina ſed creata.*

Quid hoc verò rei eſt? Si diuina vocas dona quæ à Deo proficiſcuntur & eius præſtantiam teſtantur, qui fit vt creata opponas diuinis, quum de iis loquens Petrus, nos fieri dicat naturæ diuinæ participes? Sin verò diuina vocas quæ ſint deitatis propria, vt æternum, infinitum, omnipotẽtem eſſe, & ſimilia, tum ſanè verè loquutus fueris, ſed ambiguè, vt ſycophantæ ſolent. Pag.69.

4 *Chriſtus ſedet in cælo corpore circunſcriptus in certo loco, aliter vt Deus, aliter vt homo.* Pag.70.

Quid hoc rurſum eſt monſtri? Quis enim vnquam dixit Chriſtum eſſe vel ſedere corpore circũſcriptum duobus modis, vno vt Deum, altero vt hominem? quis, inquam, noſtrûm Deitati corpus vel circunſcriptionem vnquam attribuit? Deinde quis noſtrûm cum Neſtorio gloriam Chriſti diuiſit, etiam ſi tum in perſona tum in gloria quoque proprietates cuiuſque naturæ ſeruãdas aduerſus Eutychetem docemus? Chriſtum quoque ad dexteram Patris propriè euectum dici ſeruilis formæ reſpectu quis vnquam noſtrûm eſt inficiatus? Denique ſi priorem partem iſtius axiomatis negas, age teipſo reſte refellaris. Sic enim ſcribis pag. 47, *Chriſtum hominem dicimus, etiam in gloria, ſecundum naturales proprietates circunſcriptum, & phyſicè loquendo, in vno loco eſſe ſecundum veri corporis modum.*

5 *Mariam Chriſtum peperiſſe cruentum nixu naturali dicimus: & reſurrexiſſe corpore ſuo, non clauſo ſepulchro, ſed fortè per angelum aperto: & ingreſſum eſſe ad diſcipulos, ianuis clauſis, id eſt quum iam nox imminoret, quo tempore ianuæ claudi ſolent.* Pag.70.&71.

Hæc quoque etſi non penitus falsò, tamen calumnioſè nobis obiicis. Quoniam enim ad abolẽdam corporis glorificati veritatem iſtis exemplis abuti conſueuiſtis, nos contrà docemus prætetquàm quòd ex iis nihil eorum quæ vultis cõcluditur, poſſe etiam illa aliter quàm explicetis intelligi. Et ad Mariæ quidem partum quod attinet non ignoras magnorum hominum ipſiúſque adeò Hieronymi auctoritate niti quod nobis tribuis. Neque id ſanè quicquam integritati Mariæ derogat vt quæ nihilominus à viro integra permãſerit: quam etiam ſatis eſt ad ſalutem credere virginẽ Spiritus ſancti virtute grauidam peperiſſe. Quod enim de virginitate poſt partũ traditur, piè quidem & probabiliter creditur, ad ſalutis autem noſtræ myſterium non pertinet, neque ab Euangeliſtis narratur. Chriſtum autem clauſo monumento reſurrexiſſe non colligitur neceſſariò ex reſurrectionis hiſtoria, neque etiam à veteribus affirmatur. Tertium verò inficiari non potes varias admittere interpretationes. Quum autem hæc perinde nobis tribuis ac ſi ſemel reiectis aliis expoſitionibus iſtas vt ſimpliciter neceſſarias tueremur, nobis iniuriam facis.

6 *Inuocamus totum Chriſtum, ſed per communicationem idiomatum, ſeruatis vtriuſque naturæ proprietatibus.* Pag.72.

Ferre non potes vt tibi inſcitia obiiciatur. Quid eſt autem aſinum eſſe in rebus diuinis ſi hoc non eſt? Quinam enim fuerit Cõmunicatio proprietatum vbi totus Chriſtus nominatur? Ita-

quehne ſtultiſsimum delirium tibi totum relinquo. Vtriuſque verò naturæ ſeruari proprietates oportere,tu ipſe conſentis.

Pag.72. 7 *Diuinitas nihil communicauit realiter humanæ naturæ in Chriſto.*

Viden' tuas ineptiſsimas ταυτολογίας? De hoc autem paulò antè diximus, turpiſsimum eſſe hoc mendacium. Quis enim noſtrûm vnquam negauit hanc aſſumptam carnem euſque à deitate aſſumente prouectam vt non modò propter gratiam vnionis,ſed etiam propter collata in eam dona inenarrabiliter ſuprà res omnes creatas emineat? Sed agè tuo ipſius teſtimonio rurſum refellaris. Nam hunc quoque Caluiniſmum recenſes pagina 75,

Humanæ naturæ dona in Chriſto ſunt tantùm creata, quanta capere poteſt conditio humanæ naturæ, maiora tamen quàm aliarum creaturarum dona.

Mendacium eſt igitur dicere, quòd doceamus diuinam naturam nihil reipſa communicaſſe humanæ naturæ in Chriſto. Mutatam tamen fuiſſe in deitatem (quod neceſſario conſequeretur ſi idiomatibus naturæ diuinæ prædita eſſet) ſanè aduerſus tuum Eutychianiſmum manifeſtum pernegamus.

Pag.72. 8 *Nullum idioma communicatur. Nulla fit communicatio idiomatum.*

Pag.74. Deus te compeſcat,ſycophanta. Num enim tollit communicationem idiomatum, qui de vera ipſius definitione contendit? Quæ hæc igitur eſt vel teipſo teſte impudentia? Sic enim ſcribis,

Pag.109. *De duobus generibus communicationis idiomatum ſtatuo inter nos & te, Beza, conuenire.*

Ergo teipſo teſte mentiris,Selneccere, quum dicis nullum idioma ex noſtra ſententia communicari. Quamuis illud etiam falſo dicas,nos tibi aſſentiri in eo quod ſecundum genus communicationis ſtatuis, κοινωνίαν cum κοινωνίᾳ ἰδιωμάτων imperitè confundens,vt ſuo loco dicam.

Pag.72. 9 *Teſtimonia ſcripturæ quæ de glorificatione loquuntur,intelligenda ſunt de tota perſona Chriſti, non de humana natura aut carne Chriſti,& accipienda per communicationem idiomatum.* Deus bone, quæ hæc confidentia eſt? qui, teipſo teſte, fatentur dona in ipſam carnem Chriſti collata inenarrabiliter illam euehere ſupra omnia,ſolo illo excepto qui ei ſubiecit omnia,an nihil tribuunt ipſi carni in ſeſe conſiderata? Imò quis ignorat Chriſtum propriè dici glorificatum ſecundum carnem, cuius demum reſpectu dicendus eſt nomen quod eſt ſupra omne nomen accepiſſe?

Pag.73. 10 *Dicitur Chriſto reddita omnis poteſtas,quia antea Verbo quieſcente in ſtatu humiliationis,eius poteſtas diuina ſeſe non exeruerat.*

Et hoc cuiuſmodi tandem eſt mendacium? Sic enim in Matthæum Caluinus, *Meminerimus quod Chriſtus iure ſuo ſemper apud Patrem habuit, hoc illi datum eſſe in carne noſtra, vel,vt clarius loquar,in perſona mediatoris. Non enim æternam potentiam iactat qua præditus fuit ante conditum mundum, ſed quam nunc accepit dum ordinatus fuit mundi iudex. Imò notandum eſt imperium hoc non fuiſſe liquidò cognitum donec à mortuis reſurrexit, quia tunc demum ſummi regis inſignibus ornatus in ſublime prodijt.* Hæc ille,duo declarans,nempe hanc poteſtatem datam dici Chriſto non deitatis ſed carnis reſpectu,ſiue quatenus aſſumpta carne factus eſt noſter mediator:& hanc poteſtatem tum demum ſeſe exeruiſſe quum depoſita infirmitate reſurrexit. An non tu igitur manifeſtus ſycophanta, Selneccere?

Pag.77. 11 *Qualis Adam fuit ante lapſum,talis eſt Chriſtus in natura ſua humana.*

Scilicet poſteriorem Adamum in quo plenitudo deitatis habitat σωματικῶς,& qui nomen accepit quod eſt ſupra omne nomen negamus à priore Adamo duntaxat ad imaginem Dei condito nihil differre. Saltem verò,Selneccere,pudoris aliquid in mentiendo retineres.

Pag.81. 12 *Chriſtus in Cœna diſtribuit corpus ſuum,non verum ſed τροπικὸν τροπικῶς, ἢ νοητὸν, imaginatiuum & metaphoricum ſpiritualiter.*

Os impudens,quando mentiendi finem facies? Nos verò quoties planè,disertè,perſpicuè ad rauim vſque clamauimus,quod & ipſo nunc Deo teſte & Angelis ipſius, totáque Chriſtiana Eccleſia,vociferari non deſinimus, etſi corporis & ſanguinis nomina non niſi μετωνυμικῶς pani & vino tribuuntur,& Chriſti caro non alibi nunc eſt quàm in cælis,tamen illud ipſum corpus tradnū pro nobis, & illum ipſum pro nobis effuſum ſanguinem, verè nobis per fidem ſpiritualiter in Cœna Domini communicari?

Pag.83. 13 *Qui dicit verbis Chriſti ſimpliciter credendū,eſt Capernaita Thyeſtes,Creophagus,Deiuorus,&c.*

Scilicet,bone vir,qui dicit de verborum Chriſti ſenſu conſtare in primis oportere,idque ex fidei analogia,ne fortè propter falſam aut etiam impiam interpretationem mendacium pro veritate amplectamur,negat Chriſti verbis credendum. Chriſtianos autem futuros illis nominibus dignos ſi vera eſſet illa falſa,& flagitioſa veſtra oralis manducatio,ſanè dixi & dico.

Ibidem. 14 *Simplicitas noſtra non debet eſſe rationi contraria,& verbum Dei datum nobis eſt vt noſtra ratione illud perſitemus & examinemus.*

Sic imperito vulgo imponere vos improbi non veritatis ſed mendaciorum concionatores,& quidem contra conſcientiam conſueuiſtis. Sed veniet tandem Dominus qui inter vos & nos iudicabit. Si vſque adeò putas rationi noſtræ repugnare quicquid de Deo credimus, cur idololatras conuincit Apoſtolus ex aſpectabili mundi contemplatione? cur phyſica & logica ex Chriſtianorū ſcholis non extruduntur? cur Iohannes initio catholicæ ſuæ epiſtolæ, viſum,auditum, tactum aduocat exhibiti in carne verbi teſtes? Hoc verò qui facit,num propterea Verbū Dei ex ratione metiri docet? Et quod ad Domini Cœnā attinet, vtrorum opinio abſurdior eſt humanæ rationi? veſtráne qui non putatis fieri nos poſſe carnis Chriſti participes niſi ore ipſo præſens percipiatur,an noſtra,qui Chriſtū licet à noſtris corporibus tam remotū quàm cæli ſunt à terra, veriſsimè tamen & effi-

& efficaciſsimè nos ſibi coniungere ſpiritnali modo per fidem credimus, quia tum verbo tum adiunctis verbo ſigillis hoc promiſit Chriſtus?

15 *Particula I N, S V B, C V M, reijciendæ ſunt. In, incluſionem. Sub, compreſſionem: Cum, conſubſtantiationem ſignificant.* Pag.24.

Ne hoc quidem abſque calumnia dicitis. Nec enim veteres particulis vſos fuiſſe ignoramus vt ſacramentalem coniunctionem minimè vanam declararent. Illas tamen veſtra ſententia acceptas qui ſacramentali coniunctione non contenti corporalem etiam præſentiam cum Papiſtis defenditis, planè, fateor, repudiamus.

16 *Indigni nihil niſi panem & vinum accipiunt, & rei fiunt corporis Chriſti, quia reſpuunt oblatum vſum ſpiritualem & beneficia Chriſti.* Pag.25.

Imò non ignoras indignorum non vnum genus à nobis conſtitui, quod ſaltem ex D. Ebero cognitum diſsimulare non debuiſti. Deinde calumnioſè dicis à nobis doceri indignos nihil ſumere niſi panem & vinum. Nos enim ſatis noſti panem illum & vinum illud, id eſt Sacramenta, à pane & vino communi diſcernere: nec ignorare potes quid de ſacramentali mutatione ex Dei verbo doceamus. Sed & in parte poſtrema illius theſis menda deprehenderis. Nec enim propter contemptum vſum ſpiritualem, ſed propter ipſum corpus Domini ſpretum & ſanguinem neglectum, ac per incredulitatem repudiatum dicimus illos fieri corporis & ſanguinis Domini reos.

17 *Non ſumus ſubſtantiæ corporis Chriſti participes in Cœna quia corpus nō adeſt, ſed accipimus virtutem, operationem, efficaciam ſiue beneficia abſentis Chriſti per fidem.* Pag.26.

Imò veſtrum eſt iſtud argumentum, Si Corpus non adeſt, ergo non ſumitur. At nos ſic colligimus. Corpus quidem in terris corporibus noſtris non adeſt, ideo manu nec ore accipitur: ſed fidei verè adeſt, ideo fide verè percipitur.

Deinde, etſi nonnulli ex noſtris refugiant Subſtantiæ nomen, idque non immeritò quoniam vos eo abuti ad illam falſam præſentiam corporis in terris, & manducationem oris conſueuiſtis: tamen Caluinum & Gallicas Eccleſias per omnia tum in Cœna tum in tota cōfeſsione Chriſtianæ fidei cum illis penitus conſentientes, non ignoras, vt iſti veſtræ calumniæ occurrerent, illud non refugiſſe. Nec enim dixit Chriſtus, Hic eſt fructus paſsionis meæ: ſed, Hoc eſt corpus meum, &, Hoc eſt ſanguis meus. Et Paulus dixit hunc panem eſſe communicationem corporis Domini, & hoc poculum communicationem ſanguinis Domini. Tota denique Scriptura clamat oportere nos cum ipſomet Chriſto vniri, vt vitam ex ipſo hauriamus, ſicut cibum corporalem priùs comedi oportet quam ipſo alamur. Verùm hoc adiicimus ſpiritualem ac myſticam prorſus eſſe illam vnitionem, nec eò ſpectare vt ſubſtantiæ inter ſe appropinquent, aut cohæreant, aut copulentur, nedū vt Chriſti caro in corpora noſtra vel animas traiiciatur (quorſum enim hæc portenta?) ſed huc duntaxat vt ſpiritualiter & myſticè ipſi adiuncti, & eius Spiritu acti in ipſo viuamus & ipſe in nobis. Itaque in hoc rurſum putidè mentiris.

18 *Huius doctrinæ fundamenta ſunt, regula phyſica, abſurditas doctrinæ de naturali participatione corporis & ſanguinis & articulus de aſcenſione Chriſti in cælos.* Pag.27.

Imò hæc ſunt veritatis quam tuemur fundamenta,

1 Teſtimonia verbi Dei de veritate & abſentia veri corporis Chriſti, inenarrabili quidem gloria ſupra res omnes conditas ornati, ſed cui tamen neque corpoream ſubſtantiam neque eſſentiales proprietates ademit, ſed omni infirmitati exemit gloria.

2 Quòd mentiri, ac proinde contradicentia velle Deus non poſsit.

3 Sacramentorum natura & finis.

4 Analogia fidei.

Vide igitur (ſi potes) qua conſcientia in transformandis noſtris vtaris, vt te coram Deo & hominibus tot mendaciorum tandem aliquando pudeat. Sed & iſtud quo tandem iudicio ſcripſiſti? Nihil frequentiùs inculcas ac præſertim pag. 158, & 168, quàm tuam hyperphyſicam præſentiam, cuius modus ſit imperſcrutabilis. Cur tu igitur participationem, cuius etiam myſterium ineffabilius eſt, naturalem vocas?

19 *Neſtoriani habuerunt eadem fundamenta quibus hodie nituntur Sacramentarij.* Pag.116.

Simus ſanè Sacramentarii, vt qui verè quid de Sacramentis ſentiendum ſit ex verbo Dei doceamus. Iſta verò voce quid mendacius dici potuit? Num enim perſonam diuidunt qui naturarū proprietates ἀσυγχύτως diſtinguunt: & humanæ naturæ omnia deitatis idiomata κατ' ἄλλο, non κατ' ἄλλον attribuunt?

20 *Chriſtum ſtatuunt Caluiniſtæ (quos vocas) vno in loco Deum & hominem, alibi tantummodo Deum. In cælis cælorum Deum apud Patrem & Spiritum ſanctum, in aliquo autem cæli certo loco hominem ſeparatum à ſede maieſtatis Dei, item nobis præſentem Deum, à nobis abſentem hominem.* Pag.132.

Hic verò demùm teipſum totū prodis. Sed nunquámne inter abſtractum & concretū diſtingues? Si tibi natura humana idem eſt atque homo, & deitas atque Deus, cur iſtam propoſitionem mecum admittis. Deus eſt homo, iſtam verò mecum damnas, Deitas eſt humanitas? Quæ tua hæc igitur amentia & quis ſtupor eſt, arbitrari eum qui dicat, Humanam Chriſti naturam à nobis qui in terris ſumus abeſſe in cælos ſublatam, hoc quoque ſentire, hominem Chriſtum à nobis abeſſe? Quòd ſi ſeparat naturas quiſquis vbicūque eſt vna negat eſſe alteram, dic quæſo, bone vir, audebiſne negare fuiſſe ſeparatas quum caro quidem exanimis eſſet tantùm in ſepulchro, anima extrà corpus, Deitas verò vbique? Sed hoc abſit, & tu potiùs qualis es agnoſcito. Res autem ita ſe habet. Hominem hypoſtaticè ſemel vnitum Verbo aſſumenti abſit vt diuidamus. Itaque quatenus

Chriſtus vt vnica perſona ſiue vt totum quiddam non ſecundum naturarum diſtinctionem conſi-
deratur totum ſanè vbique eſſe qui negat, Deum eſſe negat.

Sin verò diſtinctè & ſigillatim naturæ conſiderantur, vti facieudum eſt quoties de naturarum quanuis vnitis tamen inconfuſis proprietatibus agitur, tum ſanè, in cælis quidem Chriſtum & vt totum ac vuum quiddam conſideratum, & ſigillatim ſecundum vtranque naturam eſſe ex Dei verbo didicimus & credimus, in terris autem duntaxat vt totum, ſigillatim verò ſecundum Deitatem duntaxat: minimè tamen propterea diuiſo Chriſto ſiue ſeparatis ipſius naturis, niſi fortè radium ſolis ideo exiſtimas à ſolis corpore ſeparari, quòd eius radius terras contingat, ipſum autem ſolis corpus è cælis non diſcedat, aut quia non ſit caput vbi ſunt pedes idcirco caput & pedes ad vnum corpus conſtituendum non cohærent. En Selnecceri in damnandis alienis conſcientiam, in ſuis confirmandis ſcientiam.

Pag.157. 21 *Quæſtio eſt in noſtris Eccleſiis quid in Cæna Dominica exhibeatur & accipiatur.*

Controuerſiæ ſtatum, Selneccere, ſeu malitioſè ſeu per inſcitiam peruertis. Conuenit enim dari externis quidem ſenſibus non vulgarem panem nec commune vinum, ſed corporis & ſanguinis Domini Sacramenta, menti verò & fidei corpus illud traditum & illum ſanguinem fuſum pro nobis. In eo igitur diſſidemus, quòd & Sacramenta & rem ipſam ſignificatā docetis exteriùs præberi, vnde nihil quidem accedit Sacramentis aut eorum vtilitati (quid enim amplius poteſtis ponere in his myſteriis quàm ſigna & rem ſignificatam?) ſed illa plurima de quibus tam ſæpe diximus, analogiæ fidei ac Sacramentorum fini ex diametro repugnantia conſequuntur, Nempe Corpus Chriſti eſſe ſimul circunſcriptum & non circunſcriptum, ſiue corpus & non corpus: abeſſe & adeſſe ſimul: tum à fidelibus tum ab infidelibus reipſa accipi, ori & dentibus ingeri quod ſpirituali vitæ deſtinatum eſt: vnum & idem corpus aſcendiſſe in cælos reipſa, & permanſiſſe reipſa in terris: denique vt ſemel dicam, infinita innumerabiliáque ἀσύστατα.

Pag.160. 22 *Chriſtum mendacij turpiter accuſat Beza.*

Imò fœdiſſimè mētitur erroris ſpiritus. Chriſtus enim eſt Bezæ ipſiſſima veritas, ideóq; credēs Beza Chriſtum non eſſe mēdacem, vt blaſphemam repudiat eam verborum Chriſti interpretationem quæ veritatem corporis ipſius, analogiam fidei, & Sacramentorum finem euertens contradictoria tribuit Chriſto.

Pag.178. 23 *Volunt Chriſtum tantùm ſpirituali agglutinatione nobis coniungi.*

Si ſpiritualem vocares eam coniunctionem cuius modus ſit ſpiritualis per fidem, agnoſcerem ita nos ſentire, idque ex Dei verbo. Sed quum Spiritualem intelligas qua ſolus Spiritus Chriſti nobis communicatur, nobis iniuriam facis. Nec enim Spiritum Chriſti, id eſt, ἐνέργειαν & vim viuificā, ab ipſo ſubiecto vnde emanat, id eſt ab ipſomet Chriſto vero Deo & homine ſeparamus. Imò in cauſarū ordine ſtatuimus priore loco ipſiuſmet κοινωνίαν, poſteriore vero iſtius κοινωνίας effecta. Sed hoc viciſſim verum eſt, nos omnem iſtam ſubſtantiæ ſeu perſonæ Chriſti cum noſtra cohærentiam & contactum corporum, de quibus tam pertinaciter contenditis, vt falſiſſimum & ineptiſſimum commentum repudiare.

Et de tuis quidem tum calumniis tum mendaciis in nos coniectis hactenus dictum eſto. Nunc ad ea venio de quibus inter nos controuertitur.

SELNECCERVS.

Pag.109.110. 113.124. 1 *Triplex eſt communicatio ἰδιωμάτων. Vna quum proprietas vni naturæ conueniens, tribuitur perſonæ in concreto, vt quum dicitur, Deus eſt conceptus, natus, paſſus, crucifixus, mortuus.*

BEZA.

Vnica eſt κοινωνία ἰδιωμάτων, id eſt illud tropi genus, quo proprietas vni naturæ conueniens, ſiue diuinæ, (vt æternum, infinitum, omnipotentem eſſe, & ſimilia) ſiue humanæ, vel eſſentialis, (vt ex nihilo factum, finitum, infra alterum eſſe) vel accidentalis (vt παθητὸν εἶναι, & alia id genus) tribuuntur perſonæ Chriſti à diuerſa natura denominatæ in concreto, vt quum dicimus, Deus (Filius videlicet) eſt conceptus ex Spiritu ſancto, natus, paſſus, mortuus, ſepultus, & aliud tale quippiā Deo, id eſt Chriſto à Deitate ſic nominato tribuitur. Item vt ſi dicamus, Filius hic hominis eſt æternus, infinitus, omnipotens, adorabilis.

Illa igitur Selnecceri deſcriptio manca eſt, quanuis, vt opinor, de reipſa idem atque nos ſentiat.

SELNECCERVS.

Ibidem. 2 *Altera eſt communicatio ἰδιωμάτων quam Cyrillus κοινοποίησιν vocat, quæ pertinet ad perſonæ officia, vt quum dicimus, Chriſtus eſt Seruator, Redemptor, Mediator, Emanuel, & cætera id genus.*

BEZA.

Ineptè & abſque vlla vel ratione vel eruditæ vetuſtatis authoritate κοινοποίησιν pertinere ad actionum θεανδρικῶν ἀποτελέσματα, refertur ad κοινωνίας ἰδιωμάτων, quum hæc duo ſint prorſus diuerſa. Nam ἰδιώματα reſpiciunt naturas, & quanuis vna natura non agat ſeparatim abſque altera ne diuidatur perſona, vnaquæque tamen ſigillatim ac diſtinctè ſecundum ſuam proprietatem ad perſonale ἀποτέλεσμα concurrit, ac proinde ne iſta idiomatum diſtinctione ſcinderetur perſonæ vnitas, vſus eſt

Spiritus

Spiritus ſanctus ea loquendi formula quam κοινωνίαν ἰδιωμάτων vocant, vt quum Dominus gloriæ crucifixus vocatur, & homo loquens cum Nicodemo in cælo eſſe dicitur. At ἀποτελέσματα non ſingulas diſtinctè naturas, ſed commune vtriuſque naturæ ἐνέργημα & perſonalia ſpectat, vt quũ Chriſtus Dominus, Mediator, Seruator, Redemptor, vocatur.

SELNECCERVS.

Tertium genus Communicationis idiomatum illud eſt, de quo contendimus, quo humana natura in Chriſto præter & vltra naturales ſeu phyſicas proprietates accepit & habet in ſeſe (non per ſeſe aut ex ſeſe, non in abſtracto ſeorſim, non extra Chriſtum ſed in Chriſto) prærogatiuas infinitas, omnem videlicet poteſtatem, id eſt diuinam planè & æternam (ſibi datam à Chriſto & in Chriſto) potentiam ſine vlla limitatione, vt omnia poſſit quæ vult, ac proinde poſſit eſſe vbique, & ſit iſta humana natura reipſa in ſeipſa præſens vbicunque vult eſſe. Pag. 120, & 124. Pag. 117. Pag. 111, & 133.

BEZA.

Hoc vno excepto quod veriſſimum eſt, humanam naturam videlicet Verbo vnitam, collatis in ipſam donis inenarrabilibus eſſe ſupra res omnes creatas euectam, quæ dona libenter cócedo vocari poſſe hyperphyſica, quia nimirum communem reliquarum omnium creaturarum naturarum captum incomprehenſibiliter ſuperant, cætera falſiſſimè & imperitiſſimè hîc traduntur: quæ mihi viſum eſt ordine diſponere.

Idiomata ipſa eſſentialia naturarum, id eſt ea quæ omnem ſolámque naturam quampiam à reliquis diſcernunt, alteri naturæ communicari, tam falsò dicũtur quàm vnam naturam eſſe alteram, eſtque merus hic Eutychiſmus.

Humanæ naturæ dicere aliquid datum à Chriſto, eſt merus ac manifeſtus Neſtorianiſmus.

Æternum aliquid & θεῖον vlli creatæ naturæ tribuere in ſeipſa, eſt impuriſſima & impiiſſima blaſphemia.

Κατ᾽ ἄλλο interpretari Aliunde ſiue ex alio, eſt craſſiſſima inſcitia.

Humanam naturam, quamuis Deitati Filij hypoſtaticè vnitam, dicere aliquid velle nedum poſſe quod vni Deitati ſit proprium, cuiuſmodi eſt, Eſſe vbique, ſiue Simul eſſe pluribus locis, ſiue Eſſe alicubi nec tamen vt in loco, ſiue eſſe θεϊκῶς omnipotentem, horrenda eſt blaſphemia, vt ſi quis dicat creaturam velle aut poſſe fieri ſimilem altiſſimo.

Humanam naturam dicere aliter conſiderari poſſe quàm in abſtracto & abſtractum à concreto non diſtinguere, craſſiſſima eſt ignorantia.

Communicationem vllam idiomatum ſtatuere in naturis ipſis & tamẽ fateri naturas ſua idiomata inuiolata retinere, eſt ἀσύστατον, & fœdiſſima inſcitia. Pag. 116, & 117.

Hæc noſtra an verò potiùs illa Selnecceri vera ſint néc ne, ex ipſius argumentis agè diſpiciamus.

SELNECCERVS.

4 *Chriſtus quatenus homo eſt, omnem poteſtatem accepit in cælo & in terra.*
Ergo etiam in natura ſua humana eſt omnipotens.

BEZA.

Chriſtum hominem qua ratione Deus eſt etiam omnipotentem eſſe concedo: quatenus autem homo eſt, dico ſerui forma quamuis Verbo vnita præditum, & ſeipſum minorem eſſe, quamuis ſit reliquis rebus creatis ſuperior. Humanam autem naturam in ſeipſa facere omnipotentem, non modò falſum ſed etiam impium eſſe reſpondeo: quod in libello Heſhuſij accuratè ex Cyrillo præſertim pertractatur. Cohærent enim illa inſeparabiliter, Deum eſſe natura, & Omnipotentem eſſe, ex quo cõſequitur nec humanæ nec alij vlli naturæ in ſeipſa cõſideratæ magis id tribui quàm ipſammet Deitatem poſſe.

Deinde nego conſequutionem. Excipitur enim Deus qui ſubiecit aſſumptæ carni omnia. Omnipotens autem eſt ſola illa natura quæ nihil habet æquale nedũ ſuperius. Illa verò exceptio quòd omnipotens ſit Deitas ex ſeſe, caro verò aliunde, falſa & ridicula eſt, vt declarat Cyrillus lib. in Ioh. 2, cap. 142, vbi hac ipſa de re diſſerit.

SELNECCERVS.

5 *Adoratur vnica λατρείᾳ, Chriſtus non tantùm vt Deus verùm etiam vt homo. Ergo diuina potentia & maieſtate prædita eſt caro Chriſti.* Pag. 134.

BEZA.

Adoratur quidem homo ille, vt qui ſit etiam Deus: non igitur vt homo in ſeipſo, ſed κατ᾽ ἄλλο, id eſt Verbi reſpectu cui vnitus eſt. Sicut ciuiliter adorari dicitur corona regis, ea ipſa adoratione ciuili quæ regi coronato tribuitur, quamuis adoratio in coronam vel ſceptrum non feratur. Nec enim ignoras Patres tum Græcos tum Latinos hac ſimilitudine in hoc ipſo argumento vſos eſſe, quamuis alioqui magna ſit inter hypoſtaticam vnionem & coronæ geſtationem differentia. Sed audiamus Cyrillum, lib. in Ioh. 2, cap. 92. in illa Chriſti verba, Nos adoramus quod ſcimus. *Adorantibus ſe connumerat, qui cum Patre & Spiritu ſancto tam ab Angelis quàm à nobis adoratur. Quum enim ſerui formam aſſumpſerit, ſeruo conueniens miniſterium ſuſcepit.* Et mox, *Conuenit maximè hominibus tanquam debitam Deo adorationem offerre. Adorat igitur etiam Chriſtus vt homo, poſtquam factus eſt*

homo, adoratur autem ſemper cum Patre & Spiritu, quoniam Deus verus ſecundùm naturam eſt. Idem lib. Theſ. 2, cap. 1, *Chriſtus modò vt homo, modò vt Deus meritò loquutur. Vos, inquit, adoratis quod neſcitis, nos autem adoramus quod ſcimus. vt homo loquitur. Non enim ex adorantibus eſt λόγος, ſed cum Patre & Spiritu ſancto adoratur. Adorent, inquit, ipſum omnes angeli Dei. Nemo autem ignorat* N V L L I *P R O R S V S N A T V R Æ præterquam Dei adorationem à ſcriptura tribui. Scriptum eſt enim Dominum Deum tuum adorabis, eique ſoli ſeruies. Itaque Filius quanuis verè adorabilis ſit (Deus enim eſt natura) tamen vt homo adorat.* Viden', Selneccere, euadere te non poſſe horrendæ idololatriæ crimen, ſi Carnem illam in ſeipſa, quantumuis ſeorſim eam non conſideres nec extra λόγον, omnipo- Pag. 119. tentem & adorandam dicere pergeres? Propterea ex te non inſidioſè vt tu dicis, ſed ingenue & appoſitè quæſiui num iſtam gloriam quam vis creatam non eſſe, velles eſſe aliquid in ſubiecto inhærens. Tu verò reſponſo deſtitutus, ad incognitum modum refugiſti, ſed alibi apertè aliquot lo- Pag. 116. 117, 127. 131, 134. 135. cis ſcripſiſti humanam naturam in ſeſe habere ea reali effuſione gloriam & maieſtatem Dei, non tantùm vt creata dona, ſed diuinam planè ac ipſius Dei. Reſponde igitur, Selneccere. Diuina iſta gloria quam non vis eſſe creatam, eſſentialis ſit oportet. Si eſſentialis eſt, eáque quanuis non extra Chriſtum, tamen in ſeipſo præditus eſt homo iſte aſſumptus, an non vides neceſſariò vel mutationem humanitatis in Deitatē, vel iſta falſiſſima, impia & prorſus ἄτοπα conſequi, nempe Deitatē non eſſe cui tamē ipſa eſſentialis & naturalis potentia Dei inſit? creaturam adorabilē eſſe in ſeipſa? vnam eandémque carnem eſſe & ſuis & Deitatis eſſentialibus proprietatibus in ſeipſa præditam? Itaque iam olim meritò hanc ipſius gloriæ diuinæ realem effuſionem in carnem aſſumptam dete- Cyr. lib. in Ioh. 2. cap. 241. ſtans Cyrillus, *Nihil*, inquit, *firmum ac ſtabile, nihil perpetuum Deo attribuetur, ſi creatura quoque ſubſtantialiter & per naturam ea ſuſcipere poterit quæ in Deo ſubſtantialiter ſunt. Et quis nō perhorreſcet tantam veritatis dogmatum perturbationem audiens? Omnia enim ſurſum ac deorſum euertuntur: Deitatis natura ad creaturam deducitur: & creaturarum ſubſtantia per inſaniam ad ſupremæ naturæ locum ſcandere creditur.* Ne quid enim ad tuam blaſphemiam deeſſet, non contentus idiomata eſſentialia Deitatis in ipſam carnem transfundere, quanuis alicubi affirmes & quidem rectè, nulli mutationi neque perpeſſioni obnoxiam eſſe Deitatē, tamen veſtigia quorundam ſequutus vt facere tui ſimiles con- Pag. 123. ſueuerunt, in hæc etiam verba auſus es erumpere. *In his*, inquis, *formulis Deū eſſe natū, paſſum, quanuis proprietates ſimpliciter retinentur, tamen natura diuina non eſt otioſa, ſed ita ſuo modo affecta vt omnia quæ ſua aſſumpta carni accidunt, ſibi accidere ſtatuat, quæ de re perfectè in vita æterna loquēdum erit.* Nec te pudet iſtorum, mi homo? Otioſam fuiſſe patiente carne Deitatem quæ ne mortuam quidem illam deſeruit, quis vnquam docuit? Quod enim de requieſcente Verbo dicitur, hactenus intelligi conſtat vt iudicij diuini rigorem ſeueriſſimum caro ſentiret, non autē vt ab ipſa ſepararetur. λόγος enim is eſt qui mortem in ipſa moriente carne vicit, qui ſepultam eandem à corruptione aſſeruit, qui mortuam excitauit, nedum vt vel otioſa fuerit vel vnio naturarum dirépta fuerit. Vllo autem modo affici poſſe Deitatem & tuum illud S V O M O D O in qua tandem, niſi Eutychianorum ſiue Brentianorum ſchola edoctus es? Voculam nimirum illam ex Cyrillo, non à te, opinor, qui ſanè ſcriptorem illum vix vnquam videris ſeriò inſpexiſſe, ſed à noſtris aduerſus Vbiquitarios obſeruatam arripuiſti, quòd deitas ſua ducat quæ ſunt carnis ipſius propria, ſed quid hoc te iuuat? Neque enim hoc declarat vllam prorſus affectionem cui ne ſuo quidem vllo modo obnoxia eſt Deitas, ſed perſonalem duntaxat vnitionem. Itaque hoc dico, Selneccere, fore vt in futura vita, niſi reſipiſcas, non de hac re loquaris ſed huius blaſphemiæ quam alios doces, rationem reddas.

SELNECCERVS.

Pag. 47. *Si in humanis rebus dicimus Imperatorem eſſe hominem præſtantiorem omnibus aliis: cur non multo magis diceremus Chriſtum licet homo ſit omnibus hominibus maior, tamen poſſe quæ vult, nemine voluntatem ipſius impediente?*

BEZA.

Imò ne viliſſimus quidem vllus eſt homo qui non poſſit quicquid velit, ſi nemo voluntatem ipſius impediat. Sed dicere fortaſſe voluiſti, Chriſtum ideo poſſe omnia quia nihil ſit quo poſſit eius voluntas impediri. Et rurſum quis hoc negat, quum Chriſtus ſit verè & naturaliter Deus? Sed, inquies, de Chriſto loquor quatenus homo eſt. Eſto. Fateor enim illum etiam quatenus homo eſt quicquid vult poſſe, primùm quoniam quanuis duæ ſint in Chriſti perſona voluntates quot & naturæ, optimè tamen inter ſe conſentiunt, vt vnum ſint φύσει non numero quod Monothelitas fefellit: deinde quia ſicut Deus (vt verè ac copioſè docet Theodoretus) poteſt quidem quicquid vult, ſed non vult niſi naturæ ſuæ apta & conuenientia, ita etiam de hominis aſſumpti voluntate exiſtimandum eſt, ita eſſe Deitatis voluntati penitus conſentaneam vt quum non aliud velit quàm quod vult illam velle Deitas, nolit autem Deitas illam velle amplius quàm velle debeat, nolit ſanè quicquam naturæ ſuæ non conueniens, & quicquid velit poſſit. Quod ſi pergas quærere, quænam illa ſint naturæ humanæ glorificatæ conuenientia, & illa vobis peruulgata obiiceris, nempe nihil ex hypoſtatica vnione deceſſiſſe Deitati, ſed plurimum acceſſiſſe humanitati, & exaltationem illam carnis ineffabilem, concedam vtrunque. Sed negabo hypoſtatica vnione humanitatem conuerſam in Deitatem. Hoc autem neceſſariò conſequetur ſi quod idioma eſſentiale Deitatis ineſſe carni in ſeipſa dicatur, quum ἰδίωμα ἰδικὸν id dicatur quod proprium quarto modo vocatur. ac proinde transferri realiter & eſſentialiter in aliam naturam non poſſit quin commune euadens deſinat eſſe vnius ſolius proprium. Itaque vel duplici Deitate conſtaret Christus quarum vna quidem ſit ex ſe, altera verò per accidens ſiue θέσει Deitas

vel

vel tertia quædam natura ex duarum conſuſione prodiret,quæ potenta quis tandem ferat? Et tamen hi ſunt veſtri enthuſiaſmi,& hi clamores,quaſi niſi hæc tam abſurda, tam falſa,tam ſacrilega, tam impia concedamus,ipſis Turcis & Iudæis ſimus deteriores.

SELNECCERVS.

Chriſtus vt Deus eſt prima cauſa: & vt homo,non eſt extra Trinitatem diuinam,ſed Deus & homo eſt ſecunda perſona in diuinitate ac etiam in natura ſua humana,quæ non eſt extra ipſam perſonam ſed eſt in vnitatem perſonæ Chriſti aſſumpta. Itaque Chriſtus Deus & homo omnes conditiones phyſicas regit prout vult, nec eſt eis alligatus. Pag.52.

BEZA.

Concedo Chriſtum vt Deum eſſe primam rerum cauſam,quas non modò regere ſed etiam mutare & abolere pro arbitrio poſſit:ſed illũ nonniſi ſuæ naturæ conuenientia velle reſpondeo cum Theodoreto aduerſus Eutychen. Eſt autem naturæ diuinæ conueniens vt ſit vnica & ſingularis. Itaque in nullam rem creatam effundere vult aut poteſt eſſentialia ſuæ Deitatis idiomata,quia totidem eſſent Dij,quot res eſſent idiomatibus diuinis(id eſt,vt tu ipſe interpretaris,non creatis ſed naturaliter diuinis) præditæ. Dico præterea mentiri ac proinde contradictoria velle Deum non poſſe,nec ſic tamen quicquam de ipſius potentia detrahi, quoniam hoc poſſe non ſit potentiæ ſed imbecillitatis. At contradictoria ſunt,non illa hyperphyſica quæ nos minimè negamus,ſed illa antiphyſica,vt velle carnem aſſumptam infra Deum eſſe & tamen in ſeipſa Omnipotentem eſſe ſine vlla limitatione,vt tu loqueris:item,circunſcriptam eſſe in cælis ſecundùm veri corporis modum, quod tu iam concedis,& tamen in terris vbicunque vult,eſſe corporali præſentia incircunſcriptè & citra vllum loci ſitum,quod tu manifeſtè tueris. Itaque,Selneccere,quid te iuuat cum Eutychete ad diuinæ omnipotentiæ latebras refugere,ex quibus te veritas ipſa detrudat? Quid enim turpius eſt quàm Deum eſſe mendacem (mendax enim eſt ſi contradictoria vult) ex ipſius omnipotentia colligere? Aut igitur proba contradictoria non eſſe,proprietatem & cõmunitatem,circumſcriptum in cælis vno loco eſſe & eodem tempore in terris incircumſcriptum adeſſe: veris humanæ naturæ eſſentialibus proprietatibus præditum eſſe,& tamen in ſe ipſo idiomata naturæ diuinæ habere: aut Deo da gloriam. Pag.114.

Ad alteram partem reſpondeo,blaſphemam,impiam,horrendam eſſe hanc tuam vocem, *Chriſtũ in ſua natura humana eſſe ſecundam perſonam in diuinitate.* Etſi enim natura humana in perſona τῷ λόγῳ ſuſtentatur,eſt tamen non perſona ſed natura,& quidem ἀνυπόστατος, ac proinde ſiue ſolam & per ſe,ſiue hypoſtaticè vnitam conſideres,quum non ſit in ſeſe id quod eſt Deitas, relinquitur manere in ſeſe humanam, ac proinde τὸν λόγον quanuis non ſeparatim ab illa,non tamen in illa ſed in ſeipſa eſſe ſecundam in Trinitate perſonam. Iterũ igitur dico, Selneccere, ſi valeat in Eccleſiis Dei veritas,futurum vt vel hanc blaſphemiam (quod ſanè opto) corrigas, vel vt blaſphemus ex piorum cœtu profligêris. Deinde quod dicis Chriſtũ vt hominem non eſſe extra Trinitatem, duplici explicatione indiget,& impropriè ſanè dicitur. Etſi enim Filius non eſt extra Patrem ſed in Patre eiuſdem ac totius deitatis ratione, tamen noſti Filium non eſſe Patrem,ſed hypoſtaſin à Patre reipſa diſtinctam. Itaque ſi extra Patrem eſſe accipiatur de eſſentia,rectè extra Patrem eſſe Filius negatur aduerſus Tritheitas:ſin de perſonæ diſtinctione reali intelligatur, negari non poteſt quin Sabellianiſmus inuehatur: Illa tamẽ locutio dura fuerit, quoniam ſeparationem notare potiùs quàm diſtinctionem ſimplicem videtur.

At de natura humana prorſus aliter nobis ſtatuendum eſt,vtpote quæ à Verbo non quidem hypoſtaſi vt Filius à Patre,ſed eſſentia diſtinguatur:à Patre verò & Spiritu ſancto tum eſſentia, (eſt enim prorſus ἀνυπόστατος) tum hypoſtaſi, (eſt enim à ſolo Verbo aſſumpta) diſcernatur. Itaque dici quidem Chriſtianè non poteſt hic homo extra Verbum eſſe,quia ſic diuideretur perſona: ſed non quicquid de concreto dicitur,in abſtracto locum habet. Quum igitur humana natura ſit ἀνυπόστατος, eſt ſanè hoc reſpectu ſiue in ſeſe conſiderata externum aliquid extra deitatem ſicut & reliquæ res omnes, (Nam alioqui generatio, & ſpiratio, in diuinis confunderentur cum creationis opere) quamuis κατ' ἄλλο,id eſt,quatenus in hypoſtaſi Verbi ſuſtentatur,non ſit extra Verbum, id eſt aliquid à Verbo hypoſtaticè ſeparatum. Ergo,inquies,humana natura eſt aliquid Verbo externum & internum. Erit ſanè,ſed diuerſo,eóque non imaginario ſed veriſſimo,reſpectu. Qualiacunque eſt in ſeſe (ſiue diſtinctè ſiue vt hypoſtaticè vnitam illam ſpectes) eſt res creata ac proinde naturaliter Verbo externa: conſiderata verò non in ſeſe, ſed ſuſtentationis reſpectu,non eſt ſanè extra Verbum in cuius hypoſtaſi ſuſtentatur. At tu illam in abſtracto & in ſeſe quamuis hypoſtaticè vnitam in hac diſputatione conſideras,vt qui totidem verbis contendas Chriſtum non tantùm qua Deus eſt,ſed etiam qua homo eſt, ſiue humanæ ipſius naturæ reſpectu, in ſeſe habere non creatam, ac proinde ipſammet naturalem & eſſentialem Verbi gloriam & maieſtatem, quod etiam alibi non ſemel,vt antea citaui,ipſimet naturæ humanæ in abſtracto tribuis. Itaque,te auctore, natura ipſa humana in ſeſe quod ad Deitatis idiomata exæquabitur Verbo(quod eſt Brentianum ſiue Iacobandreanum dogma)ſed eo vno fuerit inferior,quòd illa erit propriè Deitas nempe ex ſeſe,iſta verò erit deificatione per accidens,ſiue aliunde & ἐπακτῶς,quod tu falſò & imperitè idem eſſe atque κατ' ἄλλο exiſtimas, aut exiſtimare te ſimulas, ne fateri quod res eſt cogaris, id eſt naturæ humanæ quantumuis vnita conſideretur, non in ſeſe ſed in alia natura cum qua in vnum ὑφιστάμενον coaluit, diuina idiomata tribui, non minùs impropriè quàm ſi corpus hominis vocares λογικὸν quoniam animæ λογικῇ hypoſtaticè ſit vnitum. Iam verò etiam videamus num verum ſit quod dicis, nempe Pag.118.

humanam in Chriſto naturam extra Trinitatem non eſſe. Hoc certè quàm falſò abs te dicatur ex multis perſpicuis rationibus liquet. Trinitatis enim nomen perſonas non eſſentiam reſpicit. Itaque ſi natura humana aſſumpta idcirco extra Verbum non eſſe rectè dicitur quoniam in eo ſubſiſtit, efficitur velis nolis extra Patrem & Spiritum ſanctum eſſe, quum neque in Patris neque in Spiritus ſancti perſona ſubſiſtat. Deinde ſi eſſentiam ipſam Dei ſingulariſſimam reſpicias, (cui propterea non Trinitatis ſed Vnitatis nomen competit) quum hæc natura humana non ſit abſolutè aſſumpta à Deitate, ſed relatè à ſola perſona Filij, (nam alioqui tres perſonæ eſſent incarnatæ) efficitur & illud neceſſariò ne hoc quidem reſpectu orthodoxum eſſe dicere humanam in Chriſto naturam extra Trinitatem non eſſe. Sunt tamen, inquies, tres iſtæ perſonæ vnica Deitas. Concedo. Sed licet iſta Deitas vna ſit τῇ οὐσίᾳ, & ab hypoſtaſi non differat niſi ratione, tamen tres numero hypoſtaſes modo ſubſiſtendi realiter inter ſe diſtinctas admittit: neque hæc aſſumpta natura ſubſiſtit in Deo quatenus eſt vnus, vel Pater, vel Spiritus ſanctus, ſed duntaxat quatenus eſt Filius. Ex his autẽ vides illud etiã effici nihil tibi prodeſſe Brentianum iſtud alterũ effugium, *Enter, præſenter Deus eſt & vbique potenter*, quia deuenire eò non potes quin efficiatur hac ratione extra Deũ nihil eſſe, vt minimè tibi ad tuam iſtam fictitiam idiomatũ cõmunicationem antiphyſicam conſcendendum fuerit. Hæc ſi intelligis (ſunt enim Theologiæ fundamenta) quæ ex ſcientia diſſimulas, aut illis repugnantia, id eſt blaſphema & impia ſeris in Eccleſia Dei? ſin verò non intelligis quo pudore de rebus tantis audes tam imperitus diſſerere?

Pag. 11. Denique nego conſequutionem tui enthymematis, & Auguſtini verbis reſpondeo non eſſe conſequens vt quod in Deo eſt, ſit vbique vt Deus. Itaque hanc etiam alteram tuam vocem, *Chri-*

Pag. 134. *ſtum hominem*, id eſt humanam Chriſti naturam, *eſſe immediatè in cœlis cœlorum ſicut Deum, ſiue*, vt alibi loqueris, *non tantùm ex ratione qua Chriſtus Deus eſt, ſed etiam qua homo eſt, & in ſeipſa gloriam ac maieſtatem ipſam diuinam habere*: dico falſam, blaſphemam, impiam, & modis omnibus execrandam eſſe.

SELNECCERVS.

Pag. 117. *Si cognouimus Chriſtum ſecundùm carnem, nunc tamen non nouimus, inquit Apoſtolus, 2. Cor. 5. quæ Pauli verba nos docent vt omnia ſtudia ad Deum referamus, & ne de Chriſto quidem (quæ ſunt Bezæ verba) quamuis alioqui perfectiſſimo etiam in carne omnis præſtantia exemplari, nunc cogitemus vt homine qualis tunc erat, quum inter nos verſaretur, ſed eum nunc vt penitus cœleſtem & glorioſum conſideremus.*

BEZA.

Agnoſco mea verba, tuámque ſimul in illis peruertendis audaciã. Primùm enim quod de Chriſto dicit Apoſtolus, de cæteris etiam fidelibus dicit his verbis, Neminem poſthac nouimus ſecundùm carnem, quæ quorſum ad iſtam omnipotentiam antiphyſicam pertineant, tu videris. Num verò glorificationem oppoſui vel ſubſtantiæ, vel idiomatibus humanæ naturæ eſſentialibus, ac non potiùs carnis infirmitati, quam verè totam ab eo depoſitam quis tandem inficiatur? Quod ſi circunſcriptum eſſe infirmitatem vocas, tuo ipſius teſtimonio redargueris, qui ipſam carnem in cœlis glorificatam loco contineri ſecundùm veri corporis modum vltro fatearis. Glorificari denique ſupra omnia non ſignificat idiomata diuinæ naturæ in ſeſe recipere, ſed in Verbo & à Verbo collatis donis ſupra omnia, Deitate excepta, prouehi.

SELNECCERVS.

Pag. 118. *Vbiquitatis diſputationem reſeruamus ad vltimum iudicium, ne à potentia abſoluta ad ipſum eſſe videamur argumentari. & tamen hanc nõ negamus, nec abominamur vt hæreticam vel impiam. Poteſt enim Chriſtus homo (id eſt ſecundum humanam naturam in ſeſe, quamuis non per ſe neque ex ſe) eſſe vbique, quia non ex parte τοῦ λόγου vnitus eſt, ſed vbi λόγος, ibi Chriſtus homo eſt.*

BEZA.

Concedo, at non in ſeſe ſiue quà homo, ſed κατ᾽ ἄλλο, ſiue quia cum Verbo quod eſt vbique, hypoſtaticè cohæret, ſiue qua ratione Deus eſt. Itaque in abſtracto non magis hoc verum eſt, quàm ſi dixero quia filius hominis erat ante Abrahamum, idcirco etiam verum eſſe, humanam naturam Chriſti ante Abrahamum extitiſſe.

Deinde quid aliud agis tergiuerſando quàm quòd ſummam in tam paucis verbis imprudentiam magis ac magis patefacis? Nam, quæſo, cur tuo more ad vltimi iudicij latebras refugis? ne, inquis, à potentia abſoluta ad ipſum eſſe argumentari videar, id eſt, vt arbitror, ne ſic videaris colligere, poteſt eſſe vbique, ergo vbique eſt. Atqui tu hoc ipſum nos facis. Etenim quum vbi λόγος eſt, ibi eſſe Chriſtum hominem, id eſt ſecundum naturam humanam dicis, aut vbique λόγον eſſe negas, aut planè & perſpicuè ſine ambagibus, vbiquitatem affirmas, quod tamen paulò antè facere non audebas. Alioqui tibi dicendum non erat, *Vbi eſt λόγος ibi Chriſtus homo eſt*, ſed *ibi Chriſtus homo eſſe*

Pag. 14. *poteſt ſi modò velit*. Et tamen alibi negas te velle campum vbiquitatis ingredi.

SELNECCERVS.

Pag. 21. *Communicatio idiomatum non eſt titulus inanis ſinare: Ergo reipſa competit humanitati omnipotentem eſſe, ac proinde eſſe vbicunque vult.*

BEZA.

Iam oſtendi ſecundum illud enuntiationum genus in quibus perſonalia de Chriſto prædicantur, vt quum Chriſtus dicitur Mediator, Rex, Seruator, ad κοινωνίαν ἰδιωμάτων nihil omnino ſed ad κοινωνίαν pertinere: tertium autem, quod vocas, quo humanitati attribuuntur dotes in eam collatæ, nihilo rectiùs ad κοινωνίαν ἰδιωμάτων referri, & verum quidem id eſſe in hyperphyſicis donis accidentalibus, vt quum hæc ipſa caro dicitur ad dexteram Patris euecta & omnibus, ſola Deitate excepta, dominari: ſed in antiphyſicis, veluti ſi caro omnipotens, adorabilis, aut vllo alio Deitatis idiomatê in ſeipſa prædita dicatur, nihil aliud hæc eſſe quàm vera blaſphemiarum Eutychianorum portenta. Reſtat ergo primum illud enuntiationum genus, in quo vel humana idiomata Chriſto à diuinitate concretè denominato tribuuntur, vt quum dicitur Dominus gloriæ fuiſſe crucifixus: vel diuina de eodem Chriſto ab humanitate itidem concretè appellato prædicâtur, vt quum Filius hominis dicitur fuiſſe in cælis, quo tempore in terris cum Nicodemo loquebatur. Quæris ergo num hæc ſit vera an inanis prædicatio. Reſpondeo Verbo Dei nullum doceri mendacium, ſed minimè conſequi vt id conueniat ſingulis naturis abſtractè ideſt in ſeſe conſideratis, quod ſecundùm vnitatem perſonæ, quanuis ab alterutra natura concretè denominatæ, verè tribuitur. Vt, verbi gratia, Crucifixum eſſe non competit Deitati in abſtracto, verè tamen Deus gloriæ crucifixus dicitur, at non in ſeſe ſed in carne, propter perſonæ vnitatem. Sic viciſſim Fuiſſe ante Abrahamum non quadrat carni natæ ex Abrahami poſteris, nec Eſſe in cælo conuenit carni in terris ſitæ, verè tamẽ dicitur de homine illo, at non in ſeſe verùm in Verbo, propter perſonæ vnitatem. Hæc quum negas, Selneccere, & Deitatem quidem ſuo neſcio quo modo affectam, humanitatem verò idiomata Deitatis eſſentialia in ſeipſa recepiſſe dicere non erubeſcis, oppugnas quæ cẽties millies apud Græcos & Latinos omnes Theologos vno perpetuóque conſenſu aduerſus Neſtorium, Eutychen, & Monothelitas ex Verbo Dei ſunt demonſtrata, & prorſus neceſſariò ex hypoſtaticæ vnionis definitione conſequuntur. Nam ſi naturarum idiomata in ipſis naturis permutantur, quînam dicentur naturæ ſingulæ ſua idiomata retinere? Vin' autem paulò etiam planiùs iſta cognoſcere, vt cernere lucem incipias? exempli cauſa, ſi Selneccerum intelligentem vocauero, num mentiri me exiſtimaueris? atqui altera tui parte non es intelligens. Num igitur mentitus fuero? Nequaquam. Etſi enim Selnecceri corpus non eſt natura quæpiam intelligens, (quod proprium animi eſt) tamen vera eſt illa enuntiatio, quoniam hæc intelligens anima cum hoc corpore hypoſtaticè coniuncta eſt. Pag. 125.

Sic contrà, ſi Beza carnificum Papiſtarum fraude interemptus dicatur mortuus, quod illorum plurimi moliũtur, & ſortirer, vt ſpero, perferam ſi Dominus volet: num falſò mortuus fuero? Nequaquam, ſed verè dicar tamen mortuus, ea demum parte qua ſum neceſſariò moriturus. Quid? nõ verò dicimur reſurrecturi? Nullius tamen reſurget anima quæ non cecidit. Itaque de toto, quatenus quidpiam vt totum conſideratur, verè & reipſa dicitur quod tamen ſingulis partibus verbo tantùm conuenit: ac proinde ridiculos ſanè vos præbetis quum illam inter Totum Chriſtũ & Totum Chriſti, differentiam non intellectam ridetis. Chriſtus autem totus ex altera etiam tantùm natura interdum denominatur in concreto, propter perſonæ vnitatem, ac proinde tantundem valet hæc enuntiatio, *Dominus gloriæ eſt crucifixus*, atque iſta, *Ieſus eſt crucifixus*: & iſta, *Filius hominis erat ante Abrahamum*, tantundem atque *Ieſus erat ante Abrahamum*, quanuis Ieſus (quod eſt commune totius perſonæ verum nomen) ſit duntaxat crucifixus, quatenus homo: & ante Abrahamum, extiterit duntaxat quatenus Deus: ſed inter illam à Selneccero & Beza aliiſve humanæ ſpeciei indiuiduis deſumptã ſimilitudinẽ & Chriſti perſonam hoc etiã intereſt, quòd homines ex duabus perfectis naturis non ſunt conflati, ideóque nec anima nec corpus nominari in concreto poſſunt, ac proinde nec anima mortalis in corpore, nec corpus in anima immortale dici: at quum in Ieſu ſint duæ perfectæ naturæ diuina & humana, quarum iſta in illa ſubſiſtit, idcirco hãc perſonam non tantùm Ieſum, nomine totam perſonam propriè declarante, ſed etiam in concreto ex altera natura vel Deum vel hominem vocamus. Hinc illud eſt ad perſpiciendã in iſtis veritatem ac dirimendas omnes controuerſias prorſus cognitu neceſſarium καθ' ἑαυτὸ & κατ' ἄλλο diſcrimen, quod perperã cum ἀφ' ἑαυτῶ confundis. Hæc ſi placido animo cognoueris, Selneccere, ſpero te vltrò agniturum magnas in Eccleſia turbas fuiſſe iſtarum rerum ignoratione initio excitatas, quæ nõ modò impediũt opus Domini cum incredibili Eccleſiarum damno & conſcientiarum offendiculo, ſed etiam communibus aduerſariis nos deridendos meritò propinant.

Eſt enim καθ' ἑαυτὸ ſiue ἐν ἑαυτῷ τὸ ἀνθρώπινον quantumuis ὑπερυψωθὲν glorificatũ, tamẽ ſeruatis idiomatibus eſſentialibus, quibus ſublatis vel mutatis deſineret eſſe ἀνθρώπινον finitum, vno totum loco ſemel circumſcriptum, & infra Deitatem ſubſidens tum natura tum poteſtate: Deitas verò Filij ea eſt quæ ſemper eſt, fuit, & erit: nec aliter quicquam orthodoxè dici de his naturis in abſtracto, id eſt in ſeſe, poteſt ſiue diſtinctè ſiue vnitè conſiderentur, vt Eutychiana blaſphemia vitetur. Sed κατ' ἄλλο, (id eſt non in ſeſe, ſed in altera natura ſecundùm perſonæ vnitatem,) & huic homini tribui verè poteſt ac debet quicquid eſt τοῦ λόγου, & τῷ λόγῳ quicquid eſt huius aſſumpti hominis, ad cauendum Neſtorij præcipitium. Denique Selneccere, ſi veritatis ſtudio duceris, & Vvitebergenſium teſtimonio quod tu ipſe citas ex animo aſſentiris, inter nos hac de re tranſactum eſſe ſcito. Sic enim illi, quibus cum prorſus ac penitus hac in re mihi conuenire coram Deo & hominibus teſtor? *Etſi* NATVRIS IPSIS *non tribuuntur* SECVNDVM SE *proprietates quæ alterutri naturæ* TANTVM *cõueniũt*, (audin' Selneccere, *naturis ipſis*, id eſt in abſtracto cõſideratis

veluti quum Deitatem vel Humanitatem dicimus,ſiue diſtinctè ſiue vnitè conſideratam, *non tribui proprietates ſecundum ſe*,id eſt in ſeſe? Ergo κατ᾽ ἄλλο, ſiue in altera natura?nec enim καθ᾽ ἑαυτὸ eſt Ex ſeſe,ſed Secundum ſe,id eſt In ſeſe ſiue Suiipſius reſpectu:neque κατ᾽ ἄλλο eſt Aliũde,ſed Secundũ aliud,id eſt In alio,ſiue alterius naturæ reſpectu. Et additur Ratio, *quia alterutri natura TANTVM conueniũt*. Nec igitur idiomata Deitatis de humanitate, nec humanitatis de Deitate reipſa dicuntur. Subiiciunt poſtea, *Tamen non propterea inanis aut imaginaria aut ficta eſt hac forma loquendi qua ἰδιωμάτων κοινωνία dicitur. Sed vſitatum dictum quod in ſcholis celebre eſt,hic etiam locum habet, Qualis res eſt,talis tributio & veritas. Quum igitur Chriſtus* (vt nomen perſonæ videlicet) *reuera ſit Deus & homo,& λόγος & natura aſſumpta ſint vnum ὑφιστάμενον,& ſint hæ naturæ inſeparabiliter vnitæ,verè etiam & realiter prædicantur de Chriſto, vtriuſque naturæ propria, diuina & humana.*(Audin' rurſum,Selneccere,iſtud Realiter tribui TOTI ſiue PERSONAE, non ſingulis naturis?) *Atque hoc modo* (nempe ſi attributio realis dicatur non ſingularum naturarum,ſed perſonæ totius reſpectu, quanuis ab alterutra natura in concreto denominatæ, vt exempla oſtendunt,& mox diſertè exprimitur) *ſi quis Reale opponat fictitio & vano, ſiue illi quod reipſa non eſt, & Chriſtum quatenus vnum eſt ὑφιστάμενον conſideret, cum nemine certare aut diſceptare volumus de appellatione realis communicationis.* Neque nos ſanè velimus,ac te proinde vóſque omnes precor & obteſtor,vt iſtis nobiſcum acquieſcatis,à quibus ſi pergas diſſentire,Selneccere,quum iis ipſis, quæ citaſti tuum quoque nomen ſit præſcriptum,apud quos tandem excuſationem inuenies? Audi denique Cyrilli locum ex libro de recta fide ad reginas,in illud Apoſtoli,Secũdus homo de cælis. *Eſſe de cælo*, inquit, *proprium eſt Verbi,homini autem REIPSA non conuenit,quanuis de eo prædicetur ſermone ac phraſi ſcripturæ. Hæc autem phraſis ſic explicatur, vt quia Verbum & Caro vnica perſona eſt*, non diuidatur *à ſuſcipiente ſuſceptum,ſed tantùm diſtinguatur.*

SELNECCERVS.

Pag.224. *Chriſtus filius Mariæ* (id eſt quà homo) *& καθ᾽ ἑαυτὸ,id eſt in ſemetipſo conſideratus,quamuis κατ᾽ ἄλλο id eſt aliunde,nempe ex Verbo,eſt καρδιογνώστης. Ergo præſens omnibus & ſingulis omnium inſpector & gubernator. Hic reſponde, Beza,aut veritati acquieſce.*

BEZA.

Sanè reſpondeo, Veritati,per Dei gratiam,paratus, at non tam fœdæ blaſphemiæ acquieſcere, quam paulò antè ex teipſo refutaui. Enimuerò ſi verum eſt quod dicis, cur te teſtatus es nolle Vbiquitatis campum ingredi? & quámnam carnis præſentiam in vel ſub vel cum pane ſtatuis,ab ea diuerſam qua vbique eſt? Fateor igitur hunc ipſum hominem ſicut vnum eſt ὑφιστάμενον cũ Verbo,ita vnica adoratione vt καρδιογνώστην inuocandum, at non tamen quà homo eſt ſiue καθ᾽ ἑαυτὸ, ſed κατ᾽ ἄλλο,id eſt,quà Deus eſt.neque vel hominem adoro cum Deo, quod Neſtorianum eſt:vel humanitatem ipſam in Deitate quod Eutychianum,Brentianum, tuum denique eſt:ſed τὸν λόγον adoro carni inſeparabiliter & hypoſtaticè vnitum,qua de re audi Cyrillum in illa verba Ioh.2.25, Sciebat quid eſſet in homine. *Vero Deo ſolummodo,nec vlli creaturarum hæc dignitas attribuitur. Vt igitur natura Deum vnigenitum eſſe credamus, diligenter ab Euangeliſta ſcriptum eſt, non fuiſſe illi opus vt quis teſtimonium perhiberet,quòd ipſe ſciret quid eſſet in homine.* Audi præterea eundem Cyrillum, teſtem in his rebus omni exceptione maiorem,ſic ſcribentem lib.de incarnatione vnigeniti cap.26. *Adorauit Chriſtus nobiſcum. Vos enim,inquit, adoratis quod neſcitis:nos adoramus quod ſcimus. At eſt etiã adorandus. Flectitur enim ipſi omne genu. Hoc quoque κατ᾽ ἄλλο καὶ ἄλλο. Adorat enim quia naturam aſſumpſit quæ debeat adorare. adoratur autem porrò idem quaſi maior adorante natura, καθότι intelligitur Deus. Adoratione verò non eſt diuidendus in hominem ſeorſim & in Deum:nec verò tanquam Deus coniunctum æqualitate dignatus ſit diuiſis ſubſtantiis, cum ipſo adorari dicimus hominem(id enim extremæ impietatis pleniſſimum eſt) ſed vnicum adorandum Dei verbum,hominem factum,& incarnatum.*

SELNECCERVS.

Ego ſum vobiſcum,inquit Chriſtus,vſque ad conſummationem ſeculi.&, vbicunque duo vel tres congregati fuerint,ego ſum in medio eorum. Ergo etiam ſecundum humanam naturam,vt quæ nõ ſit extra Verbi perſonam,eſt nobis præſens vbicunque vult,σωματικῇ παρουσίᾳ,& in ſeipſa nec tantùm qua ratione Deus eſt.

BEZA.

Reſpondeant pro me Patres hoc ipſummet ex Dei verbo refutantes:ſicut centies reſponſum fuit. Auguſtinus,tract.1.in Ioh. *Secundum Maieſtatem ſuam* (id eſt Deitatem vt apparet ex antitheſi) *impletur quod ab eo dictum eſt,Ego ſum vobiſcum,&c.ſecundum carnem verò quam Verbum aſſumpſit,Non ſemper habebitis me vobiſcum.* Cyrillus in Ioh.lib.9.cap.21, *Quemadmodum quando vt homo in terra conuerſabatur,tunc etiam cælos replebat* (certè non carne ſed Deitate) *& Angelorum conſortia non deſerebat,eodẽ nunc modo quamuis ſit in cælis cum carne*, (ergo non in terris vt quadret antitheſis) *terram tamen replet* (nempe vt priùs cælos,Deitate videlicet at non carne, quanuis vnita cum Deitate) *& cum iis eſt qui illum diligunt.* Et Vigilius in Eutych.lib.1, *Secundum humanitatem ſuam receſſit à nobis,ſecundum diuinitatem ait nobis, Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Item, *Quando in terra fuit,non erat vtique in cælo:& nunc,quia in cælis,non vtique eſt in terra.*

SELNEC-

Selneccerus.

Chriſtus ſedet quà homo ad dexteram Patris. Ergo nullis legibus phyſicis eſt alligata humana Chriſti natura, ſed eſt imperij ſummi immenſaque potentiæ particeps in ſeſe & immediatè, eodem planè modo quo maieſtatem Dei dicimus eſſe in cœlo. Pag. 46. & 109.

Beza.

Si hypoſtatica vnio (vt tu adhuc diſſeruiſti) cauſa eſt ſufficiens iſtius realis eſſentialium idiomatum deitatis in aſſumptam carnem effuſionis, quorſum tu nobis ſeſſionem ad dexteram Patris, vt hoc ipſum probes? *nempe*, inquis, *vt fides noſtra eò firmior ſit non vno ſed pluribus articulis fidei innitens.* Pag. 144. Specioſum quidem reſponſum, ſed re vera ἀργὸς λόγος. Nec enim de teſtimoniis quibus noſtra fides nitatur, ſed de iſtius effecti, id eſt carnis Chriſti ſiue Omnipræſentiæ ſiue Multipræſentiæ reali baſi diſceptatur, quæ ſi in hypoſtatica vnione ſufficiens inuenitur, dico ſuperuacaneum eſſe ad ſeſſionem deuenire, niſi fortè hanc illi ſubordines. Sed de hoc nolim pluribus contendere. nec te ſanè miror ex illa velut arce deiectum, aliud perfugium quærere. Hoc tamen negare non potes, ſi ſeſſio ad Patris dexteram cauſa eſt iſtius tuæ πολυτοπίας, quam nobis pro πανταχουσίᾳ Brentiana ſupponis, vel euerti quæcunque ab hypoſtatica vnione protuliſti argumenta, vel oportere vt Brentij veſtigia ſequutus, cenſeas carnem ipſo aſſumptionis beneficio ad dexteram Patris iam tum fuiſſe euectam, vt ſimul reipſa tum in Bethleemitico præſepi, tum in cœlis & vbique fuerit. Alterum, inquam, iſtorum effugere nō potes, quia ſi ſeſſio ſubſequuta eſt aſcenſionem (vti ſanè eſt) fuerit igitur natura aſſumpta triginta quatuor circiter annis antequam diuina illa idiomata in ſeſe recepiſſet. Quòd ſi tot annos fuit Deus & homo Chriſtus, nec tamen ſecundum carnem in ſeſe multipræſens, non eſt profectò neceſſarium illud quod vſqueadeò vrſiſti vnionis hypoſtaticæ argumentum. & tuum illud τὸ δ' αὐτὸ niſi altero fundamento nitatur, labefactatum corruit: & temere mendacem me dixiſti quod a veſtrûm nonnullis ſcripſerim, Seſſionem & incarnationem pro vno accipi. Sed ad rem. Sedere Chriſtum ad dexteram Patris, idque ſecundum carnem, nemo Chriſtianus inficiatur, ac proinde in hoc etiam probando vt & in aliis nonnullis de quibus nulla controuerſia eſt, temere operam poſuiſti, quæ in noſtris euertendis vel tuis ſtabiliendis potiùs fuit collocanda. Pag. 114. & 123. Fatemur & illud, ſic deſignari adeptionem imperij & gloriæ quæ hanc carnem ſupra reliquas res omnes creatas euehit. Sed duo adiicimus abs te vel inſcienter vel callidè prætermiſſa, in Scripturis autem diſertis verbis expreſſa. Vnum, Sedere hanc carnē in cœlis, non in terris, minimè id quidem quaſi non etiam in terras & abyſſos longè latéque protendatur hoc imperium, ſed quòd in cœlis non in terris nec alibi vſquam ſit huius carnis ac maieſtatis ſolium collocatum, donec vltimo illo inſtaurationis die veniat ſicut aſcendit, viuos & mortuos iudicaturus. alterum, poteſtatem hanc in carne conſideratam, infra Deum ſubſidere, ſecundùm quam carnem Chriſtus ſeipſo λόγῳ minor, ipſi dominanti λόγῳ citra diuiſionem perſonæ ſubiicitur, qua de re aduerſus Brentium pleniſſimè poſt D. Petrum Martyrem diſſeruimus. His poſitis quæ contineri verbo Dei expreſſo inficiari non potes, tua conſequutio ruat oportet, & duplex illa tua horrenda blaſphemia, Carnem Chriſti ſedere immediatè vt Deum in cœlis, & immenſam illam deitatis gloriam in ſemetipſa ſine vlla limitatione habere.

Hinc etiam apparet cuiuſmodi ſint illæ tuæ calumniæ quas nobis impingis quaſi videlicet ſentiamus, Omnes homines, Turcas, Iudæos, ipſóſque adeò diabolos noſſe quod nouimus, & fidem noſtram eſſe Ariſtotelicam & Ethnicam. Pag. 56. Abſit verò vt alterius quàm Dei vnius verbo & quidem ſcripto fides noſtra nitatur. Si tamen nihil eorum credis, Selneccere, quæ omnes homines, philoſophi non pauci, ipſíque adeò diaboli credunt, agè ne Deum quidem eſſe credito. Quid ergo cum quibuſuis auctore bono Selneccero credimus? *Corpus eſſe ἀπερίγραπτον.* At tu ipſe cogeris hoc confiteri. *Simul & ſemel corpus non eſſe diuerſis locis.* Fuerint ergo Ethnici Apoſtoli & Martyres, quorum fides & confeſſio hæc ſemper fuit, auctore vetuſtiſſimo & fideliſſimo Epiſcopo & martyre Vigilio, *Vnam naturam contrarium quid non recipere in ſeipſa: diuerſum autem & longè diſſimile, circunſcribi loco & vbique eſſe, & quia Verbum vbique eſt, caro autem vbique non eſt, ſic apparere vnum eundémque Chriſtum vtriuſque eſſe naturæ, & eſſe quidem vbique ſecundum naturam deitatis, & loco contineri ſecundum humanitatis ſuæ naturā.* Imò & ipſe Chriſtus fuerit Ariſtotelicus, qui carnis ſuæ veritatem ex corporeis ſenſibus viſu videlicet & tactu probat. Sed quid credimus ampliùs cum Iudæis? *non manducari corpus, nec bibi ſanguinem hominis.* nempe veſtro illo Capernaitico, reali, corporali, Cyclopico denique modo. Communicationem enim carnis ſpiritualem, id eſt ſpirituali modo factam, quæ propter ſacramentalem coniunctionem & vſum, Manducandi & Bibendi vocabulis declaratur planiùs ſanè multò quàm vos confitemur, & vberiùs docemus. Illam autem ἀνθρωποφαγίαν quæ vetuſtati eruditæ ne in mentem quidem venit, niſi vt eam quaſi horrendum monſtrum auerſaretur quam Cyrillus ad Euoptium craſſam & irreligioſam vocat, eique perceptioni opponit quæ ſola puráque & ἀδιστάκτῳ fide fiat: quā Auguſtinus flagitiū & quidē adeò crudele appellat, vt propterea nonniſi figuratè accipienda Edendi & Bibendi verba doceat, abominamur. Sed quid ampliùs? *credimus panē eſſe panem, & vinum vinū.* Hoc verò quàm calūnioſè à te dicitur? An nō enim tu quoq; manere ſignorum ſubſtātias fateris? Sed negat ſcilicet panē illū & vinum illud eſſe ſacramēta quiſquis res ſignificatas negat in, vel ſub, vel cū ſignis corporali & ſubſtātiali modo adeſſe. Et iſti quidē ſunt ingētes illi tui clamores, hinc illi enthuſiaſmi, hinc illę directę ad Chriſtū tuæ exclamationes,

tales profectò, mi D. Lutheri ſimiole, vt quum illas legerē, exaudire penè mihi Chriſtū è cælis viderer ſic tibi paucis reſpondentem, Deſine me, tuorum deliriorum patronum quærere: vel te breui toties blaſphemantem feriam.

SELNECCERVS.

Pag. 131. & 134. *Seſſio non ſignificat adminiſtrationem qualem habet imperator abſens in regiones longiſſimè diſſitas quas ſuis oculis abſens contemplari non poteſt: ſed hoc declarat, quòd Chriſtus ſecundum carnem non tantum ea ratione qua Deus eſt, ſed etiam qua caro eſt, & quamuis aliunde tamen in ſeſe hoc habeat quòd præſens in ſuo conſpectu & in promptu habeat omnia & ſingula ſub ſe & ante oculos cæleſtia, terreſtria, & infera quæ regat & adminiſtret.*

BEZA.

Præeſſe ſanè reliquis creatis rebus aſſumptam illam naturam, data etiam ipſi in ſeipſa iſta in cælo & in terris poteſtate, ac proinde etiam omnibus inenarrabilibus donis ad eam exercendam administrationem ſpectantibus cumulatam minimè negarim, neque hac de re curioſè velim diſputare: ſed Deitatem cum Apoſtolo excipio, cui & illa ſubiecta eſt. Itaque vt tibi largiar omnia creata illius oculis patere, quorſum hoc ad ſtabiliendam vel omnibus vel multis ſimul locis corporalem eius præſentiam? Ponamus verum eſſe quod fabulati ſunt nonnulli, præditum eſſe ſolem oculis vniuerſum hemiſphærium deſpicientibus, an ex eo iure colligas ipſius corpus ſimul in cælis & in terris eſſe? Sed & longè alia certiore ratione omnia Chriſto etiam homini præſentia eſſe tibi conceſſero, nempe quatenus hypoſtaticè cum ea natura cohæret quæ vbique eſt, in qua veriſſima præſentia ſi acquieſcis, reddita pax eſt Eccleſiis. Cur autem acquieſcere non debeas, ego quidem non video. Nam & in rebus ipſis naturalibus præſens id eſſe verè ac reipſa dicitur, quod etſi per ſe conſideratum aliquo interuallo abſit, tamen cum eo quod proximum eſt cohæret. Quanto id igitur magis in his naturis euenit, quæ non in puncto aliquo, neque ſimplici aliqua motione, ſed totæ inter ſe hypoſtaticè coniunctæ ſunt? Sic Cyrillus expreſſis verbis ex aſcenſione argumentatus lib. 10, cap. 38, *Nullus ambigit quum ad cælos aſcenderit quamuis virtute Spiritus ſemper adſit, præſentia tamen carnis ipſam abeſſe.* Alibi verò etiam ex ſeſſione abſentiam corporis colligens, & ex diametro vobis contrarius, *Etſi corpore* (inquit) *ſit abſens Chriſtus, Patri pro nobis apparens* (nec enim ignorat à Patribus interpellationem quæ pars eſt officij mediatoris ad humanam naturam referri) *& ad dexteram ipſius ſedens, habitat tamen in ſanctis per Spiritum, nec eos orphanos eſſe patitur, quibus in cælum aſcendens Spiritum miſit. Non enim carne cum Apoſtolis conuerſari poterat quum ad Patrem aſcenderit.* Non valeret autem hæc conſequutio ſiqua eſſet realis ſimul & incircunſcripta ipſius carnis præſentia. Et Auguſtinus, *Secundùm carnem quam Verbum aſſumpſit aſcendit in cælum, non eſt hîc, ibique ſedet ad dexteram Patris.* Agè igitur, Selneccere, ſic quoque Chriſti carnem non modò in terris, verùm etiam vbique, ac multò magis vbicunque Cœna celebratur, verè adeſſe concordes fateamur, id eſt quatenus cum Verbo quod vbique eſt, & in Cœna præſertim noſtræ ſalutis cauſa veluti ſeipſum ſiſtit, hypoſtaticè cohæret. Iſta, inquam, ſi bene & diligenter ab hominibus analogiam fidei tenentibus, & de veritate potiùs quàm de tuenda ſua ſententia ſolicitis expendantur, ſpero (& faxis, ô Deus, ne fruſtrà ſperem) vt fine tandem luctuoſis iſtis certaminibus impoſito, pax illa tam neceſſaria támque beata nobis illuceſcet.

SELNECCERVS.

Pag. 116. *Non eſt diuidendus Chriſtus. Ergo vbi eſt λόγος, eſt ibi quoque Chriſtus homo.*

BEZA.

Qui Chriſtum diuidit anathema ſit. Diuidi verò Chriſtum ſi ab iis exiſtimas qui totum Chriſti vbique eſſe negant, te quoque neceſſe eſt in eorum album referas, niſi fortè exiſtimas humanam quoque ipſius naturam in ſe conſideratam fuiſſe in cælis quum adhuc verſaretur in terris. At longè aliter Athanaſius, *Quomodo*, inquiens, *ait Vado ad Patrem, cum quo ſemper erat, & à quo receſſerat? (eius enim eſt ire & venire qui aliquibus locorum terminis circunſcribitur, & eum in quo erat deſerere locum, vt ad alium veniat vbi non erat.) niſi quia vtique de eo quem aſſumpſerat homine loquebatur?* Et Auguſtinus, *Secundum hominem erat in terra, non in cælo, vbi nunc eſt, quum diceret, Nemo aſcendit in cælum, &c.*

SELNECCERVS.

Pag. 115. *Chriſtus eſt Deus, idcirco quicquid vult de corpore ſuo facit.*

BEZA.

Concedo. Sed nego poſſe Deum velle contradictoria, quia mentiri poſſet, quod eſt infirmitatis non potentiæ. Sunt autem in ipſo etiam glorificato Chriſti corpore contradictoria, ſicut Patres omnes aduerſus Eutychen docent, circunſcriptum eſſe & circonſcriptum non eſſe, loco contineri & ſimul pluribus locis eſſe. Nego etiam illum vt poſſit, velle tamen aſſumptum corpus deſtruere. Deſtrueret autem corpus ſi quantitatem ac proinde certi loci circunſcriptionem ei per glorificationem adimeret. *Tolle enim ſpatia corporibus* (inquit Auguſtinus, & quidem ex profeſſo de corpore Chriſti glorificato diſſerens) *& corpora non erunt.* Et Cyrillus, *Si corpus, ergo quantum: ſi quantum,*

tum, ergo in loco. Et Tertullianus, *Non hominis natura eſt ſed Dei, vt adeſſe omni loco poſſit.* At homo aſſumptus non eſt Deus in ſeſe, ſed Deo vnitus.

SELNECCERVS.

Quin poſſit Chriſtus præſtare quicquid vult, nullo modo dubitandum eſt. Velle verò Chriſtum nobis verum ſuam carnem præſentem ore comedendam, & verum ſuum ſanguinem ore bibendum in ſacra Cœna præbere, planè ac manifeſtè liquet ex claris ac perſpicuis ipſius Teſtamenti verbis, Accipite, Comedite, Bibite, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, de quibus vel minimum ambigere ſacrilegum eſt.

BEZA.

Depulſus ex hypoſtaticæ vnionis arce, & amiſſo ſeſſionis præſidio, tandem, Selneccere, ad vltimum perfugium refugis, ſacram videlicet Cœnæ Domini inſtitutionem, quaſi videlicet ex illis duobus de Chriſti poteſtate, ex iſto poſtremo de expreſſa eius voluntate conſtet. Quin verò poſſit præſtare Chriſtus, atque adeò re ipſa præſtet quicquid ſe præſtiturum promiſit, abſit vt vel tantillum dubitemus. Itaque ne hic quidem cauſa vlla fuit cur toties & tam multis iſtud quod extra omnem controuerſiam eſt inculcares: & illa quæ in nos iactas omnis generis conuicia totidem certè ſunt tuæ vel inſcitiæ, vel impudentiæ τεκμήρια. Reſtat igitur vt an hoc quod tu dicis potuerit velle, deinde an voluerit videamus. Non potuiſſe velle dixi & dico, quoniam neque vt Deus corpus ſuum deſtruere velle potuit quod nunquam dimittendum aſſumpſit: neque vt homo corpus ſuum deſtrui, quod Deus conſeruatum vellet, quia duæ quidem ſunt numero voluntates in Chriſti perſona, quot & naturæ, ſed penitus inter ſe conſentientes. Deſtrui verò corpus ſublata quantitate & circunſcriptione, & viciſſim poſita circunſcriptione, realem illam multis vel omnibus ſimul locis præſentiam tolli, res ipſa clamat. *Fateor,* inquis, *in corporibus merè phyſicis.* Num verò phyſicum nunquam fuit Chriſti corpus? Si hoc ſentis, euadis Marcionita, ſed non ſenſis, opinor. Fuit ergo. Quòd ſi eſſe deſiit, à quo initio deſiit? Non certè ab ipſo vnionis exordio, quia nunquam phyſicum fuiſſet. Num à reſurrectione? nequaquam. Chriſtus enim à propriis corporali phyſico qualitatibus verum eſſe ſuum illud corpus poſt reſurrectionem probat. Et quorſum hoc, quum ante mortē inſtituerit Chriſtus Cœnæ myſteria, neque iſtæ enunciationes quibus vnis niteris, aliter nunc veræ ratæque ſint, quàm quo primùm tempore à Chriſto ſunt editæ? Quid quòd tu ipſe fateris ſedere in cælis circunſcriptum, ſuiſque phyſicis eſſentialibus proprietatibus præditum Chriſti corpus? Ergo phyſicum fuit & eſt. *Sed eſt præterea,* inquis, *hyperphyſicis prærogatiuis incomprehenſibilibus ornatum.* Eſto, ſi modò hyperphyſicum appellas quòd communes naturæ leges ob gloriam nobis incomprehenſibilem tranſcendit. Sed quo iure antiphyſica cum hyperphyſicis confundis? Nam hyperphyſicorum collatio naturam nō adimit, antiphyſicorum autē perimit: niſi fortaſſe contendis mutata eſſentiali forma, rem ipſam non mutari. Et ne tuo more clamites hæc eſſe philoſophica non theologica, memineris in primis inniti iſta theologico iſto non philoſophico principio, Verbum ineffabili & incomprehenſibili ratione aſſumpſiſſe veram & naturalem naturam noſtram, materia, inquam, & forma ſiue proprietatibus eſſentialibus naturalem. Memineris & illud à te conceſſum, gloriam iſti corpori naturam, id eſt neque materiā, neque idiomata eſſentialia ademiſſe. Conceſſi autem ego iſta ſumma glorificatione (id eſt quantacunque cadere, ſalua natura, in rem creatam poteſt) abolitas humanæ naturæ infirmitates, quæ mihi quidem videntur ad duo genera poſſe commodiſſimè reuocari. Aliæ ſunt enim ab ipſa creatione, quòd Dominus naturas alias præſtantiores, alias deteriores eſſe voluerit, veluti præſtantior eſt animæ noſtræ quàm corporis, & rurſum meri ſpiritus ſiue Angelorum quàm animæ humanæ, qualis nunc quidem eſt, natura. Aliæ per peccatum inuectæ ſunt, & hæ rurſus partim vitioſæ ſunt, & peccati nomine comprehenduntur, qualis eſt ipſius mentis caligo, & affectuum fœdiſſima ἀταξία, totius denique hominis auerſio à Deo, à quibus omnibus pura & ab ipſo conceptu prorſus immunis fuit eius hominis vnius natura, quæ abolendo etiam in nobis peccato condita fuit, & à Verbo aſſumpta: partim verò ſunt primi lapſus pœnæ, nec tamen peccata, cuiuſmodi ſunt, vt arbitror, metus, triſtitia, & animi dolor, quicunque denique affectus malum reſpiciunt, cuius origo ſanè eſt à peccato: quod niſi incidiſſet, fatendum eſt omnino vacuam ab iſtis perturbationibus fuiſſe vitam hominum futuram, præſentium bonorum vſu maximo cum gaudio, & futurorum ſpe certiſſima beatiſſimè perfruentem. Non ſunt tamen iſti affectus peccata per ſe, vt Stoici cēſuerunt, ſed quatenus duntaxat à mediocritate & recto fine deficiūt. Talis eſt mortalitas vnà cum iis omnibus quæ miſerrimū & calamitoſiſſimum hoc corpuſculum infinitis doloribus excarnificatum, tandem ad interitum trahunt: quæ tamen & ipſa quamuis à peccato initium ducant, peccatum tamen non ſunt. Illas igitur primi generis infirmitates per peccatum in animum inuectas, omnes quidem, ſed rectiſſimè & ad amuſſim diuinæ voluntatis perfectiſſimè compoſitas, & mortalitatem quoque Dominus ac Seruator ille noſter, pœnas nimirum omnes peccatorum noſtrorum luiturus, vnà cum vero corpore per omnia nobis excepto peccato ſimilis factus aſſumpſit, pœniſque eâdem illis omnibus perfunctus depoſuit. Concedo & illud, de quo itidem ex Dei verbo certiſſimè conſtat, non illas duntaxat infirmitates tum animi tum corporis abolitas eſſe in glorificato Chriſti corpore, verùm etiam quum antea humana per ſe natura etiam ante lapſum mutabilis & inferior eſſet angelica, collatas in eam à deitate totā illam inenarrabili gloria in ſeipſa illuſtrante, tum animi tū corporis tot tantáſque dotes, vt quatenus ſupra res omnes creatas illa caro eminet ad dexteram Patris euecta, nullo modo poſſit à nobis comprehēdi, cuius tantæ beatitatis nos quoque pro noſtro

modulo cohæredes futuros liquet. Hæc, inquam, omnia non ex philoſophorum libris petita, non ex infitiis humanæ menti principiis elicita, ſed ex ipſo penè Dei ſinu deprompta ſcimus, credimus, profitemur, ideóque à veſtris conuiciis & calumniis ad ipſius Chriſti glorioſiſſimū tribunal prouocamus. Antiphyſica verò veſtra idcirco repudiamus, & in æternum repudiabimus, quòd iis poſitis, quum idiomata ſiue formæ eſſentiales quibus vnis res omnes inter ſe tum phyſicè tum hyperphyſicè diſtinguuntur, penitus id quod ſunt eſſe deſinant, (deſinit enim eſſe proprium quicquid eſſe commune incipit) ipſas quoque naturas aboleri neceſſe ſit. Nam profectò ſiquid præter vnicam deitatem, vſpiam eſſe reipſa & in ſeſe poteſt incircunſcriptè ac proinde vel pluribus vel omnibus ſimul locis, ſiue id ex ſeſe ſiue ex dono habeat, propria deitatis non fuerit eſſentiæ infinitas, ſed proprium duntaxat deitati fuerit infinitatem ex ſeſe habere, quam aliqua res alia obtinuerit ex dono: & iſta rurſum natura quę hac incircūſcriptione ſiue infinitate donata fuerit, aut corporea eſſe deſierit, aut ſimul finita & infinita, præſens & abſens, corporea & incorporea fuerit. Hæc autem contradictoria tantum abeſt vt vnquam probarint orthodoxi, vt contrà diſertis verbis ſicut toties demōſtrauimus, de glorificato Chriſti corpore hoc ipſum aduerſus Eutychen pernegarint, idque tum & ex ipſiut rationis recto iudicio quæ contraria in eodem ſubiecto non admittit, tum ex perſpicuis Verbi diuini teſtimoniis, quibus veritas vtriuſque naturæ Chriſti quantumuis glorificati cōprobatur, tum etiā vel ex eo potiſſimùm quòd niſi veritas vtriuſque naturæ in Chriſto permāſiſſe ſtatuatur, Seruator eſſe noſter non poſſit. Quæ quum ita ſe habeant, Selneccere, quæ tandem hæc pertinacia eſt pati non poſſe vt quo ſenſu panis ille dicatur eſſe corpus pro nobis traditum, & vinum illud ſanguis pro nobis effuſus, quærere ſit nefas. & eam demum interpretationem vt orthodoxam probare, quæ analogiæ fidei ad amuſſim reſpondeat, id eſt neque vnionis hypoſtaticæ definitioni, neque naturarum veritati, neque Sacramentorum naturæ & fini, neque verborū Chriſti firmitati repugnet? Nam vt illa duo priora prætermittam, de quibus abundè toties à nobis dictum eſt, quæ alia eſt Sacramentorum Eccleſiæ Chriſtianæ natura quàm vt incurrentibus in oculos ſignis Chriſtum (ſiue abſentem ſiue præſentem, ſiue propinquum ſiue remotum, nihil per ſe intereſt) & partim quæ noſtri cauſa fecit & pertulit, quanuis iam multis antè ſeculis dicta, peractáque ſint, partim quæ futura credimus & ſperamus, omnia denique ipſius beneficia menti noſtræ veluti contemplanda ſubiiciant? iſtius verò repræſentationis quis tandem alius eſt finis quàm vt his adminiculis excitata fide, magis ac magis tum ipſius Chriſti, tum omnium quæ ab ipſo in nos deriuantur ad æternam animi corporíſque felicitatem, participes euadamus? Iſtam verò ſacramentalem ipſius Chriſti & omnium eius beneficiorum tum repræſentationem certiſſimam, tum veriſſimam & efficaciſſimam κοινωνίας & obſignationem quis vnquam noſtrûm negauit? Repræſentatio igitur ſacramentalis & κοινωνία itidem ſacramentalis, duo ſunt vel præcipuè in hoc argumento ſpectanda, quarum rerum illa naturam, iſta finem Sacramentorum declarat. Et hic attendere te maximè velim, Selneccere. Ex rei natura de fine iudicandum eſſe conſtat, quum res ipſæ finis & vſus alicuius cauſa extent. Quî fit ergo, vt quum vel inuiti cogamini ſacramentalem Chriſti repræſentationem ad vnicam mentem & fidem referre (nec enim vel oculorum, vel palati, vel manus ipſo ſenſu percipi Chriſtum in Cœna dixeritis) nihilominus tamen quum de fine & vſu iſtius repræſentationis, de ipſa videlicet Chriſti corporis & ſanguinis perceptione & communicatione quæritur, corporalem eam eſſe contendatis, id eſt quæ manibus & ore corporis fiat? Nam ſi corporalem eſſe diceretis eò quòd corpus ipſum communicetur, vel realem eò quòd res ipſa menti per fidem participanda, non autem eius ἐνέργεια duntaxat, ac multò minùs imaginarium aliquid in Cœna detur, tum ſanè inter nos tranſactum eſſet, modò omnibus homonymiis cautio adhiberetur: ſublatíſque omnibus illis analogiæ fidei ex diametro repugnantibus commentis vel blaſphemiis potiùs, vera Sacramentorum natura & eorundem legitimus vſus ex Dei verbo planè ac perſpicuè pateret. Illud verò quàm abſurdum eſt, quòd teſtati manibus & ore ipſo percipi Chriſti corpus in Cœna, mox incognitum & ineffabilem iſtum modum eſſe ſubiungitis? Num enim, obſecro, modus quo corporum noſtrorum ſenſus agunt, nobis eſt incompertus? num etiam vultis corporeos ſenſus non tantùm incorporeè vt mentes noſtras, ſed etiam diuino & incomprehenſibili quodam modo agere? Hoc verò tam eſt falſum & abſurdum, vt inde etiam neceſſariò conſequatur, corporis ſenſus ſupra intellectum ipſum tanto eminere, quanto illorum quàm iſtius actio & præſtàtior eſſet, & ipſius Dei naturæ propinquior. His & illud adde, quòd ex illa veſtra corporali manducatione etiam ſi vobis daretur, nulla planè vtilitas percipi poſſit, qua de re tamen agè, expendamus quid ex D. Ebero repetieris. In ſumma vir ille hoc explicans, cauſatur multorum conſcientias ſenſu peccatorum grauatas non poſſe ſtatim ad illum vſque thronū dexteræ Dei ſeſe attollere, & ſupra cælos euolare, ideóque Chriſtum vltrò ad eos in Cœna deſcendere, & ſeipſum in terris corpore reipſa præſentem, manibus & ore ipſis ſumendum tradere, vt firmiores facti, tandem Apoſtolum ſequuti, propius ad ipſum maieſtatis thronum accedere audeāt. In iſtis verò, (quod nulla illius mortui iniuria, ſed vno veritatis ſtudio dictum ſit) quàm multa ſint reprehendenda non aliunde meliùs quàm ex ipſis eius argumentis liquebit. Morbum hunc infirmitatis fidei nemo eſt quem in ſeſe agnoſcere & deplorare non oporteat. Sed & alios aliis eſſe infirmiores plus ſatis ipſa experientia docet. De remedio quæritur quod iſte ponit in iſta corporali præſentia qua fiat vt in Cœna Domini intra manus ipſas ſumptam illam ipſam carnem, & illum ipſum ſanguinem Domini ori ingeramus. Primùm quibus de cauſis hoc dogma ſit falſum & intolerabile declarauimus. Nunc an ſatis idoneum ſit videamus.

Profert

Profert ille publicani illius exemplum, qui non fuerit auſus oculos in cælum attollere. Hoc verò, vt dicam quod res eſt, quàm non accommodate? Num enim de oculis ipſis in cælum attollendis agimus? Num publicanus ille in terram intuens, putabat minùs in terra Deum eſſe quàm in cælis? Imò præ pudore deiiciens oculos, ad quem interim alium mente aſſurgebat quàm ad illum ipſum ad quem confugiebat? Imò ponamus Chriſtum ipſum carne indutum & ab ipſo Seruatorẽ agnitum, ibi in templo tum fuiſſe corpore præſentem, an non exiſtimabimus illum fuiſſe ad eius ipſius pedes confugiturum, & tamen ad illius conſpectum oculos eodem pudore deiecturum? Vana igitur & puerilia iſta ſunt, quæuis neſcio quibus dialogiſmis & contemplationibus fucata, tenuis iudicii hominibus aliquid eſſe videantur. At nos, ſi neſcis, firma & ſolida quærimus, neque iſtis fumis paſci didicimus.

Deinde, quæ hæc eſt commentatio? Quia nonnulli quempiam procul poſitum reformidant, ipſemet ad eos præſens accedit? Et quomodo accedit? Omni maieſtate plenus, ſi Brentianis & Iacobandreanis credimus: diuina ipſa gloria præditus, ſi tibi aſſentimur. Et quónam iſte miſer potiùs tam propinquum hominem veritus non refugerit, quem etiam in cælis remotiſsimum tantopere reformidarit? Scilicet ſubruſticus quiſpiam vix ipſum principem procul in throno ſedentem audens intueri, non multò magis perturbabitur ſi Princeps ipſe è ſolio deſcendens quantumuis eum amicè compellet, ad ipſum vſque venerit? Et quiſnam publicanum illum verſus ipſum propitiatorium non audentem oculos attollere, exiſtimauerit non fuiſſe caſurum exanimem, ſi Deum ipſum ad ſe occurrere ſenſiſſet? Videmus enim quid ſanctis ipſis euenerit, qui tamen diuinis viſionibus aſſueuerant. *Sed*, inquies, *apparet ita corporaliter præſens in pane, vt tamẽ nihil iſtius gloriæ & ſplẽdoris emicet, quo peccator infirmus abſterreatur, ſed blandiſſima tantùm vox illa audiatur, Accipite, Edite, Bibite.* Eſto, vt hoc tibi largiar, at certè vel ſolus ille realis præſentiæ ſenſus ad alterum conſcientiæ terrorem accedens, infirmum quempiam non modò non erexerit, verùm etiam quàm vehemẽtiſsimè perculſerit, quod ex Adami hiſtoria liquet, iam tum accedentem & quaſi inter deambulãdum amicè illum compellantem Deum auerſantis.

Præterea ſi propter ſolos infirmiſsimos illos Cœna inſtituta eſt, & iſta corporalis præſentia defenditur, quorſum ad illam accederent, qui etſi perfecta πληροφορίᾳ præditi non ſint (ſumus enim omnes plus ſatis imbecilla fide) euſque tamen robuſti ſunt, vt, quemadmodum iſte loquitur, tutò ſequuti Apoſtolum, poſsint propius ad ipſum vſque maieſtatis thronum accedere? nempe inquies, vt eò confidentiùs accedant. Ergo prætermitti ſaltem iſtud non debuit.

Sed audi quædam etiam firmiora. Deitatémne cenſes minùs quàm carnem illam eſſe formidabilem? imò infirmus peccator ad huius hominis cogitationem non ita expauеſceret, niſi eundem quoque Deum & iudicem eſſe noſſet. At fides ante Cœnam peractam rectà ad illum fertur in verbo ſimplici, abſque iſtius corporalis in Cœna præſentiæ velo. Quódnam erit igitur remediũ iſtius formidinis, quum clamans Dauid hoc ipſo metu perculſus, dicat, Quò fugiam à facie tua? nempe res ille manſuetus nobis apparens, & ſimilis nobis factus. Quid ſi verò nos ipſe iam quoque nomen adeptus ſupra omne nomen non minùs perterrefaciat? Nempe nobis ad verbum confugiẽdum erit, ſiue ſimplex, ſiue Sacramentis veluti veſtitum. Quorſum id verò? num vt eum ipſum illic realiter præſentem inueniamus? minimè profectò, ſiquidem nullum inde remedium nanciſceremur, illi ipſi velut obuii facti quem licet remotum tantopere reformidabamus. Deſcendit igitur ad nos, fateor, prior Chriſtus, atque adeò nos refugientes data nobis per Prophetas & Apoſtolos fide, additiſque veluti pignoribus Sacramentis, pellicere non deſinit: qua ratione Chriſtum Apoſtolus ob Galatarum oculos fuiſſe veluti depictum commemorat. Num verò vt ibi quaſi corporaliter præſentem quæramus? nihil minùs. Nemo enim illum (vt ita loquar) in terris inueniet in Cœna, niſi qui priùs illum inuenit & apprehendit in cælo. Imò ideo adiecta ſunt verbo Sacramenta vt magis ac magis ſublata timoris cauſa, (diffidẽtia videlicet de ipſius φιλανθρωπίᾳ) in cælum è terris eò robuſtiùs attollamur. Ideo cupiebat Apoſtolus emigrare vt eſſet cum Chriſto, (à quo videlicet peregrè nos abeſſe alibi narrat) non autem vt corporalis præſentiæ modum inuiſibilem cum viſibili commutaret, quod delirium nunquam in Eccleſiam irrepſit, niſi quum denſiſsimæ iam tenebræ iuſto Dei iudicio lucem penè ipſam veritatis obſcuraſſent.

Et verò (vt vberiùs iſta exponam) quum à Baptiſmo Chriſtianè viuere incipiamus, cuius fructum tota vita noſtra colligimus: & quum nos quotidie quaſi in Dei conſpectu incedere aſsiduéque precari, ac proinde veluti coram Dei tribunali nos ipſos ſiſtere neceſſe ſit, quis nõ videt Chriſtianæ vitæ ordinem iſtiuſmodi commentis euerti, aut eſſe prorſus ἀνίκανα quæ vos traditis? Nam ſi vultis infirmos incipere ab iſta corporali in terris præſentia, vt poſtea in cælum vſque poſsint aſſurgere, vel priùs illos Cœnam participare quàm baptiſari aut precari neceſſe fuerit, vel inter meditandum Baptiſmum, & preces ante Cœnam Domini participatam toties conceptas, neque in pane Chriſtum ſpectaſſe, neque in cælum ad ipſum vſque Chriſti ſolium propter fidei imbecillitatem animos nondum erexiſſe, ac proinde fruſtrà verbum meditatos & precatos.

Præterea vllàne vera fides habenda eſt, obſecro, quæ Chriſtum, Chriſtum inquam, in cælis nũc regnantem non contempletur, & multò veriùs quàm vllo brachiorum complexu comprehendat? Quorſum igitur iſtam corporalem præſentiam qua priùs confirmeris quàm ad illam cæleſtem aſſurgas, quum nemo niſi illuc aſſurgendo credat, nec ritè ad hanc menſam quiſquam accedat niſi qui iam fide præditus in cælum conſcenderit? Imò vobis ipſis auctoribus, nemo corporaliter ad ſalutẽ Chriſtum in Cœna recipit, niſi qui priùs ſpiritualiter illum in cælis ederit. Quinã verò Chriſtum in cælis ediſſe quiſpiam dicetur quẽ fidei infirmitas euſque progredi prohibuerit? At ſi pro-

greſſus eſt, cur eum in terras reuocatis?

Res autem ita ſe habet. Quærendus eſt nobis Chriſtus ſpiritu & fide in cælis quò nos ad ſe vocat & vbi noſtrum eſt πολίτευμα: Cōſcēdimus autem in cælos fide & ſpe quaſi geminis alis ſubuecti. Hæc autem fides & ſpes gignitur & fouetur in nobis per Spiritum ſanctum duplici externo inſtrumento per ipſum efficaci, Verbo videlicet ſimplici & Sacramentis, quibus nos ab æterno gratis electos Deus de ſua gratuita in Chriſto reconciliatione magis ac magis reddit certiores, vt ſibi adiunctos magis ac magis iuſtificet, ſanctificet ac tandem ſecum viuificatos beet in æternum. Itaque probare ſeipſum omnes iubentur. Et rectè Auguſtinus, *Quid dentes & ventrem paras? Crede & manducaſti.*

Denique quid pluribus nobis opus eſt? Conſolaturus diſcipulos ſuos infirmos Chriſtus, paulò pòſt inſtitutum Cœnæ myſterium, tantum abeſt vt vllam iſtiuſmodi corporalis inuiſibilis præſentiæ vel tenuiſsimam faciat mentionem, vt contrà ſuam ad Patrem demigrationem identidem inculcet, & ſolius alterius mittendi Paracleti meminerit. Imò etiam addit expedire prorſus vt ſuum è terris corpus ſubducat. Ideo etiam Auguſtinus, ſimul etiam oſtendens nihil ad corporalē vllam præſentiam illud Chriſti dictum pertinere, Ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi: *Semper quidem*, inquit, *adeſt nobis diuinitate ſua, ſed niſi corporaliter abiret* (id eſt, phraſi quadam Aphricanis familiari, abiiſſet) *à nobis, ſemper eius corpus carnaliter videremus, & nunquam ſpiritualiter crederemus*: quæ ſanè conſequutio eſſet falſiſsima, nec ab Auguſtino tradita foret, ſi corporalis ſimul & inuiſibilis ac incircunſcripta, id eſt corporalis ſimul & incorporeæ iſtius præſentiæ commentum Eccleſia Chriſtiana vel fando audiuiſſet.

SELNECCERVS.

Pag. 183 & deinceps. Pag. 148. *Si ſola ſpiritualis manducatio ſufficeret in Eccleſia Dei, neque neceſſaria, neque vtilis eſſet Sacramentalis manducatio, quod falſum eſt & impium dicere. Et quod ait Beza, nos etiam poſſe ante Cœnam & abſque Cœna ſeruari, eſt alapam Chriſto impingere.*

BEZA.

De me quem hîc quoque nominatim ſummæ impietatis admodum impudenter accuſas, priore loco reſpondebo. Vſus ſum hoc argumento, quod vt alia pleraque ne attigiſti quidem. Si meritò arguuntur quaſi promiſsionis & Teſtamenti Chriſti veritatem ſuſtulerint qui corporalē eius in terris præſentiam negant, eius etiam criminis rei noſtri accuſatores deprehendentur, vt qui veritate promiſsionis & Teſtamenti Chriſti concedant credentes & baptiſatos etiam ante peractā Cœnam ſeruari, nec tamen vel in ſimplici Verbo vel in Baptiſmo iſtiuſmodi corporalem, ſed ſpiritualem duntaxat præſentiam ſtatuant. Quid tu verò contrà? *Colaphos impingit Chriſto Beza blaſphemus & impius*, inquis. Quînam id verò? *Quia dicit poſſe aliquem ante Cœnam & abſque Cœna ſeruari.* Magnum ſcilicet flagitium. Si hoc negas, cur non etiam infantibus (peruerſo veterum nonnullorum more) Cœnam porrigendam cenſes? Sed quid ſi tua ipſius voce abſoluor? Mos enim tu ipſe hactenus neceſſarium Cœnæ vſum fateris, vt ſolos eius contemptores facias damnationis reos, nec inter contemptores eum recenſeas qui in viſibili Eccleſiæ cœtu eſſe non poſsit, & tamē vera in Chriſtum fide viuat. Num ego verò aliter vnquam ſenſi vel docui? En igitur quò tui iſti clamores euadunt, Sed ad ipſum argumentum quid tandem reſpōdes? Fingis me ſic colligere. Saluari poſſumus abſque Cœna. Ergo non eſt opus vt Chriſtum præſentem in Cœna ſtatuamus. Eo quidem certè modo præſentiam nego quo tu affirmas: veram autem præſentiam quæ videlicet ſpiritualis eſt, & mentis ac fidei non oris obiectum, tantum abeſt vt tollam: vt etiam tueri aduerſum te nō deſinam. Me verò ſic eſſe ſtolidè ratiocinatum vnde tandem conijcere potuiſti? Imò ab effectis ad cauſam ita ſum argumentatus. Si verū eſt quod dicit Selneccerus, irritum facere Chriſti teſtamentum qui corporalem in Cœna præſentiam Chriſti negant, conſequetur extra hanc in Cœna corporalem Chriſti præſentiam, nullam eſſe ſalutem, quum irritum factum teſtamentum neminem ſeruet. Atqui vel ipſius Selnecceri confeſsione conſtat etiam ante peractam Cœnam nonnullos ſeruari, alios quidem ſola fide, alios etiam baptiſatos. Ergo illud falſum eſt. Sic, inquam, ſum argumentatus, Selneccere. Tu verò primùm reſpondes Teſtamenti nomē à te reſtringi ad Cœnā Domini, quaſi verò Baptiſmus quoque non ſit alterum eiuſdem Teſtamenti ſigillum. Deinde tuo more in tuis enthuſiaſticis exclamationibus, & iis verboſè perſequēdis occupatus, de quibus nulla eſt controuerſia, partim inficiatione ſimplici nonnulla diluens, partim pleraque nō minùs ſecurè prætermittens, quàm ſi nulla facta eſſet eorum mentio, habes ſcilicet de quo ſuperbias. Sed agè, aliquid Selneccero dignum tandem aliquando audiamus. Poſtquam enim, ſimiole, in tertium vſque cælum abreptus, adeò vt corporalis tuæ in terris præſentiæ planè oblitus videri poſsis, multa velut cum ipſo Chriſto colloquutus es, tandem in hæc verba erumpis:

SELNECCERVS.

Pag. 167. *Si decipimur, nihil inde incommodi nobis accidet, ſed laudem potius & ſimplicitatis gloriam in illo die reportabimus.*

BEZA.

Quid audio? tene, quamuis leuiùs peccet qui inſcitia quàm qui malitia peccat, ſimplicitatem & quidem laude dignam appellare, craſſam eorum ignorantiam qui doceri recuſant? Num

igitur

igitur Anthropomorphitarum craſsitiem, num Noetianos ſimpliciter ſe credere teſtantes vnum eſſe Deum, Sabellianos reſpondentes ſimpliciter ſe credere verbis Chriſti, Ego in Patre, & Pater in me eſt, Arrianos ſimpliciter arripientes Pater maior me eſt, Tritheitas ſimpliciter tuentes ex Chriſti verbis, Patrem eſſe ſolum verum Deum, Origenem ſeipſum ſimplicitate caſtrantem, Iudæos & Saulum in primis zelum non habentes ſecundum ſcientiam, Papiſtas, multò etiam quàm vos ſimpliciùs Chriſti verba de Cœna interpretantes, num, inquam, infinitos iſta ſtulta credulitate deceptos, audebis non modò vt leuiter peccantes, excuſare, ſed etiam vt laude dignos commendare? At longè aliter Paulus, qui ſe nihilominus blaſphemum fuiſſe pronuntiat quanuis ignorantia, & credulitate nimirũ Phariſaica peccãtem. Et tamen audes in has etiam voces erumpere. *Si ſimpliciter credentes verbis Chriſti exiſtimantur errare, profectò bene errant, atque hic, ſi nominandus eſt error, Chriſto placet admodum. Sinit enim Deus vt in exemplis maximorum Patriarcharum videmus, ſanctiſſimos viros ſimpliciter credere, etiam ſi non omnia intelligant.* Quaſi verò nos nihil credendum dicamus niſi quod rationibus humanis intelligatur, ac non potiùs hæc ſit fidei laus, quòd intellectum ipſum in ordinem cogat: aut quaſi quoniam omnes ex parte cognoſcimus, idcirco ſint commendandi qui vel ſimpliciſsimè errant, nedum vt Deo gratum facere cenſeamus qui pertinaciæ ſimplicitatem prætexũt. Denique, Selneccere, quis te ſpiritus docuit, etiam in fidei dogmatibus errantes, & à ſeſe vel aliis ſtulta credulitate deceptos, quaſi non modò non peccantes, verùm etiam vt Deo gratum facientes prædicando, in errore confirmare? Hóccine eſt verò paſtoris vna? hóccine doctoris munus? Pag. 1o. & 2o. libi paſsim.

Nunc verò paucis videamus quomodo noſtra quædam diluas. Oppoſui humanæ naturæ quãtumuis glorificatæ veritatem, quæ infinitati & Multipræſentiæ ex legibus tum phyſicis tum hyperphyſicis planè diuinis & immutis repugnet. Tu excipis Chriſtum non eſſe ψιλὸν ἄνθρωπον, id eſt de aliis interrogatus, de cæpe reſpondes. Nec enim quæritur an Chriſtus ſit Deus & homo, ſed an humana in Chriſto natura idiomatibus ipſius deitatis eſſentialibus in ſeipſa ſit donata, id eſt an humana natura ſit vel in deitatem mutata, vel humanitas ſimul & deitas, vel tertium quiddam ex vtraque compoſitum, quorum trium vnum ſaltem aliquod dico ex tuo dogmate conſequi. Iſtud verò quorſum ad illam Samoſateni hæreſin?

Dixi à vobis detrahi Chriſti gloriæ, quum docetis tam longè latéque ipſam Chriſti carnem quàm ipſius imperium patere, quum ſit glorioſius cuipiam procul imperare, quàm ſi præſentia ipſa perſonæ requireretur. Quid tu contrà? *firmiſſima eſt,* inquis, *reſponſio, non eſſe à potentia Dei abſoluta diſputandum, ſed à verbo Dei ordiendum, qui quum ſit Deus, præſtare poſſit quicquid dixit.* Nec te iſtorum pudet, quæ ſanè ſunt firmiſsima inauditæ in diſputando imperitiæ demonſtratio? Quid enim eſt principium petere, ſi hoc non eſt? & quorſum iſtam de potentia diſputationem huc in loco, in quo non de eo quod poſsit vel dixit, ſed de hoc vno quæſitum fuit, commendétne Chriſti carnis gloriam veſtrum iſtud dogma an obſcuret? Obſcurari manifeſtè conſtat ex Centurionis fide tantopere à Chriſto commendata, qui abſentem etiam carne Chriſtum præſtare quiduis poſſe credidit. vt planè videri poſsis ἀναίσθητος, quum me hoc ipſum affirmantem, de Chriſti carnis potentia & maieſtate plurimum detrahere vociferaris. Pag. 112. Pag. 52. & 120.

Oſtendi quàm fœda, quàm indigna, quàm à ſalutis myſteriis & verbo Dei rectè intellecto aliena ex veſtra illa orali manducatione conſequantur. Tu contrà poſtquam ſpiritualia in corporalia, pro arbitrio tuo transformaſti, ſatis tutum eſſe te putas, ſi voluntatis & potentiæ Dei latebras captans, inde neſcio quid tibiipſi incompertum garrias. Sic etiam olim Eutychiani, vt disertè & totidem penè verbis illi præſertim quos tam impudenter calumniatus es, Theodoretus & Vigilius docent. Verùm quibus tandem inter ſe Chriſti voluntatem & potentiam confligere perſuaſeris? Pag. 56. & 104. Pag. 132.

Vſus ſum etiam hoc argumento: Si adimitur dominium carni niſi ſtatuatur eſſe in ſeſe & reipſa vbicunque eſt deitas, cur iſti vbique eſſe negant: ſed tantum vbicunque vult ibi demum eſſe affirmant? Reſpondes, additam eſſe de meo particulam TANTVM. At ſi præter veſtram ſententiã hoc ſcripſi, cur non igitur apertè dicis vbique eſſe, & hunc vbiquitatis ſcopulum tantopere refugis? num quòd ibi appareant tuorum ſociorum naufragia? Pag. 240. & deinceps.

Scripſi Cœnam Domini à nobis minimè exinaniri, primùm quòd illa myſteria nos quoque doceamus duabus rebus conſtare, nempe ſignis, putà pane & vino illo, & vero tum corpore tum ſanguine Domini, idque non in alium finem quàm vt vtrunque, ſigna videlicet corporaliter, rem autem ipſam ſpiritualiter per fidem participemus. At tu ſingula ſuggillans, vide quàm appoſitè reſpondeas. Clamitas verbo nos fateri præſentiam & communicationem quam reipſa tollamus. Vnde hoc probas? quia realem in terris præſentiam & oralem perceptionem negamus. Liceat igitur mihi ſimili argumento negare, Selneccerum non eſſe animal quoniam ſit homo. Addis non quæri an verum corpus Chriſto attribuamus. ſed an doceamus illud ipſum corpus dari, edi, bibi. Reſpõdeo non poſſe nos aliud corpus Chriſti in Cœna pro re Sacramenti ponere, quã illud ipſum traditũ pro nobis, quũ bicorpor aut tricorpor nõ ſit Chriſtus. Adeóne verò fueris impudẽs vt dicere auſis idcirco poni à nobis corpus pro re Sacramenti vt illud contemplemur, ac non potiùs vt verè fiamus eius participes? Fucum facis igitur quum ais diſceptari à nobis verum illud corpus ſit præſens & detur an nõ. Hoc enim concedimus, hoc tuemur, & quidẽ multò quàm vos apertiùs ac pleniùs. ſed hoc quæritur, ſítne iſta ſpiritualis præſentia, & fidei perceptio, an verò realis & corporalis. Opponis poſtea nobis Irenæi verba, quaſi Sacramẽta pro rebus cõmunibus habeant qui ſacramẽtalem coniunctionem aliter quàm vos definiunt. Subiicis præterea nos velle corpus & ſanguinẽ tantùm ſignificari & abſentia repræſentari. Significari certè contendimus, quòd alioqui Sacramẽ- Pag. 250. & deinceps.

ta non eſſent:& quidem abſentia ſignificari ſi ſitum loci ſpectes, vti in corporali præſentia neceſſariò faciendum eſt. Tu verò an non fateris Chriſti quoque ſacrificii memoriam in his myſteriis celebrari? atqui mors illa multis iam antè ſeculis quod ad ipſum actum attinet, præteriit. Quid? vetera illa ſacrificia Chriſtum ipſum venturum & non modò abſentem, ſed ne extantem quidē fidei repræſentabant. Etſi ergo iam venit Chriſtus, tamen neque abſentia neque præſentia rerū ſignificatarum pertinet propriè ad ipſam Sacramentorum naturam, ſed ſatis eſt ſi quod ſiue abſens ſiue præſens ſignificatur, verè etiam detur, quod abſit vt vnquam ſimus inficiati, quanuis ſpiritualiter tantùm fidei adeſſe & per eandem accipi ex Dei verbo doceamus. Diſputas poſtea de ſpecifico inter Baptiſmum & Cœnam Domini diſcrimine, quod tu in re ipſa ſignificata ponis, quoniam dictum non ſit, Hæc aqua eſt ſanguis, ex quo tu vis effici Chriſtum in Baptiſmo ſua duntaxat virtute & efficacia, in Cœna verò præterea carne ipſa & ſanguine præſentem eſſe. qua de re in reſponſione ad mei plagiarii decimam quartam demonſtrationem dixi. Et de tuis quidem reſponſis hactenus.

Superſunt denique paucula quæ vt negligi optimo iure potuerint, nolui tamen omittere, ne quid videri poſsim tuo more reticuiſſe. Quòd Illuſtriſsimum Principem Electorem Auguſtum, Saxoniæ ducem auſus fuerim compellare, partim ambitione partim callidè factum à me putas. Atqui tu ipſe me non modò ad hoc impuliſti, ſed etiam adegiſti. Quem enim potiùs appellarē quàm eum ipſum ad quem expoſtulationem de me tuam detuleras? Exoptas eum tibi dari iudicem. Ego quem accepi nunquam æquis conditionibus recuſarim. Quin igitur hîc vterque cauſam dicimus? Nam per me quidem non ſtabit.

Pag. 9. Doles tibi inſcitiam & ruditatem obiici, quaſi mihi inſignem aliquam ſcientiam vendicem, quū de tua inſcitia queror, adeò quidem vt me quodam loco in idolum transformes, quaſi videlicet Pag. 96. adorari velim & omnia mea reuerenter excipi poſtulem. Atqui nunquam ita inſaniui, Dei gratia, & minimè vereor ne qui me norunt tale quippiam de me ſuſpicentur. Ad illud autem quod attinet, miror vnde tandem id conieceris, niſi ex eo quòd tuæ inſcitiæ redarguendæ magna cuipiam Pag. 21. doctrina opus eſſe credidiſti, in quo tamen magnopere profectò falleris.

Hortatus ſum illuſtriſsimos Germaniæ Principes vt eos coerceant qui ſacri miniſterii auctoritate abuſi, quiduis ſibi dicere & ſcribere fas eſſe putāt: quod ſanè ſi factum eſſet, aut deinceps fieret, longè alia pax Eccleſiarum eſſet. Si hoc ad te non pertinet, Selneccere, quid perturbaris? Ecce enim primus ego cauſam dictorum & factorum coram æquis omnibus iudicibus dicere non recuſo. At tu quàm calumnioſè iſtam æquiſsimam ac planè ſi vnquam aliâs neceſſariam poſtulationem interpretaris? *Vbi*, inquis, *vulpina locum habere non poteſt, ibi aſſuendum eſſe leoninam didiciſti, ideò tu mones vt à Principibus coerceantur qui ſe tibi opponunt veritatem Chriſti propugnantes. Quæritis ſanguinē, hypocritæ crudeles, & ſi penes vos eſſet poteſtas, non parceretis innocentibus.* Improbe, qua in re me vulpem aut leonem præbui? Tu quidem potiùs leo fueris vel ex feris illis Canibalibus quiſpiam, qui corpus ipſum Chriſti cui carnifices hactenus pepercerunt, ore ipſo deuorandum tanta contentione vrgeas. Cæterùm aut illos à quibus oppugnor fatearis oportet ex illorum eſſe numero quos coercendos dixi, aut calumniam negare tuam non potes. Illud ſi verum eſt, tantum abeſt vt eius poſtulationis me pœniteat, vt illos contrà obteſtari non deſinam vt primo quoque tempore pro ſuo iure tales diſsidiorum Eccleſiæ auctores ac fautores quàm ſeueriſsimè coërceant. Sin verò falſum eſt, cur tam æqua & piorum Principum zelo maximè cōuenientia, imò & tibi commoda, ſi veritatem aduerſum me tueris, poſtulantem me calumniaris? Qui tam apertè loquitur, num videri poteſt hypocrita? qui Principes ad iure coërcendos omnium hominum nocentiſsimos hortantur, num cui meritò crudeles, & ſanguinem ſitire videri poſſunt?

Pag. 15. De Chriſti nomine puderet me ruſus tecum agere ni tua impudentia me inuitum cogeret de hoc quoque nonnihil huc adigere. Vigilium antiquiſsimum Epiſcopum & Martyrem, doctiſsimū & religioſiſsimum veritatis orthodoxæ defenſorem aduerſus Eutychen, cuius dogma in reali proprietatum confuſione ſtultiſiſsimè defenditis, (ſtultitia enim eſt, auctore etiam eo à quo te primùm non puduit Chriſtianiſmum vocare Lutheraniſmum, poſito antecedēte negare conſequēs) hunc, inquam, auſus es quater in prima illa mei accuſatione vix totidem folia complexa reprehēdere. Ego ſic tibi reſpondi vt ſaltem in eo ſapueris quòd contrà nihil initiò reſponderis. At nunc tibi valde, vt apparet, aliis in rebus occupato, venit rurſum in mentem vt neſcio quid de Chriſti nomine garrires, quod dixeras malè ſcripſiſſe Vigilium de Chriſti carne non de Verbi natura dici. Ego vero, (quod ex ipſo nomine vel pueri norunt) ex quatuor Auguſtini teſtimoniis Vigilii ſententiam probaui. Quid tu verò contrà? *Ieſum Chriſtum*, inquis, *dicit Beza non eſſe perſonæ nomen, ſed humanitatis vocem.* Egó ne verò hoc dixerim? hóccine Vigilius à quo contrarium eodem loco defenditur? hóccine Auguſtinus, cuius verba in hunc ipſum finem citaui, vt oſtenderem Chriſti nomen ſic tribui humanitati, vt etiam diuinitati coniūctim, id eſt toti perſonæ tribuatur? Et quæſo quînam Chriſti nomen negarem toti perſonæ competere, quum centies tibi reſpondens ſcripſerim ipſam totam perſonam interdum Dei interdum hominis ſimplici nomine intelligi, quæ tamen voces naturas ipſas reſpiciunt? Sed tu nimirum, vt es admodum acutus, putaſti perſonæ denegari quod alteri naturæ propriè competere diceretur: & hac ſiue audacia ſiue inſcitia fretus, audes mihi Neſtorii blaſphemiam impingere, qui *χριστοτόκον* Mariā fatebatur, *θεοτόκον* non item, quaſi videlicet Chriſtus vnctus eſſet gratiæ perceptione, nō ipſius deitatis hypoſtatica vnione. Sit igitur hoc quoque tuum reſponſum, tuæ tum inſcitiæ tum audaciæ certum apud omnes teſtimonium.

Dixi nos non admittere quintum vllum Euangelium, quod à me in Auguſtanam con-

feſsionem

feſſionem dictum putas. Atqui mea hæc verba ſunt, *Noſtrum non eſt dicere, Sic ait Zuinglius, Sic ait Caluinus, Sic Heluetica confeſſio,* (nempe vt Pythagoræi ſuum illud αὐτὸς ἔφα) *nō quaſi nos iſtorum pudeat, quibus ſane indignus fuit mundus, ſed quòd nullum quintum Euangelium agnoſcamus.* Cur non igitur iſta potiùs in noſtros vel in noſtram, id eſt Helueticam confeſsionem dicta meritò exiſtimes? Dixerim igitur etiam, ſi voles, non quidem in Auguſtanam confeſsionem, (quamuis illi nolim niſi certis conditionibus ſubſcribere) ſed in te tuique ſimiles, qui pro Dei verbo quod ex cuiuſuis ſeu veteris ſeu noui, ſeu clari, ſeu obſcuri ſcriptoris ore prolatum, audire cum omni reuerentia parati ſumus, iſta nobis obiicere nomina tanto ſupercilio conſueuiſtis, vt nefas eſſe exiſtimetis illa vel expendere vel etiam interdum refellere. Exemplo ſit nouum mihi quidem iſtud tuum factum, qui quam profiteris de Cœna Domini doctrinam, magna certè cum veſtrarum Eccleſiarum ignominia Lutheraniſmum inſcripſiſti. At ſi tibi tantoperè Lutheraniſmus placet, (quem tamen Lutherus ſi nunc viueret non modò non ferret, ſed etiam, ni fallor, quàm vehementiſsimè cum ipſius auctore, deteſtaretur:) cur in eo non Lutherizas potiùs quòd ille iam pridem vltrò & ingenuè faſſus eſt, ſicut tibi ſurdo toties cecini, ſe nimirum contentionibus iſtis agitatum ſæpenumero quæ perſonæ ſunt naturis, quæ naturarum ſunt perſonæ tribuiſſe?

Dixi diſcrimen inter καθ' ἑαυτὸ & κατ' ἄλλο à te non intelligi vel diſsimulari, & rectè dixi, quum iſtud velis idem ſignificare atque aliunde vel θύραθεν vt dicebant Neſtoriani, ex quo conſequetur καθ' ἑαυτὸ idem valere atque ex ſeſe & οἴκοθεν, ineptè & falſò vtrunque. Nā hoc modo de ſolo Deo propriè diceretur τὸ καθ' ἑαυτό. Quid enim habent cætera quod aliunde non acceperint? Quomodo autem iſtæ phraſes accipiendæ ſint (nam de rebus ipſis non ago) pudere te non debuit ex Ariſtotele meliùs diſcere, quum ad harum rerum explicationem tantoperè pertineant, vt ex vno penè iſtarum formularum diſcrimine bene perſpecto, tota hæc controuerſia, niſi valde fallor, planè & perſpicuè decidi poſsit. Pag. 38.

Reprehendi quòd inter Vnitatem & Vnionem non diſtinxiſſes. profers erratum ſimile ex ſcripto quodam Tiguri edito, cuius tamen inſcriptionem non edis, fortaſſe ne mendax deprehendaris. Vtcunque ſit, rectè illud in te reprehenſum fuiſſe conſtat, quod agnoſcere & excuſare debuiſti, quum iſtiuſmodi per incogitantiam multis etiam rectè ſentientibus excidant. Pag. 39.

Cupiui te diſcere diſcrimen eſſe permagnum inter has duas formulas, Homo Chriſtus, & Chriſtus Homo, quoniam vox poſterior priorē, vt loquuntur, determinet. Tu neſcio quod inter Thomiſtas & Scotiſtas certamen commemorans, iſta tanquam nugas deſpicis. Atqui ſi nugæ ſunt, mi homo, hæ nugæ tam ſeria ducunt, vt earum ignoratione interdum non modò falſa ſed etiam blaſphema dicas & tuearis, quorum poſtea pudere teipſum oporteat. Pag. 40.

Scripſi etiam obiter voce παντοκράτωρ non ſignificari quempiam omnia poſſe, quomodo accipi conſueuit Omnipotentis nomen, ſed in res omnes imperium obtinere. Latiùs autē patere Omnia efficere poſſe quàm Omnibus dominari, vel illud oſtendit quòd effici à Deo poſſunt quæ neque adhuc extant, neque ea naturæ ordine fieri vnquam poſsint, quum dominatio præſupponat rerum exiſtentiam quibus aliquis dominetur. Neque tamen hæc dixi quaſi de infinita Dei potentia dubitans, ſed vt quum de omnipotentia Dei diſſeras, obiter in hoc quoque diſcrimine aliquid eſſe poſitū demonſtrarem. Quid tu verò? *Rideo*, inquis, *ſuauiter conatus tuos.* Quidni enim id faceres homo tam ſecurus? Sed vide ſis, mi homo, ne riſum iſtum prophanum terminent lacrymæ. Nam quæ præterea de Schadai dicis, contra me nihil faciunt, qui niſi Deum omnia quantumuis impoſsibilia poſſe mihi perſuaſum haberem, Chriſtianos omnium hominum miſerrimos eſſe cum Paulo pronuntiarem. Pag. 41.

En quo iure, Selneccere, noſtra reſponſa & argumenta ſcribas per ſe concidere & euaneſcere cum Dei verbo collata. At ego tibi, quantauis contumacia in certaminibus iſtis inſtaurandis perſtes, fore denuntio, vt verè dictum eſſe experiaris, πάντ' ἐστι σαθρὸν ὅσ' ἂν μὴ δικαίως ᾖ πεπραγμένον.

FINIS.

THEODORI BEZAE VEZELII, AD F. CLAVDIVM DE XAINTES, APOLOGIA

PRIMA.

***

QVOD paucíſsimis, ætate præſertim noſtra, Theologis contigit, vt ex quo primùm die de rebus ſacris diſſerere & ſcribere cœperunt, nihil in doctrinæ ſumma mutare per totum vocationis ſuæ curſum cogerentur, idipſum quoque vt alis multa Deus Opt. Max. fideli ſeruo ſuo D. Ioanni Caluino conceſſerat: minimè id quidem quaſi non quotidie aliquid diſceret, vnus omnium, vt arbitror, hominum φιλομαθέστατος, vel quòd, vt nonnulli obtrectatores dictitant, peruicaciter ſua defendere quàm veritati aſſentiri mallet: ſed quòd nonniſi in ſingulis Chriſtianæ doctrinæ capitibus adeò probè edoctus ac planè confirmatus ad docendum & ſcribendum acceſsiſſet, vt quanuis quotidie ſibi Eccleſiæque toti proficeret, tamen quò longiùs pergebat, certiùs teſtimonium haberet, ſe ab ipſo ſtatim initio veram illam ſolidæ firmæque Religionis viam ingreſſum, adeò quidem vt in tam multis tamque variis ſcriptis quanta vix alius quiſquam Theologus edidit, vnus idémque ſui perpetuo ſimilis in doctrinæ Euangelicæ ſingulis placitis comperiatur. Mihi verò adhuc in eodem ſtadio currenti, & ita quidem vt veluti in ſingulis eius veſtigiis pedem ponam, etſi quid ſit deinceps euenturũ pro mea imbecillitate neſcio, ſpero tamen id conceſſum iri, Patris cæleſtis clementia & bonitate freto, vt quod adhuc feciſſe me non pœnituit, porrò quoque me facere minimè pigeat, nempe vt ſicut in ipſius labores, ita volente Deo, ſucceſsi, ſic quoque in doctrina Chriſti, vt eſt nobis ab hoc ſummæ tum doctrinæ tum pietatis viro tradita, & immorari & immori me iuuet. Inuenti ſunt tamen (adeò nullus eſt aduerſus malorum inuidiam & improbitatem ſatis tutus) qui in tanto conſenſu ſummam repugnantiam inuenire ſe poſſe teſtentur, ſiue quòd ita eſſe ſibi perſuaſerint, ſicut Pentheo furenti duplices Thebæ apparent: ſiue quòd opprimendæ veritatis cupiditate obcæcati, putant ſeſe (vt de ſophiſtis inquit ille ſenex apud Comicum) λέγοντας ταῦ[illegible] δίκαιά τε κἄδικα. Tales hodie multos habet Gallia, mortuo, (vt ipſi quidem arbitrantur) leoni canum inſtar inſultantes, ac me quoque, quem ſuis latratibus perterrefactum iri ſomniant, pro viribus laceſſentes. Horum igitur vnus hic quoque garrulus ſanè & importunus, quum non contentus, vt plerique alii abſentem maledictis inceſſere, conatus etiam eſſet publico ſcripto veritatem per meum latus confodere, ſuſtinui meipſum ad aliquot menſes, tantiſper dum ille toto conatu (ſicut ſe facturum minatur) in me perlatus, maiorem mihi declarandæ compeſcendæque ipſius inſaniæ occaſionem præberet. Verùm quum tardiorem eſſe viderem illius voluminis editionem quod ille ſe in nos paratum habere iactat, placuit mihi quoque nonnihil cum ipſo luſitare, vt iam nunc aliquod operæ ſuæ tam feliciter collocatæ præmium ferat. Omittam verò libens tum pleraſque illius libelli ineptias, veluti quod inuitum ſeſe à ſuis ſodalibus huc pertractum dicit, ac tandem etiam ſuo Cardinali virtutẽ & conſtantiam in perſecutionibus precatur, quę quidem non ſine riſu legi poſſunt: tum etiam cõuicia partim in Caluinum ipſum, cuius vel ſola memoria miſerrimè nunc iſtos excarnificat, tum etiam in nos quos Caluini diſcipulos vocat furenter iactata. Nam quid me ſcribere potiùs quàm quid illum audire deceat, ſpectare conſtitui: & iſtiuſmodi hominum maledictis neque optimi ac præſtantiſsimi illius viri vel beata quies turbari, vel clariſsimum nomen obſcurari poteſt: neque nos commoueri magnopere decet, quos ſi qua laudis cupiditas titillaret, ſanè quoties iſti nobis conuiciantur, toties nobis vitæ honeſtæ & laudabiliter tranſactæ tropheum ab illis ipſis ſtatui arbitraremur. Dicam igitur paucis de re ipſa. Sperauit iam olim iſtorum factio & adhuc ſperat, noſtrarum, id eſt Gallicarum Eccleſiarum confeſsionem cum Auguſtana committendo, facturam ſe vt quicunque à Romano pſeudepiſcopo defecerunt, vel ſuis ipſorum viribus ruant, vel ita certè debilitentur, vt ab ipſis opprimi poſtea nullo negotio poſsint. Nefarium hoc conſilium non tantũ detexit, ſed etiam pro bonitate ſingulari ſua Dominus adhuc impediuit, & porrò etiam, vt ſperamus, impediet. At bonus iſte fraterculus audacius etiam facinus parans, nos non modò cum Auguſtana confeſsione, ſed etiam cum Helueticis Eccleſiis committere ſtudet. Conſilium certè nõ minùs impudens quàm ſceleratum. Vbi enim ſumma eſt conſenſio, cuiuſmodi ſemper inter Helueticas & Geneuenſem Eccleſiam fuit, diſsidia ſomniare maxima impudentia eſt, cum ſumma improbitate coniuncta. Inter quos autem non prorſus conuenit, inter eos diſsidia augere velle, planè

diaboli-

diabolicum eſt. Neque verò vlla cauſa eſt cur Pauli Phariſæos & Sadducæos inter ſe committentis exemplo ſeſe bonus iſte vir tueatur. Nam meritò quidem Paulus quod ad reſurrectionem attinet, Phariſæum ſe vocat. Iſte vero an de Cœna Domini cum iis quos Lutheranos appellat, ſentire ſe diceret, quum & nos & illi potiùs in Tranſſubſtantiatione oppugnanda conſentiamus, ipſe verò cum ſuis & nos & illos pro perditis hæreticis execretur? An oblitus es vero, Claudi, quid in illa ludicra potiùs quam ſeria velitatione tuo Cardinali reſponderim, hoc ipſum quod tu nunc agis molienti? Quærebat ille, deprompta ex ſinu ſchedula quam eſſe Auguſtanam confeſsionem initò ſimulabat (erat autem, vt poſtea apparuit, priuatæ cuiuſdam VVitembergenſium theologorum confeſsionis exemplum non ita pridem à quodam Raſcalano ipſius exploratore, inſciis tamen illis, vt opinor, ad ipſum allatum) an ei poſſemus aſſentiri. Ego viciſſim ex ipſo quærere, an ipſemet aſſentiretur. Negauit ingenue, inopinato meo reſponſo perculſus. Tum ego, Quid igitur, anquam, ad te attinet, cum illis ſentiamus nécne, quum ab vtriſque diſsideas? Reſpondeo tamen, ne me tergiuerſatum putes, pro fratribus chariſſ. nos habere quos Proteſtantes appellas: nec niſi in pauculis ab Auguſtana Confeſsione diſsidere, quæ & ipſa ſi commoda interpretatio afferatur, facile cum noſtris conciliari poſſent, niſi quorundam intemperies obſtaret. Hæc tum ego, quorum te oblitum eſſe non puto, quo magis nunc mirarer idem nunc conſilii vos cœpiſſe, niſi quis ſit veſtræ factionis animus, quis veſter pudor, quæ conſcientia mundus vniuerſus iam pridem intelligeret. Idem nunc tamen tibi reſponſum eſto. Sed iam ecce ad libellum ipſum tuum venio. In ipſo limine & tuæ ipſius & noſtræ conditionis oblitus, nos Caluini diſcipulos, circulatores & præſtigiatores vocas. Atqui nos ita ab iis pendere quos pro fidis Chriſti ſeruis habemus, vt interea ab ore & Verbo ſcripto vnius Dei pendeamus: vos autem veſtráque planè Patribus quos vocatis, Synodis, Pontificibus, quamuis ſæpiſsimè tum à Dei verbo, tum à ſeipſis diſſentientibus, conſuetudine deique niti, imò vos etiam Monachos infinitas planè regulas & innumerabiles ſi non magiſtros, at certè νομοθέτας, & eos quidem ἀνυπευθύνους habere, ne tu quidem auſis diffiteri. Veri ſunt igitur hominum diſcipuli? Nobis nefas eſſe niſi præeunte doctrinæ & morum examine, & certo quoad eius fieri poteſt, deſignato loco, in Eccleſia docere, vos verò econtrario veluti deſultorios eſſe paſtores & doctores (veri an falſi nunc non quæro) an tu negare audebis? Tu ò etiam vos monachos præſertim (quod iam olim Chryſoſtomus, vt noſti, de ſui temporis monachis conquerebatur) leſertis monaſteriis, quæ quidem amplius nulla ſunt, omnibúſque Eccleſiaſticis legibus ac moribus neglectis: ſpretiſque adeò veſtrorum illorum numinum, id eſt pontificum Rom. toties expreſsis mandatis: violatis denique tot Chriſtianorum Regum ac principum minis, in foro, in curiis, in aulis, in pulpitis, imo illic quoque vbi inueniri ſumma infamia eſt, paſsim conſpici, verſari, dies noctéſque ire & redire, ſi fortè negaueris, an non tuo ipſius exemplo probabitur? Sum, inquies, Doctor. Doce igitur in monaſterio, vel Eccleſiæ doctor factus, monachus eſſe deſine. Vtrunque enim ſimul, imò clericus nedum paſtor ſimul & monachus eſſe non potes, vt ipſa nominum notatio demonſtrat, & veteres omnes canones clamant. Obiicies fortaſsis Antonii factum Alexandriam venturantis. Verùm meminiſſe te oportuerat, neque Epiſcopi vel paſtoris munus Antonium inuaſiſſe, neque niſi coactum in vrbem veniſſe, neque quum veniret ibi hæſiſſe, quin potiùs hæc dicere in te tuique ſimiles conſueuiſſe. Piſcibus, inquiebat, lethalis eſt extra aquas conuerſatio, neque minùs monachus in periculum cæleſtis vitæ & profeſsionis ſanctioris amittendæ venit, ſi moras in vrbibus trahat. Hæc ille. Fateor tamen quod res ipſa conuincit, magnam factam eſſe ab eo tempore rerum commutationem, ſiquidem in mediis iam vrbibus, præſertim populoſiſsimis & corruptiſsimis monaſteria iam ſunt conſtituta, falliſsimo quidem & minimè omnium apto nomine: in quibus etiam ita viuitur vt qui puram cæleſtémque vitam agere velit, nihil æquè ſe illas omnium turpiſsimarum libidinum publicas officinas fugere teneatur. Vides igitur, opinor, F. Claudi, quibus potiùs quàm nobis conueniat agyrtarum ſiue circulatorum nomen: quod certè nô commemoraſſem, niſi tu me eò adegiſſes. Sed & illud ignorare non potes, à vobis quidem Chimæram illam tranſſubſtantiationis, accidentia ſine ſubiecto, corpus abſque quantitate, opus operatum, diuorum cultum, inaniſsimas denique ſuperſtitiones omnes defendi: nos contrà nihil æquè vrgere ac verbum Dei ab omnibus legi & intelligi, peregrinarum linguarum vſum in Eccleſiis reprehendere, magicas veſtras conſecrationes damnare, ſtultum & hiſtrionicum omnem cultum abolere, hoc denique aſsiduis clamoribus flagitare, vt cultus ille Dei in ſpiritu & veritate ex vno Verbo ſcripto inſtituatur. Nec vos animaduertitis illos ipſos eſſe quibus præſtigiatorum nomen ad amuſsim quadret?

Subiicis quos Caluini diſcipulos vocas, ſubſtantialẽ eſum modò affirmare, modò negare. Egregiè profectò, & vt Sorbonicũ doctorẽ decuit. Quid enim obſecro? adeóne parũ in dialecticis promouiſti vt homonyma diſtingui oportere, & diuerſo reſpectu idem & affirmari & negari meritò poſſe nô didiceris? Si vos dixero corporis Chriſti præſentiã in Sacramento interdũ negare, interdũ affirmare, quoniã aduerbium CORPORALITER quũ libuit, aduerſum nos vrgetis, & rurſus quũ libuit, ſpiritualiter tantùm eſſe & ſumi corpus in Sacramento contenditis (niſi fortè vobis hæreticus eſt Caietanus) an non vobis iniuriam fieri & diſtinguenda eſſe hæc aduerbia SPIRITVALITER & CORPORALITER clamitabis? patere igitur tandem nos quoque iſta diſtinguere. Caiet. tom. opuſc. tractatu 2.cap.5. Primùm omnium igitur illud ſcito, nos Subſtantiæ nomine nihil aliud quàm Chriſtum ipſum Deum & hominem intelligere: quo vocabulo idcirco vſi ſumus, cum Auguſtanæ confeſsionis doctoribus agentes, vt nos intelligerent, per illud SPIRITVALITER non ſolam Humanitatem (quid enim abſurdius eſſet quàm corpus & ſanguinem vocare æternum illum λόγον?) neque

duntaxat effecta à Filio Dei incarnato, ad nos veluti ex fonte promanantia, ſed ipſummet Chriſti, Deum & hominem ſimul, intelligere, ab ea tamen natura denominatum ea Dei verbo, cuius aſſumptione factus eſt nobis Frater, in qua explicatione vos nobis aſſenſuros ſperamus. Hoc poſito, ſi per SVBSTANTIALEM ESVM, intelligitis realem aliquam ſiue vnionem, ſiue traiectionem, ſiue permixtionem ſubſtantiæ Chriſti, vt ex illius & noſtra ſubſtantia, ceu ex pluribus partibus vnum quiddam compoſitum euadat, ſiue illud Dei omnipotentia ſpirituali & incomprehenſibili, ſiue vllo alio modo conflari dicatis: ac præſertim ſi ita vt declarat illa craſsiſsima & falſiſsima confeſsio quæ Berengario obtruſa eſt, iſtud myſterium accipitis, ſanè verò huiuſmodi SVBSTANTIALEM omnem præſentiam & eſum negauimus, negamus, & negabimus, & vos non magis Theologos eſſe quàm cucurbitas affirmauimus, affirmamus & affirmabimus. Sin verò per ſubſtantialem eſum accipitis ſpiritualem, vt loquitur Paulus *πνευματικήν*, quæ eſus & potus nomine per tropum ſignificatur ad declarandam analogiam ſignorum (quæ corpore eduntur & potantur) cum re ipſa, id eſt cum Chriſto ipſo (qui ſicut eſt ſpirituale alimentum, ita etiam nõ corpori, ſed fidei ore ſpiritualiter accipitur) idque non vt ipſæ ſubſtantiæ realiter coaleſcant, ſed vt Chriſtus ipſe noſter per fidem ſpiritualiter factus, magis ac magis nos iuſtificet & ſanctificet in vitam æternã: tum planè SVBSTANTIALEM ESVM ſemper affirmauimus, affirmamus, & fauente Deo, ad extremum halitum affirmabimus. Hanc non Zuinglii, non OEcolampadii, non Caluini, non noſtram, ſed totius veræ Catholicæ Eccleſiæ ſententiam ſemper fuiſſe, à ſummis illis veræ noſtro hoc tempore Religionis inſtauratoribus conſtanter aſſertam, & à nobis hodie, Dei beneficio, aduerſus omnium calumnias defenſam, verbis & ſcriptis & cum Dei verbo & inter ſe prorſus conſentientibus profitemur: quam ſi non intelligis, cur tandem reprehendis? Sin verò intelligis, vel certis rationibus illam refelle vel ei aſſentire. Conſequens erat, vt quibus argumentis Caluinum incerta omnia & pugnantia tradere conuincas, tecum expenderemus. Sed quum aliò nos voces, agè te quoque præeuntem ſequamur.

Vt, inquis, *iudicetur quàm ſincerè Caluinus ſe in iſto Cœnæ negotio geſſerit, ante omnia meminiſſe oportet, quum tæderet plurimos diuturni diſsidij quod inter Lutherum & Cinglium* (nam ne huius quidem nomen nedum ſententiam tenes) *exarſerat, tum Caluinum quaſi nouum Deum ex machina demitti. retur, repentè apparuiſſe: qui de eorum controuerſia cognoſceret ac decideret.* Agnoſco verba quæ tibi Magiſter tuus, Balduinus apoſtata, nullius ſanè ingenii homo, dictauit. A quo enim potiùs hæc ineptiſsima proficiſci potuerunt? Placet tamen nonnihil ad hoc quoque reſpondere. Cur inter tantos heroas minùs in hoc argumento conuenerit, peccata communia effecerunt. Nec enim alia verior cauſa eſt cur veritas inter nos minùs perſpiciatur. Denſiſsimæ tenebræ miſeros mortales operuerant. Vos cæci cæcorum duces quibus nulla re magis quàm lucis ſplendore dolent oculi, lumen non modò non admittebatis, ſed etiam oppoſitis omnibus obſtaculis obſtruebatis. Oderunt enim lucem, qui malè agunt. Emerſerunt aliquot, aliis fruſtrà reluctantibus, non abſque mirifica & planè ſingulari clementiſſ. Patris miſericordia. Placuit eis lux præ tenebris. Sed quid mirum eſt eos ex tã profundo ſcholaſticæ & monaſticæ matæologiæ ſpecu prodeuntes, ad tantæ lucis fulgorem nonnihil caligaſſe, & ſicut illi cæco vſuuenit, cuius meminit Matthæus, res ipſas quidem animaduertiſſe, ſingulas tamen earum partes diſtinguere ſtatim non potuiſſe? Sunt enim non modò diuerſa donorum genera, ſed vnius etiam eiuſdémque doni diſtributio certis quibuſdam momentis ac gradibus definitur. Exorti ſunt poſtea nonnulli, & inter cæteros quidem Ioannes Caluinus, non qui cenſoria virgula hanc vel illam partem notaret, nedum vt veluti iudex aliquis omnes ad ſuum tribunal citaret: ſed qui ad Eccleſiæ miniſterium legitimè vocatus, prætéritis ipſis perſonis, iſtas controuerſias placidè modeſtéque (pro ſuo munere) ex Dei verbo componeret. Dic igitur amabo, quid hîc potiſsimùm reprehendendum putas? ſi priùs naſci Caluinum volebas, cum Dei prouidentia contendis: ſin priuſquam vocaretur loqui, iniquum petis: ſin aliter loqui, nihil veriùs aut modeſtiùs dici vel ſcribi potuiſſe dicimus, tu ſi potes, contrarium oſtendito. Sed video quid potiſsimùm factum fuiſſe velles, nempe vt vel nunquam ille natus eſſet, vel vt, quod de me tuum illum Cardinalem in veſtro illo cœtu Piſsiaceno dixiſſe meminiſti, aut ille mutus aut nos omnes ſurdi facti eſſemus. Sed Deo ſit gratia, quòd aliter euenit. Tuum autem illum Deum è machina delatum, quum tibi tuus magiſter dictaret, an non te animaduertebas ab ipſo, quamuis alioqui non ita naſuto derideri? an non tibi in mentem veniebant vel ſolennes illæ panacei numinis veſtri pompæ, vel ludicra veſtra theatra, vel machinæ illæ veſtræ, ex quibus miſerum illud cruſtulum dies noctéſque *μετέωρον* propendet, vel denique pyxides ex quibus tanquam ex larario, deum veſtrum depromitis? Rideas at ego ſeriò loquor, & quandoquidem hoc maximè veſtra intereſt, illud etiam addam auctarii vice. Edita ſunt iſthic Ciceronis opera ſanè quàm diligenter & accuratè. Ibi inuenies Ciceronem Ægyptios excuſantem, negare vllam vnquam gentem adeò ſtolidam fuiſſe vt id quo veſceretur, Deum eſſe crederet. Hîc videat Sorbona quid ſibi agendum putet. Nam certè periculum eſt ne quum librum illum omnes terant, aliquid impietatis inde hauriant. Remedium erit fortaſſe, ſi curaueris addendum ad marginem, excipi Romanam gentem reliquis omnibus ſtolidiorem. Vtcunque ſit, & machinationes veſtras, & nouos deos veſtros vobis non inuiti relinquimus. Suggeſsit tibi poſtea idem magiſter hiſtoriolam Q. Fabii Labeonis quam Cicero libro off. 1. commemorat. *Is quum arbiter eſſet Nolanis & Neapolitanis de finibus agri, datus, quum vtriſque perſuaſiſſet ne cupidè quid agerent, aut appeterent, atque vt regredi quam progredi mallent, illorum ſicut vti dixerant terminauit, in medio quod erat, populo Romano adiudicauit. Vt ſimili ſolertia Lutherum & Zuinglium falleret, Caluinus operam dedit. Librum ſcripſit De Cœna Domini, in quo illos de finibus verſatu*

tatis certantes coërcet, & quod inter eos medium relinquebatur occupat, vt tãdem vtrunque de tota poſſeſſione deijciat. Dignum certè Balduini acumine commentũ. Fefellit vtrunque Caluinus? Atqui Zuinglius multis antè annis quàm hic appareret, à veſtra factione cæſus ad meliorem vitam tranſierat. Lutherum autem, ſi ita eſſet vt dicis, neque ille liber ſcilicet, neque edita Chriſtianæ Religionis inſtitutio ad aliquam ſaltem expoſtulationem commouiſſet. Deinde etiam ſi its id eſſe factum vt tu vis confiterer, quid inter hæc exempla ſimile comperies? Nam ſi tibi credimus, ita ſe geſsit Caluinus, vt partim cũ Luthero, partim cum Zuinglio ſentire ſe ſimularit. Hoc verò nec eſt profectò litem in cauſam ſuam vertere, ſiue rem controuerſioſam ſibi adiudicare, vt fecit iſte Labeo & in alia etiam cauſa populus Romanus: ſed potiùs cum vtraque parte, vt loquũtur, colludere, litémque producendo commoda ſua comparare: illud agere denique quod tuus iſte magiſter iſta conſcientia præditus ageret proculdubio ſi vel iudex vel ſaltem cauſidicus iſtic eſſe poſſet. Sed agè, mediam ſententiam ſequutus ſit Caluinus, an tibi non placent, qui vt extrema deuitent, auream mediocritatem quærunt? quanquam quid hoc ad te? Vtrauis enim pars vicerit, tibi tuæque tranſſubſtantiationi cauſa cadendum eſſe non ignoras. Audiamus tamen quid dicas. *Lutherus*, inquis, *eas partes tuebatur quæ præſentiſsimum in pane & vino Euchariſtiæ verum & naturale Chriſti corpus eſſe, & inde realiter ac ſubſtantialiter etiam ab indignis ſumi aſſerunt.* De hoc verum an falſum ſit, ita vt tu craſſè loqueris, viderint ii qui Lutheri partes maximè nunc ſequi ſe velle dicũt. Certè nõ aſſentitur Seckius, cuius tamen libro VVittenbergenſes aiunt ſubſcripſiſſe. *Zuinglius contrà*, inquis, *fouebat illas quæ à pane & vino penitus corpus & ſanguinem abſtrahunt, cælóque concludunt, percipi tamen fructus & merita paſsionis à Chriſto per Sacramentum Euchariſtiæ defendunt.* Hîc tu verò grauiſsimè vel iſtarum rerum ignoratione vel improbitate peccas. Primùm enim Zuinglium à pane & vino corpus & ſanguinem penitus abſtraxiſſe turpiſsimum mendacium eſt. Quid enim aliud hoc eſſet quàm inter Sacramenta & res communes nullum facere diſcrimen? Sed hoc quidem maximus ille vir ex Dei verbo paſsim docuit quod certiſsimũ eſt, nimirũ eã non eſſe rei ſignificatæ & ſignorũ copulationem quam nonnulli imaginentur, quaſi videlicet reipſa caro & ſanguis ſit inuiſibiliter, in, vel ſub, vel cum pane, quum minimè hoc requirat ſacramentalis coniũctio, vt vbi eſt ſignum ibi quoque ſit res Sacramenti, idque manifeſtè corporis Chriſti veritati & eiuſdem in cælos aſſumptioni, repugnet, atque adeò vel vnicum MEMORIÆ nomen eum errorem plus ſatis arguat. Non igitur rem à ſignis abſtraxit Zuinglius, ſicut tu confingis, ſed illam cum his non niſi ſacramentaliter coniunctam affirmauit: cuius quidem coniunctionis hæc vis eſt, vt quod externo ſymbolo ſenſibus corporeis figuratur, & fidei noſtræ per Verbum promittitur, id ipſum ſpiritualiter quidem, at verè tamen fide percipiendum donetur. Quidnam autem illud eſſe cenſuerit, ſuo loco dicemus. Alterum tuum mendacium eſt, quòd inuidioſè criminaris à Zuinglio Chriſti corpus & ſanguinẽ cælo concludi, quaſi videlicet cælum pro quodam ergaſtulo habeamus, ac non potiùs hæc calumnia iis quadret qui Chriſtum vel pane, vel armariis & pixidibus, ventre denique ipſorum etiam impiorum concludunt. Quòd ſi tibi ſermo noſter nõ placet, quum dicimus verũ Chriſti corpus nuſquam nunc re ipſa eſſe niſi in cælis, quibus illum capi ad alterum vſque aduentum oporteat: agè ſi libet cum Petro, id eſt cum ipſo Spiritu ſancto litigato. Tertium autem tuum mendacium hoc eſt, Zuinglium ſcribis exiſtimaſſe merita paſsionis Chriſti, per Sacramentum Euchariſtiæ percipi. Nam hoc certè falſum eſt, quo ſenſu abs te dicitur, & ab illius omniũmque verorum theologorũ ſententia prorſus alienum. Paulò mitiùs, & tamen ſuo more duriter ſcripſit Hilarius, hæc ſumpta & hauſta efficere vt Chriſtus ſit in nobis & nos in illo. Etſi enim Sacramenta (vt & Verbum ſimplex) agnoſcimus pro Spiritus ſancti organis, quo ſenſu dixit Paulus, hunc panem eſſe corporis Chriſti κοινωνίαν, abſit tamen vt quod vnus Spiritus ſanctus in credentium cordibus operans efficit, id eſt Chriſti perceptionem, ad res vllas creatas quantumuis ſanctificatas, id eſt ſancto vſui deſtinatas transferamus. Veſtrum igitur non autem Zuinglii hoc eſt commẽtum, qui poſtquam ſurſum attollenda corda per ludibrium vociferati eſtis, mox ad veſtrum inane ſpectrum faſcinatas miſerorum mentes transfertis. Quidni enim ſpectrum appellem quòd id inuiſibiliter eſſe credi vultis, quod ne eſſet quidem ſi inuiſibile eſſet: & id rurſus non eſſe quod ſenſus omnes renuntiãt? Et hæc quidem hactenus tum de Lutheri tum de Zuinglii ſententia. Iam quæ ſit illa quam Caluinianam vocas audiamus. *Media*, inquis, *reſtabat ſententia quæ panem & vinum ſentiret cum Zuinglio corpore & ſanguine Dei vacua, & tamen cum Luthero videretur affirmare, non puram ſpiritualem gratiã in Sacramento percipi, ſed de cælo ipſam carnem Chriſti & ſanguinem fidelibus adminiſtrari.* Imò verò panẽ & vinum vacua eſſe ſigna corpore & ſanguine Domini, quo tandem loco prodidit Caluinus? hoc quidem ſi oſtenderis, viceris. Sed quoniam ex iis quæ tradit, hoc neceſſariò conſequi ſomniaſti, an propterea nos reos peregiſti? Triplici omnino modo ſignã myſteriorum euacuantur: vno, ſi nullum inter ſacra ſigna & res communes diſcrimen ſtatuatur, quod nemo, niſi planè profanus fecerit: altero, ſi mutuæ tantùm noſtræ coniunctionis teſſeras eſſe cum Anabaptiſtis dixerimus: tertio, ſi tantùm mentis noſtræ veluti obiecto quopiam commonefaciendæ cauſã, ac non etiam noſtræ cum Chriſto ſpiritualis communionis verè ac efficaciter per fidem ſanciendæ gratia dixerimus ex Chriſti mandato adhiberi. Quidam quartum præterea genus euacuationis ſeu potiùs exinanitionis excogitarunt, nempe niſi ipſa caro & ipſe ſanguis realiter & eſſentialiter in, ſub, vel cum ipſa panis & vini ſubſtantia, vel definitiuè, vel repletiuè, vel, vt nunc loqui cœperunt, perſonaliter: vel, vt alii ne ſeipſos quidem intelligentes ſentiunt, mirifico & ineffabili modo quodam, ſtatuantur. Vos autem cæteris [illegible], actum de Religione

& ſublata prorſus nedum euacuata Sacramenta clamitatis, niſi non modò panis ille carne, & vinũ illud ſanguine Chriſti farciatur, ſed etiam panis ipſe in corpus, & vinum ipſum in ſanguinem trãſubſtantientur. Nec vos iſtius tam craſſi, tam pudendi, tam à fidei Chriſtianæ analogia, ab Euãgelica hiſtoria, ab omni Sacramentorum natura alieni commenti, cuius vel Satanam ipſum pudet, tãdem aliquando pudebit? Sed hoc eſt, inquies, potiùs conuiciari quàm ad obiecta reſpondere. Reſpondeo conuicium non facere qui quod res eſt dicat, nos verò tum faſſuros iſtius vel quartæ, vel quintæ exinanitionis Sacramentorum crimen, quum Sacramenta ſic ex Dei verbo & fidei analogia repleta fuiſſe demonſtraueritis. Itaque priorem illam partem Caluinianæ ſententiæ ſicut à te traditur, meras eſſe calumnias concludo. Venio iam ad alteram, in qua nihilo meliore fide nobiſcum agis. Carnem enim & ſanguinem Chriſti nobis de cælo ſubminiſtrari non autem puram ſpiritualem gratiam, ambiguè dictum eſt: ac etiam, ni fallor, non ita in Caluini libris ſcriptum hoc oſtendas. Chriſtum quidem ipſum in primis à nobis fide in cælum vſque prouectis ſpiritualiter eatenus apprehendi, vt inde omnis in nos æternæ vitæ vis ac ſuccus promanet, ac proinde fundũ à fructibus, & ſpirituale alimentum ab ipſo Chriſto ex quo proficiſcitur, ſeparandum non eſſe ſingulis penè paginis apud Caluinum inuenio. Hanc ſententiam quum Lutherus ignorare non potuerit à Caluino tum verbis tum ſcriptis proditam, nec tamen vel leuiſſimo vllo verbo reprehenderit, cur, obſecro, mortuos inter ſe committere niteris? diſſentire tamẽ illam in quibuſdam ab iis qui videri volunt Lutheri ſenſa optimè tenere, idque fortaſſis, vt ingenuè loquar, non immeritò, minimè inficior. Iure an iniuria nunc non diſputo. Sed hoc affirmo, neque iſtos qui nũc veſtris quoque flabellis in nos excitantur, neque vos ipſos Tranſſubſtantiatores quicquam amplius in Cœna Domini conſtituere poſſe quàm ſtatuerit ex Dei verbo Caluinus, quamuis alium præſentiæ & perceptionis modum & vos & illi (quandoquidem ita vtriſque libet) ponatis. Agè enim obſecro, ponamus ſi vultis, non ore tantùm ſumi, ſed dentibus etiam ipſis atteri, & ventriculo quoque concoqui illam ipſam Chriſti carnem. Quorſum hoc fieret quæſo? an non vt eius ſucco aleremur? Quum autẽ hanc alimoniæ rationem de qua nunc agimus, ſpiritualem eſſe conſtet, & quidem ſpirituali æternæque vitæ deſtinatam, qui fit vt ſpirituali modo præſentiæ ac perceptionis non contenti (quæ longè efficaciſſima eſt, & neque veritati corporis Chriſti, neque Euangelicæ hiſtoriæ neque Sacramentorum naturæ & vtilitati vel tantillum derogat) eſſentialem præterea ipſius realem neſcio quam præſentiam ac manducationem fidei analogiæ ex diametro repugnantem, adeóque prorſus, altera illa poſita, ſuperuacaneã ſomnietis? A Zuinglii verò ſententia (ſi rem ipſam ſpectes) ne hilum quidem quod Caluinus tradidit diſcrepare, quamuis paulò planiùs quid in Sacramento percipiatur definiat: vel ſummus ille ac perpetuus Tigurinæ & Geneuenſis Eccleſiæ conſenſus tibi confirmaſſet, niſi te odium noſtri & iuſtum Dei iudicium obcæcaſſet. Nam vt de Caluini ſinceritate nihil dicam, ii certè non ſunt Tigurini fratres, ac præſertim ii quos nominare te nõ pudet, Martyr videlicet ac Bulingerus, tum ſummæ doctrinæ, tum maximi iudicii homines, qui Caluini fraudem, ſi qua hîc fuiſſet vel animaduertere non potuerint, vel diſſimulare in illius gratiam voluerint.

Hîc tamen diuino quid ſis obiecturus, nempe quæ paſſim inculcat Zuinglius, *cæſam Chriſti carnem nos à cæde ſeruare, comeſſam nihil prodeſſe: veram illam carnem Chriſti ne ſpiritualiter quidem edi: carnis & ſanguinis nominibus mortem ipſam ſignificari: carnem Chriſti manducare nihil aliud eſſe quàm credere*, & ſi qua ſunt ſimilia. His enim contraria videtur Caluinus affirmare, *carnem Chriſti videlicet qua crucifixa eſt, oportere à nobis comedi. veram ſubſtantiam carnis nobis ſpiritualiter communicari: Chriſtum ipſum non eſſe à ſuis donis ſeparandum: manducationem eſſe fidei effectum.* Hæc ſunt, ni fallor, de quibus in tuo illo volumine triumphaturum te ſperas, vt Zuinglianos in Caluiniſtas acuas. Sed quid proficies miſer tuo iſto diſcordiæ ſpiritu? Nec enim Apollos, nec Cephas inter nos, ſed ſolus Chriſtus regnat. Omnes (inquam) in vno Chriſto acquieſcimus, cuius fidei miniſtros fuiſſe tum Zuinglium tum Caluinum ſcimus. Ad rem autem ipſam quod attinet, nullam in his eſſe repugnãtiam non difficile eſt ſani iudicii hominibus demonſtrare. Comeſam vbique carnem vocat Zuinglius ex aduerſariorum ſenſu, quæ ſiue ſenſibili ſiue ſpirituali modo in noſtra corpora traiicitur: & rectè negat hoc ſenſu carnem quicquam prodeſſe, quoniam mactata eſt in ara crucis vt ſemel eius morte non autem deuoratione ſeruaremur. Hoc Zuinglianum dictum qui ſiniſtrè accipiebant, concludebant eum ſimpliciter negare omnem carnis manducationem, quod quidem eſſet ipſa Chriſti verba manifeſtè inficiari, nec vnquã illi in mentem venit. Ideo comedendã etiã carnẽ aſſeruit Caluinus: ſed ſimul quid vocabulo mãducationis carnis & ſanguinis Chriſti intelligeretur, perſpicuè declarauit, nẽpe nõ oris aut dentiũ vllã actionẽ, nõ ſubſtãtiarũ traiectionẽ, aut permixtionẽ, aut inter ſe applicationẽ, ſiue corporali ſiue ſpirituali modo factã, ſed ſpiritualẽ illã *κοινωνίαν*, qua fit vt ille ipſe Chriſtus Deus & homo crucifixus pro nobis, verè noſter fiat, adeò quidẽ arctè, vt ea ipſo quicquid ad ſalutem noſtrã requiritur, ipſáque adeò vita æterna in nos promanet, qui ſpiritualis nexus ſimilitudine membrorum & capitis, itémque matrimonialis copulæ adumbratur. Quæ eſt igitur in iſtis repugnantia? Eiuſmodi certè eſum à Zuinglio minimè repudiari (quis enim hoc faceret?) ex ſingulis penè paginis liquet. *Chriſtus*, inquit, *apertè docuit ſpiritus eſſe comeſtionem non oris.* Item, *ſpiritualiter edimus, quum per Dei gratiam ad Chriſtum venimus.* Item, *pii non ſolum ſymbola dentibus premunt, ſed vltra ſymbolorum manducationem quæ oris corporis fit, intus in mentibus ſuis corpore & ſanguine Chriſti per fidei manducationem paſcuntur.* At enim, dicet quiſpiam, corporis & ſanguinis nomine Zuinglius vbique teſtatur ſe non ipſam carnẽ,

Zuinglius de vera Religione.

Zuinglius in hiſtoria paſſionis.

ſed

ſed Chriſti mortis efficaciam: atque adeò interdum ſpiritum, id eſt ſpiritualem vim Chriſti Dei & hominis intelligere. Reſpondeo ne hoc quidem Caluini ſententiæ repugnare, ſi dextrè & ex Zuinglii mente intelligatur. Quis enim eum fuiſſe Zuinglium exiſtimet, qui vel Chriſtum diuiſerit, vel eorum quæ Chriſtus pro nobis impleuit efficaciam ab eiuſdem carne re ipſa ſeiunxerit, acſi fides noſtra in paſſionem carnis ita ferretur, vt carnem ipſam quæ paſſa eſt negligeret? Res autem ita ſe habet. Magnus ille vir aduerſus ſarcophagos agens, quorum duo genera eſſe videbat: vnum eorum qui craſſo quodam modo, & vt ait Nicolaus Papa, ſenſibiliter comedi carnem Chriſti ſub panis & vini ſpeciebus crederent, cuius tamen erroris ipſum quoque Caietanum puduit: alterum eorum qui ſpirituali & incomprehenſibili neſcio quo modo ſubſtantiam ipſam carnis re ipſa in pane præſentem, manibus & ore ſumi ſomniant, ex quo errore tandem natum videmus Vbiquitatis monſtrum: totus in eo fuit nimirum, vt ſpirituale hoc myſterium eſſe declararet, ideóq; ſubſtātiæ ipſius eſum eſt infitiatus, quatenus videlicet ab aduerſariis ſtatuebatur. Huius rei gratia Caluinus quum Zuinglii ſententiam à nonnullis malè intelligi videret, ac ſi corpus Chriſti in ſpectrum vel certè in abſtractum quiddam transformaret, quod nunquam tamen illi in mentem venerat: clariùs id quoque ſtuduit explicare. Itaque fidem noſtram inprimis in Ipſummet Chriſtum ferri docuit, ſecundariò verò in ipſius merita & obedientiam, in ea denique omnia quæ ex ipſo in nos qui ipſius membra ſumus promanant. Vſus eſt autem de induſtria Subſtantiæ vocabulo, quoties præſertim illi cum Sarcophagis negotium fuit, partim inſiſtens Chriſti veſtigiis, qui carnis & corporis & ſanguinis nomina ſic vſurpauit: partim verò vt eò dilucidiùs illa inter ipſummet Chriſtū & eius dona, ſiue (vt ita loquar) inter ſubiectum & accidentia, ſiue inter fundum & fructus diſtinctio appareret. Et certè quum ab ipſo Chriſto pendeat, (Chriſtus autem per carnem ſiue in carne nobis appropinquat) quicquid ex ipſo per fidem tum in Verbo ſimplici tum in Sacramentis ſpiritualiter haurimus, magis propriè loquimur, quum ipſam carnem & ipſum ſanguinem, ſiue ipſum Chriſtū ſic ab ea parte in qua pro nobis paſſus eſt deſcriptum, ſtatuimus pro re ſignificata tum Verbi ſimplicis, tum Sacramentorum: quàm quum fructum & efficaciam illius pro re Sacramenti ponimus. Veriſsimū eſt tamen illud quoque quod Zuinglius ſpectauit, nempe Chriſtū ipſum noſtrum fieri, non vt re ipſa coaleſcat ipſius ſubſtantia cū noſtra, ſed vt noſter factus, ſuam in nos vitā inſtillet, quod myſteriū cùm alibi paſsim, tū verò vel maximè Caluinus in Matth. 26, clariſsimè his verbis explicauit. *Tria, inquit, hic obſeruare operæpretium eſt, ne perperā res ſpiritualis cum ſigno miſceatur: deinde ne quæratur in terra Chriſtus vel ſub terrenis elemētis: tertiò ne fingatur alia manducatio quàm quæ arcano Spiritus virtute vitā Chriſti nobis inſpirat, quod ipſum non niſi ſola fide conſequimur.* Et mox, *Non eſt ſomniandum naturalem fieri ſubſtantiæ eius tranſitum in animas noſtras, ſed comeditur à nobis eius caro dum ex ea vitam percipimus. Tenenda enim eſt analogia ſiue ſimilitudo panis cum carne, qua docemur non ſecus paſci animas carne ipſa Chriſti, quàm panis inſtillat corporibus vigorem. Spirituale ergo alimentum eſt Chriſti caro, quæ nobis viuifica eſt. Ideo autem viuificat, quia vitam quæ in ea reſidet,* (reſidet autem non aliter quàm quia Filii Dei caro eſt, vt docet idem Caluinus capite 9.) *Spiritus ſanctus in eos diffundit.* Hæc ille, ex quibus rurſum apparet quàm de nihilo quoque tu in hoc tumultueris. Reſtat vltimum illud in quo rurſus, ſi rem ipſam ſpectemus, diuerſitatem aliquam, repugnantiam autem nullam comperiemus. Quid enim eſt manducare Zuinglio? credere. Quid Caluino? credendo Chriſtum apprehendere, vt vitam nobis inſpiret. Sic enim Caluinus in iis quæ modò citauimus, quibus & hoc ſubiicit, *Quanquam*, inquit, *aliud eſt veſci Chriſti carne quàm in ipſum credere, ſciendum tamen eſt non aliter Chriſto nos poſſe veſci quàm per fidem, quia manducatio ipſa, fidei eſt effectus.* Nullum eſt igitur in iſtis nouæ doctrinæ genus. Tantùm ſtuduit Caluinus, vt malos illius ſententiæ interpretes refelleret, ac ſi Zuinglius ſpiritualem rei ſignificatæ perceptionem tolleret, inter effectum & inſtrumentum diſtinguere, quum neutrum tollere voluiſſe Zuinglium non tantùm ex eo appareat quòd inde conſequeretur quod abſurdiſsimum eſt, nempe fidem effectu ſuo priuari, ſed etiam ex ipſiuſmet verbis. Sic enim ille, *Corpus & ſanguinem mens fidelis percipit, & percepto Spiritus Dei calore concoquit, & in interiora animæ viſcera traiicit, ex quo intima & mirifica piæ mentis refectio accedit.* Hæc ille, noſtris certè penitus conſentanea. Hæc enim omnia ſpiritualiter, ita vti diximus, & ex ſacramentali metonymia explicanda ſunt. Zuinglia hiſtoriam paſſionis.

Hæc ego verò pluribus perſequi volui, partim vt accuſationis tuæ fundamenta ab ipſo ſtatim initio ſubuerterem, partim vt quum ad rem ventum erit, quàm vana & futilia ſint quæ tibi magiſter tuus ſuggeſsit, eò faciliùs appareat. Comminiſceris poſtea offenſos Tigurinos iis quæ hac de re Caluinus in Ioannem, in epiſtolam ad Corinthios, in Inſtitutione denique ſcripſerat, pacatos fuiſſe tractatu quem de mutua Tigurinæ & Geneuenſis Eccleſiæ conſenſione conſcripſit. Quum hæc autem agerentur, tuus ille monitor abſens Caluinū parentem ſuum adhuc vocabat, & quanuis inter eos verſaretur à quibus defecerat, & ad quos tanquam ſus ad vomitum nunc tertiò rediit, tamen emanſorem ſe confeſſus transfugæ nomen deprecabatur. Itaque etſi hominem qui nulla re magis quàm iſta putida hiſtoriarum narratione ſeſe venditet, turpe eſt in accuſationis fundamento labi, tamen facilè illum excuſo, quòd paruin iſta curet. Edita eſt illa mutua conſenſio aliquot antè annis quàm in Ioannis Euangelium quicquam ſcriberet Caluinus. Itaque turpe & pudendum eſt hoc mendacium. Sed ne me tergiuerſari velle exiſtimes, probabile eſt illum apoſtatam quum circiter illa tempora in Caluini ædibus pro amico proditor verſaretur, aliquid iſtarum rerum ſeriò diligenterque expiſcatum eſſe, ac ſuo etiam more fortaſsis chartarum nonnihil ſuffuratum. Iube igitur illum omnia proferre, iube depromere quibus accuſationem ab ipſo tibi

ſubminiſtratam fulcias. Nam vt his de rebus inter ſe boni viri ingenuè non ſemel egerint, vt animi ſui ſenſa alii cum aliis liberè contulerint, nego tamen vllam vnquam ſimultatem, nedum contentionem apertam inter illos erupiſſe: nego vnquam illos de Caluino quem ſemper ſyncerè amarunt, vt ipſe viciſsim illos amauit, ſuſpicatos quod impudentiſsimè comminiſceris: nego talẽ fuiſſe Caluinum qui in cuiuſquam vnquam gratiam à recto tramite vel tantillum deflexerit: nego fratres meos Tigurinos eos eſſe qui, vt cælum terræ miſceatur, prodere veritatem vnquam voluerint. Conſenſionem autem illam bona fide, communi fratrum iudicio Tiguri ſcriptã, editam, & adhuc obſeruatam affirmo, ac proinde te tuúmque monitorem in turpiſsima calumnia deprehendi. Refelle iſta, id eſt veritatem ipſam, ſi potes.

Obiicis quòd in illa conſenſione Caluinus conſultò abſtinens à nominanda ſubſtantia ſiue ſubſtantiali perceptione ſiue præſentia carnis & ſanguinis, nomen Chriſti quod ad naturam ſpiritualem & humanam eſt promiſcuum ſubſtituat, & in Cinglianorum gratiam Lutheri dogmata feriat. Reſpondeo tuam futilitatem rurſus hîc deprehendi. Obſecro enim an Caluinus vel quæ antea ediderat in quibus ſubſtantiam nominat mutauit, vel quæ poſtea edidit, expreſſo ſubſtantiæ nomine, clàm & in angulo edita ſunt vt Tigurinam Eccleſiam latere potuerint? Quis hic igitur Caluini ſtupor fuiſſet, quod palàm faceret clàm futurum ſperare? quæ ſtoliditas, gladium quo iuguletur palàm porrigere? quæ Tigurinorum fratrum conſcientia cum homine in manifeſta proditione deprehenſo pacem colere? Communi iudicio ſcriptam fuiſſe illam conſenſionem dixi. Itaque nulla hîc fraus niſi volenti & intelligenti fieri potuit. A voce ſubſtantiæ ideo in hoc ſcripto abſtinendum putarunt, ne quis in his partibus illo offenderetur, quod in altera parte metuendum non erat. Imò nos illo nonniſi inuitos vti profitemur, vt eorum infirmitati (addita tamen vera explicatione) conſulamus. Subſtituto verò ipſius Chriſti nomine, quo paſsim vti Caluinus & nos conſueuimus, neutri offendi, neutri decipi potuerunt. Nam quod tu excipis Chriſti nomen ambiguũ eſſe ad vtrãque naturã, prorſus ridiculũ eſt, quũ in his expreſſa fiat carnis & ſanguinis mẽtio: & nemo adhuc ſit inuentus opinor, qui vel diuinitatẽ vel humanitatem nudã in Cœna præberi diceret.

Fabula quam ſubiicis de publico neſcio quo colloquio Bernæ habito cum Flandro quodam Zacharia, in quo quum Cinglianorum cauſæ quorum gratia & fauore tunc egebat, patrocinaretur Caluinus, deprehenſa ſit eius perfidia, productis è ſinu quibuſdam ipſius manu ad D. Falcſium ſcriptis literis, in quibus plura & grauiora in Zuinglium conuitia iactaret, quàm paulò antè audiſſent ex ipſo eiuſdem Zuinglii encomio: hæc inquam fabula vnde tandem à te deprompta eſt? Ex Heſhuſio, inquis: graui teſte profectò, fortaſsis ne aurito quidem, nedum oculato. Item ex illo perſonato Michaele Fabritio. At quis ille vir ſit ne tu quidem ignoras, certè non vnius, ſed triplicis minimùm fidei: quid triplicis? imò ſanè nullius. vt tanquam alter Socrates verè poſsit illud vſurpare, Hoc vnum credo quòd nihil credo.

Lindanum, quem tertium teſtem laudas, nos ne fando quidẽ audiuimus. Quicunque ſit, perfrictæ frontis nebulonem eſſe apparet. Mirum ni deinceps etiam Caroli Molinæi ſcriptum, id eſt, turpiſsimorum & impudentiſſimorum mendaciorum plauſtra, quibus audio vos mirificè nunc delectari, nobis proferas. At vide quid apertè &, vt loquuntur, κατηγορικῶς reſpõdeam. Si cum quoquam Zacharia vllum vnquam vſquam inſtitutum Caluino Colloquium fuit, ſi Bernam vnquam venit vt de his rebus cum quoquam ageret, ſi vnquam illic eguit cuiuſquam fauore & gratia, viceris, ego cauſa cecidero. Nunc tuos teſtes roga, & inſtrue quantum potes. Scio enim fore vt rurſus mendax deprehendaris. Referã tamẽ hiſtoriam, ita vt ſe habet. Quum impurus quidam λογομάχος, nũc manifeſtus apoſtata, Bolſecus nomine, cõtentionem de prædeſtinatione excitaſſet, adhæſerũt ei quamuis ex quatuor Heluetię Ciuitatum ſententia à Geneuẽſi Magiſtratu publicè damnato nõnulli parui ſanè pretii homines. Inter eos vnus fuit, non Zacharias, ſed Zebedęus nomine. Is vt homo planè turbulentus & multis huiuſmodi iudiciis infamis, quum multa improbè & ſeditiosè cũ aliis eiuſdem ſceleris ſociis in hanc Eccleſiam dixiſſet, viſum eſt Senatui Geneuenſi ea de re apud ſocios Bernenſes in quorum ditione illi erant, expoſtulare. Adfuit quoque Caluinus non vt reus, ſed vt vnus ex legatis, quem honorem ei non ſemel hæc Ciuitas vel inuito habuit. Adfuit & ille maledicus cum aliis nonnullis, non ad colloquium ſed ad iudicium euocatus. Acta cauſa, quum ille ſe verſari in periculo videret, literas quaſdam Caluini nihil prorſus ad cauſam pertinentes, & multis iam antè annis ſcriptas profert, vt eum in inuidiam adduceret, quòd in iis familiariter cum amico quodam agens, Sacramenti ſignificationem quam Zuinglius alicubi ſequutus eſſet, nimiũ ſibi militarem videri ſcripſiſſet. Reſpondit Caluinus hac de re non agi, ſimúlque factum ita excuſauit, vt bonis omnibus abũde ſatisfieret. Exitus hic iudicii fuit. Damnatus eſt exilii Bolſecus. Alius quidam impurus Fonſeletus nomine, venia palàm in Bernenſi Senatu petita, quod pœnæ genus multam honorariam vocant, iuſſus ex omni ſtatim agro Bernenſi excedere. Aliĩ grauiſsimè increpiti, ægrè euaſerunt. Non deſtitit tamen ille clàm ſchedulam quandam antehac non viſam ſpargere, inſcriptis quibuſdam de prædeſtinatione theſibus quas à Senatu Bernenſi aduerſus Caluinum damnatas non minùs falsò quam impudenter diceret. Et fortè per id tempus edicto cauerunt Bernates, tumultibus vitandis, ne qui temere inter ſe (vt ſolebant nonnulli) grauiſsimum illud prædeſtinationis argumentum agitarent, & vt paſtores ea de re modeſtè, religiosè & citra offendiculũ ex verbo Dei quum occaſio incidiſſet, diſſererent. Cautum etiam ne quis ex agro Bernenſi, vt fieri à nonnullis inconſideratè ſolebat, vel Geneuam vel vſpiam aliò ad Cœnam Domini excurreret, ſed vnuſquiſque potiùs ex ſui parochi manu eam acciperet. Hic fuit illius Tragœdiæ exitus. Bella ſcilicet occaſio famę poſtea à maleuolis & improbis ſparſæ, damnatam fuiſſe Bernæ Caluinianã

ſiue

ſiue Geneuenſem doctrinam, quum tamen ſummus ſemper fuerit ea in re & Bernenſium & Tigurinorum & Geneuenſium paſtorum, omnium denique bonorum cõſenſus, vt ex Muſculi præſertim & Martyris, fratrum beatæ memoriæ, ſcriptis liquido apparet. Sed quid hoc ad Cœnæ Domini controuerſiam? Volui tamen rem omnem ita vt geſta eſt narrare, vt quæ tua ſit & illorum tuorum teſtium conſcientia nemo non perſpiciat. Eiuſdem eſt farinæ commẽtum quod ſubiicis, Caluinum videlicet vt Lutheranis, (ſic enim illos honoris cauſa vocas) blandiretur, *Libellum paulo poſt in lucem emiſiſſe quem inſcripſerit, Summam confeſſionis de Sacramentis, in quo conatur demonſtrare quod hi* (hic ſe prodit aſinus Cumanus, quod monitor ille tuus non animaduerrit) *qui ſunt confeſſionis Auguſtanæ nihil diuerſum à Tigurinis ſentiant.* Nam vt in omnes partes te conuertas, nuſquam effugies quin hîc tenearis in duplici mendacio, quia nec vllum eiuſmodi librum vnquam edidit Caluinus, nec in iis quos, Dei gratia, multos & excellentes edidit, vnquam operam dedit vt aliunde quàm à verbo Dei pendere videretur. Fuit enim Dei ſeruus non hominum, per ipſius miſericordiam, vt & nos ſumus.

Quod mox addis de defenſione conſenſionis ex Dei verbo inter Tigurinam & Geneuenſem Eccleſiam initæ, verum eſt, neque ſane eſt eiuſmodi cuius nos pœnitere vel pudere poſſit. Viderint illa Satanæ flabella quæ nunc ne Germania quidem ipſa ferre poteſt, quæ conſcientia incendium illud rurſus, vobis fortaſſe conſciis, excitarint. Sed quod addis Caluinum illic perpetuò inculcare nihil à ſe dictum de Euchariſtia contra cõfeſſionem Auguſtanam, eâdem fide qua cætera deſcripſiſti. Euangelium vnicum Ieſu Chriſti non autem vel Auguſtanam vel aliam confeſſionẽ ſimpliciter profitemur. Interea confeſſionum vſum legitimum ad teſtandum ac retinẽdum puræ Eccleſiæ teſtimonium perpetuum minimè omnium damnamus, & in eo quoque miſeram Eccleſiæ ſortem deploramus, quòd hæreticorum improbitate cogatur confeſſiones eiuſmodi cumulare. Cauſæ verò cur Auguſtanæ confeſſioni non per omnia ſubſcripſerint harum regionum Eccleſiæ, millies expoſitæ ſunt & publicè & priuatim: neque hîc vnquam Caluinus aliter ſe geſſit quàm Chriſtianum decet. Hanc eius libertatem tantum abeſt vt ſummi illi viri, Bucerus, Melanchthon, Capito, docti denique omnes Auguſtanam confeſſionem palàm amplexi, calumniati ſint ſicut tu facis, vt contrà ſanctè & inuiolabiliter Caluinum non modò dilexerint, ſed etiam ſuſpexerint. Et vt de re ipſa aliquid dicam, non eſt quòd nos facias illius confeſſionis hoſtes, quamuis non deſint quæ in ea requiramus, ac præſertim quidem quod ad articulum attinet de Cœna Domini, qui ſi ex eius ſententia explicetur à quo fuit initio conſcriptus, vix vlla inter nos controuerſia in hoc argumento ſuperfuerit. Sed quorſum hæc apud te? nempe vt tuam tuæque factionis ac præſertim illius Apoſtatæ, magiſtri monitoriſque tui malitiam ſimul ac ſtultitiam detegam. Nam ne hac quidem defenſione nobis opus erat, quum in iis ſcriptis de quibus loqueris nulla fiat propriè Auguſtanæ confeſſionis mentio, ſed eius quæ Ratiſponæ fuit oblata. Liber extat editus. ni ità ſit vt dico, hac in parte viceris.

Iam pro meipſo dicam, quandoquidem ita vis, quem hoc impoſturæ genus dicis à magiſtro didiciſſe. Profers autem initio lepidam, vt tibi quidem videtur, hiſtoriã & tuo magiſtro vſque adeò gratam vt apparet, vt diſſimulare non potueris quendam alium eſſe authorem libelli ſub nomine Michaëlis Fabritij editi. Sic igitur ſcribis, *Erat tum*, inquis, *ille* (nempe Balduinus Ecebolius) *in Germania, quum ad electorem Palatinum Ottonem Henricum Lutheraniſmi aſſertorem vehementiſſimum, Beza anno Domini.* 1556. *cum Farello acceſſit, eique magna cum ſimulatione eximiæ pietatis, confeſſionem obtulit, quam dicebat non modò ſuorum Allobrogum ſed & Heluetiorum eſſe, vt ita ſe in gratiam principis inſinuaret & Francorum Regem tyrannidis accuſaret: cuius edicto tunc pellebantur, & capite puniebantur Caluiniſta, pro quibus orabat vt apud Regem Elector intercederet precibus & comminationibus.* Ago Deo Opt. Max. gratias, quòd in iſto mendacio detegendo non magno artificio ſit opus. Nec enim illo anno in Germaniam veniſſe me Balduinus vnquam comperiet. Hoc quoque falſiſſimum eſt eam de qua agitur confeſſionem à D. Farello beatæ memoriæ patre, & à me Illuſtriſſimo principi Ottoni Henrico oblatam fuiſſe. Totum hoc, inquam, falſiſſimum eſſe dico. Res autem ita ſe habet. Quum anno Domini 1557, graui perſecutione premerentur Valliũm Pedemontis Eccleſiæ quæ tum erant in Henrici Gallorum regis ditione, petierunt vt tum apud Helueticas ciuitates tum apud Germanos principes, ipſorum cauſam quiſpiam ex nobis peregrinis per Heluetiam diſperſis ageret, quorum intercesſione Rex per ſe minimè malus, ſed à Cardinali tuo, & aliis eiuſmodi furiis horribiliter exaſperatus, aliquo modo leniretur. D. Farellus optimus ille & verè ſanctus ſenex, delectus eſt ad eam rem, cui & ego non ſine Bernenſis Senatus ampliſſ. permiſſu, fui comes adiunctus. Venimus igitur ad Illuſtriſſ. illum Principem Electorem, qui tum in Marchionis Badenſis thermis verſabatur, idque cum Argentinenſis Senatus literis, à quo prius patientiſſime auditi, exceptique honeſtiſſimè fueramus. Ibi quum ex animi ſententia res omnis ſucceſſiſſet, inde Geppingam venimus, vbi tum erat Illuſtriſſ. dux Vvirtembergẽſis, apud quem quum verſaremur, incidit nobis, non ſine Principis ipſius voluntate, modeſtum, pacatum & planè Chriſtianum cum Iac. Andrea tunc eius loci paſtore, de Cœna Domini colloquium. Sic vtrinque diſceſſum eſt, vt quamuis inter nos non conueniret per omnia, leuis tamen admodum controuerſia poſt de præſentiæ & communicationis corporis & ſanguinis modo, quàm de reipſa Sacramenti ſupereſſet. Noſtræ diſputationis ſummam, Principe ſic petente, in aliquot articulos ex tempore contulimus, eique exhibuimus 14. Maij, anno Domini 1557, addita inſcriptione, ſic in Heluetiis & Sabaudicis eccleſiis de Cœna Domini doceri. Ni res ita ſe habet mendax ſim ego, verax autem ille quem ego turpis inſauíque mendacij hîc non vereor accuſare. Cætera verò quid attinet refutare?

Nos ſcilicet ita vt tu dicis de Principibus, præſertim apud Principes inuerecundè loqui conſueuimus, & ita ſumus inepti, vel amentes potiùs vt ab illo Principe peteremus vt cum Rege vllis comminationibus ageret: quod ſi forte factum à nobis eſſet, an illum putas adeò ſtupidum fuiſſe quin ſe à nobis derideri exiſtimaſſet? Verùm quid vobis impoſuerit video. Quoniam ſcitis nos adulari nemini conſueuiſſe, putaſti nullum à nobis diſcrimen conſtitui inter eam παῤῥησίαν quæ noſtri muneris eſt, & illam ἀναίδειαν quæ ne Chriſtianos quidem decet: Deinde quoniam quum libuit adeò vobis eſt pro nihilo Regis ipſius authoritas, vt in media Sorbona diſputare auſi ſitis de obedientia Regibus non catholicis (vt vos loquimini) deneganda: adeòque externum regem ad inuadendum Regnum ſolicitaueritis: nos quoque voluiſtis ex veſtro ingenio metiri. Sed age, audiamus iſtius fabulæ reliquum. *Profeſſus eſt illic*, inquis, *verum ac reale ac ſubſtantiale corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpecie rerum viſibilium repræſentari & exhiberi, quam Cinglianorum conuerſionē princeps Elector grauiſsimam habuit, & Duci V virtembergenſi ſignificauit.* Quaſi verò corpus aliquod aliud Chriſto quàm verum illud reale ac ſubſtantiale cum Marcione tribuamus: quaſi ſpeciei viſibilis nomine, aliud quàm panem & vinum, vel ipſi Lutherani, quos vocas, intelligant. Repræſentari verò & offerri menti noſtræ ſpiritualiter per fidem id quod ſymbola figurant percipiendum, vt ita noſtra cum Chriſto vera coniunctio ſanciatur, quis vnquam noſtrûm negauit? Nulla igitur hac opus fuit conuerſione, neque hoc quiſquam à nobis flagitauit, quod alioqui vel non petentibus fratribus dediſſemus & daremus, niſi nos certò ſciremus, per Dei gratiam, nunquam fuiſſe in hoc genere doctrinæ à via veritatis auerſos. Suggeret tibi fortaſſe tuus monitor, vel ex iis quiſpiam qui Monaſtica ſimplicitate ad hanc agendam fabulam vtuntur, nos illud SPIRITVALITER PER FIDEM in illo ſcripto non expreſſiſſe. Reſpondeo ſimpliciter quod res eſt. Prorſus ſpiritualem eſſe modum coniunctionis rei ſignificatæ nobiſcum, expreſſimus. Fidei nomen ſi additum fuiſſet, rectiùs eſſet factum. Fraude tamen id prætermiſſum non eſſe vel illud oſtendit, quòd neminem tam craſſum exiſtere probabile eſt (niſi vos fortaſſe vultis intercedere) qui ſpiritualis perceptionis aliud organon quàm fidem conſtituat. Habet fortaſſe tuum illud huius fabulæ [illegible] exemplum illius non Confeſſionis ſed collationis ex tempore vetere illa formula conceptæ, INTER BONOS BENE AGIER OPORTET. Edat quum volet, ſi modò is eſt qui ſuis poſſit, vel in iis quæ bonæ fidei ſunt, ex ſuorum Iuriſconſultorum libris cauere. Ego certe vel ſponſione certare velim, NI DOLI MALI MANIFESTVS DEPREHENDATVR. Quod autem de Tigurinis fratribus ſubiiris, cuiuſmodi tandem eſt. Hic non agam tecum, ſed cum tuo monitore, idque paucis, ne hominem ſcilicet publicis commodis occupatum morer. Tu, bone vir, quum pro fratrum, non tuorum (excidiſti enim miſer) ſed noſtrorum ſalute bonus ille ſenex cui adiunctus eram comes apud Germanos ageret, bonus, inquam, ille, ſimplex, eruditus tamen, & zelo Dei plenus Farellus, cuius ſcio te meminiſſe non poſſe quin te furiæ ex ipſis Auerni faucibus emiſſæ corripiant, vbi tunc latitabas? quid agebas? taces? dicam igitur. Cum exploratoribus boni illius viri qui te tandem perdidit, iam tum neſcio quid paciſcebaris, quamuis nec tu illos probè, nec illi te noſſent. In ſumma tamen quicquid pro fratribus afflictis gerebatur, curſabatis in Galliam nunciandum. Hoc ita eſſe tam probè ſcio, vt ipſos indices poſſim nominare, neque etiam quibuſdam, vt tu noſti, præſens diſſimulauerim, quos ira Domini partim iam corripuit, partim etiam breui, ni cauerint, abſorbebit.

Eodem tempore id ipſum factitabas, quod immeritò ſanè nobis obiicis, quia nos Dei gratia noſtra ſorte contentos nunquam neque Euangelij neque crucis Chriſti puduit: id eſt, Auguſtanæ confeſſionis principibus ſic adulabaris, vt tunc quoque quum Heydelbergæ, non de illa, ne quenquam fallas, ſed de illius interpretatione quæri cœpiſſet, tu qui vel neſcio quod regnum imaginarium in Germaniæ ſcholis ſpe præceperas, ſi te falleret Cardinalis, ſicut aut iam fefellit aut tandem fallet: vel ſi Germania, quod mox tibi contigit, excedere te oporteret, non alia ratione te magis gratioſum fore ſperares quàm ſi hunc ignem oleo aſperſiſſes, & palàm auderes neſcio quid pro Heshuſio garrire. Imò quum circiter id tēpus & ex Duareni epiſtola & ex iis quæ Argētinæ, Heydelbergæ, Francfurti egeras, tuos mores ſic nobis patefactos ſcires vt latere non poſſes, & tuū Conſtantinum à nobis meritò derideri, tuam Iuriſconſultorū Chriſtianorum nomine defenſionē editam multis nominibus meritò reprehendi, te denique nullum à me quem in tertium penè cælum literis ad me tuis extuleras, reſponſum elicere potuiſſe videres: cœpiſti, ſicut mala mens & malus animus ſuadebant, ex noſtri inſectatione gratiam aliorum aucupari. Hinc illæ tuæ theſes poſtea editæ de puniendorum hæreticorum ratione, adeò quidem tuum illud infelix ingenium ſpirantes, vt etiam ſi nomen non addidiſſes, nemo qui te noſſet à Balduino profectas non diuinaret. Itaque quin hoc ipſo tempore noſtram illam confeſſionem quibus modis poſſes apud Veſtphalum, Heshuſium, & alias eiuſmodi hominum quiſquilias agitares, nemini dubium eſſe poteſt. Illud autem quomodo excuſabis? Simulabas amicitiam cum D. Bullingero, qui te ſanè tunc non norat. Itaque ſtatim quaſi de Tigurinæ Eccleſiæ exiſtimatione eo ipſo tempore ſolicitus quo Cardinali ad quem nunc tranſiuiſti, (quamuis ille empto proditori non ſatis fidat) teipſum vendebas, & cum præcipuis illis pacis Eccleſiarum hoſtibus omnia cōmunia habebas, tum illam noſtram, vt tu vocas, confeſſionē, tum etiam poſtea quæ Theologis Vvormatiæ coactis exhibuimus, ſedulò Tigurum miſiſti. Et tu Ecebolium eſſe te negabis? Sed iuſtus eſt Dominus. Cecidiſti, miſer, nos adhuc ſtamus per Dei gratiam. Tigurini verò fratres ſiue cum nobis expoſtularint, ſiue minùs, quid ad te, apoſtata? Dicam tamen quod res eſt. Neque Farelli neque mea fides vnquam apud illos in dubium

venit

venit. Optaſſent tantùm plenius illa fuiſſe à nobis perſcripta. Hoc,ſicuti par erat,mihi & communibus amicis ſignificarunt,quòd vererētur ne qui noſtro illo ſcripto abuterentur. Commoti ſunt etiam nonnihil antequàm rem totam reſciſcerent. Accidit vt alia legatio in Germaniam,non diſſimilem ob cauſam inſtitueretur. Tiguri conuenerunt fratres,auditi ſumus,ſatisfactio ſic accepta eſt vt ne vocula quidem vna inter nos audita ſit quæ vel leuiſsimam ſimultatem præ ſe ferret. Rei certè neque acti neque peracti ſumus. Quòd ſi aliter eſſet factum,cur ego me ex fratrum admonitione aliquid didiciſſe diſsimularem? Nec enim in Sorbonica ſchola verſamur, F. Claudi,vbi turpe ſit diſcere:ſed in Eccleſia Dei vbi quotidie nos proficere non pudet. Quod ſi tuus ille monitor rogarit vnde iſta quæ ad Tigurinam Eccleſiam ſpectant didicerim, ſignifica hoc me habere ex optimo eodémque clariſsimo fratre, illóque adeò ipſo ex quo ſe meam illam damnationem didiciſſe perſonatus Fabritius mentitus eſt. Sed de his plus ſatis, vbi hoc vnum addidero, iſtum quem Ammerbachium vocas nuſquam eſſe,ſed quendam eſſe Merpachium Argentinenſem, quicum aiunt quidem nonnulli,quod non arbitror, communicari à vobis conſilia. Sed ille certè neque quiſquā alius de his rebus teſtificabitur,quo veſtra hæc calumnia confirmari poſsit.

Quod oppugnationem Vveſtphali & Heshuſii à me ſuſceptam dicis,inuidiosè etiam à te narratur. Sed eius facti me certè non pudet. Quòd affirmem non aliam eſſe Domini in Cœna præſentiā quàm in Baptiſmo,& verbo ſimplici,tam verum eſſe agnoſco,ſi rem ipſam quæ ibi nobis offertur, non autem media quæ diuerſa ſunt conſideres,quàm verum eſt te, quum iſta negas,ne prima quidem ſolidæ Theologiæ rudimenta tenere. Nec enim Chriſtum diuido:nec Chriſtum aliter nobis Seruatorem quam totum conſidero:neque hūc eſſe ventris ſed mentis cibū credo:nec aliter quàm vna fide tum in Verbo tum in Sacramentis à nobis apprehendi cenſeo:nec carnem eius manducare & eius ſanguinem bibere,plus apud me valet quàm Chriſtum induere. Hæc ſi non credis, an ideò falſa ſunt?ac non potiùs vera eſſe,vel illud indicio eſt, quòd non probentur mendacii doctoribus? Quid igitur fiet Hieronymo? Is enim diſertè ſcribens in 3. Eccleſiaſtæ,bonum & vtile nobis eſſe ſcribit ſi corpore Chriſti ſaturemur, & cruorem eius potemus, non ſolùm in myſterio (*id eſt Sacramento*) ſed etiam in Scripturæ ſanctæ cognitione. Quid Auguſtinus?an non ſcribit & viſibiliter (*id eſt nimirum in ſymbolis viſibilibus*) & inuiſibiliter (*id eſt ſimplici Verbo*) corpus Chriſti à nobis ſumi? Idem quoque,referente Beda in 1. Cor. 10,an non apertè dicit credentes,per Baptiſmum fieri participes corporis & ſanguinis Chriſti, licet adhuc non peruenerint qui baptiſantur, ad alterius Sacramenti, *Euchariſtiæ videlicet*, perceptionē? Cui credis igitur,ſi neque verbo Dei credis,neque rationibus ex eo petitis, nec patribus ipſis, quos alioqui quoties libuit pro vnius fidei veſtræ magiſtris obtruditis? En cur Bezam inter ſummos hæreticos numeret Sorbona.

Inculcas & illud, Bezam negare id Cœnam eſſe quod inter homines ex Chriſti præſcripto geritur. Impudens certè mendacium. Sed ſi præcipua ſui parte illam actionem cæleſtem eſſe dixi, quoniam videlicet corda ſurſum ad rem ipſam (id eſt ad Chriſtum in cæleſtibus non autem in terra quod ad carnem attinet poſitum) per fidem attollenda eſſe dixi,an propterea externam actionem vel ſuſtuli, vel Cœnæ Domini nomine ſpoliaui? an propterea ſum beſtia? an propterea hæc ſunt Sphingis ænigmata quòd ad clariſsimam lucem cæcutias? Enimuerò, quorſum illud SVRSVM CORDA boatis,ſi hanc actionem quanuis in terris celebretur, penitus aut potiſsimùm terreſtrē eſſe vultis? An temere ſcripſit Irenæus duabus rebus Sacramentum hoc conſtare,vna cæleſti,altera terrena? vis etiam aliquid magis perſpicuum? Audi ſaltem Chryſoſtomum (cuius ſedulam lectionem aliquando tam futiliter & tam ſtultè tibi,erubeſcente tuo ipſo Cardinali,vindicaſti) declarantem cur hæc menſa non ſit graculorum ſed aquilarum. Idem quoque lib. 3. de Sacerdotio, Etiámne te, inquit,inter mortales verſari, atque in terra conſiſtere cenſes?an non potiùs in cælū è veſtigio transferris?an non carnis cogitationem omnem abiiciēs, nudo animo, mente pura circumſpicis quæ in cælo ſunt? Hæc ille,vt iam olim citarunt noſtri.

Vidi, inquis, *Bezam Piſsiaci*. Vidiſti ſanè,& ille te vidit quum omnes præter te vnum tui puderet. Vidiſti ergo Bezam Piſsiaci,quid tandem agentem? *Auguſtanam confeſsionem ſuperbè aſpernantem*. Túne an ego ſuperbus in illa actione fuerim iudicent qui interfuerunt. Tantùm dico,ſi illud feciſſem cuius me inſimulare audes,me præterquam quòd contrà cōſcientiam egiſſem(nec enim ea eſt certè Auguſtana confeſsio quam aſpernari pius quiſquam poſsit) non potuiſſe eo tempore ſtultius quicquam aut vobis gratius facere. Quum enim veſtra ipſorum tranſſubſtantiatione veluti pro derelicto habita, repente tuus Mecœnas euaſiſſet illius Confeſsionis patronus, cum qua ſaltem in eo nobis conuenire ſcitis,quòd Idolomaniam veſtram vtrique deteſtamur:an putas nos ita ſtolidos fuiſſe vt craſſam iſtam aſtutiam non palparemus? Tu verò,& tui ſimiles qui veluti canes famelici ad offam vorandam eratis ad latrandum ab iſtis conducti, ne hæc quidem arcana, vt caiſtimo,intelligebatis. Itaque neque quid tum ageres ſciebas,ac ne nunc quidem quid ſcribas ſatis intelligis. Percontare igitur tuum Cardinalem. Reſpondebit ille, ſi tandem volet fateri quod res eſt,me ne ſi quidem Iudam proditorem nactus fuiſſet, potuiſſe quicquam facere ipſi gratius quàm ſi confeſsionem illam vel ſimpliciter nedum ſuperbè, vt tu dicis, (quod ſanè facere bona conſcientia nec volui nec debui) eſſem aſpernatus. Dixi tamen quod candidè & ſimpliciter dicēdum erat,idque ex communi noſtri cœtus conſilio & ſententia, & quod vehementer tuum illum Mecœnatem perculit,ſic vt res oſtendit,quum priores inuiti nulla præbita occaſione colloquium inſtitutum abrumperetis. Huius autem rei teſtes appello quotcunque illi actioni interfuerunt, nec tui ſunt ſimiles.

Sed quid præterea vidiſti illic agentem Bezam? *P. Martyri coram Gallorum regina in diſputatione*

obmurmurantem & reluctantem, quia Zuinglij puram doctrinam obtenderes, quum militari apoſtolo Beza media illa & Caluiniana magis arrideret. Mira certè narras, nos ita tum fuiſſe impudentes, vt inter nos iurgari in vniuerſæ Galliæ ſummorum procerum (nemine nos obiurgante) conſpectu non puderet: vel adeò noſtri oblitos vt nos vobis vltrò & de nihilo deridendos propinaremus. Deinde quis adeò auritum te fuiſſe credat, vt qua de cauſa etiam inter nos murmur exortum eſſet, adeò certò & dilucidè exaudires? Vis autem ſemel definiam? Si vel à limine ſalutaſti eruditiſſimos D. Martyris libros (audiuiſti enim inuitus hunc illi præſenti honorem à doctiſſimo veſtri ordinis homine tribui) vel prorſus ſtupes, vel illum diſertiùs etiam quàm vnquam fecerit D. Caluinus legiſti Chriſti ipſius communicationem cum eiuſdem mortis fructu & efficacia coniungere: atque adeò ne à veſtris quidē aduerbiis REALITER, SVBSTANTIALITER, CORPORALITER, CARNALITER, ſed rectè explicatis, abhorrere, ita videlicet vt iis veritas rei, quæ fide & ſpirituali

Martyr in epiſt. præfixa tractationi de Eucha. ad Cantuar. archiep.

modo percipitur, non autem ipſius perceptionis modus ſignificetur: quod vt meliùs noris, vnum tantùm locum ex innumerabilibus citabo. Sic igitur ille in 1. Cor. 11. in hæc verba, HOC EST CORPVS MEVM. *Vt ſenſus verborum Dei per vim ſignificationis ſacris Literis coniungitur, & animis noſtris reipſa cohæret, ita corpus & ſanguis Domini ſignificantur à Symbolis: ſed animis noſtris ſpiritualiter iunguntur.* Et paulò pòſt, *Si quæras quidnam per communionem adipiſcamur, aliqui dixerunt, merita & fructus mortis Domini, quod mihi non diſplicet. Verùm addo, quòd ipſum Dominum qui eſt fons bonorum bonorum, etiam habemus. Nam illum quoad diuinitatem nobis adeſſe non dubitamus, corpus vero & ſanguis eius, tametſi quoad naturalem & corporalem conditionem ſint in cælis & ſuo loco contineantur, attamen ſpirituali via & ratione, fide, inquam, & animo comprehenduntur: atque hoc pacto reuera nobiſcum eſſe dici poſſunt, quum fides noſtra in res fictas & mendaces non feratur.* Cedò igitur, cur ego cum optimo & coniunctiſſimo fratre D. P. Martyre contendiſſem? niſi fortaſſe aliquid etiam ampliùs quàm ille, vobis voluiſſem largiri? quod ſi verum eſſet, illum certè potiùs laceſſere te oportuerat, & in Caluino ac me quoque illud compleuiſti, Oderunt me gratis. Tum ſanè de quo ago & agam quoad viuam Deo gratias, vnà ſimul aliquandiu coniunctiſſimè D. Martyr & aliquot alij viximus, non conducti (vt tu falſiſſimè comminiſceris) ſed alij quidem ab Eccleſiis miſſi, alij Reginæ ipſius Galliæ & Nauarreni regis rogatu, ne cu nos ex moribus veſtris metiaris. Ibi quæ noſtra vita, quàm fraterna coniunctio fuerit, quàm omnia inter nos dicta, facta, ſcripta ſint ſumma animorum concordia, dum veſtris diſcordiis veſtriſque tumultibus valles & mōtes vicini perſonarent, teſtabuntur plures & magis idonei teſtes quàm velis, & hiſtoria ipſa non qualem vos confingitis, ſed veris & firmis teſtimoniis comprobata declarabit.

Cæterùm vt inter nos non ſatis conueniſſe demonſtres, operæpretium eſt conſiderare quod ſubiicis. *Beza*, inquis, *Piſſiacum ad nos miſit anno 1561. die 25. Septembris formulam non valde prima facie Auguſtanæ aduerſam, Credimus in vſu Cœnæ Dominicæ verè, reipſa ſubſtantialiter ſiue in ipſa ſubſtantia, verum corpus & ſanguinem Chriſti, ſpirituali & ineffabili modo eſſe, exhiberi, ſumi à fidelibus communicantibus.* Primùm, illud te commentum eſſe dico, quicquam vnquam à me ad vos miſſum: non modò quia ſcriptis nō agebatur, ſed etiam quia neque tu, neque quiſquā veſtri ordinis in iſto Cōcilio cenſebamini, ſed Galliæ potiùs Epiſcopi, qui (paucis quibuſdam exceptis quos cæteri non minùs quàm nos verebantur) quum maxima ex parte eſſent iſtarum rerum prorſus imperiti, vos ſcilicet menſarum ſuarum aſſeclas (quod negare ſanè non poteſtis) conduxerant quorum ore & conſcientia ad aliquod tempus vterentur. Si hoc ita eſſe negaueris, coges me proferre Galliæ, & totius Eccleſiæ dedecora, quod inuitus faciam. Sed ad rem. Quære ſi vis ex duobus illis qui ad nos hac de re miſſi ſunt, Valentino videlicet Epiſcopo, & Spenſo theologo. Illi tibi affirmabunt ſeſe quum Galaſium & me ſeorſim ex Reginæ mandato, quam veſtrarum tergiuerſationum pudebat, in quoddam cubiculum euocaſſent, nobiſcum ad aliquot horas de commoda quapiam formula pacatè ac prorſus religioſè contuliſſe, ibique fuiſſe hanc formulam vtrinque perſcriptam, nō quæ hanc controuerſiam decideret (quis enim hoc non videt?) ſed quæ poſtea tum à veſtris ſi vobis videretur, tum à noſtris expenſa, pacatiores vtrinque animos & ad amicam quampiam collationem paratiores redderet. Nam neque illi authoritatem à vobis, neque nos à noſtris habebamus. Itaque quum de hac re mox ad collegas retuliſſemus, non diſſenſit à nobis, vt tu calumniaris, P. Martyr cui honorem eum habebamus quem ſumma ipſius eruditio, ſingularis probitas, maximus rerum vſus, ſenectus ipſa denique modis omnibus veneranda merebantur: ſed quum veſtras artes noſſet, veritus (quod tamen verè prædicebam timendum non eſſe) ne hac occaſione nos illaquearetis, ideo, nobis approbantibus illud quod adieciſti priuatim in altero colloquio, vt & ſibi & nobis caueret, expreſſit. Sed quorſum hæc à te dicuntur, obſecro? Quid enim ad vos Auguſtana confeſſio? & cur nos vobiſcum agentes, aliquid hac in parte ſimularemus? Illam verò formulam, ne neſcias, abſit vt vnquam repudiem. Loquor enim de vſu non de ſymbolis, & ſpiritualem eſſe rei ſignificatæ, veram tamen corporis & ſanguinis Chriſti, præſentiam ac præterea etiam perceptionem eſſe credentium propriam non obſcurè affirmo. In his ſi quid habes quod refellas, agè ex verbo Dei refellito: ſin minùs, calumniari deſinito.

Subiicit deniq; noſter accuſator nō minus ineptum mendaciū de formula quā rurſus à me dicit Galliæ antiſtitibus Piſſiaci oblatā, quā etiā valere & obtinere iubebā aliis omnibus proſcriptis ac deletis. Adeóne verò obliuioſus es, vt non memineris quinque ex veſtris, Epiſcopos nimirum duos, Theologos tres, Reginæ mandato, cum totidem ex noſtris collocutos, & iſtam in quam conueneramus formulam communi conſilio fuiſſe perſcriptam? à Cardinali etiam tuo prolixè cōmendatam? à pleriſque antiſtitibus laudatam? poſtea verò quum vobiſcum eſſet communicata,

qui

qui ſpem omnem retinendi regni veſtri in iſtis diſcordiis ponitis, veſtris iurgiis & clamoribus vix tandem exploſam? Egóne igitur illius author, & quidem imperiosè mea vobis obtrudens? Saltem autem illam bona fide deſcripſiſſes. Erat enim eiuſmodi, *Profitemur Ieſum Chriſtum in ſua Cœna nobis verè offerre, donare & exhibere ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui per operationem Spiritus ſancti, nóſque Sacramentaliter, ſpiritualiter & fide illud ipſum corpus quod pro nobis mortuum eſt percipere ac manducare, vt ſimus os ex oſſibus eius & caro ex carne eius, inde viuificemur & percipiamus quicquid ad ſalutem noſtram requiritur. Et quoniam fides verbo Dei innixa res promiſſas reddit præſentes, eadémque fide verè ac reipſa verum ac naturale Chriſti corpus per Spiritus ſancti virtutem percipimus, hoc reſpectu præſentiam corporis ac ſanguinis Chriſti in ſancta ipſius Cœna confitemur.* Fuit autem hoc quoque veſtris Theologis diſertè ſignificatum (quum tam paucis verbis tantum myſterium vix explicari poſſet) vbi qua in re hæſitaretis nobis ſignificaſſent, paratos eſſe nos planiùs & copioſiùs ſententiam noſtram tum de iſtis, tum etiam de quæſtionibus coniunctis, quarum ne tenuiſſima quidem mentio hic facta eſt, explicare. Quum igitur illi poſtea ad colloquium non rediiſſent (nihil enim à vobis præter conuitia ac penè verbera retulerant) tum nos ſtatim, id eſt biduo pòſt ad ſummum, hanc quoque declarationem ad eos miſimus, quam quum reticueris, ego hic expreſſam volui, *Affirmamus nullam locorum diſtantiam impedire poſſe corporis & ſanguinis Domini communionem, quoniam Domini Cœna eſt cœleſtis actio: & quamuis in terris ore ſumamus panem & vinum vera corporis & ſanguinis Domini ſymbola, tamen fide & vi Spiritus ſancti mentes noſtras, quarum is proprie eſt hic cibus, in cœlos vſque ſublatas, præſenti corpore & ſanguine potiri. Itaque hoc demum ſenſu & reſpectu dicimus corpus pani & ſanguinem vino verè coniungi, non aliter tamen quàm ſacramentaliter, id eſt non loco neque ſitu, ſed quoniam efficaciter ſignificant, quod omnibus cum fide participantibus à Domino donatur, & per fidem à credentibus verè percipitur.* Hæc tum inter nos ſummo conſenſu dicta ſcriptáque fuiſſe, ad quæ ne γρῦ quidem tunc reſponderitis, ſi mihi affirmanti non credis, crede ſaltem iis qui nobiſcum ſunt colloquuti, quorum quatuor adhuc ſunt ſuperſtites. Cuiuſmodi autem iſta ſint, ſi fortè malitis ex verbo Dei, contra veſtrum morem, inquirere, quàm impudenter conuiciari, quaſi verba quædam miſcellanea vt quidam Alcoranus ac Mahumetes nouus coaceruarim, (hæc ſunt enim quæ te euomere non puduit, quem, vt video, nihil pudet) agè, congredere. Etſi enim non me vnum reſpicit hæc accuſatio, tamen valde infirmus eſſem, niſi aduerſus totum veſtrum ordinem, vel vnus poſſem eam cauſam defendere, quæ ſuis ipſius viribus ſatis ſupérque ſemetipſam tuetur.

Summam omnium ſuperiorum hanc eſſe vis, *quòd Lutherani manibus pedibúſque tueantur in Sacramento eſſe ac recipi carnem naturalem Chriſti, realiter ac ſubſtantialiter: à Cinglianis verò defendi carnem illam abeſſe à Sacramento, neque in illo percipi: & à Caluino præſtigiatore dici illam eſſe & non eſſe in Sacramento, qui tamen in Cinglianiſmum deſinat, nec aliud de Cœna Domini definiat quàm in ea per fidem accipi efficaciam quandam ac vim deſinentem ex carne Chriſti ſita in cœlo.* Hic verò quæ paulò antè ſuo loco refutaui nolo repetere. Lutherani quos vocas, ſi tam craſſi ſunt vt tu vis, pro ſe reſpondeant. Carnem Chriſti à Sacramento abeſſe neque in illo percipi, tuum eſt commentum, quoniam nec quæ ſit præſentia Sacramentalis, nec quæ perceptio ſpiritualis, noſti. Calumnia verò quam Caluino impingis, futilior eſt quàm vt alteram refutationem mereatur. Tandem verò maxima iam operis parte confecta, ad remipſam deſcendis, ac primò quidem demonſtrare conaris Caluinum pugnantia atque adeò contraria ſcripſiſſe de re quæ in Cœna ſumatur. Hoc igitur cuiuſmodi ſit videamus.

Scripſit, inquis, *Caluinus vitam ſpiritualem hauriendam eſſe nobis à Deo, ſed eius canalem conſtituendum in carne Chriſti, ſine qua vita ad nos non deſluat.* Hic verò quid reprehendis, Monache? nam ne vos quidem aliter docere conſueuiſtis. *Sed*, inquis, *ita ſentit damnandum Zuinglium cum ſuis qui nos tantùm faciunt Spiritus Chriſti participes, prætermiſſa carnis & ſanguinis mentione.* Itaque, non à ſe ſed à Zuinglio diſſentiret Caluinus, ſi vera ſcriberes, quum tamen illud demum probandum ſuſceperis. Sed quid ſi in hoc quoque mendacem te prodis? Carnem Chriſti quicquam prodeſſe negat poſt ipſum Chriſtum Zuinglius, ſed comeſam, vt vos poſt Capernaitas exiſtimatis, verbo videlicet comedendi non tranſlatitiè & ex Sacramentali metonymia, ſed propriè & ſimpliciter accepto. Viuificationem ſpiritui, id eſt diuinitati tribuit, fateor, Zuinglius, non carni, nempe ſi naturaliter & in ſeſe conſideretur, vt diſertè ſcribit in caput Io. 6. An iſtis vnquam Caluinus repugnauit? Quod autem garris de ſola ſpiritus participatione, tum quoque refellam, quum planiùs explicaueris quid Spiritus nomine intelligas.

Caluinus, inquis, *ad inueniendam illam participationem carnis & ſanguinis ſecundam fiſtulam & canalem componit nempe Spiritus ſancti potentiam, adeò vt antequam vis ſpiritualis ad nos perueniat, opus habeamus duplici vitæ ductu, carne Chriſti & diuina Spiritus omnipotentia.* Hæc ſunt, in quibus neſcio quid potiſſimum reprehendere me oporteat. Ehodum enim, obſecro, quæ hæc inſcitia eſt neſcire quæ vel ſubordinata vel coordinata ſunt, non pugnare? Huius vitæ alimentum à Deo præbetur, non tamen abſque cibis ad eam rem inſtitutis, niſi quum ei libet extra ordinem agere. Fit autem hoc indita quadam naturæ vi interueniente, vt ſucco ciborum hæc vita ſuſtentetur, adeò vt antequam ad nos ſuccus ille quo vegetamur promanet, & cibis & naturali illa facultate nobis ſit opus. Quam igitur in iſta cauſarum ſerie repugnantiam comperies? Quòd ſi præceptorem noſtrum, id eſt Chriſtum, ſequuti hæc terreſtria ad cœleſtem panem transferamus, quid ſurſum in iis meritò reprehendes? Quum autem Spiritus ſancti potentiam irridens, fiſtulas & canales à nobis componi dicis, facis nimirum quod magiſtrum decet in Sorbonæ ſchola eruditum,

Progrederis poſtquam in limine impegiſti: & quum conſtare fatearis Caluinum cenſere par-

ticipandum eſſe de carne & ſanguine Chriſti in Cœna, dicis *quæri quam participationem ſtatuat, veram nimirum, realem, & ſubſtantialem, vt verè, realiter ac ſubſtantialiter percipiatur Chriſti caro & ſanguis, an tantùm ſpiritualem & energeticam: vbi ſic tergiuerſatur Caluinus, vt tandem in nudè ſpiritualem deuoluatur, quã contrarietatem in eius ſcriptis obſeruaueris.* Næ, tu lyncæus es, qui obſerues quod nuſquam eſt. Aperiam autem huius erroris tui fontem, ſi non tibi, quem excæcauit iuſtum Dei iudicium, at aliis multis, vt ſpero, qui vos errantes temerè per deuia ſectantur. Quùm id quod verum eſt opponis ſpirituali, quis non videt quò tendas? putas nimirum ſpirituale idem valere atque imaginarium, vt quum vigilantes ſomniamus: vel id eſſe quod dici ſolet apud Philoſophos, cogitatione & intellectu quippiam abſtrahere. Itaque ne reſponſum quidem mereris, quod in re non diſſimili Nicodemus, à noſtro præceptore retulit, Tu es Magiſter in Iſrael & hæc ignoras. Tecũ tamen agam paulò familiariùs. Scito eam à nobis ſpiritualem perceptionem dici, non quæ ſit imaginaria, non quę cogitatione tantùm fiat, cui veritas non ſubſit, ſed cuius ſit organon, Dei quidem reſpectu, vis illa diuini Spiritus nobis planè inenarrabilia: noſtra verò ex parte, animus noſter vera fide in oblatum ſibi obiectum, Chriſtum videlicet mediatorem noſtrum intuens, vt eum multò veriùs, certiùs, efficacius comprehẽdat, quàm vel ſymbola ipſa cernãt oculi, tãgant manus, lingua deguſtet, vel promiſſionis verba aures exaudiãt. Itaque prorſus ridiculum te probas, qui hæc duo VERE & SPIRITVALITER inter ſe opponis, quum in rem minimè fictam fides noſtra feratur, & Spiritu ſancto duce præeunte, falli ſpiritus noſter non poſſit.

Sed in eo non multò minùs peccas, quòd realem & ſubſtantialem perceptionem opponis ſpirituali. Nempe res ipſas, ſiue ſubſtantias, de quibus agimus, id eſt carnem & ſanguinem Chriſti, tunc demum tibi perſuaſiſti verè percipi, quum nobis reipſa & reali ſubſtantiarum contactu adiunguntur, nempe vt corpus cum corpore, id eſt ſubſtantiæ ipſæ inter ſe cohæreãt. Hoc commentum verè Capernaiticum, craſſum, ineptum, veritati corporis Chriſti & eiuſdem aſcenſioni ex diametro repugnans, denique etiam ſi daretur, prorſus à vitæ cœleſtis & æternæ ratione alienum repudiamus. Vos qui mordicus illud tueri in animum induxiſtis, declarate, quæſo, qualem eſſe nexum iſtum ſubſtantiarum velitis. Nam ſi naturali alimento comparauetis, certè corpus non animum paſcet, & multo ſæuiores eritis corporis Chriſti carnifices quàm qui illum crucifixerunt. Sin verò demitti quidem vultis in ventriculum, idque paulò leniùs quàm bonus ille Nicolaus Papa Berengario confitendum præſcripſit, poſtea verò nec concoqui, nec digeri, nec aſſimilari, ne ſit illius poſt reſurrectionem conditio deterior quàm quum exanime in ſepulchro iaceret: dicite, quæſo, quorſum ſubſtantia hæc, & quonam vel corporis vel animi fructu deuoretur. Quod autem ad accretionem ſiue naturalem ſiue artificialem attinet, ne ea quidem vobis placet, opinor, ac multò etiam minùs merè artificialis aliqua adiunctio & ſtructura, veluti quum lignum ligno compingunt fabri. Quid igitur? nempe ridiculos vos probetis neceſſe eſt, quum hæc adeò, non dicam ſenſibus noſtris, (ne nos putes diuina hæc myſteria ad ingenij humani captum exigere) ſed noſtræ fidei analogiæ, id eſt corporis Chriſti veritati repugnantia, &, vt paulò antè dixi, ab æternæ & cæleſtis vitæ ratione penitus aliena defenditis. Nos autem quàm & verbo Dei & noſtræ ſalutis myſteriis prorſus conſentanea, & tamen prorſus cæleſtia, naturæque noſtræ captum exuperantia de his rebus tradamus, paucis, ſi potes, accipe. Cibum hunc eſſe dicimus, illum ipſum Chriſtum Filium Dei ita vt eſt pro nobis homo factus. Hunc autem cibum eſſe dicimus non ventris ſed mentis, neque ad huius vitæ alimentum naturale ſpectare, ſed ad cæleſte perennis æternęque vitæ pabulum. Hinc illa conſequi dicimus, primùm oportere nos in ipſius Chriſti Dei & hominis ſimul, veram poſſeſſionem mitti. deinde non ore corporis ſed animo vera fide prædito cibum hunc percipi: tertiò ad iſtam perceptionem minimè requiri vllam ipſarum ſubſtantiarũ ſiue præſentiam ſiue conuexionem, vt vbi ſit vna ſit & altera, vel altera alterã contingat, (quũ corporea illa ſint) ſed hoc vnum, vt ſpirituali & intellectuali ratione, verè tamen hac reipſa oblato nobis Chriſto coniungamur, vt ille noſter ſit, & nos viciſſim illius: poſtremò vt quemadmodum corpus cum ſuo capite cohærens, ex ciborum corporali naturalíque modo perceptorum ſucco nutritur, ita etiam ex Chriſto ſpiritualiter, vti diximus, nobis velut vnito, Spiritum illum ſanctificationis vitæque æternæ iugiter hauriamus. Hæc ſunt quæ tum ex Dei verbo, tum ex totius veteris Eccleſiæ conſenſu tradimus, quæ ſi potueris, pacato animo conſiderare, deſines concludere quod abſurdiſſimum & falſiſſimum eſt, ſubſtantiæ nimirum ipſius perceptionem cum energetica conſiſtere non poſſe. Nam particulæ illæ excluſiuæ, DVNTAXAT & TANTVM falsò nobis à te tribuuntur, vtpote quæ ſi quando à nobis vſurpantur, ideo vſurpentur, non vt ſubſtantiam ſiue rem ipſam, id eſt corpus & ſanguinem Domini, & Chriſtum ipſum à quo omnis illa viuifica energia promanat, excludamus, ſicut tu falsò comminiſceris: ſed vt omni ſubſtantiarum contactu, accretione, traiectione ac permixtione ſublata, quorſum & quatenus Chriſtus nobiſcum vniatur dicamus, nempe ad hoc vnum vt ex illo Spiritum illum viuificantem hauriamus.

Quòd ſi qua ſimilitudine tantum myſterium tibi velut adumbrari poſtulas, agè tibi obſequamur. Datus ſit tibi fundus ad huius vitæ alimoniam. An vt eum verè poſſideas, neceſſe eſt vbicunque fueris præſentem ſiſti, an verò donationem rei procul etiam diſſitæ, ſufficit ex pactis conuentis ratam vtrioque haberi? an rurſus vt ex eo fundo viuas, terream ipſam ſubſtantiam à te realiter vorari oportet, an verò potiùs fructibus ex eo collectis veſceris? Sic quoque cæleſtis illius vitæ alimentum interpretare. Fundus noſter, vt Dauid aiebat, Dominus eſt, Dominus inquam, pro nobis homo factus. Eum nobis donat Pater, & ipſe quoque ſeipſum verè nobis præbet, ſicut & verbo ſimplici & Sacramẽtis teſtificatur. Nos animo vera fide prædito verè illum noſtrũ facimus, nóſque

ipſos

ipſos adeò pro inenarrabili Spiritus Dei potentia, ſpiritualiter quodammodo ipſi incorporamus, vt fiamus myſticum ipſius tanquam capitis corpus: neque ad hanc ſpiritualem quidem ſed veriſſimam ipſiuſmet Chriſti perceptionem, ſeu potius κοινωνίαν (ſingulorum enim fit totus in ſolidum) quicquam intereſt ſiue nobis ſit corpore ſuo propinquus ille, (veluti quum primùm hanc Cœnam cum ſuis diſcipulis celebraret) ſiue ſit remotus, ſicuti nunc quod ad carnem attinet, nuſquam alibi eſt quàm in cælo. Propinquitas enim iſta rerum in iis demum requiritur quæ naturali & corporeo modo iunguntur, cui nullus hic locus eſt: non autem in iis quæ mente & fide comprehenduntur. Ex hac porrò κοινωνίᾳ conſequitur quidem vt res ipſa verè noſtra ſit, nõ tamen vt eam deglutitam in noſtra corpora traiiciamus, (corporeo enim huius vitæ alimento iſta conueniunt) ſed ideo duntaxat, vt eius veluti ſucco ſpirituali æternùm viuificemur. Succum autem appellamus quicquid Chriſto ineſt, ex cuius plenitudine non tantùm dona omnia ſed etiam vitam ipſam ſpiritualiter & fide haurimus. Hæc porrò participandi Chriſti ratio declaratur plerunque tranſlatitiis verbis, quæ partim à veteris fœderis ceremoniis, partim ab Eccleſiæ Chriſtianæ Sacramentis, partim à communi vſu ſumuntur: veluti quum Chriſtum dicimur induere, Chriſti ſanguine aſpergi & purificari, Chriſti carnem comedere & ſanguinem bibere, Chriſto inſeri & incorporari, in Chriſto ædificari, nutriri, creſcere, adoleſcere, Chriſti oſſa & caro, & cum Chriſto vnum, ſpirituali videlicet connubio quodam fieri: quæ omnia non obſcuritatis ſed potiùs perſpicuitatis & veri Sacramentorum vſus oſtendendi cauſa ſic dicuntur, nec aliud quàm noſtram illam cum Chriſto ſpiritualem κοινωνίαν & eius quæ diximus effecta demonſtrant. Sed quorſum hæc omnia? nempe vt quàm pudenda ſit inſcitia tua, D. doctor, quum in iſtis quæ optimè inter ſe conſentiunt repugnantiam ſomnias, & ſpiritualem perceptionem reali & ſubſtantiali opponis: & quàm denique putida ſit calumnia qua nos aſpergis, tandem aliquando perſpicias.

Dolet tibi qui diſſidiis Eccleſiæ paſceris, quòd Caluinus inter nos dicat controuerti non quid in Cœna detur, (quum dari conſtet ipſummet Chriſtum) ſed de dationis & perceptionis modo. Verùm an propterea cæcutit Caluinus, quoniam ad veritatis obtutum tibi dolent oculi?

Exagitat Caluinus craſſum, vulgarem, & carnalem ſitum & eſum corporum, *quaſi*, inquis, *Lutherani & catholici non vtrique præſentiæ iſtos modos à ſe excludant, tamen ſubſtantialem præſentiam quæ modum inuſitatum, realem tamen, ſubſtantialem ac veriſſimum nanciſci poſſunt ex Dei potentia.* Egregiè profectò. Tandem enim Dei potentiam agnoſcere cogeris, quam per ludibrium paulò antè ſecundam fiſtulam vocabas. Sed ad rem. Lutherani, quos vocas, pro ſe reſpondeant an vobiſcum ſentiant. Vos autem Catholici quem modum, obſecro, excluditis? craſſum illum (inquis) & vulgarem ac carnalem ſitum corporum & eſum. Rectè hoc quidem, ſi ſatis verè. Sed quid nihilominus vultis? Corpus nimirum omni proprietate formali corporis ſpoliatum, nihilominus corpus manere: vt ſimul ſit totum infinitis penè locis, & quantum abſque quantitate & loco, ſubiectum abſque accidentibus, inuiſibiliter viſibile, denique infinitè finitum, & quid non? ſcilicet vt ſine horrore ſitis carniuori. Et quorſum tandem hæ inaniſſimæ & impietatis pleniſſimæ præſtigiæ, quum ne ſi quidem realiſſimè & ſubſtantialiſſimè (vt ita loquar) perinde vt vulgaris cibis veſcimur, carnem illam & ſanguinem voraremus, concoqueremus, & in nutrimentum transformaremus, quicquam hoc ſit nobis ad vitam æternam profuturum? Nec vos vnquam pudebit miſerum Chriſtianum populum iſtis tam craſſis, tam pudendis, tam denique ab omni fidei noſtræ analogia & æternæ vitæ ratione alienis deliriis dementare? Sed audi etiam aliquid amplius. Si vera ſcripſiſti, hæreticus erit veſter Nicolaus Papa cum tota Romana Eccleſia. Sic enim ille totidem, vt noſti, verbis Berengario credendum præſcripſit, *Verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſenſualiter, non ſolum Sacramentum, ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi, fidelium dentibus atteri.* Hoccine verò eſt craſſum & vulgarem modum excludere?

Caluinus, inquis, non inficiatur, tam verè præſtari à Deo res ſignificatas, quàm verè ſumuntur iſta ſigna, per quæ denotatur carnis & ſanguinis Domini verus & eſſentialis eſus & potus, non autem ſpiritualis duntaxat. Rurſum partim à ſcopo aberras, partim etiam ambiguitate nobis illudis. Nec enim, vt iam toties diximus, verus & eſſentialis eſus ac potus ei opponitur qui ſit duntaxat Spiritualis, ſi per illum quid percipiatur, per hunc verò quomodo & in quem vſum percipiatur, intelligas. Deinde quum eſus ac potus nomina nonniſi tranſlatitiè ad rei ſignificatæ perceptionem accommodemus, ſacramentali videlicet metonymia, hoc quoque tibi diſtinguendum fuit.

Pergis & Caluinum inquis, *in* 1. *Cor.* 11. *diuidere ſubſtantiam Cœnæ ab eius fructu & efficacia.* Hoc verò falſiſſimum eſt. Longè enim aliud eſt diuidere quæ Deus coniunxit, ſicut vos facitis, quum ipſam quoque carnem filij hominis ad ventrium ſumi docetis: quàm quæ diuerſa ſunt diſtinguere.

Idem Caluinus in Harmonia tradit *potione ſanguinis Chriſti ſanciri fœdus nouum vt ſit efficax.* Concedo, & ideo te Sycophantam eſſe dico, quum calumniaris ex Caluini doctrina nihil in Cœna percipi. *Ergo*, inquis, *vult potionem ſanguinis præcedere efficaciam huius Sacramenti.* Concedo & illud, ſed ita vt primùm omnium cauſarum ordo non autem temporis interuallum ſic notetur: deinde vt potione ſanguinis nulla tractatio ſubſtantiæ, ſed tantùm reiipſius perceptio & apprehenſio ſpiritualiter & per fidem facta intelligatur, vt videlicet Chriſtus noſter fiat, ideóque in nobis conſequêter operetur. Nam tum demum, vt ſcitè ſcribit Caluinus, Chriſtum participamus quum Chriſtum ipſum obtinemus, id eſt oportet nos cum Chriſto vnum fieri, (id autem non niſi ſpiritualiter

& per fidem fit)ſiue ipſummet Chriſtum à nobis vel nos potiùs ab illo poſſideri, vt poſtea vitam ea ipſo hauriamus. *Ergo*, inquis, *duplicem manducationem diſtinguit, realem vnam ac ſubſtantialem & alteram ſpiritualem, quæ ſimul fiant, quemadmodum affirmant Catholici.* Apage verò iſtum tuum Cacolyciſmum. Tua enim hæc ſunt, non noſtra. Vos realem manducationem definitis qua rem ipſam dentibus & ore accipitis: nos verò hanc manducationem, ſolis ſignis propriè, rei verò ſignificatæ non niſi metonymicè tribui, vt & ipſe panis corpus eſſe dicitur, ea fidei analogia, Sacramentorum natura & eſu, cum tota erudita vetuſtate docemus.

Vos ſpiritualem manducationem eſſe arbitramini quæ carnis ita vt dicitis manducatæ fructum & efficaciam ſpiritualem declarat: nos verò & rem ipſam ſiue ipſummet Chriſtum, & fructum, id eſt vim illam viuificam ea Chriſti Dei ſimul & hominis carne ad nos ipſi coniunctos promanantem, ſpiritualiter, id eſt Spiritus ſancti omnipotentis, & animo vera fide prædito percipi credimus, nec aliam ſpiritualem manducationem agnoſcimus. Vides igitur quàm ineptè iſta ſcripſeris?

Addis, Caluinum cum ſuo Beza docere noſtram manducationem à Patrum participatione differre, quia noſtra ſubſtantialis & actualis exiſtat, illorum verò minimè, quamuis mediam quandam inter ſubſtantialem & ſpiritualem eſſe velit. Rurſum abuteris illis vocibus, vt modò diximus. Nec enim alia vnquam fuit quàm ſpiritualis vel Patrum vel noſtra ſiue ipſius Chriſti, ſiue efficaciæ ex eo in nos deriuatæ perceptio. In eo verò diſcrimen ſtatuimus, quòd illi quidem fiebant Chriſti carnis participes, non tamen actu ipſo, vtpote quæ nondum extaret, ſed de iure tantùm, vt loquuntur, quoniam videlicet ius in naſcituram Chriſti carnem acquirebant: nos verò quum iam extet illa caro, ipſo etiam actu carnem ipſam percipimus, idque ſpiritualiter & per fidem illis & nobis communem. Neque verò naſcitura Chriſti caro ita vt diximus ab illis percepta, ſua efficacia carebat, quum ea ſit fidei vis vt res etiam nondum extantes, tum in Dei verbo, tum in Sacramentis veluti extantes, ad ſalutem apprehendat, ſicut petra ſpiritualis, id eſt, vt Auguſtinus rectè exponit, quiddam ſpirituale adumbrans, erat illis Chriſtus, & vidit Abraham diem Domini, & fides eſt τῶν ἐλπιζομένων ὑπόστασις, ſicut ſuo loco ex Græcis ſcholiis illud Apoſtoli dictum expoſuimus.

Subiicis aliquoties eâdem pagina idem inculcans, *Niſi ſubſtantiam ipſam ac naturam carnis Chriſti re vera & ſubſtantialiter nos in terra poſiti degustamus, quid contra naturæ impoſſibilitatem miraculo ac virtute Spiritus ſancti opus eſt?* Quid ſi verò ex te potiùs quæram, quodnam ſit miraculum, corpus realiter & eſſentialiter præſens manibus tractare & ore ſumere? nempe nihil aliud reſpondere poſſis quàm nullum locum miraculo ſic relinqui, quum hoc potiùs ordini naturæ ſit planè conueniens. Itaque miraculum illud quod alioqui miraculorum ſummum prædicatis, & de quo illud SOLA FIDES SVFFICIT tantis clamoribus vociferamini, non erit in ipſa carnis & ſanguinis ſumptione poſitum, ſi veſtra Tranſſubſtãtiatio ſtatuatur, ſed in vnione potiùs ſignorum & rei, quum tamen certum ſit non propter panem & vinum, ſed propter nos totam hanc actionem eſſe à Domino inſtitutam. Cuiuſmodi ſit ergo veſtra doctrina vel ex hoc quiuis intelligere poteſt. Veſtrum autem reſponſum nobis ſuppeditat quod hîc vobis regeramus: nempe in eo ſe exerere inenarrabilem Dei potentiam, quòd quum tam procul diſſita ſit à nobis caro quàm procul abeſt cælum à terra, eò vſque tamen fiamus eius participes, vt cum ipſo ſpiritualiter vnum facti, viuificum omnem ſuccum & vigorem inde quàm efficaciſſimè percipiamus. *At enim*, inquis, *ſi quotidie Baptiſmus, Euangelij prædicatio, mentis in Deum eleuatio, ſunt, vt vultis, quotidiana & ſufficientia vehicula gratiæ diuinæ atque efficaciæ carnis & ſanguinis Domini, quid opus eſt nouo canali & ſingulari virtute in Cœna ad infundendam eandem efficaciam de carne Chriſti in cælo ſedentis?* Quaſi verò nos oblitus ſis docere Sacramenta à verbo ſimplici ſecundum plus & minus, quod ad rei ſignificatæ, id eſt ipſiuſmet Chriſti perceptionem attinet, differre. Itaque nodum in ſcirpo quæris. Nec enim aliam in genere ponimus Spiritus ſancti virtutem in Cœna quàm in Baptiſmo vel ſimplici verbo, ſicut idem & vnus vbique Chriſtus ſpiritualiter fide percipiendus offertur. Nec tamen hoc impedit quominus hæc vis in Sacramentis magis quàm in ſimplici verbo, & rurſus in Cœna peculiari ratione ac virtute ſeſe conſpicuam præbeat.

Ex ſuperioribus colligis, ſubſtantialem ſiue ſubſtantiæ eſum ac potum à Caluino minimè negari, quod ita, vt diximus, intellectum, tantum abeſt vt repudiemus, vt etiam contradicentes apertè oppugnemus. Supereſt vt eundem Caluinum probes repugnantia tradere. Probas autem egregiis iſtis argumentis.

Quoties, inquis, *habet cum Tigurinis negotium, tantùm Spiritus manducationem per fidem determinat.* Obſecro verò, an non te aliquando iſtiua inſcitiæ pudebit? aliam ſanè quàm Spiritualem manducationem eámque per fidem, non agnoſcimus. Sed aliud eſt Spiritualis, aliud Spiritus manducatio. Hoc enim quid manducetur declarat, nec à nobis vſurpari ſolet: per illud verò ſignificatur manducationis genus quod corporali ſiue Capernaitico modo opponitur, nec tamen ipſius rei perceptioni repugnat, quum eam potiùs ſtabiliat, quũ nec caro à Spiritu, nec Spiritus à Carne ſit ſeparandus.

Alterum repugnantiæ argumentum huiuſmodi eſt. *Quoties doctrinam ſuam ſimilitudinibus elucidat Caluinus, intra limites efficaciæ continetur vt ſubſtantiam ſummoueat. Quemadmodum enim calorem à ſole, vigorem à capite, ſuccum ex radice diffundi cernimus, ita de Chriſti corpore cælis affixo influi vitam & efficaciam tradit, vt de ſubſtantia nihil ſimus ſoliciti.* Bona verba. Extant omnes Caluini libri, ex quibus quod in rem tuã faceret, deſumere potuiſti. Volue omnes & reuolue, paſſim quidem ita vt veritatis ſtudioſum & ſummo iudicio præditum ſcriptorẽ oportuit, ipſum Chriſtũ ab eo quod inde

ad nos

ad nos promanat Caluino diſtinctum inuenies, remotum verò nuſquam, ſed neceſſariò potiùs coniunctum. Neque longiùs nobis abeundum eſt vt hoc ipſum probemus, quum teipſo teſte, idque altera præcedente pagina, Caluinus de manducatione indignorum diſſerens, affirmet efficaciam carnis & ſanguinis Domini à ſubſtantia diſtrahi non poſſe. Sed video te iterum ad eundem ſcopulum naufragium facere. Niſi enim corpus Domini realiter hîc in terris ſtatuatur, niſi in noſtrum corpus ingrediatur, niſi corpori noſtro coadunetur, excludi tibi videtur & cælo affigi. Hoc commentum vt refelleret Caluinus, id eſt nõ ipſiuſmet carnis & ſanguinis *κοινωνίαν*, quæ & vera & ſpiritualis eſt, ſed craſſam, ineptam, inutilem, Cyclopicam denique ſubſtantiarum permixtionem, ſumpſit ſimilitudines verbo Dei familiares. Nam ſol quoque noſter, & caput vocatur Chriſtus, & præterquam quòd ſeipſum viti comparat, iubet etiam Apoſtolus vt in ipſo ſimus radicati. Quorſum autem hæc? nempe vt carne Chriſti è cælis non amota (quibus illum capi oportet vſque ad tempora inſtaurationis omnium) nos tamen doceret ipſius fieri verè *κοινωνοὺς*, vt eius luce illuſtrati, calore vegetati, vigore ſuſtẽtati, ſucco denique nutriti, idque ſpiritualiter per fidẽ, ad iuſtam illam menſuram tandem perueniamus. At tu velles ſimilitudines iſtas per omnia quadrare. Ergo Spiritum ſanctum redargue illarum authorem. Et tamen huic incommodo quod ad primam ſimilitudinem à ſole deſumptam attinet, his expreſſis verbis occurrit Caluinus lib. Inſtit. 3. cap. 17. ſectione 12, *Si ſolem*, inquit, *conſpicimus radiis in terram emicantem ad generandos, fouendos, vegetãdos eius fœtus ſuam quodammodo ſubſtantiam ad eam traducere, cur inferior eſſet irradiatio Spiritus Chriſti ad communionem carnis & ſanguinis eius in nos traducendam?* In aliis autem duabus poſterioribus ſimilitudinibus, adeò nihil eſt quod reprehendas, vt contrà quoties illis vtimur, admonere ſoleamus in eo non conuenire ſimilitudinem quòd membra quidem noſtra ex capite naturaliter etiam ſecundum ſubſtantiam cohærente, & rami ex radicis ſucco naturaliter & *συνεχῶς* coniunctæ foueãtur: quum inter Chriſti ſubſtãtiam & noſtram ſola ſpiritualis ſiue *κοινωνία* ſiue *ἕνωσις* ſtatuatur. Quid verò, quòd infinitis penè locis, veſtigia Chriſti ipſámque adeò panis & vini analogiam ſequutus Caluinus, non minùs animos noſtros paſci corpore & ſanguine Chriſti teſtatur in vitam æternam, quàm cibis corpus noſtrum in hac caduca vita ſuſtẽtatur? An hîc verò quippiam deſiderabis? quomodo tamen hoc fit accipiendum paulò antè diximus.

Pergit iſte, & inquit, *Caluinum non reticere quoties nominat ſubſtantiam, tantùm à ſe intelligi pro ſubſtantiali vigore.* Sed quid eſt Sycophantam agere ſi hoc non eſt? Inculcat ſingulis penè verſiculis Caluinus, hæc duo eſſe inter ſe diſtincta, ipſummet Christum videlicet viuificum, & inde promanantem vigorem, nec te tam putidi mendacij pudet? Sed hoc quoque verum eſt illum adiicere ſolere, non aliter nos fieri ipſius Chriſti participes, quàm ſpirituali modo per fidem, qui veritati & aſcenſioni Chriſti, ipſique totius noſtræ fidei analogiæ nihil repugnet: nec in eum finem vt commiſceãtur, traiiciantur aut permiſceantur ſubſtantiæ, ſed vt vnum ſpiritualiter facti cum eo, vitam æternam ex eo hauriamus. Hæc ſi repugnantia exiſtimas, an propterea non conſtat ſibi veritas?

Subſtantiam carnis Chriſti, inquis, *compellitur cælo coercere Caluinus, & defendere cælum non egredi, ad nos non penetrare, ad nos non deſcendere, nihilque ad nos de carnis ſubſtantia emanare, ne conſequantur ipſum eadem abſurditates, quas nobis de pluralitate locorum & Chriſti aſcenſione exprobrat.* Quis verò te præuaricari non putet? Etſi enim Chriſti carnem nullo carcere coercemus, cuius ſupra omne nomen elata gloria & poteſtas ſupra cælos ipſos eminet: tamen cum Petro dicimus illam cælo capi, quum gloria naturam finiti corporis ipſi non ademerit, idque dicimus, vt ſcopulos iſtorum naufragiis infames vitemus. Quod autem inde colligis, hoc poſito tolli à nobis ipſiuſmet Chriſti *κοινωνίαν*, nouo reſponſo non eget. Placet tamen audire quibus vulneribus teipſum adactus ab ipſa veritate concideris. *Si quid*, inquis, *nobis irrogatur de Chriſti ſubſtantia, aut eius erit habenda duntaxat portiuncula, aut ipſius integri corporis tota. Si prius reſpondetur, erit igitur partibilis ſubſtantia. Si poſterius, ſequetur totam ſubſtantiam & ipſum Chriſti corpus pluribus locis adeſſe.* Euge verò, quis te docuit iram venturam fugere? Adde nobiſcum quod neceſſariò ſequitur, & ex monacho Chriſtianus euades. Eſt autem eiuſmodi, *Illud verò eſt immane atque adeò prorſus ἀδύνατον, quantumlibet doceat Nicolaus Papa, ipſis carnificibus crudelior à quibus crucifixus eſt Chriſtus, non ſolum Sacramentum, ſed ipſummet corpus Chriſti ſenſualiter frangi, & dentibus atteri: hoc verò prorſus eſt Eutychianum, quum pluribus locis ſimul totum eſſe vnius ſit diuinæ naturæ proprium. Relinquitur ergo, ſtatuendam quandam eſſe capitis & membrorum κοινωνίαν, ſed qua ſpirituali modo fiat, nec ipſas ſubſtantias vel eodem loco ſiſtat, vel inter ſe permiſceat, & tamen quàm veriſſima ſit & quàm efficaciſſimè Chriſtum noſtrum efficiat.*

Subiicis tandem grauiſſimam aliam in Caluini ſcriptis repugnantiam, quam propterea minimè voluiſti prætermiſſam. *Nam*, inquis, *paſſim affirmat Caluinus nos non magis in Cœna percipere corpus Chriſti quàm in Baptiſmo & per Verbi prædicationẽ. At in Catechiſmo ait nos Chriſtũ per Baptiſmũ percipere tantùm in parte, in Euchariſtia verò totum.* Hîc verò quis ſtuporem tuum nõ admiretur? Sectio illa Catechiſmi, quæ eſt numero 52, ſic habet. Quum priùs diſputatum eſſet de Chriſti in ſacra Cœna communione, quærit Magiſter ex diſcipulo, an hæc communio tantùm fiat in Cœna. Reſpõdet diſcipulus haberi etiam illam in quotidiana Euangelij prædicatione, quod quatuor Scripturæ teſtimoniis probat. Hîc ſubiicit Magiſter quod iſti nobis ſolent obiicere, nempe ſi ita eſt, quid amplius habeamus in hoc Sacramento, & quid nobis vtilitatis afferat. Reſpondet diſcipulus, nos id conſequi ex hoc Sacramento, quòd hæc eadem communio magis in nobis confirmetur, & veluti rata habeatur. *Quoniam*, inquit, *tametſi Ieſus Chriſtus nobis & Baptiſmo & Verbi prædicatione communicetur, hoc tamen non fit perfectè, ſed ex parte.* Hac autem quæſtione explicata, con-

cludit poſtea Magiſter quid in Cœna nobis præbeatur. Cedò verò, quæ eſt in iſtis repugnantia? Quum dictum eſſet in nobis hoc Sacramento pleniùs ſanciri noſtram illam cum Chriſto coniunctionem, additur ratio, quoniam videlicet non vno momento, ſed per gradus Chriſto paulatim magis ac magis inſerimur: ideóque quum, vt ait Apoſtolus, creſcere illum in nobis paulatim oporteat & nos progredi donec apprehendamus, adiúnctum eſt tum Baptiſmo tum prædicationi Verbi Cœnæ Domini, nouum fidei noſtræ fouendæ & augendæ adminiculum At tu nobis hanc calumniam ex ineptiſsimo illo Heshuſio depromptam reponens, perinde hoc accipis, ac ſi ſentiret Caluinus nos in Baptiſmo tantùm partem Chriſti, nempe vim & efficaciam, in Cœna verò id præterea quod deerat, nempe ipſam quoque eſſentiam ſumere: quod ridiculum delirium quo videlicet Chriſtus diſcerpitur, & cui, ſicut Heshuſio reſpondens oſtendi, tota Scriptura repugnat, quibus tandem præterquam hominibus iuſto Dei iudicio excæcatis, venire in mentem potuit? Quid quòd iſtam particulam, *In Eucharistia verò totum*, auſus es de tuo adiicere? Sed illud quoque perlepidum eſt quod ſubiicis, *alioquin*, inquis, *quid Caluinus ſenſerit quum dixit* I N P A R T E, *auguretur qui poterit.* Atqui non aliunde quàm ex verbo Dei ſolemus augurari, ſi modò profano huic vocabulo
1.Cor 13. aliquis eſt locus. Diſce igitur ex Paulo quid ſit ex parte cognoſcere, & ex parte prophetare, & didiceris quid ſit ex parte credere, ex parte Chriſto inſitum eſſe, ex parte denique in eodem viuere, do-
Ephes 4. nec, vt alibi ſcribit idem Apoſtolus, ad menſuram ſtaturæ adulti Chriſti euadamus.

Operæpretiũ eſt autẽ aliud quoque tuum argumentum audire. *Docet Caluinus*, inquis, *inſeparabiles manere corporis & ſanguinis Domini ſubſtantiam, eorundémque efficaciam, ita vt neutra ſine altera ſiſti poſſit. Idem nihil prorſus de ſubſtantia ad nos delabi vel deſcendere concludit. Ergo ne vlla quidem efficacia nos in Cœna perfrui, ſiue nihil prorſus de Chriſti Cœna reportare colligendum eſt ex Caluini doctrina.* Reſpondeo primùm ad propoſitionem, perperam à te dici quod verè & rectè ſcripſit Caluinus. Totum enim illud, *vt neutra ſine altera alicubi ſiſti poſſit*, ſuppoſititium eſt. Nec enim ignoramus dictum Auguſtini, corpus quidem Chriſti eſſe alicubi oportere vt in loco, veritatem autem corporis vbique diffundi: & quum omnem poteſtatem acceperit qui nunc eſt in cælis, & non alibi ſecundum carnem, quis tam eſt vecors vt tam latè patere Chriſti carnem, quàm eius vim ac poteſtatem arbitretur? Totum igitur iſtud commentum tuum eſt, quum de ſpirituali præſentiæ & communionis modo hìc agatur. Deinde non de quauis efficacia Chriſti loquimur in hoc argumento, ſed de mortis totiúſque ipſius obedientiæ efficacia, denique de plenitudine ipſius agimus, ex qua vna cæleſtem æternámque vitam petendam cenſemus. Hanc igitur negat Caluinus, tum ex Dei verbo, tum etiam ex diſertis Auguſtini teſtimoniis cum Scriptura conſentientibus, cuiquam communicari, qui non ſit ſpiritualiter factus ipſius Chriſti membrum. Item nullum affirmat verè eſſe poſſe Chriſti membrum qui non iſto vitali ſucco vegetetur. Hinc collige quàm ſis ineptus, quum ſpiritualem coniunctionem non aliter quàm naturalem metiens, quæ maximo etiam locorum interuallo diſtant, ſpirituali nihilominus vinculo coniunctiſsima eſſe poſſe non intelligis. Nam certè ex ipſius etiam naturæ ordine corpora quoque cæleſtia quantumuis longè diſsita, tamen per medium διαφανὲς oculis noſtris efficaciſsimè coniunguntur. An verò Spiritui ſancto, & fidei verbum Dei omnipotẽtis amplexæ minus quàm oculis tribueris, qui tot alioqui in hoc Sacramento miracula comminiſcimini? Ruit igitur argumenti tui fundamentum. Tamẽ ad aſſumptionem tui argumenti accedo. Solam vim & efficaciam Chriſti à nobis in Cœna percipi, adeò non ſcripſit Caluinus, vt contrà ſingulis penè verſiculis inculcet tum demum nos fieri illius virtutis participes, quum ipſe Chriſtus factus eſt noſter, & nos viciſsim illius: & disertè rem Sacramenti, id eſt ipſummet Chriſtum Deum & hominem, ab vſu & effectu inde promanante, id eſt à noſtra viuificatione diſtinguat. Rurſum ergo mendax reprehenderis. Hoc tamen verum eſt, non ita eſſe ſtolidum Caluinum, vt vel quicquam de Chriſti ſubſtantia ad nos delabi ſiue deſcendere ſomniet vel aliam ſtatuat ſubſtantiæ ſiue ipſiuſmet Chriſti κοινωνίαν, quàm qua vnum ſpiritualiter cum ipſo facti viuificemur. Sed quum colligis omnem ſubſtantiæ communionem prorſus ab eo excludi, qui eiuſdem transfuſionem & realem applicationem neget, quid aliud quàm ſummam Dialectices inſcitiam prodis? An enim, obſecro, ſublata vna ſpecie, tollitur totum genus? an quoniam equus non es, idcirco ne animal quidem es? Argumentum autem in te ſic retorqueo. Affirmat ex verbo Dei Caluinus, nullum fieri participem viuificæ Chriſti efficaciæ, qui non ſit ipſiuſmet Chriſt ſpiritualiter per fidem particeps factus. Idem affirmas credentes verè fieri vitæ Chriſti participes in Cœna. Ergo & ipſius Chriſti. Ex his autem mendaciſsimum eſſe te relinquitur.

Negat Caluinus, & quidem rectè aduerſus ſophiſtarum opus operatum, eam vtilitatem quæ ex Sacramentis percipitur, eſſe ad externæ actionis tempus reſtringendã. Affertur duplex ratio. Primùm enim experientia probat alios citiùs, alios tardiùs à Deo regenerari (eſt autem regeneratio non minimus Baptiſmi fructus) quum tamen in infantia pariter fuerint baptiſati: & fieri etiam ſæpe probabile eſt, vt multis qui ſacræ Cœnæ interſunt, vſuueniat vt propter incogitantiam vel tarditatem quam poſtea excutiunt, minùs tunc, in ipſa videlicet actione, ipſis proſit, quàm aliquanto pòſt tempore. Deinde quid nobis fieret ſi prætereunte actione penè momentanea, euaneſceret quæ inde ad nos redit vtilitas? Quid autem hinc iſte colligit? hinc videlicet effici Caluinum ſibi nõ conſtare, qui paulò antè ſubſtantiam & efficaciam inſeparabiles eſſe dixerit. quaſi verò id ex quo prouenit vtilitas (nempe Chriſtus ipſemet & vis in ipſo inſita) idem declaret atque vtilitas ipſa ſiue illius in nobis effectum, nimirum iuſtificatio & ſanctificatio noſtra: quaſi propterea quòd temporis ſpatio ſemini opus eſt vt germinet, frondeat, floreat, fructificet, ideo conſequatur ſemen

in agro

in agro ſatum non eſſe, aut ſuis viribus carere: vel quoniam aliquod temporis interuallum requiritur antequam homo actu ratiocinari poſſit, idcirco non ſit præditus anima rationis participe: quaſi denique qui ebriuſ eſt, mentem ipſam amiſerit, quoniam nec corpus nec animus officium in ipſo faciant. Quum igitur grauiſſimus Sorbonæ Theologus iſta vocas ægri ſomnia, & Caluini morbo laborantis deliria, an non te potiùs perpetua inſania laborare, & vigilantem quoque ſomniare probas?

Quod autem addis eadem tui libri pagina de vna & eadem ratione Sacramentorum, quoniam ita obſcurè dictum eſt, vt nullo modo à me quidem intelligi potuerit, idcirco nunc non refello. Tantùm dico, inſignem eſſe calumniam, quam Caluino affingis, ac ſi doceret nouæ legis Sacramenta nihil conferre. Primùm enim iſtud NOVAE LEGIS nomen, vt *ἄκυρον* iam pridem repudiauimus, à patribus quidem, fateor, frequenter, ſed diuerſo à vobis ſenſu vſurpatum. Redarguit Caluinus ſophiſticum illud delirium, Sacramenta nouæ legis conferre gratiam, omnibus non ponentibus obicem peccati mortalis. Sic enim Deum vti Sacramentis tanquam organis, vt omnis virtus penes ipſum maneat: nec in Sacramentis quicquam rei niſi fide percipiatur. Hoc, inquam, commentum quoniam redarguit Caluinus, an efficitur quod ſomnias illum docere, nou. nimirum fœderis Sacramentis nihil prorſus nobis conferri? Nec verò longiùs nobis abeundum eſt, vt hoc quoque mendacium ex teipſo conuincatur. Subiicis enim Caluinum ſentire Sacramentis obſignari Dei dona quæ aliunde iam poſſideamus. An verò hoc nihil eſt, ac non potiùs nihil eſt quod tu garris?

Non diſſimile eſt aliud argumentum, id eſt prorſus fatuum & abſurdum, quod ex Vveſtphalo & Heſhuſio, vt cætera ferè omnia deſumpſiſti, adeò vos eſtis exarmati: *Fidem*, inquit, *deſiderat Caluinus, qua incorporamur carni Chriſti, & ab eo omnia impetramus.* Concedo. Nam ſi fide iuſtificamur, & Chriſtus eſt iuſtitia noſtra, certè fides Chriſtum apprehendat oportet, vt quia in eo ſumus, nulla ſit in nobis condemnatio. *Fide igitur*, inquit F. Claudius, *allata & incorporatione per eam acquiſita cum affluentibus inde donis, quid noui per Cœnam de carne Chriſti aut eius efficacia nobis accedit?* Nihil ſanè noui, quod ad Chriſtum ipſum & eius viuificum illum ſuccum attinet. Sed magis ac magis Chriſto ſpiritualiter adiungi, fidem augeri, charitatem confirmari, omnia quæ habueris dona in dies intus ſanciri, ac fortaſſis etiam noua quæpiam obtinere, iuſtitiam ex fide magis ac magis obſignari, iſtáne apud vos nihil ſunt? Imò vide quàm ineptè colligis. Demus tibi quod poſtulas, nempe realiter & eſſentialiter & ſenſualiter ipſam carnem Chriſti manibus palpari, ore corporis percipi, dentibus atteri, intus etiam ſi velis concoqui. Si hoc verum eſt, an aliquid Chriſti ſupereſt quod requiratis? Nihil, opinor. Quid igitur noui quotannis iſtic accipitis? cur veſtram Cœnam repetitis? cur vos ſacrifici Miſſam quotidie imò etiam interdum ter vno die celebratis? certè vnum iſtorum neceſſarium eſt, nempe vel vt excedere poſtea Chriſtum ex corpore ſumentiũ credatis vel Chriſto corpora numero plura tribuatis: vel idipſum quod nos docemus, ſentiatis, nempe perceptionem repeti, vt poſterior prior ſanciatur. Sed ſupererit poſtea vobis explicandus alius nodus, quonam videlicet quod iam realiter intus eſt, realiter rurſus extrinſecus veniat, & quod apud Patrem manet, Patri ex altari realiter offeratur.

Supereſt vnicum tuum argumentum omnium certè falſiſſimum. *Non debet*, inquis, *docere Caluinus quicquam amplius de Cœna Domini quàm contineat.* Concedo. Vnius enim Dei eſt Sacramenta, Gerſone etiam teſte, inſtituere, ideóque veſtram oblationem, non gratiarum actionis, ſed realem & expiatoriam pro viuis & mortuis, vt verè Antichriſtianum commentum execramur. *Atqui Caluinus metonymiam eſſe vult in inſtitutione Cœnæ Domini, quum hæc verba, Hoc eſt corpus meum, interpretetur, hoc eſt ſymbolum ſeu ſignum corporis mei. Ergo concluditur Caluinum docere ex Cœnæ inſtitutione, TANTVM propone, accipe & ede ſignum corporis Domini, & proinde nullo modo corpus ipſum verum manducari, nec ſubſtantialiter nec ſpiritualiter.* Deus bone, quò recidimus? aut quæ ſpes eſt vllius cum iſto hominum genere concordiæ? Reſpondeat pro ſe Caluinus, qui quum innumerabilibus locis ex profeſſo doceat Sacramenta ſic eſſe rerum ſignificatarum ſigna, vt quod per illa corporali modo ſignificat Dominus, verè etiam offerat ſpirituali modo percipiendũ, quomodo calumniam, quomodo mendacium, quomodo omnis rectæ conſcientiæ ſenſum excuſabis, ſaltem coram Chriſto viuorum & mortuorum ſeſſuro iudice? Infinitum eſſet Caluini hac de re teſtimonia deſcribere. Vnicum tantùm audiamus, ex 1. Cor. 11, in hæc verba, Hoc eſt corpus meum. *Conſtituo*, inquit, *ſacramentalem hic eſſe loquendi modum, vbi Dominus rei ſignatæ nomen ſigno tribuit. Nunc vlterius pergendum, & quærenda metonymiæ ratio.* Dic igitur, cur in metonymia ſic ſubſtitiſti, vt eiuſdem rationem & explicationem prætereris? Sed agè, audiamus illum etiam poſt mortem loquentẽ, cuius vel ſola memoria vos quieſcere nũquam patietur. *Hic*, inquit, *reſpondeo, non ideo tãtùm ſigno imponi rei ſignatæ nomẽ, quoniam ſit figura: ſed magis quia ſymbolũ ſit quo res exhibetur* (ſpiritualiter videlicet per fidẽ.) *Similitudines enim quas mutuantur quidam à rebus terrenis & profanis, quoniam à Sacramentis Domini habent aliquid diuerſum, non admitto.* (obſerua igitur non ſimpliciter per ſe ſimilitudines iſtas ve falſas, ſed duntaxat vt non ſatis proprias reprehendi.) *Vocatur Hercules, ſtatua Herculis: ſed quid illic eſt præter nudam inanémque figuram? Columba autem vocatur Spiritus, quia certa ſit teſſera inuiſibilis Spiritus præſentia. Ergo panis eſt Chriſti corpus, quia ſeriò teſtatur exhiberi nobis* (ſpiritualiter videlicet) *corpus illud quod figurat: vel quia Dominus viſibile ſymbolum illud nobis porrigendo, dat etiam nobis ſuum corpus, neque enim fallax eſt Chriſtus, qui vacuis figuris nos ludat.* Addo etiam illud, Neque enim ibi panis *ὡς μνημεῖον* corporis, vt ſpectandi vel in memoriam duntaxat reuocandi, ſed vt participãdi

proponitur. En cur ex Caluini & Bezæ doctrina clamites, corpus Chriſti in Cœna nec ſubſtantialiter, nec ſpiritualiter ſumi, ſed duntaxat panis & vini pauxillum de manibus impuri alicuius nebulonis & circulatoris miniſtri acceptum, quæ epitheta qoibus ad amuſſim conueniant, initio huius apologiæ oſtendimus.

His veluti anguſtiis quibuſdam egreſſus tandem, quaſi extra cœptum iter laſciuiens, ſignificas Caluiniſtas, autore quodam Italo Ludouico Alamanno, cœpiſſe Lugdani alios ab aliis diuidere, qui Caluinianas præſtigias nõ ferens, purũ (vt ait F. Claudius) Zuinglianiſmum cœperit inſtaurare. Poſtea ex illius concluſionibus velot aciem quandam aduerſum nos inſtruis, & repentè factus eius dogmatis defenſor, quod certum eſt longiſſimè omnium à Papiſtica Trãſubſtantiatione abeſſe, miſeraris bonum Lodoicum quem Caluiniſtarum ſynagoga vi conetur opprimere. Imò etiam illum quibus poteſt armis inſtruis. Tandem vbi nos Æſopico, id eſt μυθικῷ cani qui nuſquam eſt, ipſe verè Cardinalitius canis comparaſti, quicquid tibi ſpleodida buccis inculcat eummis, fruſtula videlicet panis & tantillum vini de manu infelicis miniſtri ſumpta, & Burgium Pariſienſem Senatorem, quem ſi nos (vt tu vis) dementauimos, quo iore licuit ipſius Cardinali furentem vſtulandum curare? quid amplius? pecuniarum vim congeſtam, coniurationes ad opprimendam Galliam initas, quibus ſordibus quum teipſum potiùs quàm nos contaminaris, quid attinet hæc ipſa tibi in os regerere. Paucis tamen Lodouici illius factum aperiam. Is licet ſeſe Iuriſconſultum non Theologum profiteretur, ſed, quod verè poſſum vt de homine mibi non ignoto dicere, vt qui ſatis diu hîc apud nos ſit verſatus, maioris multo audaciæ quàm iudicij, & eruditionis ſanè perexiguæ vir, ſiue vt ſeſe venditaret, alioqui valde egens (quod tamen in ipſo limine reprehendo) ſiue huc eum pertrahente leuitate quadam ac temeritate, cœpit nonnulla inter imperitos quoſdam iactare de Cœna Domini, iis non diſſimilia quæ Lutherus olim Zuinglio impingebat, quaſi videlicet à Cœna omnem ipſius carnis & ſangoinis Domini *κοινωνίαν* excluderet. Vocatus ob eam cauſam de more ad Eccleſiaſticum *συνέδριον*, ſuum dogma ſex illis theſibus comprehenſum obtulit. Ibi reprehenſus factus eſt pertinacior, vt iſtud hominum genus ſolet: & ſiue vana quadam confidentia elatus, ſiue ab hoſtibus noſtris incitatus, tum apud præfectum vrbi, tum etiam ſcriptis in aulam literis ſtuduit erumpere qoantum potuit. Hoc vbi eſt optimo illi Cardinali, & per illum poſtea Sorbonicis doctoribus nuntiatum, nihil fuit bonis patribus antiquius quàm vt hãc ſcintillam qaoquomodo poſſent, accẽderent. Hinc egregius ille liber natus, quem tu ſcilicet ingenioſus tibi à tuis ſodalibus extortum cõquereris, ſimus antè ex Vveſtphali, Heſhuſij, Oſij, & cæterorum iſtiuſmodi cloacis congeſtus. Sed ô factum malè. Materia nondum eſt inuenta quæ incendium iſtud corriperet. Repreſſus ille à Lugdunenſibus publico etiam ſcripto, breui quidem illo, ſed minimè inepto: nemine prorſus quantum intelligi poteſt, illum affectante præter vnum quendam cui nemo ſanus iraſci velit: tandem etiam, ſic poſtulante ipſius peruicacia, ex Eccleſia eiectos, pro nullo iam miſer habitus, donec reſipiſceret, ad Iudaiſmum, abducto in idẽ exitium locuplete quodam ex ipſis quos vocant Catholicis Lugdunenſi mercatore, Conſtantinopolin migrauit. En cur tantopere de noſtris diſſidiis triumphes, conſcientias etiam noſtras obteſtans, cui ſanè paria me facere non poſſe fateor, quoniam quam in te conſcientiam obteſter, planè nullã inuenio. Eſto tamen: ſeuerit inter nos quoque Satan zizania, an conſequetur noſtras Eccleſias agrum Domini non eſſe?

Poſtea aliquouſque, vt modò diximos, expatiatus in viam redis, & repugnantias illas à nobis paulò antè ſigillatim refutatas, ex ipſomet Caluino probaturus, primo quidem loco teſtimonia congeris, quibus ſubſtantia ipſa Chriſti, ſiue Chriſtus ipſemet nobis ſpiritualiter in Cœna dicitur per fidem communicari, vt vitam inde bauriamus, quæ omnia quum aduerſus te faciant, quorſum illa percurrerem? Ad illa igitur veniamus quæ poſtea ſubiecisti, quibus Caluinum inquis docere, *nos ſolam efficaciam carnis percipere, ac negare ſubſtantiam delibari*, quorum prius nunquam ex Caluino probabis, poſterius planè concedimus. Nec enim, Dei gratia, didicimus Chriſtũ aliter qaàm totum ore fidei ſumere.

Caluinus in vltima admonitione Vveſtphalum reprehendens, quòd illud Auguſtini dictum de veritate corporis Chriſti vbique diffuſa, quum ipſum corpus oporteat vno tantùm loco eſſe, ad ipſam corporis ſubſtantiam ineptiſſimè torqueret, planè & perſpicuè oſtendit quomodo bæc duo inter ſe non pugnent, carnem videlicet illam, ſiue naturam humanam Chriſti in qoa iuſtitiam nobis impleuit, in cælis manere, neqoe loco moueri, & tamen verè nobis communicari: quoniam nimirum non ideirco noſtra fit vt ſubſtantia eius cum noſtra miſceatur, ſed vt arcana Spiritus virtute ſpiritualem vitam mentes noſtræ ex ipſa petant. Obſecro enim, vt quàm craſſiſſimè tecum agam, ſi panis apud ipſum piſtorem mancntis expreſſo ſucco ſuſtentareris, an non æquè verè diceteris illo ipſo pane paſci, acſi reipſa illum in ventrem traiiceres? Imò quorſum panis ſubſtantiam voras, niſi vt ipſius vi ſuſtentando corpori noſtro idonea fruaris? Sed hoc in primis intereſt in huiuſmodi ſimilitudinibus, quòd iſta quidem corporea ſunt, & corporali modo fiunt, quum ad hanc vitam ſpectent: hîc verò caro quidem ipſa Chriſti in quam fides noſtra fertur vera eſt caro, ſed totum noſtræ cum ipſa *κοινωνίας*, vt noſtræ ex ipſa viuificationis myſterium ſpirituale eſt, ne nos fortaſſis eouſque bardos & ſtupidos eſſe ſomnies, vt carnem Chriſti veluti torculari ſubiiciamos, vt inde corporeo quodam ſucco expreſſo viuificari nos doceamus. At enim niſi ventrem paſcat ipſa carnis ſubſtantia, clamitas te Chriſti pabulo priuari: & quoniam cum Nicodemo ſpiritualia diſcer-

nere

nere non potes, neque fidem à phantaſia diſtinguere, oblitus etiam te ex eorum eſſe numero qui corpus Chri ſti omnis quantitatis expers, id eſt σῶμα ἀσώματον in Sacramento eſſe volunt, conquereris Chriſti corpus à Caluino & Bezæ νοητὸν id eſt tantùm intellectuale & phantaſticum ſiue imaginarium reddi, atque adeò in vmbram ſiue rem ſpiritualem transformari. Quid eſt autem vigilantem ſomniare, ſi hoc non e ?

Citas alium eiuſdem Cal. locum ex lib. Inſtitut. 4, ca. 17, ſect. 32, vbi tradit verè à Chriſto dari, & à nobis accipi corpus & ſanguinem, ſed ita vt omnis mixtura, omnis transfuſio ſubſtantiæ, omnis in nos ipſius carnis Chriſti ingreſsio repudietur, ſed ipſa in animas noſtras vitam ſpiret.

Idem in 1. Corinth. 2. nobis realiter, id eſt verè in Cœna dari Chriſti corpus docet, non vt miſceatur nobiſcum, ſed vt vnum cum ipſo myſticè efficiamur, & ipſius quamuis longè à nobis diſtantis viuifica illa vis per Spiritum in nos diffundatur. Profers alia eiuſdem Caluini teſtimonia ex libro qui inſcribitur, Ratio ineundæ concordiæ, vbi explicat quid ſit *ſubſtantialiter paſci Chriſti carne*, nempe verè cum ipſo coaleſcere in vnum myſticum corpus per fidem, non vt fiat carnalis quædam mixtura, vel vt caro Chriſti è cælo elicita in nos penetret, vel ore deglutiatur, ſed vt animas noſtras viuificet ſua vi & efficacia, non ſecùs ac panis viníque ſubſtantia corpora nutriuntur. Idem eodem loco exponit *Spiritualiter nobis dari Chriſti corpus*, hoc declarare, fieri arcana Spiritus ſancti virtute, vt quæ alioqui locorum ſpatio inter ſe diſtant vniantur, ac proinde ad nos penetret vita ex carne Chriſti. Addit etiam vim iſtam viuificam non incommodè dici abſtractum aliquid à Chriſti ſubſtantia, modò id dextrè intelligatur, manere videlicet in cœlo Chriſti corpus, & tamē ad nos qui in terris peregrinamur, vitam ex eius ſubſtantia manare. Ibidem teſtatur Caluinus ſe ingenuè non captioſè, non obſcurè, non ambiguè, non flexiloquè aſſerere Chriſtum fieri noſtrum, vt quæ poſsidet bona nobiſcum communicet: eius corpus non tantùm fuiſſe Patri oblatum in ſalutem noſtrā dum immolatum fuit, ſed nobis etiam in ſpirituale alimentum porrigi, vt dum habitat in nobis, bonorum etiam eius omnium ſocietate fruamur: viuificum vocari, quia vitam ſuam in nobis inſpirat, non ſecùs ac ex panis ſucco vigorem trahimus: ſpirituale dici animæ alimētum hoc ſenſu, quia incomprehenſibili Spiritus virtute nobis vitam ſuam inſpiret, vt ſit nobis cōmunis, non ſecùs atque à radice arboris ſuccus vitalis ſeſe diffundit, vel à capite in ſingula membra manat. Idem in Heshuſium teſtatur ſe non reiicere ſubſtantiæ nomen, modò ſi ſic intelligamus incomprehenſibili Spiritus virtute ſpiritualem vitam ex carnis Chriſti ſubſtantia (*quicum videlicet ſpirituali modo per fidem coaluimus*) in nos diffundi. Ibidem declarat ſe quum dicit Chriſti carnem ſubſtantialiter nobis offerri, ſimul modum deſignare, nempe quòd incomprehenſibili ſui ſancti Spiritus virtute ex ſubſtantia carnis ſuæ vitam in nos transfundit quæ illi propria eſt, vt fiat nobis communis.

In conſenſione cum miniſtris Tigurinis teſtatur nos, vt Chriſtus ſuos in nobis effectus proferat, vnum cum ipſo effici oportere, & in eius corpus coaleſcere. Hanc communicationem ſpiritualem eſſe, dum Spiritu ſuo in nobis habitans, facit credentes omnes omnium quæ in ſe reſident bonorum compotes, cuius teſtificandæ cauſa tum Euangelii prædicatio ſit inſtituta, tum Sacramentorum, id eſt Baptiſmi & ſacræ cœnæ vſus nobis fuerit commendatus.

Hæc ſunt quæ ſummo ac perpetuo vbique conſenſu verbis & ſcriptis magnus ille vir tradidit, & quum tute protuleris, tamen perditiſsimum hæreticum & præſtigiatorem Caluinum vocas. Eius autem veſtigia ſequens Beza vt tu ipſe teſtatis, docet nos ad Cœnam accedere, non vt tunc primùm Chriſto incorporemur, ſed vt ipſius magis ac magis participes facti, in ipſo adoleſcamus.

Quid autē iſte? ex his, inquit, planum fit à Caluino recognoſci tantùm in Cœna nobis erogari vim quandam ſpiritualem incorpoream. Tolle illud TANTVM quod tuum eſt, & adde quod ſedulò ſemper inculcauit Caluinus, nempe vt vis iſta in nos ex Chriſti ſubſtantia defluat, oportere nos priùs ipſummet Chriſtum ſpiritualiter fide obtinere: & dixeris quod res eſt.

Altera examinis tui parte probare inſtituiſti Caluinum ne in explicanda quidem præſentia carnis & ſanguinis Chriſti in Sacramento ſibi conſtare. Ego paulò apertiùs quid tibi velis, & quidnam hac de re ſentiamus exponam. In priore quæſtione actum eſt de coniunctione rei ſignificatæ nobiſcum, in qua diximus rem ſignificatam eſſe ipſummet Chriſtum, qui ſpiritualiter per fidem noſter fiat, vt vitam ex ipſo hauriamus. Nunc verò dicendum nobis eſt de coniunctione rei ſignificatæ, id eſt, vt antè expoſuimus, ipſiuſmet Chriſti cum ſignis ipſis. Pendet autem huius quæſtionis explicatio à ſuperiore, maxima ex parte. Nam ſi vera eſſet eorum ſententia qui ipſam carnis ſubſtantiam cum ſubſtantia noſtra realiter, vt loquuntur, atque adeò ſenſualiter connectunt, vt abſque vllo tropo, ipſis etiam manibus palpetur, & ore percipiatur, & dentibus, vt ait Nicolaus Papa, atteratur, efficietur realiter quoque cum ſignis quæcunque tandem illa ſint, copulari ipſam carnem & ſanguinis ſubſtantiam (ſiue panis & vinum, vt volunt Conſubſtantiatores, ſiue certa duntaxat accidentia remaneant, vt Tranſſubſtantiatores ſomniant) quam opinionem vt analogiæ fidei, id eſt veritati & aſcenſioni corporis Chriſti ex diametro repugnantem, & à Sacramentorum ratione prorſus alienam repudiamus. Sin vero, ſicut probauimus, verè quidē & certò ſimus illius participes in eum finem quem toties repetiimus, ſed ſpiritualiter & fide quæ per Spiritus ſancti virtutem non minùs efficaciter in res longiſsimè diſsitas, quàm in propinquiſsimas fertur: illud quoque efficitur rem ſignificatam non aliter coniungi cum ſignis quàm ſacramentaliter, id eſt vera & efficaci ſignificatione. Veram autem & efficacem ſignificationem appello, quando res aliqua præterquam quòd ſignificatur, etiam verè fruenda donatur. Hæc noſtra eſt de hac quæſtione ſententia, analogiæ fidei & Sacramentorum rationi ad amuſsim quadrans, perpetuo Eccleſiæ con-

ſenſu, quàm copioſiſsimè à D. Caluino & Martyre præſertim, explicata & luculentiſsimè confirmata. Audes tamē hîc quoque Caluinum vt ſibi repugnantem accuſare, *vt qui modò aſſentiatur præſentiam carnis & ſanguinis Chriſti ſub pane vinóque ſisti, nobiſque exhiberi, modò verò illam cælo concludat.* Verunque ſanè improbè dictum, quum neutrum dicat Caluinus, nec quiſquam, opinor, ſanæ mentis homo. Quid eſt enim obſecro, præſentiam carnis ſub pane ſiſti? fortaſſe quod tibi bonus ille magiſter tuus dictauit, non intellexiſti, aut ille te irriſit, aut potiùs vtrunque Dominus iuſto ſuo iudicio excæcauit. Voluiſtis, opinor, dicere Caluinum modò dicere carnem & ſanguinem Chriſti interdum præſentem ſub pane & vino ſiſti, modò docere cælo ſemper concludi. Oſtende alterum ſaltem, aut te in vtroque peſsima fide agere omnes intelligent. Neutrum certè dicimus, ſi noſtra percepiſti, quia Chriſti carnem neque ſub ſignis ſiſtimus, neque cælo concludimus. Illud enim impedit fidei analogia: iſtud verò nobis ſanè non conuenit, qui etſi cum Petro credimus, & docemus oportere Chriſtum, quod ad carnem attinet, cælo capi vſque ad tempora inſtaurationis rerum omnium, tamen cælum pro ergaſtulo non habemus: vobis autem an non optimè omnium conueniat, qui non modò pyxidis anguſtiis Chriſtum ipſummet concludi vultis, ſed cuiuſlibet etiam impuriſsimi ventrē, realiter & ſubſtantialiter ingredi contenditis, nec vllam adhuc rimam potuiſtis inuenire qua illum ex his ſordibus educeretis? Sed ad rem. Nolo ſophiſtam agere. Alibi nunc eſſe aut ad alterum vſque aduentum fore Chriſtum ſecundum carnem, ſiue humanam naturā Chriſti quàm in cælis, nemo Apoſtolorum, nemo orthodoxorum patrum, nemo noſtrûm, nemo ſanæ mentis homo dixit: ſacramentaliter tamen ita vt dixi, id eſt vera & efficaci ſignificatione adeſſe, & inde vbi eſt, è cælo ſpiritualiter quidē, ſed veriſsimè & efficaciſsimè nobis hactenus cōmunicari, vt vitam æternam inde hauriamus nemo vnquam niſi vel imperitiſsimus Chriſtianorum myſteriorū, vel improbiſsimus, eſt inficiatus. Sed agè audiamus quæ profers ex faceto illo Caluino, vt tu, lepidus ſanè Theologus, loqueris.

Scribens in Heshuſium negat Caluinus ſe Chriſto affingere ſecundarium aliquod corpus ſymbolicum ſiue panaceum: ſiue bicorporem Chriſtum reddere, quoniam quòd panis dicitur eſſe corpus, ſymbolicè de vno illo veróque corpore accipiendum eſt: ſicut duplex non eſt Spiritus ſanctus, quamuis columba dicatur Spiritus ſanctus, verus quidem ille & vnicus, ſed ſub ſymbolo apparens. Hoc autem tibi impoſuit, quòd Caluinum putaſti hoc velle, ſicut eſſentia quoque ſua aderat Spiritus, quum in eo ſymbolo ſeſe alioqui inuiſibilem veluti conſpiciendum præberet, ita etiam carnē Chriſti ſic in pane ſignificari, vt ſubſtantia quoque ipſius adſit vbi eſt panis. Id verò nunquam in mentem venit Caluino, cui non aliud propoſitum fuit quàm ipſam ſacramentalem metonymiam vtrobique eandem demonſtrare. Ratio diuerſitatis in eo ſita eſt, quòd Spiritus ſanctus diuina ſua eſſentia omnia replet, ac proinde ſic illo ſymbolo ſignificatus fuit, vt etiam illa ſua eſſentia præſens adeſſet: de carne verò Chriſti prohibet quidem humanæ naturæ veritas dicere alibi eam eſſe quàm quò diſceſsit à nobis, ſed manet tamen vtrobique ſacramentalis ſignificationis veritas.

Idem, fateor, in illo de Cœna Domini verè gemmeo libello ſcribit, *Viſibilia ſymbola nobis carnem & ſanguinem Chriſti repræſentare*: ſed ſi nullam aliam præſentiam imaginaris, quàm quæ eſſentiam ipſam Chriſti tibi proximè ſiſtat, multùm abes certè ab illo Abrahamo, qui Domini diē etiam nōdum nati vidit & gauiſus eſt: & mirum eſt te haberi poſſe Theologiæ magiſtrum, qui ſpiritualem modum à carnali diſtinguere nondum didiciſti. Ibidem dicit, *figuram vanam non eſſe, ſed veritati ſuæ & ſubſtantiæ coniunctam*, ſacramentaliter nimirum. Item *Sacramenta Domini nullo modo à ſubſtantia & veritate ſua ſeparari oportere.* Sed quis ſeparat? non is qui vbi vnum eſt, alterum eſſe negat, quod ad eſſentias attinet, ſed qui ſic putat rem ſignificari vt nō etiā donetur nec accipiatur. Ibidem ſcribit, *quemadmodū panis in manū diſtribuitur, ita corpus Chriſti, vt eius participes ſimus, nobis cōmunicari*, id eſt verè vtrunque, at non eodem ſanè modo, quum res quidem ipſa modo ſpirituali, ſigna verò carnali & naturali modo ſumantur. Particulam enim QVEMADMODVM longiùs trahere ſophiſticum eſt, quum vos ipſi inter viſibilem & inuiſibilem modum, & inter Quantum & non Quantum diſtinguere cogamini. Deinde aliud eſt de modo communicationis, aliud de reipſa quæ communicatur diſſerere.

Ex eodem in 1. Cor. 11. (quem locum antea citaui) diſcimus quod ſit inter Sacramenta & vulgaria rerum abſentium ſigna diſcrimen. quoniam videlicet in Sacramentis veritas cum ſuo ſigno coniuncta eſt. Et quis hoc negat? Sed ſacramentalis eſt coniunctio, quam nos antea definiuimus. Quid verò? ſi quis tuo more à genere ad ſpeciem affirmatiue argumentans te aſinum eſſe colligeret quoniam es animal, an illi aſſentireris? Scribit quoque Caluinus libro Inſtitut. 4, cap. 17, ſect. 10, *non aliter animas noſtras carne & ſanguine Chriſti paſci, quàm panis & vinum corporalem vitam tuentur & ſuſtinent*, id eſt non minùs verè & efficaciter. Nam ſi rurſus hæc verba, NON ALITER ſophiſtarum more vrgeas, agè etiam concoqui, & eiectis quoque excrementis transformari in nos rem illam ſacram defendito. Ibidem reſtatur, *penetrare ad nos Chriſti carnem.* Sed addit, *non obſtante locorum diſtantia*, qua poſita vides ſpiritualem modum penetrationis poni, & quidem *qua vitam ſuam in nos* (non autem eſſentiam) *Chriſtus nō minùs transfundit, quàm ſi in oſſa & medullas penetraret*, vt eodem loco, teipſo etiam, quod mirum eſt, citante ſcribitur. Ita igitur intelligendum etiam eſt verbum EXHIBERI, & eadem ſententia de carnis penetratione non ſemel in illo tractatu, (ſed adhibita vbique commoda & perſpicua explicatione) repetita, nec aliorſum vſurpata, quàm vt veſtræ calumniæ occurratur, qui vacua ſigna à nobis relinqui, & ſacrum Cœnæ myſterium in varias vmbras & allegorias transformari iactatis.

Subiicis denique aliquot alia Caluini teſtimonia, quaſi ſuperioribus repugnantia, *quoniam fa-*

tetur

teatur quidem rem ſignatam exhiberi quum exhibentur ſigna, at non eſſentialem, ſed ſolius pacti & promiſſionis, non tamen in ipſis ſignis, ſed ſeorſim & quidem à Deo, in qua etiam ſententia ſibi non conſtet, quoniā negat ad nos defluere ipſam ſubſtantiam. Vnde verò tandem hæc partitio inter rem ſignatam eſſentialem & ſolius pacti? vnde hæc ænigmata? an verò tu velis aliud præſtari quàm quod Deus promittit? an ignoras diſtinguendum eſſe ex illo Ioannis dicto, Ego quidem baptizo vos aqua, &c. inter miniſtrum & Deum, vt ille quidem propriè ſymbola, Deus autem propriè rem ipſam nobis præbeat? Illud autem A B O R A I M an non voſmet ipſi quoque ponere cogimini, quum accidentia ſaltem illa ſiue ſpecies, id eſt Chimæras, à carne quantumuis (ſi vobis credimus) ſub eis latitante diſtinguitis? Quid amplius? ſubſtantiam in nos defluere, aut vt in hoc ipſo libro ſcripſiſti, *carnem Christi egredi è cælo, & ad nos deſcendere, & aliquid ad nos de ſubſtantia carnis emanare,* an quiſpiam inter nos repertus eſt qui diceret? Sed vultis nimirum vos iidem qui clamitatis Chriſti carnem à nobis in cælo concludi, illam in ipſis ſignorum anguſtiis & quidem ita arctè conſtringere, vt etiā quantitatem amittat: quod ni fateamur, euacuari à nobis ſigna, & ſeparari veritatem à ſignis, vociferamini: quaſi verò in errore verſentur qui in tam craſſo & pudendo errore nolunt vobis aſſentiri. Itaque vt paucis tranſigam, hoc tibi concedo, Caluinum cui prorſus aſſentior, cum bonis & doctis omnibus, tradere fide reſpiciendum eſſe ad verbum, ſiue promiſſionem, quæ ſit nimirum veluti Sacramentorum anima ſiue forma, vt ipſi veſtri ſcholaſtici loquuntur. Quod enim de Baptiſmo ſcripſit Auguſtinus, in Sacramento locum habet, *Vnde fit vt elementum attingat corpus, & cor abluat niſi potentia verbi? non quo dicitur* (magicus enim eſt veſter error de nuda quinque verborum pronuntiatione) *ſed quo creditur*: quo rurſus concidit alter ille craſſiſſimus & planè idololatricus veſter error de opere operato. Concedo & illud docere Caluinum, ſacram hanc actionem quum ſpiritualis ſit, mentis eſſe potiùs quàm ventris, & cæleſtem potiùs quàm terrenam, vt fides noſtra non è cælis Chriſti corpus in terras eliciat, ſed nos potiùs in cælum ſpiritualiter ſublatos, capiti noſtro magis ac magis coniungat. Hæc, inquam, fateor docere Caluinum, credere Bezam, Eccleſias noſtras omnes tradere: & tantum abeſſe vt iſta ſuperioribus repugnent, vt hæc conſtā ea illis neceſſariò ſequantur. Fol.19 pag.2.

TANDEM ad tertiam & vltimam accuſationis partem peruenimus, cuius hæc ſumma eſt, Caluinum ſibi non conſtare in explicatione horum verborum, HOC EST CORPVS MEVM, quorum nudæ etiam pronuntiationi, modò à raſo & vncto ſacrifico concipiatur, tantā vim tranſſubſtantiandi mutandæque omnis naturæ tribuitis, nempe corpus omnis quātitatis capax, & accidentia abſque ſubiecto conſtituendi, vt quod de ſuo tetragrammaro tradunt Iudæi, præ veſtra magia ludus ſint ac iocus. Cæterùm hac de re ſic docuit ſemper Caluinus. Primùm in hac enuntiatione demonſtrari panem ſacræ Cœnæ celebrandæ & vero illi vnicóque Chriſti corpori ſacramentaliter, id eſt verè efficacitérque ſignificando deſtinatum. Deinde quòd nomen Corporis ſic pani attribuitur, ac ſi panis reipſa iam non panis (nec enim vnica res & ſingularis poteſt duo eſſe præſertim ὑπόστασιν) ſed Chriſti corpus exiſtat, eſſe ſacramentali metonymia explicandum, quod & ipſe Auguſtinus diſertè tradit, qua fit nimirum vt quod eſt duntaxat Sacramentum, idipſum eſſe dicatur cuius eſt Sacramentum. Huius autem metonymiæ in omnibus & veteribus & nouis Sacramentis vſurpatæ hunc vſum eſſe dicimus, vt Sacramentorum naturam quàm ſignificantiſſimè exprimat, quandoquidem ſigna nobis non proponuntur tanquam id quod ſunt natura, ſed tanquā rerum cæleſtium vera ſymbola, quarum idcirco ſumunt nomina, non vt ſignis hæreamus, ſed vt potiùs ad res ipſas mentis oculos conuertamus, ſicut diuinitùs planè declarat Theodoritus in Dialogo qui ἄτρεπτος inſcribitur. Huius autem doctrinæ ſummam his paucis verbis explicamus. Quoniam ſi ſigna vel tollantur, vel à re ſignificata non diſtinguantur, iam ne ſigna quidem, ſed res ipſæ fuerint: ideo panem non re ipſa, ſed ſymbolicè, ſiue ſacramentali tantùm ſignificatione eſſe & dici verum illud corpus pro nobis traditum. Idem per omnia ſentiunt, ſed non tā perſpicuè loquuntur, qui ESSE CORPVS interpretantur eſſe ſignum, ſiue ſymbolum corporis: nō quòd hæc vox CORPVS declaret aliquod ſymbolicum corpus, vt ita duo corpora Chriſto affingantur, ſed quia verum illud & vnicum corpus quod traditum eſt pro nobis & nobis ſpiritualiter & fide percipiendum donatur, nonniſi ſymbolicè de PANE ILLO prædicetur. Hæc eſt citra vllam controuerſiam noſtrorum omnium hac de re ſententia, quam ſic eſſe dico planam, ac perſpicuam, ſic analogiæ fidei, veritati verborum Chriſti, Sacramentorum naturæ & vſui conſentaneam, vt qui contrà ſentiat nihil ſentiat. Quid tu verò contrà? ne in hoc quidem ſibi conſtare Caluinum inquis, vt qui interdum vrgeat ſermonem accipiendum ſicut verba ſonant. Imò verò, vt non tantùm ea teſtimonia quæ citas, ſed etiam omnia Caluini ſcripta euoluas, nunquam comperies eum exiſtimaſſe vocem hanc CORPVS in illis Chriſti verbis quicquam aliud quàm verum illud & vnicum corpus pro nobis traditum declarare. Sed quo ſenſu panis dicatur eſſe illud corpus, num propriè videlicet & reipſa, (quod fortiter negamus) an verò ſymbolicè & ſacramentaliter (quod conſtanter affirmamus) illud ipſum eſt de quo quæritur. Itaque quum totam illam propoſitionem dicis Caluinū cenſuiſſe ad literam accipi oportere, dicis quod ipſi nunquam in mentem venit. Neque contraria ſunt, vt tu cenſes, metonymiam ponere in modo attributionis, & tamen corpus propriè accipere. In his enim verbis, SIGNVM vel SYMBOLVM CORPORIS quod traditur pro vobis, erras valde ſi putas nos vnum quippiam dicere, quum duo planè ſint, nempe SYMBOLVM & CORPVS cuius eſt ſymbolum. Itaque panem eſſe ſymbolicè verum corpus, vel panem eſſe ſymbolum veri corporis, vnum eundémque ſenſum habent. An verò nos ita ſtupidos arbitraris, vt ſymbolum corporis dicamus pro nobis traditum, ac non potiùs id cuius panis eſt ſymbolum? Ergo ne dein-

ceps ſententiam noſtram calumnieris,ſic explemus enuntiationem, Hic panis eſt ſymbolum corporis quod corpus traditum eſt pro nobis:non autem ita vt à nobis intelligi comminiſceris, hic panis eſt ſymbolum corporis quod ſymbolum traditur pro vobis.Illud verò,quum ſcribis Caluinum apertè dicere,nempe,corpus dici à Chriſto pro pane,quid aliud quàm palàm & apertè monachum agis?Nam longè aliud eſt dicere corpus ſymbolicè dici de pane,quàm corpus accipi pro pane: & quis tam eſt ſtipes vt in hac de qua nunc agimus enuntiatione non videat panem habere rationem ſubiecti,corpus verò prædicati? Hoc tamen non nego, ex hac metonymica locutione qua vſus eſt Dominus,ſigno tribuens rei ſignificatæ nomen,factum eſſe vt patres tum Græci tum Latini ſæpe corporis,id eſt rei ſignificatæ nomen pro ipſo ſigno acceperint, reciproca videlicet metonymia,vt quum corpus Domini confici,in os intrare,in terram cadere,atque adeò conſumi dicunt,quod qui non animaduertunt,ineptè ſimul & imperitè his patrum teſtimoniis alii quidem ad tranſſubſtantiationem,alii ad conſubſtantiationem confirmandam abutuntur. Ex iis ergo quæ diximus,cuiuſmodi ſis Theologus noſter doctor,cuiuis manifeſtum eſſe puto. Nunc videamus etiam,ſed paucis,qualis ſis Grammaticus.*Hæc*,inquis,*eſt metonymiæ natura, vt per eam nomen rei ſignificatæ ponatur pro re ſignificante,vt ſi nomen corporis pro panis vocabulo pronuntietur,quia per hunc ſignificatur*.Agnoſce igitur,me non fuiſſe ſtatim reprehendendum, quum Patres dicerem ſic fuiſſe interdum loquutos. Sed quid audio?puer hoc didici, metonymiam eſſe ex eorum troporum genere quos ἀντιστρόφους appellant,ac proinde tum quoque illi locum eſſe quum id quod continetur accipitur pro eo quod continet, (contineri autem in ſigno videtur res ſignificata ſuo quodã modo)ſed multò minùs eſſe à communi vſu remotum hoc metonymiæ genus quàm alterum. Quòd ſi cauſam vis noſſe cur vtraque in Sacramentis ſtatuenda ſit, & qua ſymbolis nomina rerum tribuuntur,& rebus viciſsim ſymbolorum nomina,hoc te docebit Theodoritus eo quem citaui dialogo.Certè quum agnus vocatur tranſitus,& τὸ ποτήριον dicitur nouum teſtamentum,& panis nũcupatur corpus,planior eſt tropus quàm ſi Tranſitum dixerim mactari, nouum Teſtamentũ bibi, corpus conſumi. Sed de his plus ſatis. Hæc habui quæ nunc tuis calumniis reſponderem. Si pertexeris, ſinam te frui tua inſania, vel alius fortaſſe reſpondebit. Nam ego quidem libens ab hac ſcabie vngues abſtineo. Cæterùm quicquid moliamini, ſoleo ipſe me dulciſsima iſta Dauidis ſententia conſolari,Ipſi maledicunt,tu verò benedicis.

AD F. CLAVDII DE XAINTES RESPONSIONEM ALTERA TH. BEZÆ

APOLOGIA.

***

ERGO hæc quoque mihi ludatur opera,quandoquidem amici ſuo quodam iure imperant:id eſt tibi,F. Claudi, rurſum reſpondeatur, ſed ea lege & conditione vt mihi bonas horas poſthac liceat aliis in rebus collocare. Nec enim mihi ignota eſt tum ipſius Satanæ vafrities, ita nos paulatim per iſtos ſuos emiſſarios,ab aliis neceſſariis ſtudiis auocantis, tum iſtorum Gnathonum verſutia,quibus nihil apud imperitos homines fructuoſius eſt iſta mutua accuſationum ac defenſionum viciſsitudine. Vtar autẽ hoc ordine, vt primùm quæ ad propoſitam quæſtionem omnino faciunt,pertractem : deinde maledicta refellam, in quibus illa quoque comprehendo,quæ ad doctrinæ quam iſte Caluinianam appellat, ortum ac progreſſum pertinent.

Accuſamur Caluinus & ego, quaſi in argumento Cœnæ Domini tum Germanicas tum Helueticas Eccleſias,vniuerſum denique Chriſtianum orbem ſimus ludificati : quam accuſationem iſte in tria capita diſtribuit.*Examinemus*, inquit,*primùm quam præſentiam carnis & ſanguinis Domini in Sacramento collocetis: deinde quid cum ipſo ſuſcipi credatis diiudicemus: ac deinceps interpretationem huius orationis,hoc eſt corpus meum,quam affertis ſpectemus,in quibus tribus aio vos homines ludificari,vt in vno quoque Eſſe & Non eſſe defendatis & ſcribatis*. Sequar igitur & ego hunc ordinem, ne quid accuſator iſte noſter à me vel prætermiſſum,vel perturbatè dictum conqueratur. Cedò verò,primum illud caput quibus probationibus demonſtras?profers Hieronymi locum de erroribus Origenis,in quo conqueritur de hæreticorum ſtrophis & decipulis, qui in Carnis nomine ludebant. Atqui nihil aptius in nos ipſos dicere potuit Hieronymus,ne ſi nos quidem nominatim compellaſſet,ſicut ſuo loco declarabimus.*Habetis*,inquis,*peculiares loquendi proprietates,quas nemo niſi pro-*

ditionum

ditionum veſtrarũ conſcius internoſcat. Sed quænam iſtæ ſunt vel formulæ, vel proditiones? *In Sacramento percipi ſubſtantiam carnis Domini vere, eidémque nos vniri arctiſſimè.* Hic habemus vnam ex iſtis proditoriis formulis. Succedit altera, *In ſignis percipi eandem ſubſtantiam, & adeſſe & præſentem eſſe, ſed ſacramentaliter ſiue ſignificatione tenus ſubintelligi vultis, nequam autem VERE aut REIPSA adiungitis.* Mira certè techna, & rete ſcilicet admodum obſcurè latens, quo cordati homines implicentur, quamuis proferre te locos oportuerit, ex quibus iſta tuo arbitrio deſumpſiſti, vt planiùs tuam tuíque monitoris impudentiam patefaceres. Quid ampliùs? *Quum* (inquis) *de Cœna non autem de ipſis ſignis fit mentio, tum iactatis corpus & ſanguinem Chriſti in ipſa eſſe reipſa, nec tantùm ſacramentaliter, quoniam apud vos longè differunt Cœna, Sacramentum, Sacramenti ſumptio, & Cœna vſus.* Hoccine verò faciunt, id eſt num plana & neceſſaria diſtinctione vtuntur qui nolunt fallere, an il potiùs qui quæ diſtinguenda eſſe natura ipſa rerum demonſtrat permiſceri nolũt? Quid amplius? *Quum* (inquis) *ſit ambiguum SVMERE carnis & ſanguinis ſubſtantiam in Cœna, ad realem ſumptionem ſubſtantiæ quæ modo ſpirituali fit: aut ad ſpiritualem per fidem, quæ non tantùm modo ipſo ſpiritualis eſt, ſed etiam opere ipſo ac reipſa, clamitatis, Audiſtis perceptionem ſubſtantiæ carnis Domini. quid quæritis amplius? quid proficitis magis anxiè de modo laborare & litigare?* Imò verò, tua iſta ſic obſcura fore multis conicio, vt etiam ſi neminem fallere velles, tamen expoſitione indigeant quam addere me patieris. Vos duplicem facitis corporis & ſanguinis Domini ſumptionem, vnam quam realem vocatis, qua ore ipſo ſuſcipimus & inter dentes habemus (nam tu ipſe his formulis vteris) modo tamen ſpirituali, illam ipſam carnis & ſanguinis Domini ſubſtantiam: alteram quæ tum quod ad rem ipſam attinet (qua videlicet non ipſa caro Chriſti, ſed energia tantùm ipſius, aut aliud aliquid eiuſmodi percipiatur) tum etiam modo perceptionis ſit ſpiritualis, quoniam ore ipſo nihil, ſed tantùm mente quicquid illud eſt apprehendatur. Sed quorſum hæc ad nos, qui iſthæc putidiſsima & falſiſsima commenta conſueuimus tam apertè refellere? Primùm enim vbi aliud noſtræ communicationis cum Chriſto inſtrumentum quàm fidem, cuius ſedes eſt in mente & intellectu à nobis vel à verbo Dei potiùs poſitum eſſe inuenies? Deinde veſtram illam ſpiritualem actionem, qua tandem veritatis ſpecie poteritis ori vel dentibus adaptare? Agunt enim profectò corporeo modo corporea inſtrumenta, vt intellectus intellectuali. Itaque non minùs abſurdum, ſtultum, craſſum eſt denique dicere quippiam ore ſpiritualiter comedi, quàm ſi dicas mentem aliquid corporaliter comedere & deglutire. Et quorſum iſta nos tegere vllis inuolucris ſtuderemus? Neque tamen hæc tam foliciré tueri vos miror, qui non alio pabuli genere quàm illo ſpiritualiter, ſeu potiùs imaginariè corporali famelicas oues veſtras paſcatis, ipſi interim verè corporaliter corporalibus cibis ſaginati. Alteram autem illam tuam vſqueadeò merè ſpiritualem perceptionem vt omnis cum ipſomet Chriſto vera *κοινωνία* tollatur, totam etiam tibi relinquimus, vt eam ſtatuamus tum in Verbo tum in Sacramentis, quæ vnica vera eſt & Chriſtiana, nempe quæ nos ipſius Chriſti membra verè ac reipſa conſtituit, ſpirituali tamen modo ſicut toties eſt à nobis reſponſum, & ſuo rurſum loco explicabitur. Qui ſic loquitur obſecrò, num hominibus illudit, an vos potiùs nunquam pudebit iſtis veſtris inaniſsimis commentis miſeram plebeculam faſcinare, vt quæ videt ſe non videre, quæ non videt videre ſe ſomniet, & quos penitus corpore & mente famelicos dimittitis, ſeſe abundè ſaturatos imaginentur? Nunquid verò etiam amplius? *Si vos vrgemus,* (inquis) *quãnam ſubſtantiam carnis Dominicæ reipſa ſumi à nobis ſignificetis, & an eadem quæ ſedet reipſa in cælis, reipſa quoque manibus tangatur, ore noſtro ſuſcipiatur, inter dentes habeatur, ſub panis & vini ſpeciebus, tum vos cachinnis multis ora ſoluitis, & de concoctione, digeſtione, ventriſque egeſtione multa turpiter ac feculenter nugamini, & nos tãquam Capernaitas, Cyclopas, & Thyeſtæa conuiuas inſectamini.* Verum eſt profectò, quum Thyeſtæas illas dapes nobis apponatis (meritò enim Auguſtinus flagitium eſſe dicit carne humana veſci, & ſanguine humano potari) ſolere nos quàm abſurda, quàm falſa, quàm denique execranda ex veſtro dogmate neceſſariò conſequãtur patefacere. quod quum ipſi veſtri quæſtionarii quos vocatis doctores, iampridem priores fecerint, has quæſtiones vltro mouentes, & in iis ſoluendis vſqueadeò occupati, vt ne ſibi ipſis quidem ſatisfaciant, quo tandem pudore hæc in nobis audes reprehendere, quum in eo potiùs laborare te oportuerit vt iſta ex veſtro dogmate non conſequi demonſtrares? Verùm quod ad rem ipſam attinet, rogati quam ſubſtantiam carnis in Cœna percipiamus, aliud reſpondere non ſolemus quàm illud ipſum corpus quod traditum eſt pro nobis quum bicorporem eſſe Chriſtum minimè imaginemur. Sed ſimul addimus cum Auguſtino, quod tu prætermittis, nempe cibum hunc eſſe non ventris, ſed mentis ſiue fidei. Rogati verò quid ore percipiatur, panem illum & vinum illud reſpondemus, verum inquam panem, & verum vinum, non autem panis & vini ſpectra, quæ vos ſpecies vocatis. Vtri igitur præſtigiatores, an nos qui corporis quidem nomine verum illud palpabile, viſibile, circunſcriptum corpus, panis autem & vini vocibus verum panem & verum vinum, vt res videlicet non ſubſtantia, ſed ſolo vſu à communibus illis differentes intelligimus, ſicut ingenuè profitemur: an vos potiùs meri magi ac faſcinatores, qui corpus abſque quantitate, & accidentia ſine ſubiecto conſtituitis? Denique nunquid etiam amplius? *Sin ex contraria,* inquis, *quoniam apparet à vobis realem eſum ſubſtantiæ excludi, propterea quòd iudicetis non fieri ſine ventris officio, inferimus ſolam ergo ſpiritualem cuiuſdam efficaciæ defluentis à carne Chriſti perceptionem per vos poni, præſertim quum idipſum ſæpiſſime declaretis, tunc ad conuiuia decurritis, & vos vt ſimplices æſtimari vultis.* Hîc verò paululum pedem figamus, vt num iniuria vobis fiat, ſiquis ſycophantas & calumniatores vos appellet omnes intelligant. *Apparet,* inquis, *realem eſum ſubſtantiæ excludi, quia iudicetis eum non fieri ſine ventris officio.* Imò nihil te bona fide agere ex hoc ipſo apparet,

quòd tolli à nobis ipſius Chriſti communicationem non aliunde contendis, quàm quoniam oris id non fieri affirmamus. Tu verò quum callidè oris loco ventrem ſubſtituis, quid agis, ſi non præſtigiaris? Vis ergo ſine præſtigiis loquar, id eſt tam arcana ſacra veſtra quàm Eleuſinia olim fuerût ipſi etiam vulgo patefaciam? Inficiari tute non potes te velle *corpus ipſum reipſa manibus tangi, ore ſuſcipi, inter dentes haberi*: & cur iſta tandem, niſi quòd iſto corporali manducationis modo excluſo, tolli quoque ipſius Chriſti perceptionem ſtatuitis? Et tamen paulo antè dixiſti ſpiritualem eſſe modum quo ipſa ſubſtantia percipitur. Sed in ſumma, quid hoc ad nos, qui contrarium prorſus ex Dei verbo & ex cæleſti ipſius vitæ natura tuemur? nempe tanto certiorem & efficaciorem eſſe ipſiuſmet Chriſti *κοινωνίαν*, quæ fide fiat, quanto firmiùs eſt animi iudicium verbo Dei innixum, quàm illius corporis ſenſus? Sed tibi nimirû nihil corporeû percipi reipſa niſi corporaliter videtur, quoniam perceptionis verbo nihil aliud quàm corporalem quandam applicationem rerum corporatarum intelligis. Itaque quantum abeſt quin ex quinque ſenſibus, viſum quoque & auditum & olfactum nobis adimas? Nam hi tres quoque ſenſus ſolent, & quidem efficaciſsimè, ipſa obiecta corpora ſuo modo ſic apprehendere, vt mens ipſis quoque rebus ſinceriùs quàm tactu & guſtu contactis perfruatur. Et tu minùs fidei quæ eſt *τῆς φυχῆς* ipſius regeneratæ mentis organum, quàm feculentis iſtius corruptæ naturæ ſenſibus tribues? Sed audiamus denique quid tandem eructes. *Vultis*, inquis, *vos æſtimari ſimplices, quia ſpiritualem quendam modum edendi ſubſtantiam carnis per fidem confingitis, quem realem eſſe ſomniatis, quum reipſa nihil ſubſtantia carnis illius ad nos perueniens percipiatur à nobis, quum percipi non poſſit vlla ſubſtantia re vera ac reipſa antequam ad nos peruenerit reipſa. Hæc eſt veſtra methodus, hoc compendium rationum, euaſionum, captionum, quibus Cœna Domini illuditis.* Nos verò nunquam illius veritatis ac ſimplicitatis pudebit, quæ quò magis illam iſtis fumis obſcurare conamini, eò magis eluceſcit. Quod enim dicis non poſſe reipſa vllam ſubſtantiam percipi, niſi quæ ad nos reipſa perueniat, Capernaiticum eſt non Chriſtianum. Et iuſto Dei iudicio vos eſſe prorſus excæcatos, vel ex hoc vno liquere poteſt, quòd extraordinaria Dei omnipotêtia ad ſtabiliendam veſtram manducationem polita, ad quam tamen minimè requiritur, (Quid enim magis ordinarium eſt quàm vt præſentem oblatam eſcam ore ſumamus & dentibus premamus?) illius tamê nullam in eo vim agnoſcatis quod certo Dei verbo nititur. At nos Apoſtolò potiùs aſſentimur, aſſerenti magnum eſſe iſtud Chriſti & Eccleſiæ coniugii myſterium, cuius ne tu quidem, opinor, corporalem modum eſſe dices, quanuis per id fiamus caro ex eius carne, vtpote quod in ipſo Baptiſmo etiam ante Cœnæ participationem in nobis obſignetur. Sed tibi videlicet Reipſa idem eſt atque Mutuo contactu, quam interpretationem ſi admittimus, nempe non in ipſo manducationis & noſtræ coalitionis modo, ſed in ſignorum tranſmutatione, ipſiúſque corporis ad non quantum ſiue ad non corpus, (vt ita loquar) reductione myſterium iſtud ſtatuetur. Et ſic rurſum fiet vt multò beatior ſit panis iſte quàm homines, quoniam infinitis modis plus eſt in Chriſtum ipſum reipſa tranſſubſtantiari, ac proinde ex creatura ipſummet Dei Filium, quàm eius duntaxat membrum fieri. Hæc veſtra eſt, non methodus, ſed *πλάνης μεθοδεία*, vt idem Apoſtolus loquitur. Sed agè audiamus ecquid magis appoſitè de re ipſa ſcribas.

Tua ſunt, inquis, *prima ænigmata, vt neges panem & vinum dici oportere corpore & ſanguine Domini vacua, & tamen affirmes tam procul à pane & vino diſſita quàm cælum à terra. Quidni ergo panem & vinum à te & Caluino pro vacua ſcripſiſſem, quum eius opinionem cum Lutherana conferrem, quæ ſigna cum rebus ſignificatis de facto copulat? Quod ſi tu & Caluinus verbo tenetis appellare ſcripſis minimè vacua quæ quàm longiſſimè poſſunt disiunguntur, eò clariùs impoſtores vos eſſe & præſtigiatores proditis, quum ſtudetis aliter quàm res habeant eloqui.*

Atqui profectò manifeſtè & ſine vllis præſtigiis talem eſſe te prodis qualis es, vt qui Sacramenta niſi corpus & ſanguinem ipſum intra ſe præſentia eodémque loco ſita contineant, perinde vacua eſſe clamas, vt ſolent ordinis veſtri mendicabula ſuos illos ſaccos inanes eſſe hoſtiatim queritari, donec à mulierculis longarum precum obtentu circumuentis impleantur. Ego verò quod & tibi & cæteris quicunque nos itidem calumniantur, iampridem reſpondi, rurſum reſpondeo, Sacramenta neque thecarum neque vaſorum inſtar eſſe quibus res ſignificatæ côdantur, ſed ſignos vocari, ac proinde ex ſignificationis veritate & efficacitate vel inania vel minimè vana, non autem ex rei ſignificatæ præſentia ſiue abſentia cenſeri. Itaque veſtra illa innumerabilia myſteria vanas prorſus Chimæras eſſe contendimus, tum quòd pleraque nullarum rerum ſigna ſint, tum etiam quòd etſi quippiam illis adumbrari vultis, tamen inaniſsima eſt iſta ſignificatio, cui nullum Dei verbum ſubſit. Manna autem & petra illa, & paſchæ agnus, minimè vacua vel inania Sacramenta fuerunt, etiam ſi res per illa ſignificatæ, Caro videlicet & ſanguis, ipſéque adeò ſecûdum carnem Chriſtus nondum reipſa exiſterent, nedum vt reipſa cum ſignis illis fuerint copulata. Multo minùs autem inania ſunt ſacræ Cœnæ ſymbola, quum reipſa exiſtentem ipſam Chriſti carnem ita ſignificent ex Domini inſtituto, vt quanuis ſpiritualiter, tā verè tamen intellectui ac fidei res ſignificatæ, ipſe videlicet cum ſuis donis Chriſtus, quàm verè ſigna corporaliter ſenſibus exteriùs offerantur. Sed hoc tibi non ſatisfacit qui eundem ſitum, ac etiam mutuum contactum ſignorum & rei ſignificatæ requiris, imperitè id quidem, quum neque hoc neceſſario requirat Sacramentorum natura, vel finis, neque etiam hoc patiatur corporis Chriſti veritas, ipſáque adeò ſacræ Cœnæ inſtitutio, quoniam, vt rectè inquit Auguſtinus, ſi corpus ipſum reipſa præberetur manducâdum, flagitium præcipi meritò videretur: ad ſpiritualem autem vitam è Chriſti corpore hauriendam neque alia rei ſignificatæ cum ſignis quàm efficacis ſignificationis coniunctio, neque rei ſignificatæ alia quàm ſpiritualis

ritualis & fidei obiecta præbitio requiritur. *Ac enim,*inquis, *Caluinus ipſe exiſtimat columbam illam futuram fuiſſe vacuum & inane ſignum, niſi Spiritus ſancti eſſentia præſens ipſi acceſſiſſet.* Caluinus quidem diſſerens de Columba cui tribuitur Spiritus ſancti nomen, vbique teſtatur eo viſibili ſymbolo exhibitam fuiſſe ſpectandam tum virtutis tum eſſentiæ Spiritus alioqui inuiſibilis præſentiam. Idem etiam hoc exemplo vti conſueuit, vt oſtendat panis & vini ſymbolis, res ipſas ſignificatas non inaniter ſed verè ac efficaciter quaſi ſpectandas præberi. Sed eo vſque iſta inter ſe comparari, vt ſimiliter ſit ipſum corpus Chriſti præſens cum pane, vt Spiritus ipſe cum columba, hoc tu verò nuſquam apud Caluinum inueneris. Nec enim præſentia vel abſentia rei ſignificatæ, ſed ſignificationis tum veritas tum efficacitas Sacramentum conſtituit. *Imo verò,*rurſum inquis, *quum per illam veſtram ſignificatam & obſignatam ſpiritualem communionem propter quam negas ſigna vacua reputanda, non magis appropinquent Chriſti caro & ſanguis, nec quicquam amplius ſe inſinuent quàm fiebat antequàm adhiberentur ad myſterium, manent aquæ vt priùs erant, vacua corpore & ſanguine Domini.* Viden', te non aliter de Sacramentis quàm mendicantes illi veſtri de ſuis ſacculis iudicare? Signa etenim vacua eſſe exiſtimas niſi reipſa illis contineatur rerum ſignificatarũ ſubſtantia, quod ſi verũ eſt, erit igitur vacuum Dei Verbum de Chriſto; erit etiam aquæ ſignum vacuum in Baptiſmo, imò etiam magis vacua fuerint veterum Sacramenta, quæ tamen re paria noſtris facit Auguſtinus: nullum denique tibi plenum fuerit Sacramentum præter ſacræ Cœnę ſymbola. Quid ſi verò ampliùs rogem, num accidentia ſine ſubiecto poſſint continendæ ipſi ſubſtantiæ ſatis idonea eſſe vaſa, clamitabis nimirum me nugari & ad præſtigiatores relegabis. Dico tamen ſeriò quod dico, & Sacramẽta qualia ex Dei verbo illa deſcribimus, quibus videlicet res verè & efficaciter ſignificentur plena & certa eſſe, te verò omni rerum iſtarum cognitione vacuum eſſe confirmo, vel tu potiùs ipſe confirmas quum iſta ſubiicis, *Quòd ſi qua fiat noſtra coniunctio & vnio cum carne Chriſti, non ſigna propius ad rem accedunt, ſed fides noſtra quæ ad Chriſtum fertur, & nos ſecum ſpiritualiter attollit.* Nec enim erat inſtituta diſputatio de noſtri cum Chriſto, ſed de ſignorum cum re ſignificata coniunctione, quam totam eſſe Sacramentalem, id eſt in eo ſitam eſſe dicimus vt neque ſit inane quod ſignificatur, neque vana ipſius ſignificatio, ſiue adſit ſiue vel propè vel procul abſit quod ſignificatur.

*Tantum abeſt,*inquis, *vt tranſſubſtantiatio repugnet Euangelicæ hiſtoriæ, vt, teipſo auctore, verba Cœnæ Dominicæ ad literam ſicut decet hiſtoriam explicari, aptè nequeant intelligi ſine tranſſubſtantiationis confirmatione.* Quaſi verò non ſit narratio ipſa rei geſtæ ab eo quod inter narrandum ab aliquo dicitur diſtinguenda. Sit igitur ſanè ſimpliciter & κατὰ τὸ ῥητὸν intelligenda non tantùm vltimæ illius Cœnę verùm etiam tota vitæ Chriſti narratio: an verò idcirco contendes quicquid in illa hiſtoria Chriſtus dixiſſe legitur, ad literam & abſque vllo tropo explicandum? Siccine te docuit inter cæteros Auguſtinus, illa præſertim de manducanda carne & bibendo ſanguine Chriſti verba non-niſi figuratè accipienda eſſe demonſtrans? Imò rerum ipſarum natura an non eò te adigit, vt quæ de Sacramentis dicuntur, ſacramentaliter accipiantur? Aut igitur doce myſteria nõ eſſe myſteria, aut permitte nos illa myſticè & ſacramentaliter interpretari.

*Multo verò minus,*inquis, *officit fidei analogiæ & Sacramentorum natura, quum tranſſubſtantiatione poſita non deſinat Cœna duabus rebus conſtare, & ſignum viſibile maneat quod fidei rem inuiſibilem deſignet & exhibeat.* Quaſi ſcilicet accidentia panis aut vini mera præſertim & omni ſubiecto deſtituta poſſint ſubſtantiam & quidem ἐναργῶς intellectui repreſentare, & quod per ſe nuſquam eſt æterno pabulo verè & ſolidè ſignificando & exhibendo conuenire: quaſi etiam quum analogiam fidei in verbis Cœnæ interpretandis vrgemus, illud præcipuè ſpectemus quod de duabus Euchariſtiæ rebus commemoras, ac non potiùs carnis Chriſti & eiuſdem in cælum diſceſſionis veritatem. Quid eſt autem intellectui & ſenſibus, ipſique Deo & hominibus illudere, ſi hoc non eſt quod agitis, quum corpus abſque quantitate ſiue non corpus, panem non panem, vinum non vinum imaginamini? Sed fortaſſe ſolidius eſt quod mox adiicis.

*Fateris,*inquis, *externam actionem, Cœnam iure dici, & nihilominus in externa illa nunquam dicis corpus in ipſa ſubſtantia reipſa adeſſe & cõſiſtere. Hoc pacto tibi liberũ facis ad præſtigias exercendas pronuntiare in Cœna eſſe & non eſſe ſubſtantialiter verũ Chriſti corpus. Si enim affirmaueris, continuò de cæleſti Cœna interpretaris: ſi negaueris, ad Cœnã externã deuolueris. En rurſus cur te non ſolũ pro hæretico, ſed etiam pro præſtigiatore & impoſtore ac verſipelli beſtia habeã.* Quẽ verò tu me eſſe exiſtimes, nihil laboro, dũmodo Deo miniſteriũ meũ approbem, & eius bonitate ac miſericordia fretus, tecta cõſcientia meipſum aduerſus tuos tuorúmq; impetus ſuſtentẽ. Sed quid iſtud rei ſit, agè propius cõſideremus. Cœnæ nomine totã illã actionẽ quæ partim corpore in terris, partim animo in cælis peragitur, intelligi doceo. Si tu hoc audes præſtigias appellare, maximi ſanè præſtigiatores fuerint Prophetæ, nullos acriùs increpantes quàm qui in externis ritibus hærebant, vſque adeo vt ἁπλῶς neget Deus ſeſe quicquam de illis præcepiſſe. Et quorſum Chriſtus toties regnum cælorum vocarit modò ipſam Eccleſiam, modò totã ipſius adminiſtrationẽ? quoniam, dices, hic eſt finis & ſcopus ad quẽ vocamur. Nũ verò ſic eò vocamur vt ad ſcopũ illic præfixũ mentẽ nõ priùs cõuertamus quã eò reipſa peruenerit? an verò potiùs & quicquid in Verbo Dei noſtris auribus, & quicquid in Sacramentis tũ auribus tum oculis noſtris proponitur (proponuntur autẽ auribus verbũ, oculis ſignum, vni menti res ſignificata) ſurſum nos abripit? Itaque diuinitus Paulus hoc quoque vt cætera omnia effatus eſt, πολίτευμα noſtrum in cælis eſſe, quod multo ſanè expreſſius eſt quàm ſi nobis dixiſſet quærẽda in pane aut vino, aut altari poſtea excogitato cæleſtia, tantũ abeſt

vt veſtro more peruerſiſſimo Sacramenta ſic interpretetur(eſt enim Eccleſiæ πολυτιμήτου pars vel præcipua legitimus Sacramentorum vſus) quaſi ſic è cælis in quos aſcendit, reipſa corpore ſuo quotieſcunque ſacrificulo libuerit (ante meridiem videlicet, præſcripto etiam illi tempore) in terris ſeſe quibuſuis accedentibus reipſa, corporaliter, & ſubſtantialiter vorandum ſiſtat, vt ibi ipſum quærere, inuenire, manibus palpare, ore percipere, inter dentes habere, ii ſdē atterere oporteat(plura perſequi veſtra religio prohibet) quæ myſteria qui neget ipſo etiam Diabolo ſit, vt ita loquar, διαβολικώτερος. Cur enim hoc faceret Apoſtolus, quum è contrario neque Sacramenta in alium finem Eccleſiæ proponantur quàm vt rebus illis in externos ſenſus incurrentibus admonitus animus in cælum aſſurgat? quorſum autem in terris præſentem quærerent qui ad eum è cælis venturum anhelant? Iſta qui apertè, planè, perſpicuè ſic diſtinguit, vt ſicut aliud eſt quod oculis corporis videtur, aliud quod mente fideli perſpicitur, ita etiam hanc actionem dupliciter conſiderandā dicat, & corpori quidem præſentia ſigna corporaliter accipienda, animo verò carnem ibi demum quò aſſumpta eſt contemplandam & ſpiritualiter apprehendendam doceat, num præſtigiator eſt, an is potiùs qui quāuis cælum terræ miſceat, tamen rite & ordine omnia à ſe fieri declamitet? Audiamus tamen quibus argumentis iſtam vnius actionis duplicem conſiderationem refutes. *An id,* inquis, *Paulus intellexit quum ait, Hoc non eſt dominicam Cœnam manducare, ac non potius, vt innuit textus, nomine Cœnæ cogitationem & actionem diſcernendi panem hunc ab aliis cœnis & communibus cœnis, ex eo quòd iſte & non alius corpus ſit Domini, quod non in cælo quærendum quum cœna celebratur, ſed in pane oſtendit?* Egregiè profectò quaſi non etiam poſſit in actione Cœnæ externa peccari, quod feciſſe Corinthios ex Apoſtoli contextu apparet, & tu ipſe imprudens fateris. Nō enim in eo peccabāt Corinthij quòd hunc panē exiſtimarent à cōmuni pane, vel hāc actionē à cōmunibus epulis nihil differre, (quod ne nos quidem facere ſine inſigni mendacio dixeris) ſed quòd quum iſta longè differre à communibus intelligerent, id quod etiam illis inculcat, tamen ad ſacras iſtas epulas aliter prorſus comparati accederent quàm & ipſa Cœnæ inſtitutio & Chriſtiana charitas, cuius illa pignus eſt, poſtularet. Quis verò ſatis mentis compos ex eo effici dixerit quod tu concludis, nempe in pane non in cælo quærendum eſſe Chriſti corpus? An hoc enim ille vnquam cenſuerit qui nos à Chriſto peregrè abeſſe docet quandiu in corpore peregrinamur, & diſſolui cupit vt ſit cum Chriſto? Scribis præterea,

An Apoſtoli perfecta Cœna non ſunt potiti, quum nihil cogitarint nec cogitare debuerint de celeſtibus regionibus ad quas corpus Chriſti nondum peruenerat? Sanè ſunt potiti, nec illos lōgiùs quærere Chriſtum oportuit in ipſa menſa aſſidentem: quam circunſtantiam ſi nunc quoque valere vis, ergo illum negato in cælum à nobis abiiſſe, aut ante vltimum illum diem inde venturum contra Angelorum teſtimonium probato. Quod ſi Apoſtoli commentum iſtud veſtrum de reali in pane præſentia & eiuſdem intra ipſa viſcera reali traiectione vel leuiſsimè fuiſſent ſuſpicati, quorſum oportuit illos poſtea tam prolixa concione aduerſus tentationem de ipſius ad Patrem proxima diſceſsione confirmari? & cur Dominus quum tam multas attulerit rationes, quibus eos abſentiam ipſius alioqui ægerrimè laturos conſolatur, illam quæ vel ſola ſufficiebat præteriiſſet? Illud enim Ero vobiſcum ad conſummationem vſque ſeculi, non ignoras ſummo omnium ante tranſſubſtātiationis figmentum interpretum conſenſu, ad vnius Spiritus ſiue Deitatis naturam & effectum referri, minimè id quidem vt diuidatur Chriſtus, ſed vt ſua cuiuſque naturæ proprietas diſtinctè ſeruetur. Addis præterea,

An quiſquis nihil agitarit animo de cœli cacumine, & tamen cum pia carnis ac paſſionis dominicæ recordatione ad Euchariſtiam venerit, à vobis Cœnam feciſſe negabitur? Quanto verò rectiùs ex te quæſierim, num eum qui ſic ad Cœnam acceſſerit nihil prorſus de ſignorum tranſſubſtantiatione ſuſpicatus, Cœnam rite celebraſſe ſis negaturus? Si hoc neges, quam tandem afferes tuæ inficiationis rationem? ſin confitearis, nempe tuo ipſius reſponſo iugularis. Sed hoc adiicio præterea, fieri non poſſe vt quis ad Cœnam Domini rite accedat qui de eo in cælis non in terris inueniendo & fidei manu apprehendendo non cogitet, quem non tantùm mortuum fuiſſe, verùm etiam reſurrexiſſe, & in cælos aſcendiſſe ac inde vltimo demum die venturum credat. Vt probarem autem potiſsimā huius actionis partem exerceri animo in cælum per fidem ſubuecto, protuli inter cætera celebre illud Irenæi dictum de re Euchariſtiæ terrena & cæleſti. Tu verò reſpondes non affigi cælo quicquid dicitur cæleſte, quod ſanè concedo. Sed an inde conſequitur corpus Chriſti hac etiam ratione cæleſte non dici & à terreno ſigno diſtingui, quòd in cælis ſedeat ad dexteram Patris?

Citaui quoque Chryſoſtomi locum in quo diſertè ſcribit non graculorum ſed aquilarum eſſe hoc epulum, *Quibus verbis,* inquis, *nuſquam hortatur vt mentem ab Euchariſtia in cælum transferamus, imò in ipſam defigere ſuadet, ſed non eam contemplari ſenſu aut cogitatione humana quaſi aliquid ſit terrenum, quum omnia ibi ſint diuina & cæleſtia, imò cælum ibi ſit ſicut alibi dicit Eccleſiam non eſſe tonſtrinam, non vnguentariam tabernam, non officinam forenſem, ſed locum angelorum, locum archangelorum, regiam cœli, cælum ipſum, & ne cælum ibi eſſe dubitemus, menſam iſtam videre nos iubet cuius gratia & propter quid ſit conſtitutum. Ideò non alibi cælum aut corpus Chriſti conſiderandum aut intuendum eſſe fide & cogitatione, quàm in menſa ipſa & euchariſtia admonet, quam idcirco dixit non eſſe graculorum aut beluarum (quales tu es, Beza,) qui omnia metiantur ſenſibus, ſed aquilarum quæ acutiùs fide perſpiciant quid in ipſa miſſa poſitum ſit, quod ſenſibus non obijciatur, aut attendi oporteat vt ipſa Synodus Nicena cenſuit.*

Hæc tu quidem non minùs futiliter quàm verbosè. Nam vt de ambiguo Euchariſtiæ nomine nihil dicam, quum à ſignis ſurſum trāsferendas mentes docemus, minimè docemus auertēdas eſſe à ſignis,

à ſignis, quæ certè nec temerè nec inefficaciter proponuntur, ſed monemus non eſſe in illis externis retinendas. Peccatur autem hac in re dupliciter. Panis enim & vinum à nonnullis conſiderantur non quatenus Sacramenta, ſed vt panis & vinum, quibus tamen aliquid inſit ſanctimoniæ ſiue numinis, ſicut veteres Iſraelitæ in externis illis ritibus hærebant, & vos multo etiam ſuperſtitioſiùs in pleriſque facitis. Interdum verò conſiderantur quidem vt ſigna, ſed ita vt ſimul res ſignificatæ quaſi illis inſitæ & reipſa cōrentæ, intra ipſa quærantur. Hoc autem idcirco in iſtis de quibus agimus docemus fieri non debere, quoniam quæ per ea ſignificantur, (nempe corpus & ſanguinē Domini,) teſtatur verbum Dei ſurſum eſſe non deorſum. Itaque vt rem in pauca contraham, Oculi panem & vinum in terris vident: mens autem fide prædita in terris quidem eadem illa, ſed vt Sacramenta eáq; minimè vana intuetur, neque tamen in illis ſubſiſtit, ſed altiùs, nempe in cælum vſque ad rem ſignificatam, id eſt ad Chriſtum ipſum conſcendit. Aut igitur oſtendite Chriſti corpus adhuc eſſe in terris, id eſt mentitos eſſe Angelos & Apoſtolos, aut patimini nos ſic fide in Sacramenta intueri vt tamen ad Dominum noſtrum eò vſque vbi reſidet aſſurgamus. Chryſoſtomi verò ſcopum hunc ipſum eſſe tum vt Sacramenta diſcernat à rebus communibus, tum vt mentem doceat in ſignis ipſis non hærere, ſed ad res ſignificatas progredi, adeò quidem vt manifeſtia hyperbolia vtatur, ne tu quidem inficiari potes, niſi mauis eum cælos terris reipſa permiſcuiſſe. Supereſt quæſtio, num in cælis ſurſum ſicut ego contendo, an verò deorſum in terris ipſiſque adeò ſignis quæ corporaliter videntur & accipiuntur, res ſignificatæ reipſa quæri & accipi velit, quod tu affirmas, ego verò nunquam illum cogitaſſe aſſeuero. Quorſum enim iſta quæ tuipſe profers? *Etiámne te inter mortales verſari & in terris conſiſtere arbitraris, ac non potius è veſtigio in cælum transferris?* Quid eſt enim è terris in cælum velut alis fidei ſubuectum transferri, ſi hoc non eſt quod nos quoque docemus? Nam certè ſi eccleſiam & menſam iſtam diceret eſſe reipſa regiam cæli & angelorum locum, nulla mentis opus eſſet in cælum tranſlatione, ſed ibi potiùs quò tranſlati eſſent cæli conſiſtere: & quod de cælis dico, de corpore & ſanguine Chriſti ſimiliter prorſus accipiendum eſſe res ipſa demonſtrat. Vide ſis igitur, Santeſi, ne potiùs quàm hac in parte ſim beſtia, tu contrà nihil aliud quàm moleſtè & inutiliter garriens graculus quum hæc ſcriberes euaſeris, ex eorum videlicet genere qui in veſtris etiam templis libenter ſolent nidificari. Sed & illud (quod *ὑπερβολικῶς* dictum ſit) in Chryſoſtomo expendendum eſt, quînam dixerit, *turbam circumfuſam ſanguine illo tingi ac rubefieri*, ſi tum (vt in veſtris Eccleſiis fieri ſolet) calicem populus non attingebat, vel potiùs ſi quis tum erat miſſarum priuatarum inter Chriſtianos vſus, quas, obſecro, Spectatum admiſſi riſum teneatis, amici?

Obieci etiam illud SVRSVM CORDA toties peregrina lingua in veſtris templis reboatum, ex quo ſatis intelligatur non in ipſis ſignis reipſa, ſed in cælis quærendum eſſe quod intelligitur. Tu verò me aſinum iubes aures arrigere, & illud HABEMVS AD DOMINVM quod viciſſim reſpondetur, attendere, quo videlicet mentes noſtræ non ad certum cæli locum ſed ad Deū ipſum reuocētur, nempe vt à ſenſibus & terrenis ſolicitudinibus ſegregatæ vacent contemplandis vbique locorum ipſius beneficiis. Aures igitur arrigo te iubente, Mida, & intelligere te non poſſe demiror quod vel aſini ipſi intelligant, nempe fruſtrà non fuiſſe adiectam particulam SVRSVM, vbi, (inquit ex Apoſtolo Auguſtinus eo ipſo loco quem citas, nempe libri De bono perſeuerantiæ, cap. 13.) Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens. Non igitur inficiamur, imò hoc ipſum contendimus, ſegregandas mentes à ſenſibus & huius vitæ rebus, vt illis ſacra dignè participemus: non negamus vbique locorum offerri nobis immenſa Dei beneficia, ſed dicimus in illa Cœna peculiariter ſummum quoddam bonum nobis cogitandum proponi nempe ipſius Chriſti *κοινωνίαν* quæ ſignis illis adhibitis ſancitur: nec polluimus antiqua ſacra ſicut tu cauillaris, vt qui formulam illam, excluſis tamen theatricę illius cantillationis alternatis reſponſionibus, retinuerimus: non denique Chryſoſtomum aut quenquam alium venerādæ antiquitatis patrem aſpernamur, quorum tamen ſcripta non ſine examine recipimus: ſed hoc dicimus, ſi deorſum non tantùm ſacramentaliter vt concedimus, ſed etiam reipſa (vt tu contendis) adeſſet Domini corpus, tum minimè fuiſſe ſurſum auocandas mentes, ſed in iis ipſis quæ coràm oculis cernuntur retinendas. Nam, obſecro, ſi quis tibi comprehenſum in ſacculo theſaurum quempiam Lutetiæ in manus porrigeret, num te iuberet animum ad nubes longiſſimè diſſitas conuertere, ac non potiùs oculos quidem in ſacculum dirigere, animum autem ad theſaurum inibi comprehenſum intendere?

Cæterùm quæ tu poſtea tanquam præſtigioſa & ambigua reprehendis, quid attinet pluribus oſtendere ſic dicta & ſcripta eſſe vt nemo niſi ſciens prudens in iis falli poſſit? Scribit Caluinus quicquid à Chriſto nobis porrigitur ſub ſacris ſymbolis ſumi, manducari, bibi, nobis offerri, Sacramenta nullo modo à ſubſtantia ſua ſeparari oportere, ſubſtantiam interiorem Sacramenti ſignis viſibilibus eſſe coniunctam, veritatem adeſſe quoties videmus ſymbola à Domino inſtituta, res inuiſibiles corporeis ſignis nobis figurari ſimul & exhiberi. Ita eſto. Quum tamen tute agnoſcas & ſcribas iſta non aliorſum dici quàm vt ſacramentalis notetur duntaxat ſignorum & rerum ſignificatarum coniunctio, eáque minimè inefficax, quod vbique aduerſus tui ſimiles inculcare conſueuimus, quid eſt nodum in ſcirpo quærere, ſi hoc non eſt?

Repetis poſtea quæ de columba viſa in Chriſti Baptiſmo & cui Spiritus ſancti nomē tribuitur, aliquot locis ſcripſit Caluinus metonymiam ſacramentalem inde demonſtrans: repetis, inquā, iſta perinde ac ſi Caluino propoſitū fuiſſet docere ſicut ſubſtātialiter præſens aderat Spiritus ſanctus Deus illi columbæ, ſic etiam corpus & ſanguinem Chriſti cum pane illo & vino illo corporaliter & reipſa copulari. Atqui vt omnes etiam Caluini ſyllabas arrodas, nuſquam illum inuenies

aliorſum iſta comparaſſe quàm vt duo doceret, nempe rei ſignificatæ nomen vſitata ſcripturis metonymia ſigno tribui, & huius metonymiæ hanc vim eſſe vt veritas ſic declaretur cum ſuo ſigno coniuncta. At tibi videtur inde abeſſe veritas vnde realis præſentia excludatur, quod ſi verum eſſet quînam ſtaret illud Pauli, Petra erat Chriſtus? Deinique, quum Spiritum ſanctum vbique eſſentialiter præſentem eſſe conſtet, ſacramentaliter verò non item, quî fit vt inter hanc & illam præſentiam non diſtinguas?

Carnem Chriſti, inquis, *Caluinus modò dicit ad nos penetrare vt Inſt. 4, cap. 17, ſect. 10: modò negas, vt alijs multis locis. Eſt autem idem & vnum hoc dicendi genus. Itaque quonam pacto Caluinum à manifeſta repugnantia, aut certè fallacia excuſabis? Si in affirmatione carnem pro ſpirituali vita interpretaris, in negatione eandem interpretationem ſerua, & inficiare per Caluinum vitam de carne Chriſti ad nos pertingere. Si ex vario ſignificatu eandem locutionem excuſas, agnoſce Caluinum aliter ſolitum loqui, atque aliter ſenſiſſe.* Imò te potiùs manifeſtè calumniari agnoſco. Etenim ſi omnem homonymiam vt fallacē arguis, ecquis tandem extra culpam fuerit? Ne longiùs abeamus, hoc ipſum carnis nomen quàm variè accipitur in ſacris literis, etiam quū illi non opponitur Spiritus? Certè ſi in hoc dicto Heb. 5, *In diebus carnis ſuæ*, ſimiliter carnem intelligas vt in illo, Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt, Syricius papa te refellet. Sic Manducare carnem & Bibere ſanguinem Chriſti neceſſe eſt vos ipſos accipere figuratè Ioan. 6. vel ab Auguſtino diſſentire, qui tamen contenditis in Cœna Domini propriè & ore ipſo carnem eius manducari, & ſanguinem bibi. Denique ex iſtiuſmodi homonymiis integrum penè volumen deſcribi poſſet, quæ tamen partim ex linguarum idiomate, partim ex antecedentibus & conſequentibus, denique ex fidei analogia nullo negotio intelliguntur. Caluinum autem tanquam ambiguè aut repugnanter hîc loquutum quis meritò ſuſpicetur, quum toties tam planè ac perſpicuè quàm quiſquam vnquam alius, eo etiam ipſo quem profers loco, declaret non alio ſenſu carnem ad nos dici poſſe penetrare, quàm quòd vitalis ille vigor ab ea nobiſcum per fidem ſpiritualiter communicata promanans in nos deriuetur? Idem tibi reſponſum eſto de verbo exhibendi, quod tu ineptè ad realem tuam præſentiam accommodas, quū ſacramentalis ſignificationis efficacitatem notet. Excipis tamen aliquid, nempe tunc demum locū fore illi diuinæ omnipotentiæ quam in hoc myſterio extollit Caluinus, ſi caro in proprio ſignificatu accepta dicatur de cælo non obſtante locorum intercapedine nobis in terra degentibus diſpenſari. *Nam*, inquis, *ſi ſpirituali ſenſu pro vita inde emanante accipiatur, quid miraculi ex locorum interuallo ſi vita ad nos defluit?* Imò verò ſi vobis creditur, quid erit miraculi præſentem reipſa carnē ore accipi? Tollit enim veſtra illa realis præſentia omne locorum interuallum. At quod nos ex Dei verbo ſecundum fidei analogiam docemus longè admirabilius & diuinius eſt, nempe corporis ipſius in cælo manentis nos in terris verſantes tam verè támque efficaciter fieri ſpirituali per fidem coniunctione alioqui ſenſibus noſtris incomprehenſibili participes, vt nulla ſit in naturali organico corpore tam arcta corporalis membrorum & capitis connexio, quod myſterium meritò Paulus magnum eſſe exclamat.

Quod de oppoſitione inter rem ſignatam eſſentialem & rem ſolius pacti ſiue promiſsionis ex te deſcripſi, clamitas à me eſſe corruptum: ego à me non fuiſſe intellectum fateor, ſiue tua hæc culpa eſt, qui non ſatis perſpicuè interdum loquaris, ſiue potiùs animi tui ſenſum ſtupor ille meus intelligere non potuit. Nulla enim fraude id à me factum eſſe vel ex eo liquere poteſt, quòd nihilo magis contra nos facit quod ſcripſiſti, quàm quod te ſcripſiſſe credidi. Dicis igitur *copulationem ſignatæ rei & ſignorum à nobis non intelligi veram ac realem ſiue ſubſtantialem, ſed ſolum pacti & promiſsionis, id eſt, vt res ſignificata exhibeatur quidem quum exhibentur ſigna, nō tamen in ipſis ſignis, ſed ſeorſim à Deo.* In his poſtremis agnoſcimus te verū dixiſſe, neque nos huius veritatis pudet: ſed in eo te prorſus falli ac etiam ineptire dicimus, quòd quoniā non exhibeatur res quaſi in ipſis ſignis ſita, idcirco copulationem ſignorum & rei veram & realem à nobis neges intelligi. Nam etiamſi ſacramentalis duntaxat ſit copulatio, tamen neque falſa eſt propterea neque duntaxat imaginaria, vt millies eſt vobis reſponſum. Scopulus autem ad quem perpetuò impingis, hic eſt, quòd corporis & intellectus actiones & effecta vbique confundis. Sic diſſoluitur argumentum quod poſtremum commemoras, nempe *quum pluribus in locis ſeparata ſint anima noſtra & diſtincta* (pro quo rectius ſcripſiſſes diſtinctas atque adeò ſeparatas) *non poſſe nos inficiari Christum alibi quàm in cælis haberi ſecūdum carnem, ſiquid de carne Chriſti ab animabus noſtris reipſa recipi ſine præſtigiis volueritis profiteri.* Nam quod tu ex illo principio conſequi dicis, verè ſanè dicis. Verùm quis tibi conceſſerit in animum ipſum defluere reipſa quidpiam præſertim materiatum, & ſicut ſeparatæ ſunt animæ tum locorum eſſentia aliæ ab aliis, ſic corpus aliquod ſiue Chriſti ſiue cuiuſcunque alterius, aut in totidem fruſta diſcerpi quot homines ſigna ore percipiant, vt nulli totum habeant, aut, quod vnius naturæ diuinæ proprium eſt prorſus *ἀπεριγράπτως*, totum vbique ſimul reipſa exiſtere, & ipſo ſpiritu noſtro magis eſſe ſpirituale?

Veniamus ad alterum accuſationis caput, in quo nos etiam contendis, præſtigiari, *quòd interdum ſubſtantiam corporis Domini, interdum ſolam efficaciam & vim quandam effluentem à carne Chriſti ſita in cælis nobis impartiri, corpúſque Chriſti eo pacto ſpiritualiter tantùm in Cœna percipi dicamus, quum tamen omnibus ſubductis nihil à nobis per Cœnam capi doceamus.* Hæc igitur vt probares vrbanus monachus Caluinum in primis irrides tanquam canales & tubos fabricatum, quòd ex ipſa Deitate ſcaturire in Chriſti carnem dixerit viuificum illum vigorem, ex qua demum nobiſcum Spiritus ſancti virtute & ſpirituali modo per fidem communicata vitam illam quaſi ex limpidiſsimo & vberrimo fonte hauriamus. Ego verò reſpondi mirari me hominē iſtum qui vel neſciat, vel neſcire ſimulet

mulet

mulet quæ inter ſe coordinantur non repugnare. Ad hoc ipſe nunc excipit, neque ſe ſcripſiſſe, neque ſuſpicatum eſſe illa à Caluino tanquam oppoſita numerari. Quorſum igitur iſta protuliſti, nec enim aliud fuit tibi propoſitum quàm docere hæc inter ſe repugnare, carnem Chriſti nobis impertiri, & carnis duntaxat efficaciã à nobis percipi. Imò nónne hoc ipſum nunc repetis? particulas autem illas excluſiuas, TANTVM, SOLVM, DVNTAXAT, à te interdum falsò nobis attribui, interdum aliorſum quàm intelligatur accipi, iam tibi fuit ſæpius reſponſum quàm vt repeti nunc oporteat.

Dixiſti totidem verbis venire in quæſtionem, *an veram, realem, & ſubſtantialem ſtatuamus in Cœna participationem, vt verè, realiter ac ſubſtantialiter percipiatur Chriſti caro & ſanguis: an duntaxat ſpiritualem, quæ non carne & ſanguine re vera animas noſtras imbuat, ſed vi quadam & efficacitate duntaxat quæ prodeat & emanet à carne & ſanguine Chriſti non dimoto à cœlo.* Reſpondi falsò à te opponi ſpirituale vero: & ſpiritualem à nobis dici perceptionẽ, non ratione rei quæ percipitur, (percipitur enim id eſt noſter fit totus ipſe Chriſtus, non duntaxat vis aliqua ipſius ſpiritualis) ſed quoniam & Spiritus ſancti virtute inenarrabili, & ſpiritus noſtri inſtrumento, quod fidem vocamus, iſtud myſterium perficitur, & ſpirituale eſt ipſius effectum ſpiritualis videlicet ac myſtica (veriſsima tamen ac firmiſsima & efficaciſsima) Chriſti capitis cum ſuis membris vnitio & coalitio. Quid tu contrà? *Exiſtimabam*, inquis, *mihi rem eſſe cum homine in ſacris literis vel mediocriter exercitato, qui aliquid ſpirituale multis modis eſſe, & dici, & in qua ſignificatione ſit capiendum ex adiunctis nouit diſcernere.* Ego verò nullam mihi magnam eruditionem arrogo, meæ tenuitatis mihi probè conſcius, & hoc certè quod dicit iampridem Dei beneficio didici, imò (quod ſine arrogantia dictum ſit) priùs docui quàm tu doctor eſſes, & prius ſcripſi quàm tu hiſcere nedu[illegible] ſcribere quicquam auderes. Sed quorſum illud, quum tu ipſe definieris ſpirituale à te vocari quod ſit duntaxat ἐνεργητικῶς, ego verò planè & perſpicuè reſponderim non eo ſenſu à nobis ſpiritualem perceptionẽ dici ac proinde ſpiritualem ſimul & ſubſtantialem eſſe perceptionem quam ſtatuimus? ſpiritualẽ videlicet ſi modum, inſtrumenta, effectum denique perceptionis ſpectes: ſubſtantialem verò ſi idipſum quod ſpiritualiter per fidem percipitur, ipſum videlicet Chriſtum, conſideres. Itaque quũ eadem rurſum inculcas, quid aliud quàm tuam illam φαντασίαν prodis? *Subſtantia alicuius*, inquis, *actiones & effectus non ſunt ſubſtantiales, ideo ſpirituale, ſubſtantiali oppoſui.* Concedo. Sed præteres, ſpirituale oppoſuiſti vero, qua de re nihil prorſus reſpondes. Deinde quid hoc ad nos, qui hæc duo inter ſe non comparamus, ſed rem ipſam cum ſuo effectu coniungimus? Nihilo rectius eſt quod ſubiicis. *Vocamus*, inquis, *ſpiritualem perceptionem corporis per quam non reciperetur intra animas noſtras ipſa ſubſtantia corporis: ſed aliquis ſpiritualis effectus, ſeu vita vigor de corpore Chriſti ad vnionem cum Chriſto.* Voces tu ſanè ſpiritualem perceptionem quam voles. At certè non quæritur quid illo nomine intelligas, ſed quæ ſit noſtra ſententia, quam tu oppugnandam ſuſcepiſti. Præterea vide, ſi potes, quàm falſa & quàm abſurda, hîc effutias. Ecquis enim vnquam ſanæ mentis homo credidit ſubſtantias ipſas corporum intra ipſum intellectum reipſa recipi? & túne vſque adeò nos inſanire arbitraris vt quum dicimus viuificum illum vigorem ex carne Chriſti in nos inſtillari, exiſtimemus aliquid reale ex ipſo Chriſto excerni quod intra nos delabatur? Præterea num putas nobis vnquam in mentem veniſſe, vt diceremus vigorem hunc æternæ vitæ ad vnionem noſtri cũ Chriſto requiri, quum vniri priùs nos cum Chriſto oporteat, quàm ex ipſo quicquam percipiamus? Imò ſicut quum primùm ex nihilo conderẽtur omnia, nihil ex Deo realiter in res conditas influxit, quum ab ipſo creata ſint omnia, ex ipſo autem nihil: ita in noui hominis creatione in qua naſcimur ſpiritus ex ſpiritu, ídque in vno Chriſto nobiſcũ vnito, inſaniunt prorſus qui reale quippiam ex Chriſti carne ſiue in noſtras animas ſiue in noſtra corpora excerni arbitrantur. Etſi enim longè aliud eſt Deitas impartibilis quàm caro cuius ſubſtantia in partes ſecari poteſt, imò vt etiam daremus ipſa aliquarum energiarum vehicula, ſubtiliſſimam quandam partitionẽ admittere, ſicut tu contendis canalem dici non poſſe carnem Chriſti, niſi aliquid habeat quod percolet, & ad nos emittat: tamen totum iſtud commentum eſt pluſquam Capernaiticum, nec minus inſanum quàm illud Manichæorum delirium, qui Deum faciebant rerum creatarum partem, aut illud quorundam amentiſſimorum hominum ſomnium de deciduis rerum ſeminibus. *Ergo*, inquis, *quicquid per fides veſtræ imaginationes circa corpus Domini ſitum in cœlo fingitis in animas veſtras delabi, nec corporeũ nec ſpirituale eſt, ſed phantaſma & ſomnium.* Apage verò, totum iſtum vllius ex ipſomet Chriſto particulæ realem in nos deſcenſum, & quemadmodum vera eſt mea fides, & verum eius obiectum, ita etiam quanuis ſpirituale, tamen veriſſimum eſſe ipſius effectum nobiſcum, ſi potes, agnoſce. Sed agè mirifica tandem arcana veſtra audiamus. *Scimus*, inquis, *ex ſacris literis corpora fieri & exiſtere ſpiritalia, quæ re vera permanent corpora, ſed modum exiſtendi corporeum & corporibus aſſuetum aut omnino aut magna ex parte exuunt, & eum ſuſcipiunt qui ad ſpiritus naturaliter pertinet, commutatione corruptionis in incorruptionem, infirmitatis in virtutem, ignobilitatis in gloriam, adeò que, vt Apoſtolus concludit, animalitatis in ſpiritalitatem, ita vt propter modum exiſtendi diuerſum, corpus non amplius vocetur à ſcripturis caro, neque ſecundum carnem, ſed ſpiritus, & ſecundum ſpiritum aut ſpiritale, tametſi non deſinat eſſe re vera caro, nec pereat carnis ſubſtantia, ſed modus varietur.* Primum quid hoc rei ſit, deinde quorſum hoc applices expendamus. Corpora noſtra ſi reſurgant, neceſſe eſt corpora ſint poſt reſurrectionem. Itaque rectè confiteris non perire carnis ſubſtantiam. Multò autem meliore conditione reſurgere corpora quàm tum eſſent quum caderent, & ratio ipſa reſurrectionis demonſtrat, & ſacræ literæ, ac quidem in primis locus ille Pauli quem innuis, teſtantur. Nam alioqui ſæpius nobis cadendum, ſæpius ſurgendum, ac denique intereundum eſſet: neque aliud reſurgendo conſequeremur, quàm vt ſæpius moreremur. Hactenus igitur conſentimus. Sed quænam ſit iſta conditio corporis melior, illud ipſum eſt de quo quæritur.

Quod corruptioni obnoxium, quod ignominiæ plenum, quod imbecillum erat, dicit Apoſtolus euaſurum incorruptum, valde glorioſum, perpetui denique firmiſsimique vigoris, quæ omnia in compendium redigit, quum ex animali dicit ſpirituale euaſurum. *Ergo*, inquies, *erit modus exiſtendi diuerſus*. Imò ſi caro erit & organicum, ſuíſque omnibus partibus conſtans corpus, ſicut Hieronymus ad Pammachium & ipſa quoque epiſtola tuetur quam initio huius accuſationis citaſti, diuerſæ quidem erunt qualitates accidentales, id eſt quæ ſaluo ſubiecto in alteras commutari poſſunt, veluti ex corruptibili incorruptum, ex turpi glorioſum, ex infirmo potens, lucidiſsimum, clariſsimum, agiliſsimū, tale deniq; euadere, vt quoad eius fieri ſalua corporis natura poteſt, ſpiritualem naturam referat: at illa quæ corpus ipſum faciunt corpus, veluti materiatū, carnibus, oſsibus, neruis, ſuíſque adeò partibus omnibus diſtinctis præditum, denique quantum eſſe ſuíſque dimēſionibus circunſcriptum, ſalua certè permanebunt. Itaque quum talis ſit cuique rei modus exiſtendi quale eſt ipſius eſſe, corporibus videlicet loco, ſpiritibus proprietate naturæ circunſcriptus, ſoli autem Deo infinitus, manifeſtè tibiipſi repugnas quum ſaluam manere corpoream ſubſtantiā dicis, exiſtēdi verò modum ſpiritibus proprium illi attribuis. Nihilo verius eſt quod dicis corporibus poſt reſurrectionem ſuæ glorificatæ carnis nomen amittere, ſpiritus enim dici. Ludis enim manifeſtè in carnis vocabulo, quod quoniā interdum non ipſam eſſentiam carneā, ſed eius imbecillitatem declarat: idcirco dies carnis finiti dicuntur in Chriſto, quem hoc ſenſu non nouimus amplius ſecundum carnem, ſicut etiam caro & ſanguis, authore Apoſtolo, id eſt, (vt ipſemet interpretatur) corruptio hereditatem incorruptæ naturæ non conſequetur.

Itaque caro non propter diuerſum exiſtendi modum, (vno enim modo corporibus organicis proprio ſemper exiſtit permanens carnis natura ſiue ante, ſiue poſt glorificationem) ſed quatenus infirmitatem exuit, quæ carnis nomine ex Hebræorum idiotiſmo nonnunquam vocatur, interdū aboleri ſignificatur. Nam alioqui te refelleret Iobus affirmans ſe in carne ſua viſurum Seruatorē. Et, quæſo, ſi carnis & ſanguinis nomen non conuenit glorificato corpori, quorſum à te hæc inſtituta eſt altercatio de reali & ſubſtantiali carnis & ſanguinis glorificati Chriſti eſu & potu? Carnē autem, ſiue Chriſti ſiue ſpiritus alterius cuiuſpiā quantumuis glorificatā vbi tandē comperies ſpiritum vocari? citabis nimirum locū illum Ioannis, Quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt. Sed illic agi conſtat, nō de glorificatione corporis, ſed de regenerationis gratia, ac proinde tū carnē illā tū ſpiritū in animo conſiderari, qui caro ante regenerationē, ſpiritus verò dicitur quatenus eſt regeneratus: niſi fortaſſe velis carnis & ſpiritus certamine nō ipſius ſecū animi, ſed animi potiùs & corporis diſsidium declarari. Itaque quum hîc agas de mutatione, quæ circa ipſam carnem fiat, aio te prorſus ſomniaſſe, quum diceres glorificata corpora dici ſpiritus. Etenim caro ſpiritualis, id eſt quæ corruptionē, ignominiam, infirmitatem depoſuit, & gloriæ cæleſtis facta eſt particeps, prorſus aliud eſt quàm ſpiritus, ſiquidem, teſte ipſo Chriſto, *Spiritus carnem & oſſa non habent*, ideóque ſub ſenſus exteriores non cadunt, caro autem quantumuis ſpiritualis ſiue glorificata, teipſo, vt arbitror, confitente, caro tamen eſt ſuis omnibus partibus definita & circunſcripta, ne ipſo quidem Chriſti ad dextram Patris ſedentis corpore excepto, ſicut innumeris locis, quos alibi citauimus, tum Græci, tum Latini ſcriptores omnes orthodoxi diſertis verbis teſtantur. Quæ quā ita ſe habeant, quid iſta te iuuat quæ ſubiicis? *Hoc pacto*, inquis, *corpus Chriſti in Euchariſtia præſens, creditur à nobis eſſe ſpiritale. & ibidem ſpiritaliter adeſſe, quoniam non ibi conſiſtat modo exiſtendi naturali corporibus, ſed ſpiritibus, qui definito loco naturaliter aſſiſtunt, ſed eum non occupant, nec aſpectui noſtro ex neceſſitate ſubiacent*. Vis igitur in ſumma corpus glorificatum non circunſcriptione ſiue aliqua mole, ſed definitiuè, ſiue proprietate ſubſtantiæ inſtar ſpirituū contineri. Quod ſi ſpiritus idcirco ſic continentur quòd ſint incorporei, quinā effugies quin fateri rurſum cogaris, vel falſum eſſe quod comminiſceris, vel, ſi tibi credatur, corpora per glorificationem fieri incorporea, ſiquidem in ſpirituum naturam tranſmutantur? Etenim tribuere corporibus, id quod ne ſpiritibus quidē niſi incorporei eſſent, imò (vt poſt Cyrillum audaciùs loquar) ne Deo quidem ipſi conueniret, niſi prorſus infinitus eſſet, an non eſt prorſus inſanire? Sunt ſane corpora glorificata, incorrupta, glorioſa, ſplendidiſsima, agiliſsima, corpora tamen ſunt, ac proinde non ſpirituum, ſed verorum corporum modo adſunt, ſua videlicet quantitate circonſcripta, & quæ videri, tangíque poſſunt: eiuſmodi corpora ſi fortè neges in cælis conſiſtere poſſe, hoc te diſcere non pudeat, ex Auguſtini lib. de Ciuit. Dei 20. cui ſi tuum iſtud commentum placuiſſet, nempe ſic eſſe corpus in cælis, vt ſunt ſpiritus, mutato videlicet exiſtendi modo, cauſa non erat, cur tantopere de illa quæſtione ſoluenda laboraret, quomodo verum corpus organicum in cælis eſſe poſsit. Deinde non vides ſi hoc ita ſit conſequi non aliter eſſe corpus Chriſti in Euchariſtia quàm Angeli, imò ipſa etiam dæmonia nobiſcū verſentur, animíque adeò noſtri intra nos ſint? quod ſi verū eſt, quorſum, obſecro, refugis ad omnipotentiæ latebras? Etenim quid mirum eſt vel ſpiritus adeſſe ſuo exiſtendi modo, vel corpora ſi ſpiritualem exiſtendi modum nacta ſunt, ſpirituum modo adeſſe? & ſi quod hîc eſt omnipotentiæ Dei extraordinariū opus, cur tu illud in Chriſti corpore peculiariter conſideras, quod tamen habeat cum Angelis quibuſuis, imò & cum animis noſtris commune? Imò non fuerit extraordinaria iſta ſpiritualis præſentia corporis in Euchariſtia, ſed illa potiùs altera corporalis & aſpectabilis, quæ Stephano contigit, & vltimo die futura ſperatur, ſicut extraordinaria eſt ſpirituum apparitio viſibilis. Deinde ſi ſpiritualitas iſta modum exiſtendi ſpiritualem affert, ergo corporalem tollit. Nuſquam eſt igitur corpus Chriſti corporali modo, nuſquam viſibile, nuſquam loco circunſcriptum, quod dogma tu non ignoras Patres omnes orthodoxos iam olim in Eutyche te damnaſſe. Denique etiam ſi locum à Chriſti corpore non occupari, imò inuiſibilis quoq; naturæ eua-

ræ euaſiſſe tibi concedam, at certè in loco definito eſſe concedes vbicunque ſit, quum ſola Diuina natura ſit infinita, ideóque nullo loco contineatur. At ſi definito loco, non igitur multis ſimul locis. Stat enim illud Auguſtini de ipſo Chriſti corpore diſſerentis, Spatia locorum tolle corporibus, & nuſquam erunt, & quia nuſquam, ergo nec erunt. Et ne excipias, non tolli à te locum quem tamen dicas à Chriſto ſpiritualiter præſente non occupari, audi quid adiiciat, Hinc vbique crede Chriſtum per id quod Deus eſt, in cælo autem per id quod homo, ſecundum veri corporis modum. Audis *corporis*, imò etiam *veri corporis* modum? Aut igitur corporis & ſpiritus modum oſtende vnum & eundem eſſe, aut te ab Auguſtino manifeſtè diſſentire fatetor, vel te prorſus cum ratione inſanire quis non intelliget? Nam illud quoque magis abſurdum fuerit dicere, vnum idémque Chriſti corpus vno eodémque tempore in cælis quidem localiter & circumſcriptiuè, in Euchariſtia verò innumeris locis ſpiritus modo, ſiue definitiuè eſſet: non modò quoniam cõtradictoria hæc ſunt, verùm etiam quoniam ſi ita eſſe poſſet, cælis cæleſtis & ſpiritualis ille modus, terræ verò corporeus potiùs conueniret. Et de veſtro quidem exiſtendi modo hactenus. Nunc videamus quàm bellè & commodè manducationem illam realem ſimul & ſpiritualem explicetis.

Hoc etiam modo, inquis, *manducari à nobis ſpiritualiter corpus Domini docetur: quia licet reuera corpus ſumatur à nobis ore corporeo, & circa ipſum omnia officia eſus corporalis exerceantur, non tamen modo comeditur quo cibus atteritur, comminuitur, conſumitur. Nam ſicut modum habet ſpiritualem exiſtendi, ita quicquid circa ipſum fit à corporibus, non niſi ſpiritualiter fieri poteſt, ac ſi eſſet ſpiritus, quamuis vbicunque ſit, maneat ſalua & integra corporis ſubſtantia.* Oſtendi quàm ſit falſum & inſanum vero corpori vtlibet glorioſo, modum exiſtendi ſpiritibus proprium tribuere: tam certè inſanum quàm ſi è contrario ſpiritibus modus exiſtendi corporeus attribuatur. quòd ſi fieri poſſet, cauſa nulla fuiſſet cur ſpiritus vt hominibus conſpicui fierent, corpus aſſumerent. Nunc verò quod dicis quanto etiam eſt illo amentius? Vis enim corporaliter agere corpora noſtra, & id quidem meritò, ſed negas corporales eſſe actiones. Corporaliter igitur & verè os noſtrum te auctore, Chriſti corpus & ſanguinem accipit, comedit, bibit, ſed illa tamen non niſi ſpirituali modo recipiuntur, comeduntur, bibuntur, *quia*, inquis, *ſpiritualis eſt illorum exiſtendi modus*. Atqui ſi hoc verum eſt, nemo igitur illa niſi ſpirituali modo acceperit, comederit, biberit, quum inter agens & patiens neceſſaria ſit prorſus conuenientia. Tria igitur iſta penitus inter ſe cohæreant oportet, nempe vel ſpiritualis exiſtẽtia, Spirituali modo accipere, comedere, bibere, & Spirituali modo accipi, edi, bibi: vel, Corporea exiſtentia, Corporali modo accipere, comedere, bibere, & Corporali modo accipi, comedi, bibi. Obſecro verò, mi homo, num tu is es qui corpus hoc ſaltem noſtrum adhuc tantopere imbecillum ſomnies vel alio quàm ſenſuum organo quicquam verè corporeum percipere? Quînam igitur corpus ſpiritum comederit vel biberit, quum ſpiritus non niſi intellectu percipi poſſit: intellectus autem nec comedere, nec bibere propriè dicatur? Quæ verò ſpiritus eſt ratio, eadem quoque eſt iſtius quod ſomnias corporis ſpirituali modo exiſtentis, quoniam prout quodque exiſtit, ita & agit, & viciſſim cum eo agitur. Denique, qui fit vt quum corporalis eſus, ſiue oris officium dicas circa corpus illud ſpirituale exerceri, nuſquam tamen oculorum viſionis memineris? Cur enim potiùs oculus quàm os ceſſarit, quum corporalis ſubſtãtia ſenſibus omnibus pateat? an quòd corporis ſpirituali modo exiſtentis, vel fulgor noſtris nondum glorificatis oculis ſuſtineri, vel tenuitas cerni non poſſit? Atqui cur non idem de tactu, eſu, & potu dixeris, quum eadem ſit omnium ſenſuum ratio? Sed & guſtus nullum hîc officium abs te ponitur. Nihil enim præter panem & vinum illic guſtus percipit. Quòd ſi nulla illic eſt panis neque vini ſubſtantia (vt vos quoq; contenditis) neq; corporaliter illic videtur, tanguntur, guſtantur caro & ſanguis: quænam illa eſſe diceris quæ corporaliter ibi oculus ſe videre, os percipere, lingua ſiue palatum guſtare renũtiat? Si nihil? inanis ergo chimæra fuerit totum hoc exterius miniſterium. Si ſubſtantias, nempe vel panẽ & vinum, vel ipſum corpus, & ipſum ſanguinẽ. Panem & vinũ dicere nos trãſſubſtantiatores nõ poteſtis. Carnem autem & ſanguinem ſi ponatis, ergo corporali modo illa videri, tangi, guſtari, contrà quàm modo dicebas, fatebimini. Quicquid enim illud tandem eſt quod re vera videtur, tangitur, guſtatur, neceſſe eſt corporali modo videri, tangi, guſtari, quum ſolum corpus propriè videat, tangat, guſtet. Neque vos hîc iuuat inſipidum & ridiculum illud cauillum, corpus & ſanguinem vitandi horroris cauſa, panis & vini accidentibus, putà colore, ſoliditate & ſapore quodammodo veſtiri. Quid enim eſt iſtis portentis indignius? & vt ita eſſe demus, num Cyclopes eſſe deſineremus, & illius flagitij rei quod agnoſcit Auguſtinus præcipi, ſi carnis eſus & ſanguinis potus ſimpliciter ſiue κατὰ τὸ ῥητὸν & ſine tropo intelligatur? Accidentia porro ipſa propriè non percipiũtur ſẽſibus, ſed ipſæ ſubiectæ ſubſtãtiæ, quibus illa inhærẽt, quãuis ope accidentiũ fiãt ſenſibus perceptibiles. Itaq; rurſum in has anguſtias redigeris, vt accidẽtia panis & vini fateri cogaris non propriè videri, tangi, guſtari, (quæ omnia nunquã, niſi corporeo modo peragũtur) ſed ipſam carnis & ſanguinis ſubſtantiã, accidentibus panis & vini veſtitã. Cur non verò etiam verè frãgi, dentibus atteri, conſumi, concoqui, excerni, eadẽ quoque ratione fatearis? Scio fore vt ad hæc cohorreſcas, qui tamen à muribus arrodi, putrefieri, expui à vobis, & vomi quicquid illud eſt vltrò fatemini, ideóque etiam reſorberi iubetis. Sed nos ad veſtra portenta, veſtráſq; chimæras & præſtigias multo ſanè iuſtiùs cohorreſcimus. At quàm ſimplex, pura, ſancta eſt veritas? Hæc autẽ eſt veritas, Corpori Chriſti per glorificationẽ neq; ſubſtantiã, neq; formales corporis proprietates adẽptas fuiſſe: ſed depoſita infirmitate perfectè ab inhabitante σωματικῶς deitate glorificatas: itáq; Chriſtum nunc

ſecundum hanc glorificatam carnem in cælis in quos euectus eſt, & ex quibus vltimo illo demum die venturus eſt, non autem in terris vnde diſceſſit, conſiſtere, ſuámq; in res omnes ſubiectas acceptam poteſtatem exercere: inde electos ſuos Spiritu ſuo adhibita voce Euangelij & ſacramentis efficaciter vocatos & ex infidelibus fideles factos ſibiipſi non corporeo, non terreno, nó angelico vllo modo, ſed diuina ſua virtute & modo myſtico ac nobis incomprehenſibili inſerere, nó vt vllus fiat ſubſtantiarum mutuus contactus, aut ipſe ad nos è cælis, aut nos è terris ad ipſius carnem in cælum migremus, aut reale quidpiam ſiue ex ipſius carnis ſubſtantia, ſiue ex ipſius virtute extrahatur & in nos traiiciatur (quorſum enim corporalia & terrena omnia eiuſmodi, ad ſpiritualis vitæ myſteria?) ſed hactenus vt & ipſius imputata iuſtitia iuſtificati, & virtute regenerati, tandem in ipſo glorificemur. Hæc omnis ſemper fuit Eccleſiæ Chriſtianæ fides, donec veſtris inſanis & portentoſis, imò etiam in ipſam Chriſti carnem planè impiis commentis Chriſtiana religio in aniles fabulas transformaretur. Sed agè, pergamus.

Nunquam vultis, inquis, *agnoſcere exiſtendi modum ſpiritalem in Chriſti corpore, imò ſi in Euchariſtia vel ſolos oculos lateat, iam non putatis corpus eſſe, ſed phantaſma & neſcio quid imaginarium, quòd impoſſibile ſit eandem rem corpus eſſe & aliquid ſpiritale ſiue inuiſibile, propter ſpiritalem exiſtendi rationem.* Sanè ita eſt vt dicis. Nam ſi valet Chriſti argumentũ, ſuum corpus verum eſſe, non ſpiritum, quoniam videri & tangi poſſet, verum eſt illud quoque futurũ fuiſſe ſpiritum, vel phantaſma non corpus, ſi neque aſpectabile, neque contrectabile fuiſſet. Didicimus quoque ex Auguſtino Chriſti corpus eſſe in cælo ſecundùm veri corporis non ſecundùm ſpirituum modum. Didicimus ex Vigilio & Damaſceno eandem naturam contraria non recipere, cuiuſmodi ſunt corporeus & incorporeus modus. Didicimus ex Cyrillo, ne ipſam quidem Deitatem ſi quanta, id eſt ſi corpus eſſet, effugituram circunſcriptionem: ac proinde corpori Chriſti glorificato, tribui non poſſe ſpiritalem exiſtendi modum, quin vel in ſpiritum vel in Deum reipſa transformetur. Didicimus ex Didymo, Spiritus ſancti Deitatem quæ à creatis ſpiritibus diſcernitur ex eo probari quòd ipſe quidem ſit vbique, iſti verò quamuis corporum modo non occupent locum, tamen non niſi vno loco ſemel adſint: ex quo liquet Chriſti corpus non in ſpiritum duntaxat, vt verbo dicitis, ſed in Deum quoque à vobis reipſa cum Eutychete transformari, quum id vultis vno eodémque tempore pluribus locis reipſa exiſtere, quod ne ſpiritibus quidem datum eſt: in merum phantaſma denique commutari, quum ſubſtantiæ corporeæ tribuitis incorporeum exiſtendi modum, & quod omnibus corporalis eſus officiis re ipſa editur, incorporeo tamé modo comedi vultis, id eſt nullo modo, quum incorporeus nullus ſit propriè quicquã comedendi modus: quum denique accidentia in alieno ſubiecto, ſubiectum autem ipſum non niſi in alienis accidentibus ſenſibus externis percipi contenditis.

Nunc contrà, inquis, *me reprehendis quaſi abſurdè dixerim, idem eſſe ſubſtantiale ſiue corporeum, quo ad rem, & ſpiritale quo ad modum, & iudicarim fieri non poſſe vt eadem res ſit corporea ſiue corporalis perceptio corporis, & tamen quo ad modum ſubſiſtendi & percipiendi ſit ſpiritalis ſeu incorporea, quæ certè non mea eſt, ſed veſtra ſententia, propter quam ſi ſtupere à te exiſtimer, ô beſtia, quum eam defendas pertinaciſſimè ita vt neges in Dei poteſtate eſſe corpus inconſpicuum modo ſpiritus efficere, obbrutuiſſe cenſendus es.* Dabis igitur mihi beſtiæ veniam, mi Domine vſque adeò ſpiritalis doctor vt corporis etiam ipſius Chriſti inauditam alkymiam excogitaris qua neque transformetur, neque eadem forma permaneat, mihi ignoſce, inquam, beſtiæ, ſi fortè tua iam abſtruſa iſta myſteria non ſatis capio. Mihi ſanè nunquam memini in mentem veniſſe vt te reprehenderem quaſi abſurdum iudicares aliquid eſſe natura corporeum, quod tamen incorporeo modo exiſteret: ſed contrà potiùs reprehendo quòd tam abſurda & repugnantia inter ſe conciliare ſtudeas. Hoc tamen, fateor, quod ne nunc quidem intelligere te ſimulas, reprehendi, & adhuc reprehendo, nempe quòd poſito ſpirituali perceptionis modo, putes à nobis ipſiuſmet Chriſti (hoc enim intelligimus ſubſtantiæ voce) veram communicationem tolli: ex quo ſi conſequi velis ſpiritalem ſimul & realem exiſtendi, ac etiam percipiendi modum inter ſe conſentire, facilè id conceſſero, modò & exiſtentiam, & perceptionem, & ſpiritalitatem hanc rectè definias. Nos enim neque corpori alium quàm corporeum exiſtendi modum tribuimus, neque aliam corporis Chriſti perceptionem quàm quæ fide & intellectu fiat docemus, neque ſpiritale aliud vnionis genus ſtatuimus quàm quæ Spiritus ſancti vinculo coaluerit.

Quòd autem clamitas obbrutuiſſe me qui negem in Dei eſſe poteſtate corpus inconſpicuum modo ſpiritus efficere, calumnioſè abs te quoque dicitur. An enim ita me delirare cenſes vt penes Deum eſſe negem ſubſtantias formáſque rerum omnium non modò immutare, verùm etiam tam facilè ſi libeat abolere, quàm illas initio ex nihilo cõdidit? Sed quum verorum ſpirituum & corporum ſic propriè appellatorum ſubſtantiam ſic creauerit omnipotens Deus, vt illas quidem ſola naturæ proprietate definierit, iſtos verò etiam quantitate & organicis partibus circunſcripſerit, hoc dixi & dico Deum efficere non poſſe vt quidpiam ſimul ſit in ſeſe quantum & non quantum, circunſcriptum & incircunſcriptum, viſibile & inuiſibile quoniam duo contradicentia ſimul ponere non poſſit qui mentiri non poteſt. Item quum Dei eſſentia hoc quoque differat ab omnibus ſubſtantiis creatis quòd ſola ſit infinita, ideóque ſola vbique, dico Deum efficere non poſſe vt vllius rei creatæ ſubſtantia ſit infinita, vel infinitus exiſtendi modus, quoniam talis natura creata eſſet factitius aliquis deus. Deus verò multiplicari non poteſt. Quòd ſi rurſum clamites, vt apud imperitos conſueuiſtis ſic negari à nobis Dei omnipotentiam, excipiam te rurſus apertè calumniari quoniam contradictoria ſimul ponere,

id eſt

id eſt mentiri non poſſe, non modo ooo arguit impotentiam, ſed etiam perfectiſsimam ac conſtantiſsimam potentiam demonſtrat. Audiamus tamen aliquid etiam amplius, quando ita opus eſt.

Admittis, inquis, *in Cœna realem & ſubſtantialem corporis Domini manducationem, & vix recipuis in Cœna carnem Domini realiter & ſubſtantialiter eſſe, ſiue reſidere & exiſtere ſpiritua.. quodam modo qui de reali & ſubſtantiali præſentia nihil diminuat, quod quidem non videmus refugere quum Cœnam interpretamini pro cœleſti actione & fidei negotiatione qua fit in cœlo circa corpus Domini ibi locatum. Sed ſi vt enunciatis, ita ſimpliciter crederetur in Cœna à nobis ſumi re vera & in ſubſtantia carnem & ſanguinem, etiamſi modus incorporeus eſſet & ſpiritalis, cur non eadem opera fateremini in Cœna adeſſe reipſa & in ſubſtantia carnem illam & ſanguinem, quamuis ſpiritali ſeu incorporeo modo?* Imo quod tu dicis de reali exiſtentia in Cœna Domioi quæ ſpiritalis ſit, id eſt qualis eſt ſpirituum, ſcito à nobis ineptum & prophanum delirium haberi, quocunque modo Cœnæ oomen accipias. Nec enim vni eidémque corpori poſſumus attribuere plures eóſque repugnantes exiſtendi modos, imò nullum corpus arbitramur quandiu corpus ſit, exiſtere poſſe ſpiritus modo. Cauſam rogas? quoniam nolumus tecũ inſanire. *Sed ſi creditis*, inquis, *re vera ſumi carnem in Cœna modo incorporeo, cur non etiam eandem reipſa carnem adeſſe incorporeo modo in Cœna creditis?* Sanè ſicut credimus ita etiam loquimur, cuius rei teſtem Deum appellamus viuorum & mortuorum iudicem. Quod autem de incorporeo modo garris, ſi noſtro & Chriſtiano ſenſu explicares, hoc controuerſia tibi concederemus. Quemadmodum enim ſpirituali credentium oculo præſens in cœlis Chriſtus ipſe exhibetur, ita etiam eiuſdem ſpiritus noſtri manus & os, fides videlicet, non imaginariè, ſed veriſsimè & efficaciſsimè ipſum percipiunt. Tua verò illa quid ad nos, qui ſumptionis nomine mutuum corporum & ſubſtantiarum contactum, & incorporeæ exiſtentiæ voce præſentiam intelligis in terris ſpirituum propriam? *Quæritur*, inquis, *an per ſpiritalem modum intelligatis incorporeum duntaxat qui nihil auferat de corporis ſubſtantia, an alium qui de illa plurimum detrahat.* Reſpondeo nos illum priorem modum ſpiritalem perceptionis ponere, ac proinde veſtrum illum commentitium execrari, qui non parùm aliquam ſubſtantiæ corpori Chriſti detrahat, ſed illum verè in ſpiritum transformet, quod verbo quidem facere vos negatis, re ipſa verò facitis. Quid plura?

Quum, inquis, *Caluinus aliquando videatur affirmare corpus quo ad rem capi, aliquando negare, eíque vitam & efficaciam ſubſtituere, fruſtrà me calumniaris, quaſi ambigua iſta vſurpem, Carnaliter, Corporaliter, Subſtantialiter, Naturaliter, Spiritualiter, quorum priora quatuor non ignoramus apud Patres affirmari rei deſignandæ, id eſt pro corporis & ſanguinis in Cœna præſentia & ſuſceptione, negari verò pro modo præſentiæ & ſuſceptionis, de quo ſpiritualiter affirmetur. Vos autẽ eadẽ illa quatuor non tantùm de modo, verùm etiam de re negatis.* De patrum ſententia quum voles ampliùs prolatis eorum teſtimoniis quæretur, niſi iam abundè ſatis ſit à noſtris demonſtratus noſter & illorum conſenſus. Sed & calumnia quã nobis reponis, quaſi quatuor illa & de re & de modo prorſus negemus, noua refutatione non eget. Hoc quidem agnoſcimus, libenter ab iſtis vocibus nos abſtinere, partim quòd ambiguæ ſint, partim quòd communis Latinæ linguæ vſus poſtulet vt de modo potius, ſiue, ſicut Grammatici loquuntur, de qualitate quàm de rebus ipſis demonſtrent: quo tamen poſteriore ſenſu prorſus eſſe repudiandas, tibi gratulor quòd vltrò confitearis. Verùm ſi quod loqueris hoc verè ſentis, vide quàm illa inter ſe conſentiãt, Spiritaliter, id eſt ſpirituali ſiue ſpirituum proprio modo, accipi, comedi, bibi, quod ore ipſo & corporalibus omnibus officijs accipias, comedas, bibas, quod vtrũque tamen diſertis verbis affirmas. Præterea, *Spiritaliter*, inquis, *non intra modum retinens, ſed ad rem quæ in Cœna ſuſcipitur extendis, vt idem ſit Spiritaliter quod Intellectualiter, id quod tamen interdum inficiamini, interdum palàm enunciatis.* Si te ipſo confitente Spiritaliter accipimus pro intellectualiter, ſicut Auguſtinus diſertè & verè ſcripſit cibum hunc eſſe non ventris ſed mentis, quînam illud verè dixeris à nobis ad rem ipſam extendi? an quòd dicamus idcirco nos fieri Chriſti carnis participes, vt ipſius Spiritu viuifico ſanctificemur? atqui ne tu hoc quidem negaueris, niſi fortè vel mortuam carnem à nobis accipi, vel mortalis alimenti cauſa nos ad Domini mẽſam accedere arbitraris. Neque verò tu nos vnquam competeris hanc ſententiam diſsimulaſſe, nedum vt illam ſimus inficiati. Nunquam nos, inquam, comperies illa voce aliter quàm pro Spiritali perceptionis modo vſurpaſſe, idcóque hæc duo Spiritaliter & Per fidem coniungere plerunque conſueuiſſe. Quum enim de ſignorum & rei copulatione, ſiue de corporis cum pane coexiſtentia diſſerimus, Sacramentaliter potiùs quam Spiritaliter dicere, vitandi delirii veſtri cauſa, conſueuimus. Sed agè tandem aliquid ex te grauius audiamus. Præfatus enim noſtram quæſtionem verti in eo de quo dicturus es, *Duobus modis*, inquis, *interpretatus es edi carnem Domini, vno quum per fidem coniungimur toti Chriſto Deo & homini, vt noſter fiat: altero quum noſter factus vitam & omnia dona in animas noſtras inſtillat. Vtrunque ſimul fieri & vtrunque realem ac ſubſtantialem eſſe vis, &c.* Hîc verò quid potiùs quàm illud dicã, Cantherius in limine? Nec enim duos ſpirituales cõmunicationis Chriſti modos ſtatui à nobis inuenies, quum is planè ſit vnicus, quamuis non vna ratione ſed duplici vtatur Deus in hoc myſterio, nempe interdum prædicatione ſolius Verbi, interdum additis Verbo ſignis quæ Sacramenta vocamus. Docemus, inquam, ſpiritalem percipiendi Chriſti modum vnicum & ſingularem, nempe qui fidei inſtrumento fiat per Spiritum ſanctum efficaciſsimo. Huius autem perceptionis obiectum, ſeu mauis materiẽ, ad quam fertur, eſſe dicimus ipſummet Chriſtũ, effectũ verò duplex, nempe noſtram cum ipſo Chriſto ſpiritalem coniunctionem, & ipſius in nobis iuſtificandis ac ſanctificandis energiam. Hæc porrò ſi quis cum tuis commentis comparet, quantum à tuis abſint noſtra facilè cognoſcet. Audiamus tamen aliquid amplius. Quatuor dicis à me requiri ad meum ſtabiliendum commentum, nempe vt in totius Chriſti Dei & hominis veluti poſſeſſionem mitta-

tur, quod non ore corporis ſed ſolo animo fiat vera fide prædito, excluſa omni ſubſtantiarum ipſarum reali præſentia tum connexione mutuóque contactu, ídque in eum demum finem, vt quemadmodum corpus cum ſuo capite cohærens ex ciborum naturali modo perceptorum ſucco nutritur, ſic etiam ex Chriſto nobis vnito Spiritum ſanctificationis vitæque æternæ haurimus. Et ſanè hæc quatuor agnoſco ſic à me deſcribi, non vt commentum aliquod exornem veritatis ſpecie, ſed quoniam ita ſe res habet. Tu contrà primùm omnium iubes proferri Verbum Dei de Cœna ſcriptum, quo iſta omnia vel ſaltem nonnulla contineantur. Atqui quod ad primum iſtorum attinet, ne tu quidem illud auſis inficiari, oportere nos totius Chriſti fieri participes: & Spiritum ſanctum vitámque æternam ſic nobis tribui ſi negabis, dignus es quîcum de religione Chriſtiana nunquam diſputetur, quoniam alioqui extrà Chriſtum ſalus eſſet. Superſunt igitur duo probâda, nempe quod de fide ſiue intellectuali perceptione affirmaui, ſublata ipſarum ſubſtantiarum tum præſentia, tum connexione. Dicit Apoſtolus hæc myſteria eſſe communicationem corporis & ſanguinis Domini, ergo & totius Chriſti, non modò quoniam caro hæc nuſquam eſt à Deitate ſeiuncta, verùm etiam quoniam alioqui viuifica non eſſet, ſicut etiam nuda Deitas nos non ſeruaret, ſed iudicaret. Idcirco verò nos Chriſti carne veſci vt ſit nobis vita, clamat ipſe Filius Dei apud Iohannem ſingulis penè côcionibus. Sine fide, inquit Paulus, non poſſumus Deo placere, multo minus igitur Chriſto fieri concorpores: & quoſnam dixeris Chriſti membra, niſi qui vera fide ſunt illi inſiti? Myſterium magnum hoc eſſe clamat Apoſtolus, quo videlicet Eccleſia fit caro ex carne Chriſti, & os ex oſſibus eius, quod ſolis fidelibus conuenire, ac proinde nomen Eccleſiæ ad ſolus vera fide præditos illic reſtringi oportere, vel ex hoc liquet quòd alibi dicit Apoſtolus, non poſſe nos ſimul eſſe Chriſti & meretricis, multo minùs verò ipſius Satanæ, membra, cuiuſmodi eſſe quicunque extra Chriſtum ſunt, vel ex veſtris illis exorciſmis colligi poteſt, quibus in Baptiſmi formula vti vel abuti potiùs conſueuiſtis. At enim (fortaſſis inquies) non ſimpliciter quæritur an fide ſit opus ad efficacem & ſalutarem carnis Domini perceptionem, ſed an id animo dûtaxat eóque fide prædito, an verò etiam corpore & ore ipſo fiat. Hoc tu affirmas, ego nego, & tanquam falſum, & impium oppugno. Vtri verò probationis onus incumbit? Agè tamen meæ ſint iſtæ partes. Dico quot teſtimoniis confirmatur corporis Chriſti veritas & abſentia à nobis ſecundum carnem, tot argumentis illa veſtra commenta de ipſius carnis in terris præſentia & mutua iſta concorporatione reali, redargui. Scio quid opponere côſueueritis. Sed nos quidê veſtris nihilo ſanè magis quàm vos noſtris, commouemur. Quod autem addis me *vſque adeò impudenter mentiri de totius veteris Eccleſia conſenſu* (quæ tua eſt monaſtica vrbanitas) *vt illud ipſum quod aſſero, conſtet à veteri Eccleſia contra Arrianos exploſum & damnatum*, expendamus ſi tuæ Reuerêtiæ ſeu Paternitati placet, quàm pudenter ſcribas. *Catholici*, inquis, *citabât illud Iohannis, Ego & Pater vnum ſumus, vt demonſtrarent eſſentia diuina in Patre & Filio vnitatem. Arriani verò inſtabât iſta neceſſariò non dici de eſſentia vnitate, quum alij ſint intellectuales modi coniunctionum, inter quas etiam aiebant nos vniri Chriſto ſpiritali nexu per fidem, non tamen per ſubſtantiarum aliquam realem connexionem. Catholici verò contra illos (qua itidê contra te faciunt, Beza) multa probant: in primis varia eſſe & diſtincta coadunationum vincula, nimirum ſpiritalia per fidem, charitatem, voluntatem conſenſionem, & realia per naturarum applicationem aut vnitatem.* Ego verò non ignoro Arrianos ad voluntatis ac conſenſus vnionem traxiſſe quæ pro Patris & Filij ſecundum eſſentiam vnitate ab Orthodoxis citantur. Sed quid hoc ad nos, qui vobis non tantùm ſtertentibus verùm etiam partim nihil iſta curantibus, partim labores noſtros irridentibus pro ſacræ triadis myſteriis contra Seruetum, Tritheitas, nouóſque Samoſateni, Macedonij, Neſtorij, & Eutychis diſcipulos nunc quoque decertamus? Quæ tu verò commemoras de ſpiritali per fidem cum Chriſto nexu abſque ſubſtantiarum aliqua reali connexione, penitus peruertis, neque in nos meritò contorques, ſicut ex controuerſiæ ſtatu liquet.

Ex his Chriſti verbis, Ego ſum vitis, vos autê palmites, Pater verò meus agricola eſt, colligebât Arriani Filium eſſe diuerſæ à Patre eſſentiæ, ſicut eſſentiæ natura inter ſe diſſident agricola & vitis. Aiebant iidem ſolius Deitatis ratione Chriſtum viti, nos verò palmitibus conferri. *Quoniam*, inquiebant, *corpora noſtra non dependent à carne Chriſti vt palmites à vite, nec ſanctorum fructus corporeus eſt ſed ſpiritalis. Deitas ergo Filij, vitis eſt vnde per fidem pendemus.* Reſpondet Cyrillus in primis ad vtrunque argumentum, Chriſtum illic non de ſua Patriſve eſſentia ſeu eâdem ſeu diuerſa diſputare, ſed illa duntaxat ſimilitudine ſignificaſſe quemadmodum ramis arborum à radice qualitas nutrimentúmque præbentur, ſic ſpiritalium fructuum virtutem à ſe nobis concedi. Deinde oſtendit ex vitis & agricolæ diſtinctione non ſignificari naturæ diuerſitatem, ſed vnius Deitatis, id eſt Patris, Filij, & Spiritus ſancti opus commune ſic diſtingui, vt Pater quidem intelligatur nos ad pietatem & fidem per Filium in Spiritu nutrire, ſed tamen neque in alimento quod à vite dicitur ſuggeri, neque in cultura quam dicitur Pater præſtare, vel Pater à Filio vel vterque à Spiritu ſeparetur. Poſtremò contendit nos quidem non fide duntaxat & charitate ſpiritaliter, id eſt animo tenus, verùm etiam carne noſtra cum illo cohærere, vt qui non tantùm ſiamus vnus ſpiritus, ſed etiam vnum corpus cum illo & in illo: ac proinde ipſum viciſſim nobiſcum non tantùm ſpiritualiter, id eſt Deitatis ratione, verùm etiam corporaliter, ſubſtantialiter, ſiue, vt loquitur Hilarius, naturaliter, id eſt ſecundum veram illam carnem ſuam nobiſcum coniungi, vt hoc vincul[illegible] ſit inter nos, & nos cum illo, adeóque per illum verum Deum & hominem, cum Deo ipſo vnum ſiamus, tum pietatis conſenſu, tum ſanctæ carnis Chriſti communione, tum vnius ſancti Spiritus participatione. Hæc verò quis vnquam noſtrûm negauit? Quis expreſſiùs quàm nos vrgere ſolet, nos oportere Chriſto ipſi imprimis vniri tum Deo tum homini, vt vitam illam tum ſpiritualem

tum

tum æternam inde hauriamus? imò qua potiſſimùm ratione negamus Chriſtum ab indignis participari, niſi hac ipſa quòd carnis & Spiritus communicatio nunquam ſeparentur? & quanuis iſtius noſtræ cum toto Chriſto *κοινωνίας* inſtrumentum eſſe dicamus non corpus, ſed animum vera fide præditum, quis tamen inde meritò collegerit, vel vnicum Chriſti Spiritum ſic à nobis apprehendi, vel huius communicationis beneficium ſic eſſe animi noſtri proprium, vt ad corpus etiam noſtrũ non pertineat? cuius enim niſi totius nobiſcum cõiuncti Chriſti vi corpora etiam noſtra tum iam fiunt Dei templum, tum etiam vltimo illo die reſurgent æternùm victura? At enim, inquis, vultis nos ſpiritualiter tantùm cum Chriſto fide copulari, quod dogma vt Arrianum, refellit Cyrillus. Nempe hoc illud eſt in quo teipſum maximè prodis. Quum enim hæc duo SPIRITVALITER & CORPORALITER apud Cyrillum in hac aduerſus Arrianos diſputatione, ab Arrianis quidem inter ſe opponantur, ab ipſo Cyrillo verò vt conſentanea inter ſe componantur, neceſſe eſt vt vtrinque ad eandem (ſicut alibi loquitur Cyrillus) categoriam referantur, ac proinde non ad modum communicationis (quæ categoria qualitatis eſt) ſed ad rem ipſam quæ communicatur, id eſt ad categoriam ſubſtantiæ referantur, vt & nos facimus. Itaque quod ad Arrianos attinet, fide & SPIRITVALITER Chriſto vniri idem valebat quod Spiritu & animo noſtro cum ipſo cohærere: Chriſti verò reſpectu, declarabat Spiritu ſiue Deitate credentibus adiungi. At neutrum iſtorum Cyrillo & nobis ſatisfacit, quoniam nos totos cum toto Chriſto, & viciſſim illum totum nobiſcum totis copulari oportere dicimus, vt ſimus & vnum corpus myſticum, & vnus ſpiritus cum illo, & inter nos quoque per illum & in illo: quo ſenſu rectè tuetur Cyrillus & illum nobiſcum & nos cum illo, corporaliter quoque & ſubſtantialiter & naturaliter, & ſecũdum ipſam carnem vniri, à quibus tamẽ aduerbiis propter amphibolism à vobis Metuſiaſtis & à Synuſiaſtis inuectam libenter abſtineo. Tu verò iſta quidem poſteriora ad rem ipſam quæ communicatur, illud verò Spiritualiter ad communicationis modum referens, quaſi alius quiſpiam modus à Cyrillo ſtatuatur carnis Chriſti participandæ, quàm qui animi fideíque inſtrumento ac proinde ſpiritualiter fiat, & Cyrillo iniuriam facis, & apertè in nos Sophiſtã agis. Imò fortaſſe tibi plus tribuo quàm par ſit, quum dico priora illa abs te ad rem ipſam referri. Nam niſi tibi ſatisfacit ſpiritualis ille modus (vti ſanè non ſatisfacit quum præterea corporalem requiras) neceſſe eſt etiã à te CORPORALITER accipi pro CORPORALI MODO. Itaque manifeſtè à teipſo diſſentis qui paulò antè disertè ſcripſeris *illa quatuor, nempe CARNALITER, CORPORALITER, SVBSTANTIALITER, NATVRALITER, à Patribus pro modo præſentiæ & ſuſceptionis negari*. Quo loco ſi dicere voluiſti SPIRITVALITER à Patribus nõ affirmari niſi pro modo præſentiæ & ſuſceptionis, planè hallucinatus es, quũ manifeſtè de reipſa, id eſt & de Chriſti Deitate & de animo fideque noſtra apud Cyrillum in hac diſputatione dicatur: quod vel non animaduertiſti, vel diſſimulaſti. Sic autem explicandum eſſe Cyrillum diſcere te oportuit ſaltẽ ex ipſo controuerſiæ ſtatu. Nec enim quæſtio cum Arrianis erat ſuſcepta, num ſpirituali modo duntaxat Chriſto inſereremur, ſed ſoli illuc, vt ipſi volebant Deitatis reſpectu & animis noſtris duntaxat, an verò etiam carne tum ipſius tum noſtra ille quidem vitis, nos autem palmites eſſemus. Cyrillum autem & orthodoxos Patres omnes noſtræ myſticæ iſtius cum toto ipſo Chriſto *κοινωνίας* nullum alium quod ad nos attinet quàm ſpiritualem modum per fidem agnouiſſe tanto magis cõperies, quanto diligentiùs eorum libros euolues. Idque ita eſſe vel ex eo manifeſtè patet quod idẽ Cyrillus eo ipſo quod citas capite 26, lib. in Iohãnem 11, Chriſti veſtigia ſequutus, ſcribat nos vna eadémque prorſus ratione & cum illo & inter nos, vnum fieri corpus. & rectè quidẽ quum nõ niſi corporis Chriſti participatione, ac prorſus non alia ratione fiamus inter nos vnum corpus, quàm quòd omnes idem illud vnicum & indiuiſibile corpus participemus. *Atqui ſic corporali vnione inter nos cõiungimur* (quæ ſunt ipſius Cyrilli verba) *vt tamen vnuſquiſq; ſeorſum ſubſiſtat & circumſcribatur. Nam etiã ſi Petrus & Paulus vnũ ſint vnitate cũ Chriſto, Petrus tamen Paulus non eſt*. Ergo (teſte Cyrillo) ſic etiam vnũ ſumus cum Chriſto, vt tamen Chriſtus ſeorſim ſubſiſtat. Et quemadmodũ locorum interuallũ quantumuis longinquũ nihil impedit quominus tamen vnũ corpus verè ſimus inter nos: ita etiã ſi caro Chriſti nunc ſit in cælis, & nuſquã alibi, nos verò in terris peregre ab illo abſimus, tamen nihil obſtat quominus verè totus ille nobiſcũ totis ſit copulatus. Hæc autẽ quum nullum habere locũ poſſint in eo cõiunctionis modo in quo ſeſe mutuò corpora eodem loco ſita contingunt, relinquitur veriſſimam quidẽ & *[illegible]*, ſed ſpiritualẽ eſſe ac planè myſticam rationem iſtius myſterij, quod meritò magnum eſſe magnus ille Apoſtolus exclamat. Cyrillũ verò & reliquos orthodoxos Patres antequã iſtæ Cyclopicæ cogitationes in Eccleſia reciperentur, nõn aliter quàm ſpirituali modo per fidem ſenſiſſe nos fieri Chriſti mẽbra, etiam ſecundum carnẽ, & in ſimplici verbo, & tum in Baptiſmo tum in Cœna Domini abundè à doctiſſimo & optimo viro D. Chriſtiano Heſſiandro demõſtratum eſt, edito hac ipſa de re tractatu, quem inſpice ſi voles. Nec ignoro tamen fore vt probandę iſti tuæ reali ſubſtantiarũ applicationi adhibeas cõmiſcendi verbũ & ceræ liquefactæ ſimilitudinẽ qua non ſemel vtitur Cyrillus, itémque illud Chryſoſtomi repetitum, *Non fide tantùm ſed reipſa nos ſuum corpus efficit*, quod tamẽ niſi de ſpirituali modo cõiunctionis intelligas, quis tandẽ erit iſtorũ portentorum finis? Sit igitur potiùs illius interpres Cyprianus, quanuis illo anterior, disertè ſcribens *non corporali ſed ſpirituali tranſitione Chriſto nos vniri & corpus ipſius effici*. Vrgebis nimirũ etiam illa eiuſdẽ, *præbens ſe palpandum, & comedendum, & carni dentes infigere, & complecti*. Item, *Sub manibus ad tempus detinetur*. Et illud, *Vaſa non ſunt qui inſit participant, nec ſentiunt, vos autem certè*. Sed hæc non aliò pertinere quàm ad declarandam ſacramentalis tum præſentiæ tum perceptionis veritatem & efficaciam, niſi tute fatearis, certè tam videt etiam

ipſummet à nobis corpus oculis & dētibus reipſa transfigi, adeóq; ipſius ſubſtantia corporali cōcoctione nutriri nos dicas neceſſe eſt, quàm ipſis manibus teneri, tangi, palpari, & ore ipſo accipi & comedi. Nam hæc quoque ſunt Chryſoſtomi, *Ipſum vides, & videndum ſe præbet, &c. Ea te alimus quam videntes angeli tremunt.* Sed ſit ipſe potiùs ſuarum hyperbolarum interpres, ſic loquens, *Intellectualibus ipſum oculis intueamur. Nihil enim ſenſibile nobis Chriſtus tradidit, ſed per res ſenſibiles, omnia intelligibilia.* En, quo iure me de veteris Eccleſiæ conſenſu mentiri dicis. En qua fide iactare veterum orthodoxorum Patrum auctoritatem conſueuiſtis. Nec te verò potiùs pœnitet dogma iſtud tueri, adeſſe Chriſti corpus & ſumi in Cœna ſpiritualiter, id eſt modo exiſtendi ſpiritibus naturali? Hoc enim dico, affirmo, vociferor, nunquam inuenturum te quenquam veteris Eccleſiæ ſcriptorem, præter vnicum fortaſſe Martionem & ſiqui in eodem errore verſati ſunt, qui tam falſum, tam abſurdum, tam impium quicquā denique de Chriſti corporis in Cœna Domini præſentia ſenſerit. Imò hoc aio & affirmo, neminem inuenturum eſſe te neque Græcum neque Latinum receptæ ante tranſſubſtantiatorias imaginationes auctoritatis, qui non apertè ſenſerit, docuerit, ſcripſerit, Chriſtum à nobis ſecundum carnem verè nunc abeſſe, & ad vltimum vſque diem abfuturum, & ita quidem vt nuſquam Cœnam Domini excipiendam eſſe vel leuiſſimè quiſpiam illorum ſignificarit: nedum vt de veſtra iſta reali, (quæ re quidem ſit corporalis, modo verò exiſtendi ſpiritualis, id eſt qualis ſpirituum eſt) præſentia aut perceptione, cæteriſque eiuſmodi commentis vnquam cogitarit.

Dicere conſueuiſtis ſublato illo reali ſitu carnis Chriſti in terris, quem conſequatur etiam illa quæ ore ipſo fiat perceptio, merè imaginarium eſſe quicquid de vera ipſiuſmet totius Chriſti cōmunicatione docemus. Nos verò excipimus, eas demum cogitationes meritò dici vanas quaſdam imaginationes quæ ad aliquid quod ſit prorſus commētitium referuntur, vt ſi quis Chimæras, aut Hippocentauros animo concipiat. Requiritis fortaſſe commodius exemplum. Sumamus igitur potiùs pro exemplo illud ipſum corpus quod tu Chriſto affingis, quod ſcilicet verum ſit corpus, & tamē adſit vt ſpiritus adſunt, imò nō tantùm vt ſpiritus, vt qui ſemel vno tātùm loco adeſſe poſſunt, ſed etiā vt Deus, quoniā totum innumerabilibus ſimul locis adſit. Hoc idolum quo ne ipſum quidem NIHILVM eſſe poteſt inanius, quum tu cogitatione tam plena complecti te ſomnias vt etiam os ipſum vero illius eſu re ipſa paſci contendas, nullas voces ſatis idoneas inueniri poſſe dico quibus iſta inaniſſimi tui figmenti vanitas explicetur. Contrà verò quum minimè ſit imaginarium, ſed quanuis ſummè glorificatum, verum tamen, & ſuis omnibus organicis partibus circunſcriptum corpus Chriſti quod in cælis reipſa poſitum, verbo tamen omnipotentis Dei freta fides ſpirituali modo complexa credenti copulat, cur id fictitium vel imaginarium ac non potiùs reale & ſubſtantiale dicas? *Quoniam,* inquis, *hoc modo omnis ſpeculatio de Chriſto fuerit realis, hîc autem agitur de perceptione, quæ vt verè ſit realis ac ſubſtantialis, non oportet duntaxat illam talem eſſe obiecto tenus, ſed ſubſtantiam ipſam realiter & actualiter à percipiente ſumi.* Reſpondeo manere tamē illud quod dixi, nempe nobis iniuriam à vobis fieri quum clamitatis verè phantaſticum eſſe quod de Cœna Domini docemus, quum fateri ſaltem cogamini corpus Chriſti quod dicimus eſſe rem Sacramēti, à nobis in ſpectrum aliquod minimè transformari. Appoſitè igitur reſpondimus. At non ſufficit vobis hoc reſponſum. Neque nos verò illud protulimus, ac ſi plenè toti huic explicando myſterio ſufficeret. Videamus tamen quid præterea requiras. Sic, inquis, omnis de Chriſto ſpeculatio, fuerit realis. Sanè fuerit, modò in verū Chriſtū feratur qualis eſt nobis in Scripturis patefactus. Sed hîc, inquis, agitur præterea de eius rei quam animo cōſideres perceptione. Cōcedo. Ergo, inquis, requiritur vt non tantùm reale ſit obiectum quò fertur animus, ſed etiam vt ſubſtantia actualiter ſumatur. Concedo & illud. Sed nego ſubſtantiam nunquam actualiter percipi, niſi quum corpore ſumitur, ita vt ſubſtantia alteri ſubſtātiæ mutuo cōtactu adhæreat. Sicut enim intellectus aliud eſt organon quàm corpus, ita etiam in ſubſtantiis rerum apprehēdendis aliter ille quàm iſtud agit. Eſt igitur quædam perceptio intellectualis, quædam corporalis. In illa quînā requireretur contactus, quum etiam ſi ſubſtantia quæ conſideratur adſit, tamen contingere intellectum incorporeum nō poſſit? Quid quòd ne in ſenſibus quidem corporis omnibus requiritur ille quem vrges contactus? poſſumus enim res etiam procul diſſitas videre, olfacere, ac nonnullas etiam guſtare, & ipſas ſubſtantias rerum ſi oculis admoueris, earum perceptionem impedieris. Quod ſi excipias me ſophiſtā agere in Percipiēdi verbo, quod videlicet quum de intellectu dicitur nihil aliud quàm cognoſcere quidpiam ſignificat, quum hîc agatur de mutua ac reali rerum ipſarum copulatione, poſſem quidem quod veriſſimum eſt reſpondere, nempe quanuis ſubſtantiæ ne in ipſum quidem cerebrum nedum in intellectum immigrent, tamen vſque adeò non eſſe nudam rerum quæ animus cōtemplatur cognitionem, vt etiam earum formæ & characteres vix multis pòſt annis euelli vlla obliuione poſſint, ex quo efficitur intellectum res intellectas ſuo quodam modo eóque longè efficaciſſimo ſibi applicare: ſed abſit vt iſtud cæleſte myſterium coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ quod meritò magnū eſſe clamat Apoſtolus, quo ſimus videlicet caro ex carne eius, & os ex oſſibus eius, ex vnius naturæ quantumuis excellentis viribus metiamur. Intellectus ergo ſiue à ſimplici Verbo, ſiue à Verbo & Sacramentis commotus, fidei oculo non modò intuetur quod illi obiicitur, ſed etiam ea conditione qua quidpiam ipſi obiicitur. Itaque ſi quid ei duntaxat cognoſcendum offertur, cognitione & aſſenſu contentus eſt, vt quum à Deo conditum eſſe mundum, & hiſtorica omnia ex ſacris literis cognoſcit. Sin verò ſic res illi cognoſcenda & credēda offeratur, vt etiam addatur rei cognitæ & creditæ donatio, cuiuſmodi eſt Chriſti tum in verbo ſimplici, tum in Sacramentis præ-

dicatio,

dicsſio, tũ verò intellectus non tantùm cognoſcit, non tantùm credit, verùm etiã id quod donatur prout donatur ſuum facit, veréque ſibi applicat. Itaq; ipſum Chriſtũ ſemetipſum credenti offerẽtem amplectitur per fidem animus. At cur non etiã corpus Chriſtũ apprehendit? quia non ventris ſed mẽtis eſt hic cibus, ait Auguſtinus, ideóque nõ ori ſed fidei offertur. Quorſum autem offertur? non vt corpus corpori agglutinetur, ſed vt omnipotenti & ineffabili Spiritus virtute nos ſpiritualiter per fidẽ ipſi adiuncti ſpirituales æternæq; vitæ ſuccum ex ipſo hauriamus. Nec enim vt ipſe Hilarius Arrianis concedit, *vel refundi homines in Deum poſſunt, vel ipſi inter ſe in vnum aceruum coire,* &, vt rectè ſcribit Cyprianus, *Non corporali ſed ſpirituali vnione Chriſto vnimur, & corpus ipſius efficimur.* Verè igitur ac reipſa nõ modò cognoſcit, verùm etiã credendo ſibi ipſummet Chriſtũ totum applicat credentis animus, ſed ſpirituali & ineffabili myſterio. Diuinè enim prorſus Auguſtinus de hac ipſa vnione diſſerẽs, *Quemadmodũ*, inquit, *Chriſtus in nobis hic, ſic nos ibi in illo ſumus.* Nũ verò vel ſubſtantiarũ cõtactu vel modo exiſtẽdi ſpirituali in cælis ſumus. Sed audi etiã ex eodẽ aliquid amplius. *Chriſtus caput noſtrum ſurſum eſt, & nos deorſum.* Vbi igitur ille realis & actualis ſubſtantiarũ eodẽ in loco præſentia & perceptio? Quid amplius? *Et tamen ille nobiſcum hic eſt, & nos ſurſum in illo ſumus. Eſt autem ille in nobis hic quando ipſius templum ſumus* (nũ mutuo contactu? minimè profectò. Eſſet enim & ille deorſum) *& nos in illo, quando ipſius membra efficimur, & hoc modo palmites dicuntur eſſe in vite.* Ergo & ſecundũ carnem benedictionis myſticæ virtute, vt ex Cyrillo oſtẽdimus. Num verò mutuo corporũ actuali cõtactu? minimè. Eſſemus enim & nos iam reipſa ſurſum. Apage ergo tuos iſtos ſubſtantiarum contactus, at potiùs, vt rectè monet Hilarius, ſecundum Deum ſapiẽtes, in iis qui per fidem vnum ſunt, vnum eundémque Chriſtum amplexi, naturalem quoque vnitatem agnoſcamus.

Vſus ſum, Dauidis veſtigia perſecutus, ſimilitudine quadã à fundis ſiue prædiis ſumpta, vt duo demonſtrarem, Vnum, poſſe res à nobis quantumuis remotas verè poſſideri de quibus inter contrahentes conuenerit. alterum, ſic viuere nos ex fundi fructibus, vt ipſam eius terream ſubſtãtiam minimè voremus: Sic ergo Chriſti quoque corpus, licet in cælis permanens, à nobis in terra poſitis, ex Patris ipſiúſque Chriſti pacto nobiſcum inito poſſideri, vt ex eo æternæ vitæ ſuccũ hauriamus. At tu negas, *fundum actu & reipſa poſſideri, ſed ciuiliter ſiue imaginariè duntaxat, niſi pedum poſitio acceptáue gleba interuenerit; aut ſaltem niſi iniecti ſint oculi.* Egregiè profectò. quaſi ſcilicet huiuſmodi ritibus dominium tradatur, ac non potiùs ex pacto & voluntate contrahentium traditum ſignificetur. Huiuſmodi etiam eſt in ſacro miniſterio ceremonia impoſitionis manuum, quæ certè miniſtrum non facit, vt vos admodum inſcienter vrgere conſueuiſtis, ſed iam factum eſſe Eccleſiæ teſtificatur. Verùm vt hoc paucis tranſigamus, num ita es imperitus, vt nõ animaduertas in iſta de qua nunc à nobis quæritur actione, ad ſolennẽ vtrinque factam ſtipulationem accedere traditi panis & poculi eſum & potum, quouis pedum poſitione, vel glebæ prehenſione, vel oculorum coniectione ſignificantiorem? Quòd ſi ritibus illis rerum dominia reipſa adipiſcimur, ex legum humanarum inſtitutione: non multò magis in ipſius Chriſti poſſeſſionem reipſa mitti, ſolenni illa ſacrorum ſymbolorum receptione dicemus? Sed fortaſſe magis appoſitum eſt quod aliquanto poſt excipis, nempe *non tantum poſſideri ſed etiam percipi Chriſtum à nobis oportere.* Imò cur non expreſſiore verbo vtens, inſeri nos etiam illi, vniri, & concorporari nos oportere dixiſti? Vtitur enim his etiã vocibus Scriptura, & abſit vt iſtorum quicquã inficiemur, ſi modo ſpiritualẽ eſſe iſtius perceptionis, vnitionis, & incorporationis modum agnoſcas. Sed (quod antea toties inculcaui) quũ de ſubſtantiæ & mentis per fidem coniunctione ſpirituali perinde ſtatuis ac ſi corpora corporibus applicarentur, quid aliud quàm craſſiſſimam imperitiã prodis? Imò etiam vide quàm omnia peruertas. Quòd enim ſimus vnũ corpus cum Chriſto, nõ niſi mentis interuẽtu fit, quæ propterea quòd eſt corpori noſtro vnita, idcirco beneficiũ ſuæ cum Chriſto vnionis ad corpus etiã noſtrũ tranſmittit. At tu vis è contrario idcirco frui mentem noſtram Chriſto quòd corpus Chriſti noſtro corpori ſit applicatum, quod quidem commentum ineptius eſt quàm vt refutatione indigeat.

Tua verò de iure ciuili diſputatio adeò ridicula eſt vt facilè non alium quàm Balduinum illum Ecebolium iſtius reſponſi auctorem arguat. Nam vide in quàm paucis verbis quàm multa peccata. Poſſeſſionem aliam ciuilem, aliam naturalẽ facis, & rectè facis. Sed in eo peccas primùm quòd Ciuilem interpretaris imaginariam & fictitiam, quæ verba nunquam in Iuriſconſultorum ſcholis audita ſunt. Nam quum adoleſcens Aureliæ Iuriſconſultis operam darẽ, didici quod Papinianus ait, poſſeſſionem Ciuilem plurimum facti habere, & hôc à naturali diſtare quòd duo requirat, nẽpe cauſam acquirendi dominij iuſtam ac legitimam, & animum atque affectum pro Domino tenendi: Naturalis verò ſolum factum ac detentionem. Denique Ciuilis iure Domini, animo Domini, cogitatione Domini, propoſito, voluntate, opinione Domini conſiſtit: naturalis verò animo ſibi habendi, ſed non animo Domini. Nam creditor pignus, vir rem ſibi ab vxore donatam, violentus denique poſſeſſor & clandeſtinus naturaliter & animo ſibi habendi poſſident, reíque incubant, ſed non opinione & affectu Domini. Itaque Auguſtinus in Serm. de vita clericorum, quod videtur, inquit, poſſidere, ſicut Iuriſc. loquuntur, iure non corpore, quod ex proprietario, & fructuario planiſſimè intelligitur.

Alterum præceptoris tui vitium in eo eſt quòd vtranque illam poſſeſſionis ſpeciem dicat, quãuis circa rem & ſubſtantiam fundi verſentur, tamen non eſſe realem & ſubſtantialẽ. Omitto quòd Subſtantialis poſſeſſionis nomen nunquam ante hoc tempus ne fando quidem auditum eſt. Cui verò vnquam dubiũ fuit quin Ciuilis poſſeſſio quæ toties non niſi corpore & animo acquiri poſſe dicitur, veriſſimè realis appellanda ſit?

Tertium peccatum eſt quòd ſcribis Ciuilem poſſeſſionem non dici quum in rem præſentem venitur : vt omittam quod de accipienda gleba ridiculè adſcripſiſti, & Domino actualiter fundum vindicari, pro, Dominium acquiri.

De quarto verò illo abſurdo & puerili tuo vel præceptoris tui peccato quid dicemus? *Neque perſuadebis*, inquis, *Iuriſconſultis corpus vllũ apprehendi realiter & actualiter per ſolã intelligentiã & cogitationẽ.* Imo verò an neſcis nouo Iuſtiniani iure, in donatione (quo in genere Cœnã Domini cã numerari conſtat) non amplius traditionem aut mancipationem illam veterem requiri: ſed eam pacto nudo, id eſt ſola conuentione & concurſu voluntatum dantis & accipientis perfici?

Ad alteram ſimilitudinem accedo, à coniugio ſumptam, quam & ipſam ex Prophetis & Apoſtolo repetii, vt oſtenderem ad illud ſpirituale noſtrum cum Chriſto ineundũ coniugium actualẽ illam corporum coadunationem minimè requiri, ſiquidem inter abſentes quoque verum ratumque matrimonium initur. *At non tamen*, inquis, *plenum ac reipſa conſummatum illud dicitur, niſi ad cõſenſum animorum præterea ipſarum ſubſtantiarum copula actualis acceſſerit.* Concedo ſanè, quoniam corporale eſt iſtud coniugium. At noſtrum iſtud ſpirituale eſt, non quaſi vtrinque ſpiritus duntaxat iungantur, (fatemur enim totum Chriſtum nobis vniri) ſed quoniam myſtica & ſpiritualis eſt prorſus ipſius ratio, vt & ſpirituale effectum. Quemadmodum igitur ad corporale plenum coniugium requiritur non modo conſenſus animorum, verùm etiam realis illa & actualis corporum copulatio, ita etiam fateor ad ſpirituale noſtrum cum Chriſto coniugium non modò intentionẽ ſiue expreſſam ſiue tacitam ſeſe coniungendi, ſed ipſam minimè vanam aut imaginariam, ſed veriſsimam &, reipſa factam totius Chriſti cum animis noſtris cõiunctionem requiri, ſed cuius merè ſpiritualis ſit modus ac proinde in qua minimè hoc requiratur, vt quo loco vnus eſt alter nã ſiſtatur, vel vt Chriſti corpus nobiſcum, ſiue corporum ſiue ſpirituum (vt tu ſomnias) modo illo denique applicetur, ſi Applicandi verbo ſignificas ipſarum ſubſtantiarum cõtactum, quod Capernaiticum, vel potiùs Cyclopicum figmentum vobis vltro relinquimus. Verum autem & ſpiritualiter actuale coniugium hoc eſſe, ex ſpiritualibus tum animi tum corporis noſtri fructibus liquet, ab Apoſtolo commemoratis ſeptimo ad Romanos capite quos veluti liberos ex Chriſto ſponſo fidelis quiſque veluti conceptos parit.

Iſta verò altera duplex calumnia cuiuſmodi tandem eſt, quam vt in nos emitteres, ex ipſa etiã via longiùs expatiari voluiſti? *Quum*, inquis, *iudicia exercetis de diuortiis propter religionis cauſam, aut diuturniorem alterius ex coniugatis abſentiam, tum omne ius ac vinculũ matrimonij in reali commixtione collocatis, quod nullum eſſe, ſi deſtiterit carnalis copula, pronuntiatis.* Imò verò tu, tuo more facis, quum iſta comminiſceris. Nec enim matrimonia propter religionis diuerſitatem dirimenda, veſtro more, cenſemus, vt liceat fideli ab infideli diſcedere nedum vt inter fidelem vnum & infidelem alterum matrimonium nullum conſtare cẽſeamus. ſed hoc dicimus ex Apoſtolo, ſi diſceſſerit infidelis, fratrem vel ſororem, ſi continentię donum non habuerint, non amplius illo vinculo teneri, quod infidelis ſuo vnius magno malo abruperit. Ex diuturniore verò abſentia quum is qui abeſt, probabiliter mortuus cenſetur, cuius eſt pudoris dicere audere nullum fuiſſe matrimonium à nobis pronuntiari? Num enim, obſecro, fieri poteſt, vt qui coniugii vinculum per mortẽ ex diuturniore abſentia probabiliter præſumptam diremptũ videri ex iuſtarum legum præſcripto pronuntiat, quod veſtri etiam officiales faciunt, nullum antea fuiſſe coniugium iſtiuſmodi ſtatuat? Sed agè tandem te audiamus certa quadam ſerie noſtras exceptiones diluentem.

Sic collegeras aduerſus Caluinum vt eum à ſeipſo diſſentire, ideſt, ſubſtãtiæ perceptionem modò ponere modò tollere demonſtrares. Dicit Caluinus tam verè carnis eſum & ſanguinis potum quæ ſignis Cœnæ ſignificentur in Cœna præſtari quàm verè ſigna ſumuntur. Atqui realiter ſumuntur ſigna. Ergo & illa quæ ſignificantur. *Ad hoc*, inquis, *ſic reſpondet Beza vt dicat participationem tranſlatitiam ſic ſignificari, quæ quum non declaratur, ſic fiet vt eam alij ad veram rapiant, alij ad ſpiritualem, alij ad metonymicam, alij ad metaphoricã, alij quò tempeſtas ingenij abripuerit.* Imò verò, rurſum mecum agis tua fide. Non dixi tranſlatitiam eſſe hanc participationem, quod monſtrum tute tibi debellandum commentus es. Sed hoc dixi, iſtam ſpiritualem quidem ſed tamen veriſsimam totius Chriſti κοινωνίαν tranſlatitiis verbis plerunque à Spiritu ſancto declarari, quæ partim à veteris fœderis cæremoniis ſumerentur, vt quum Chriſtum induere, & Chriſti ſanguine aſpergi & purificari dicimur: partim ab Eccleſiæ Chriſtianæ Sacramentis, vt quum Chriſti carnem edere, & ſanguinem bibere: partim à communi quodam vitæ vſu, vt quum Chriſto inſeri, incorporari, vniri, Chriſti caro & oſſa fieri, Chriſto nubere, in Chriſto ædificari, nutriri, creſcere, adoleſcere dicimur, non obſcurandæ veritatis, ſed perſpicuitatis potiùs & veritatis Sacramentorum explicandæ cauſa. Aut igitur hæc refelle ſi potes, aut calumniari deſine. Figuratè profectò nos dici carnem Domini edere & ſanguinem bibere, ſiue extra Cœnam ſiue in Cœna hoc accipias, ne flagitium præcipi videatur, inficiari non potes vt noſti, quin te diſertis verbis Auguſtinus redarguat: neque te tuus ille ſpirituum proprius exiſtendi modus coram hominibus abſoluet.

Scripſeras à Caluino diuidi ſubſtantiam carnis ab eius fructu ſeu efficacia. Reſpondi non diuidi ſed diſtingui. Excipis rurſum non tantùm diſtingui ſed diuidi, quod ex noſtris ſimilitudinibus pateat. *Sunt enim* (inquis) *calor à ſole, vigor à capite, ſuccus à radice, & fructus à fundo. Quandiu igitur calor ineſt ſoli, vigor capiti, ſuccus radici, fructus fundo, non diuiduntur locorum ſpatiis. ſed poſtquam calor de ſole prodiens in terram peruenerit eique inhæſerit, & vigor à capite in alia membra ſe inſinuauerit, & ſuccus de radice in ramos diffuſus fuerit, & fructus de fundo in alium locum exportatus, tum iſta certè non diſtinguuntur ſed diuiduntur locis à ſubſtantia rerum à quibus emanant. Ergo ex ſententia Caluini, non tantùm diſtinguitur verùm etiam ſeparatur à ſubſtantia carnis Domini, fructus ab ea ad nos effluens, quum hic ſit*

in terra intra nos, caro verò tantùm diſtrahatur à nobis (vt illi placet) quantùm diſtat cæli cacumē à terra. Itáne verò, inſanire nos potuiſſe credis, vt ad nos aliquid, ex ipſius Chriſti carne deciſum effluere exiſtimaremus, ac non potiùs illũ in nobis viuificandis habere efficiētis cauſæ rationē? Imò num etiã ita deſipis vt eum calorē quem in nobis ſol efficit, arbitreris aliquid eſſe ex ipſo corpore ſolis emanãs: aut animæ vim illã vegetantē aliquam ſui particulã effundere? Nã in aliis duabus ſimilitudinibus ſubſtantiale quidpiã reipſa effundi fateor. Sed meminiſſe te ſaltē ex Cyrillo oportuerat nõ eſſe longius protrahendas ſimilitudines quàm propoſitũ ipſum patiatur. Non potes autē ignorare nobis in iſtis ſimilitudinibus id demũ fuiſſe propoſitũ vt doceremus ita eſſe indiuiduè cõiunctas carnem Domini & vim illã viuificam quã à Verbo cui vnita eſt accepit, ſiue plenitudinē illam ex qua nos omnes, teſte Ioãne, accipere oportet quicquid ad ſalutē noſtrã requiritur, vt neutra ſeparatim cõmunicetur, ac proinde magnopere hallucinemini quotquot exiſtimatis poſſe à Chriſto quẽquam viuificari qui non ſit factus ipſius membrũ, vel Chriſti corporis participē eſſe qui non ab eo viuificetur. Itaq; quod de cauſa efficiēte & ipſi carni Chriſti inhærēte efficacia dicimus, quorſum tu ad materiã quandã à Chriſto deciſam detorſiſti? Quid ſi etiã excipere liberet, ſicut, teſte Cyrillo, vnũ corpus & vnus ſpiritus ſumus, ſic videlicet vt tamen ſeorſim ſubſiſtamus, ita etiã Chriſti carnis in nobis effecta, quanuis, quũ ſeorſim ſubſiſtenti ſubiecto inſint, hac ratione ſeiuncta ſint, tamē ſpirituali modo cũ Chriſto, & quidē perpetua vnitione cohærere, vt tanquã ex perenni fonte ab eo in dies irregemur? Hinc etiã intelligi poteſt quàm ridiculũ ſit hoc alterum tuum argumentũ. *Subſtantia Chriſti,* inquis, *Caluino teſte, nequit ad nos peruenire, & efficacia nunquam ab illa ſeparatur. Ergo nihil à nobis in Cœna percipitur auctore Caluino.* Reſpondi quod veriſſimũ eſt, etiam ſi ad nos non perueniat ipſa caro, & ab hac carne nunquã ſeparetur ipſius efficacia, minimè tamē conſequi iſtã ad nos vſq; non peruenire, quum iſta multo latiùs imò etiam vbiq; in credentiũ omniũ corda diffundatur. Quid tu verò cõtrà? *Ergo,* inquis, *venerabilis beſtia, quid peccaui ſi diuidi à vobis in Cœna efficaciã carnis à ſubſtantia dixi?* Imò verò, Sorbonica belua, quis hoc præter te tuiq; ſimiles onagros cõcludere potuit, ſeparatũ ab altero dici, quicquid latiùs porrigi dicatur quàm illud cui vel adiunctũ eſt vel inhæret? Sic tibi nimirũ dicentur Chriſti humanitatē à Deitate Filij, lucem à ſole, odorē ab vnguento ſeparare, quicunque negarint Chriſtũ eſſe vbique ſecundũ carnē, ſicut vbique eſt ſecũdum Deitatē, aut non confeſſi fuerint ſpargi reipſa ſolis corpus, in toto quod illuſtrat hemiſphærio, vel vnguentũ quocũque eius odor penetrat. En quàm appoſitè colligas. *Breuiter,* inquis, *è tribus vnum colligant oportet: Aut ſubſtantiã & efficaciã reipſa & locis diuidi: aut in Cœna non ſolã efficaciã, ſed ipſam quoque carnis ſubſtantiã intra nos recipi: aut Cœnam Caluiniſtarũ puram eſſe animi imaginationem, in qua neq; ſubſtantia, neq; efficacia, neq; vita, neq; aliud quicquã recipiatur.* At ego reſpõdeo ex ipſo Dei verbo & totius quæ vnquã extitit orthodoxæ Eccleſiæ conſenſu perpetuo, nullo modo Chriſti carnem à ſua virtute ſeiungi in Cœna, ſed Chriſtũ ipſum totũ nobis verè ac reipſa, ſpirituali modo per fidem cõmunicari, non vt corpora permiſceantur, ſed vt ex Chriſto vitã æternã hauriamus: aſinum autem eſſe vel caudicem ac ſtipitem potiùs, qui tam ſtolida & tam inepta profundat.

Ex eodē errore, quòd videlicet ſomnies neſcio quid reale ex ipſius Chriſti carne deciſum à nobis dici in nos transfundi, quum ſuccũ vitæ ex ipſo nobis vnito à nobis hauriri dicimus, ex eodem, inquam, errore promanauit hæc quoque calumnia, quòd duplicem manducationē ſiue perceptionem ſtatuamus: *vnam quam illudendi cauſa vocemus ſubſtantialem, non quòd per eam intra nos ipſam ſubſtantiam ſuſcipiamus, ſed quoniam noſtra intellectualis imaginatio circa ſubſtantiam totúmque Chriſtum verſetur: alteram qua ſpiritalis ſit quoad naturam res quam adipiſcimur, vim vitæ ſcilicet: ſed quo ad modũ ſit realis, quia vim ipſam vitæ non fide tenus, ſed reipſa capias, & intra noſtras animas recondas.* Quid autē dici potuit ineptius, quàm duas res coniunctiſſimas, nēpe Chriſtũ & quæ ipſi inſunt, veluti iuſtitiam & vitam, negare vna eadémq; apprehēſione nobis cõmunicari, ex qua deinde hoc effectum conſequatur, vt in ipſo nobis vnito partim imputatione iuſtificemur, partim reipſa noui homines facti in æternam vitam viuificemur? Itaque vnica eſt totius Chriſti & omniũ ipſius donorum apprehenſio, eáque quod ad rem apprehenſam attinet verè realis & ſubſtantialis (nec enim nihil eſt Chriſtus cum ſuis donis) quo ad modum verò merè ſpiritualis, nec tamen imaginaria ſeu fictitia, ſed veriſſima & efficaciſſima, ſicut millies iam inculcaui. Illa verò quam alteram eſſe ſomnias, noſtri nimirum viuificatio, non eſt apprehenſio, ſed illius à nobis apprehenſi effectum, quæ ſi non intelligis, quum tamen perſpicuè à nobis explicentur, cur reprehendere mauis quàm diſcere? ſin verò intelligis, cur non rationibus potiùs quàm calumniis refellis?

Sed & illud arbitraris præſtigioſum eſſe quod dixiſſe me ſcribis, nempe vno eodémque tempore & Chriſtum ipſum & vim ipſius viuificam à nobis percipi, quanuis cauſarum ordine priùs ipſi Chriſto nos vniri oporteat, quàm vitæ ipſius participes fiamus. Contendis igitur in hoc etiam capite nos repugnantia tradere ac proinde præſtigiari. *Primùm enim,* inquis, *fides quodam diſcurſu, nõ autem eodem momento, Chriſtum in primis, deinde ipſius dona conſiderat.* Quid ſi verò excipiam eo diſcurſu non agere ſed gigni fidem in nobis? prout enim res credendæ ſigillatim nobis in verbo proponuntur, ita etiam fides in nobis veluti concipitur & informatur. Vt exempli gratia, qui ex verbo Dei didicit quæ de perſona ipſa Chriſti & eius perpeſſionibus in ſacris literis traduntur, iíſque vt veris aſſentitur, nondum tamen iuſtificante & per charitatem operante fide præditus eſt, ſed ſubſtratum habet duntaxat eius fundamentum. Hæc enim etiam Diaboli optimè norunt & contremiſcunt. Ergo accedat etiam oportet eorum notitia quæ ad Chriſti officium ſpectant, quibus etiam ſi quis aſſentiatur, nondum tamen eam fidem habet quæ nos Dei filios facit: quemadmodum qui genera ciborum & quorſum apponantur nouit, atque adeò menſæ iam appoſitos

ſpectat, nullum tamen ex iis fructnm percipit niſi illos à ſe percipi poſſe ac debere ſtatuat, ac tandem eo deſiderio impulſus, eáque perſuaſione fretus eos percipiat. Talis etiam eſt illa fides quæ Filios Dei ab aliis tum prorſus incrednlis, tum nondnm veram doctrinæ ſalutem adeptis diſcernit, & qua veluti manu quadam immiſſa & Chriſtum ipſum totũ & ex eius plenitudine pro fidei noſtræ menſura quicquid nobis ad ſalutem neceſſarium eſt, tum in ſimplici verbo, tum in Sacramentis apprehendimus. Nec alia cauſa fuit cur adultos ad Chriſtianiſmum accedentes, priùs catechumenos fieri & fidem profiteri oportuerit quàm ad Baptiſmum admitterentur. Sed quoniã hæc fortaſſe tibi ſubtiliùs dici videntur, paucis reſpondeo, vt vnius eiuſdémque actionis diſtinctæ ſint partes, vnam tanen merito actionem iudicari.

Dixiſti hoc diſcrimen ſtatui à nobis inter communicationem carnis Dominicæ quæ contingebat Patribus & noſtram, quòd hæc ſubſtantialis ſit & actualis, illorum vero minimè, ſed media inter ſubſtantialem & purè ſpiritalem, ex quo colligebas à Caluino conſtitui quandam manducationem omnino ſubſtantialem. Reſpondi te abuti ſpiritalis vocabulo, quum & noſtra & Patrum communicatio non alia fuerit quàm ſpiritalis per fidem. *Ergo*, inquis, *ſi Spiritaliter edere & ſubſtantialiter eſt idem, cur Caluinus contra Veſtphalum negat Patres ſubſtantialiter carnem Chriſti comediſſe?* Verùm vnde tandem didiciſti, illis duobus idem ſignificari? Nam tute paulò antè confeſſus es, iſto quidẽ aduerbio, nẽpe SVBSTANTIALITER, rẽ ipſam quæ ſumatur, illo verò nempe SPIRITALITER ſumptionis modũ ſignificari cõſueuiſſe, vt iſta nõ idẽ quidẽ ſignificẽt, neq; tamen inter ſe repugnent. Viden' ergo te in ipſo limine impingere? Caluinũ autẽ ita nobis demũ tribuere quòd nunc ſubſtantialiter carnẽ Chriſti manducemus, vt tamẽ nõ excludat ipſam carnis Chriſti cõmunionẽ, ex iis ipſis quæ citas manifeſtè liquet. Hæc ſunt enim ipſius verba: *Chriſti carne qua vim ſuã antequã creata eſſet, exerebat in Patribus, nunc ſubſtantialiter nos paſcimur.* Hinc autem proſpiciens prudẽtiſſimns ſcriptor fore vt aliquis id ipſum inde colligeret quod tu colligis, ſubiecit, *Sacramenta Patrũ & noſtra ſecundũ plus & minus differre, quia etſi cõmunis vtriſque ſubſtantia eſt Chriſtus, non tamen æqualis eſt eius exhibitio.* Audis vtriſque communem ſubſtantiam, ac proinde ſubſtantiæ κοινωνίαν? Ergo quod nos demum dixit ſubſtantialiter carnem participare, non ſimpliciter, ſed comparatè accipiendum eſt: quod vt explicarem, dixi Patres quidem de iure, vt loquuntur, carnem naſcituram participaſſe, nos autem de facto carnem natam participare, ſed non aliter tamen vtroſque quàm ſpiritualiter, & per eandem fidem, quod etiam manifeſtis ſcripturæ locis probaui, qui ſanè tibi refellendi fuerunt, vt falſum nos docere demonſtrares. Itaque quid minus appoſitè dici potnit, quàm quod tu dicis, ſi neque ſubſtantialiter neque actualiter Patres carnẽ participabant, nec etiam ſpiritualiter, quoniam his tribus res vna & eadem cõprehendatur, nullã planè fuiſſe? Vnicam enim illã apprehenſionẽ quam ſtatuimus vocamus tum ſubſtantialẽ quod ad rem ipſam, tum ſpiritualem quod ad modum attinet. Subſtantialem autem & ſpiritualẽ Patrum à noſtra in eo diſcernimns, quod ea ius acquirebat patribns in carnem naſcituram, noſtra verò ſit ſimul & iuris & facti, vt ita loquar, quoniam carni iam reipſa extanti vnimur. Non minùs eſt ridiculum illud quod tu de diſtinctione illa peruulgata Actus & Potẽtiæ commemoras, quaſi videlicet IVRA & ACTV non aliter quàm illa duo diſcernantnr, quod commentum ne refutatione quidem eget. *Perinde*, inquis, *ac ſi dicerentur Patres habuiſſe dentes, ſed cibo fuiſſe deſtituti.* Sanè verò quaſi caro Chriſti naſcitura fuerit imaginarium quiddam, ac non potiùs tam verum & in ſuo gradu tam efficax fidei obectum, quàm caro iam reipſa extans, quum neque potẽtiæ Dei, neque eiuſdem patefactæ voluntatis, neqne fidei in Dei verbum reſpiciẽtis vis à tempore vel futuro, vel præterito, pendeat. Sic vidit Abraham diem venturi Domini, vt nos videmus Domini qui venit, & iuſtificatus eſt fide in venturũ Chriſtũ, vt nos in Chriſtũ qui venit: & petra fuit Iſraelitis venturus Chriſtus, ſicut panis eſt nobis Chriſtus qui venit. Quid tu verò contra? *Oportet igitur*, inquis, *vt Chriſtus nobis coniungatur aliter per apprehenſionem fidei, vt actualiter ac dicamur eo potiri, & non Patres antiqui.* Scilicet diſcrimen eſt in inſtrumento ſiue actione inſtrumenti, ac non potiùs in eo quòd eadem res diuerſa circunſtantia offertur & percipitur, Patribus videlicet vt naſcitura, nobis autem vt nata & iam extans. Quòd ſi teſte Apoſtolo eadem eſt illa iuſtitia fidei qua iuſtificatns eſt Abraham in venturo Chriſto, atque illa qua iuſtificamur in Chriſto qui venit, & vtraque iuſtificatio eſt ex fide, certè eadem eſt fides, cuius etiam idem eſt effectum, idem denique obiectum, quamuis pro varia temporis circnnſtantia varietur ipſius obiecti exiſtentia & exibitio. Quid amplius? *Si eſt*, inquis, *actualis aliqua ſumptio nominãda quæ de re ſit actu exiſtẽte, quamuis actu non ſumatur, ſed ſola intelligentia & apprehenſione mentis fide prædita, omnis imaginatio circa rem actu exiſtẽtem, actualis perceptio appellabitur.* Hoc verò præterquam quòd alienum eſt à propoſita quæſtione de Patrum manducatione quam plenè actualem non eſſe diximus, etiam falſò abs te cõcluditur. Nec enim actualis per fidem apprehenſionis cauſa propriè eſt in eo poſita quòd circa rem actu exiſtentem verſetur, ſed quòd res illa actu exiſtens, à Verbo Dei (quod vnicum eſt huius de qua loquimnr fidei obiectũ) non tantùm vt cognoſcenda & credenda offeratur, ſed etiã recipienda, interdum quidem corpore ipſo vt quum ei quem ſanatum volebat, diceret Chriſtus, Fiat tibi ſicut vis: interdum autem animo, vt quum ſpiritualia dona fide recipimus, & in hoc potiſſimum de quo nunc quærimus myſterio. *At enim*, excipis, *ſi noſtra & Patrum perceptio non aliter ſit quàm per fidem quæ res actu extantes nec facit nec deſiderat ad hoc vt eas apprehẽdat & ſpiritualiter capiat, quare Patrum manducatio non æquè habebitur actualis atque noſtra?* Nẽpe quia etſi neque noſtra neq; illorũ fides in ſpectrũ fertur (ſpectrũ enim nõ eſt quod certò futurũ Deus promittit) ideóq; minimè inanis & fallax eſt: tamen actu ipſo id demũ percipitur quod iam extat in rerũ natura. Itaque

que manifeſta eſt calumnia, dicere à nobis concludi, carnem Domini non magis capi quàm ſi non eſſet vel nunquam extitiſſet, quum è contrario & à Patribus quanuis nondum reipſa extantem, vt fidei tamen iam præſentem, quæ eſt rerum non extantium hypoſtaſis, olim perceptam, & à nobis vt iam extantem, verè vnico eodémque modo, eiuſdémque Spiritus virtute, eadémque fide percipi, ex manifeſto Dei verbo doceamus.

Repetis poſtea multis paginis quod priore libello inculcaras, *Caluinum videlicet ſingulare quandam diuinam potentiam, & particulare miraculum in Cœna requirere, non autē in Baptiſmo, Euangelij prædicatione, & eleuatione mentis in Deum, quod indicat doceri interdum à Caluino excellentius aliquid dari in Cœna quàm alibi, ipſius videlicet ſubſtantiæ realem ſumptionem.* Quaſi verò nos realem ſumptionem eſſe negemus, etiam ſi nō alibi quàm in cælis eſſe vel ſumi à nobis Chriſti corpus dicamus. Sed ad rem. Dicis me reſpondiſſe hanc inenarrabilē Dei virtutē neq; in aliqua tranſſubſtātiatione ſignorum, neq; in vnione rei cum ſignis ſpectari. Atqui illud quidē dixi, iſtud verò minimè: ſed hoc dixi, ſi miraculū illud in tranſſubſtantiatione ponatur, quæ veſtra ſententia eſt, tum vos ridiculos videri qui illud ſtatuatis in ipſa corporis ſumptione. Nec enim mirum eſſe data tranſſubſtantiatione, ab ore ſumi reipſa præſens corpus quod ori ingeratur. Nam potiùs mirū ac prorſus incredibile foret rem quāpiam ore nō ſumi, quā os ipſum recipiat. Hoc, inquā, dixi, ac proinde ſtatui à vobis neceſſariò illā Spiritus ſancti virtutem in ipſa vnione rei cum ſignis qualē videlicet conſtituitis, nempe ipſius corporis & ſanguinis cum nudis accidentibus panis & vini: quod rurſum ineptè prorſus à vobis dici ex eo demonſtraui, quòd ſi ita eſſet, præſtantius & infinitis modis melius quiddam ipſi pani & vino eueniret quàm nobis, quorum tamen cauſa inſtituta ſunt Sacramenta. Quanto enim præſtantius eſt in ipſummet corpus, & ipſum Chriſti ſanguinem trāſmutari, id eſt Chriſtū ipſummet fieri, quàm corporis & ſanguinis illius quoquo modo fieri participem? Addidi poſtea admirandam illam potentiam Dei in eo ſitam eſſe, quòd quum tam procul diſſita ſit à nobis Chriſti caro quàm procul abeſt cælum à terra, eouſque tamen fiamus eius participes vt cum ipſo ſpiritualiter vnum facti, viuificum omnem ſuccum & vigorem inde percipiamus. quæ verba quum tu ſic interpretaris ac ſi Spiritus ſancti vim illam negarem quicquam ad ipſam Sacramentorum, vt ita loquar, confectionē pertinere, calūniator rurſum deprehenderis. Vnde enim hæc nō ſimplex ſignificatio ſed ſacramentalis, quæ videlicet nō tantùm aliquid cogitandū animo ſuggerit, verùm etiā quàm efficaciſſimè apprehendendum offert, niſi ex ſumma illa Dei virtute quam nobis ſolēnes illæ formulæ teſtificātur? Neq; tamē quū hæc dico, vel ipſis rebus naturalibus putà aquæ, pani & vino, nedum veſtro more panis & vini accidentibus, vel ipſis etiam ſignis per ſe conſideratis aliquid numinis tribuo, nedū vt à pronunciatione certarū vocum pendere rerum illarum communium ſacramentalem mutationē cenſeam, vel operis operati teterrimo errori faueam: ſed hoc dico, quòd res cōmuni huius vitæ vſui ſuapte natura deſtinatæ euadant efficacia & rata Dei inſtrumēta, quorum interuentu tum Spiritus ſanctus fidem in nobis moueat, tum fides ipſa tam potenter agat, nō ab alio quàm ab vno Deo effici poſſe, cuius etiam propterea vnius eſt Sacramenta in Eccleſia conſtituere. Non eſſe tamē in ipſa ſacramentali mutatione ſtatuendū miraculum ſanè dixi & dico, vtpote quæ ſit ex pactis & conuentis, ſed in noſtra cum Chriſto coalitione, cuius demum myſterium magnum eſſe clamat Apoſtolus. Nec enim miraculum eſt quicquid fit ſancti Spiritus opera. Iſtud aureum Auguſtini dictum apertè vos coarguit: *Hæc vt religioſa habere honorem poſſe, non autem ſtuporem vt admiranda.* Quid tu verò contrà reſpondes? Nihil ſanè, niſi hoc vnum, quòd laudē captas ex aperta inſaniæ veſtræ profeſſione, confitens *duci à vobis inter ſumma miracula, tum panis in carnem Domini conuerſionem, tum exiſtendi modum, tactum, vſum, aliáſque circa Domini carnē prærogatiuas*, inſignes ſcilicet illas, vt ab impuriſſimis etiam quibuſuis accipi, dentibus atteri, vorari poſſit, & quid non? *Equidem*, inquis, *meritò, Patres enim ſequimur, à quibus cōputatur iſtud in ſingularibus Dei operibus tanquam eximium.* At tu mihi vel vnum eruditæ vetuſtatis teſtimoniū profer, pro tua trāſſubſtantiatione, & viceris. Quum autem ad id quod dixeram, præſtare panem eſſe quàm hominem, ſi vera eſſet tranſſubſtantiatio, nihil aliud reſpondes, quàm Cœnam quidem noſtri cauſa eſſe inſtitutam, ſed illis miraculis egere antequàm perficiatur, quum, inquam, ſic reſpondes, an non planè non habere te quod reſpondeas oſtendis?

Secundò reſponderam aliam genere virtutem Spiritus ſancti à nobis non poni in Sacramentis quàm in Verbo ſimplici, aut in Baptiſmo quàm in Cœna, nec tamen hoc obſtare quominus iſta vis magis in iſtis quàm in ſimplici Verbo, & rurſum magis in Cœna quàm in Baptiſmo conſpicuam ſe præbeat. Hoc autem agè audiamus quibus exceptionibus refellas. *Si fiat*, inquis, *vna & eadem carnis participatio in verbi prædicatione & in Baptiſmo quæ in Cœna, ergo vna & eadem virtus poſtulabitur. Non igitur ſingulari potentia opus fuerit in Cœna.* Concedo totum argumentum, & idcirco te hallucinari concludo, qui contra ſentias. Vnius enim eiuſdémque cauſæ efficientis non ſemper æqualem eſſe vim conſtat: quæ inæqualitas cauſam efficientem non variat, & interdum ab ipſa efficiente cauſa ſeſe nec ſimiliter nec pariter exerente, interdum ab inſtrumentorū imparitate, interdum à ſubiectis ipſis imparibus manat in quæ agit efficiens. Audiamus alteram exceptionem. *Si virtus eadem* (inquis) *tantùm in genere quæritur, erit ergò & participatio eadem duntaxat in genere. Falſum igitur erit participationes iſtas tantùm diſcrepare ſecundum plus & minus, quum eiuſdem generis diuerſas ſpecies oſtendas. Erit ergo alia omnipotentia & participatione carnis opus in ſimplici fidei apprehenſione quàm in Baptiſmo, & in Baptiſmo quàm in Cœna.* Rides verò, an ſeriò loqueris? Num enim ignoras Generis nomen communi quodam loquendi vſu, Speciei quoque tribui quam ſpecialiſſimam vocant? qualitates autem vnas & eaſdem non in pari ſemper gra-

dū ſpectari,ſed veluti dimenſione quadam differre? Heliæ & Eliſæi ſpiritus quamuis duplo in vno maior quàm in altero,num genere fuit diuerſus? Qui cras aliquid certiùs noſcet quàm hodie nouerit,num duas genere nedum numero differentes notitias fuerit conſequutus? Qui hodie confirmatior in fide euaſerit quàm heri, num duplici fide & quidem genere diuerſa præditus, an ſolius eiuſdem fidei incremento auctus dicetur? Num quia Chriſtus adoleſcit in nobis, duos Chriſtos & quidem diuerſos, ac non potiùs vnum eundémque Chriſtum quaſi impari ætate conſiderabimus? Quid amplius?

Sin, inquis, *eadem ſpecie nec ſolùm genere vbique aſſeritur omnipotentia & participatio, cur Caluinus omnipotentiam & miraculum in Cœna duntaxat celebrat?* Quaſi verò eadem omnibus locis ſint inculcanda: aut quaſi Caluinus eandem Chriſti participationem tum in Verbi prædicatione, tum in Sacramentis inculcans, eandem vtrobique Spiritus ſancti virtutem ſatis apertè non prædicet. At cur peculiariter hoc ſolet in Cœna declarare? nempe quòd hîc ſeſe potiſſimū exerat, & veſtras calumnias in hoc præſertim myſterio quod à nobis exinaniri clamitatis, refellendas ſcriptor ſapientiſſimus meritò iudicarit. Num quid verò etiam amplius?

Præterea, inquis, *ſi in Cœna non ſit alia participatio neque cum Chriſti carne connexio quàm per fidem, quid opus eſt miraculo vt res locis diſiuncta & ſuo loco manentes ſpiritali vinculo colligentur?* Imò in eo demum poſitum eſt miraculum quòd reipſa tam procul diſſita, ſint tamen adeò arctè & efficaciter coniuncta, vt Chriſtus cum Eccleſia ſint vnum corpus & vnus ſpiritus. Sed eo poſito quod tā pertinaciter tuemini, reipſa nimirum Chriſti corpus adeſſe quibuſcū que locis ſacrificuli veſtri quinque voculas demurmurarunt, quódnam erit miraculū ore ſumi quod reipſa inibi præſens ori præbeatur, vel ea mutuò ſeſe realiter cōtingentibus corporibus, corpus aliquod ex pluribus coagmētatum conſurgere? Sed miracula alia non deſunt, inquies, ea nimirum quæ paulò antè recenſuiſti. Sed quis illa tibi concedet, ac cur nō potiùs vel nobiſcum vel cum Paulo ſaltem ipſo myſterium iſtud magnum in ipſa Chriſti & Eccleſiæ connexione ponis? Denique quod dixeram ampliorem carnis communicationem nobis præberi in Cœna quàm in Verbi ſimplicis prædicatione vel etiā in Baptiſmo, audiamus quanto validiùs oppugnes.

Ergo, inquis, *non per ſolam fidem percipimus carnem Domini, ſed Sacramenta in ſe excellentiorem modū percipiendi afferunt.* Sanè verò, quaſi ſola mens idcirco non intelligat, quòd non pariter ad quippiā intelligendum moueatur: aut ſoli oculi non dicendi ſint res videre, quoniam non ab omnibus obiectis pariter afficiuntur.

Ergo, inquis, *ſi fides eſt ſola quæ nobis participationem acquirit, nempe pro eius menſura & portione Chriſto inſerimur, non ex Sacramentorum diuerſitate & dignitate.* Sanè verò, quaſi quum ſoli menti tribuimus intelligendi vim, in ijs quæ intelligenda proponuntur, & ſolis oculis videndi facultatem in ijs quæ conſpicienda præbentur, nihil poſitū eſſe dicamus in obiectis, vt perfectiùs intelligatur quidpiam, aut acutiùs perſpiciatur. *Sed num ſic*, inquies, *ipſa intelligendi vel videndi vis augetur?* Nos enim non tantùm efficaciùs excitari & agere fidem pro diuerſa obiectorum ratione, verùm etiam in ſeſe augeri docemus. Reſpondeo quod inficiari non potes, habitus nimirum nō à natura inſitos, ſed qui aliunde comparantur, paulatim ingenij vel corporis exercitatione acquiri. Sic homines audiēdo & legendo eruditi fiunt. Si fabri cudendo periti fabricandi euadūt. Cæterùm fides de qua agimus etſi neque naturalis eſt habitus, neque naturæ propriè noſtræ viribus comparatur, ſed prorſus aduentitium & gratuitum Dei donum eſt, tamen ea ratione quam ipſe Deus inſtituit in nobis gignitur, & ſemel genita paulatim adoleſcit audiendo videlicet Dei verbo & Sacramentorum vſu, adiunctis precibus, cæteriſque Chriſtianæ vitæ officiis. Idcirco comparatur Dei verbum ſemini, & Paulus quamuis cælitus extra ordinem repentè afflatus, iubetur baptiſari, & Sacramenta vocantur σφραγῖδες, & iubetur attendere lectioni Timotheus, & ſuas ſibi membranas afferri Apoſtolus iubet.

Imò, inquis, *figmentum eſt quoſdam fidei gradus nobis per Sacramenta comparari, quum fides ſine Sacramentis ardentiùs quàm cum illis excitari poſſit, ac ſæpè excitetur.* Scilicet, quoniam interdum attentiores vel dociliores ſumus audiendo quempiam obſcurè loquentem, ideóque amplius proficimus quàm quum planiùs & meliùs aliquando loquentem alium minùs attentè audiremus, idcirco in nobis erudiēdis nō maior erit orationis perſpicuæ & dilucidæ, quàm obſcuræ & tenebricoſæ virtus. Aptiora verò eſſe Sacramēta fidei in nobis & excitandæ & augēdæ, quàm ſimplex verbū, ex eo primùm cōſtat quòd quæ pluribus ſenſibus percipimus veluti verbi gratia, quæ non tātùm audimus, ſed etiā videmus & tāgimus, perfectiùs à nobis intelligi & cognoſci certū eſt. At ſimplex verbū auribus duntaxat illabēs, intelligentiā & aſſenſum mouet: Sacramēta verò per verbū ſacramētale, & ſignorū analogiā res ipſas quodāmodo noſtris oculis ſubijciūt, & veluti in manus tradūt, reipſa quidē abſentes, ac etiā interdū nondū extantes, ſed fidei tamē à ſignis ad rē ſignificatam aſſurgenti vſq; adeò præſentes, vt Abrahā ipſum etiā Domini diem vidiſſe, & Patres eandē atque nos eſcam comediſſe, & eundē potum bibiſſe, Chriſtum ipſum videlicet, dicantur. Sic etſi verbis promittentium credimus, tamen accedente dextræ præbitione, aut pignore fidei datæ quopiā, magis quàm ſimplicibus verbis credimus. Deinde quum in illa generali Euangelij prædicatione quibuſuis promiſcuè, in Sacramentis autem ſigillatim ſingulis Chriſtus offeratur, quis non videt multò efficacius eſſe Sacramentorum quàm Verbi ſimplicis obiectum? Et rurſum in Cœna Domini quandam eſſe teſtificandæ bonæ Dei voluntatis rationem exactiorem quàm in Baptiſmo, res ipſa oſtendit, quoniam in hoc Chriſtus vt lauacrum, in illa vt alimentum nobis præbetur, & in Baptiſmo quaſi exteriùs offertur, in Cœna verò quaſi viſceribus ipſis inſinuatur. Et iſta vos

fidei

fidei orbis Chriſtiani, ſi vobis creditur, non tantùm miniſtros, ſed etiam dominos, ignorare non pudet? Quæris & illud, quum dicamus *Sacramenta inſtar imaginum nobis proponi, quibus noſtra fides moneatur, num vellem imagini crucis Chriſti, vim efficaciorem detrahenda carni Domini quam fides imbuere, propterea quòd ſenſus noſtros afficiat, & fidem exuſcitet ad cogitandum de Domini morte.* Reſpondeo, ſi quando Imaginis nomen in hoc argumento à noſtris vſurpatum inuenias, id eſſe intelligendum quo modo Paulus Chriſtum à ſe ob oculos Galatarum depictum dicit, minimè verò ſicut illa Agabi fabuloſa hiſtoria narrat, & vos diuam illam veſtram Lauretanam mentimini à Luca fuiſſe effigiatam. Neque enim mutæ ſunt imagines Sacramenta, ſed planè vocales, & adeò quidem vocales ac ſonoræ, vt nulla ſit humana vox cum illarum ſono comparanda. Quid (malùm) igitur nobis cum fictitio illo veſtro idolo, quod tantùm abeſt vt vetus Eccleſia orthodoxa receperit, vt ne pictum quidem illud in linteo intueri ſuſtinuerit Epiphanius, adeò quidem hoc factum approbante poſtea Hieronymo, quamuis mortuorum inuocationem defendente, vt illius etiam epiſtolam è Græcis Latinè ſit interpretatus?

Venio tandem ad illam toties nobis repoſitam calumniam, *quòd videlicet in noſtrarum Eccleſiarum Catecheſi, roganti puerum Catechiſta cur quum non alius Chriſtus in prædicatione ſimplici verbi & Baptiſmo quàm in Sacramento Cœnæ Domini proponatur, Cœna fuerit nobis adiecta, reſpondet puer, adeò id fieri vt hæc communicatio magis ac magis in nobis confirmetur, quoniam, quamuis Chriſtus nobis verè & in Euangelio & in Baptiſmo communicetur, id tamen non fit perfectè, ſed tantum ex parte.* Hinc igitur collegeras Caluinum eo loco ſtatuere Chriſtum totum in Euchariſtia demùm percipi. Reſpondi nuſquam hoc dici à Caluino, ſed hoc tantùm ſignificari, quoniam neque in Baptiſmo neque in Euangelio perfectè vnimur cum Chriſto, adiunctam etiam fuiſſe Cœnam Domini, alioqui ſuperuacaneam futuram: minimè id quidem quaſi in Cœna perfectè cum Chriſto vniamur (id enim nobis in hac vita nunquam contingere ne vos quidem audeatis inficiari) ſed quòd huius Sacramenti vſu participatio illa magis ac magis in nobis confirmetur: ſicut diſertè totidémque verbis ibi ſcriptum inuenies. At tu me iubes Catechiſmum Latinum inſpicere, ſicut ab ipſo Caluino editus eſt. Inſpexi, & comperi rurſum hæc verba abs te fuiſſe ſuppoſita, *In Euchariſtia verò totum*, quod iterum confirmo. At enim, inquis, non ſcripſit Caluinus *Chriſtum non recipi perfectè*, ſed *totum Chriſtum non recipi*. Ita eſt ſanè: ſed illum vtraque loquutione vnum & idem ſignificare voluiſſe, potuiſti tum ex Gallico catechiſmo, tum ex ipſa ſententia, tum etiam ex eo perſpicere, niſi te calumniandi libido excæcaſſet, quòd ita futurum eſſet vt Chriſtus velut in partes laceraretur, ſi parte ſpiritus abſque carne perciperetur, quod à Caluino in vobis vbique reprehendi non ignoras. Totus itaque Chriſtus non idcirco percipi à nobis negatur, quòd partem eius aliquam duntaxat recipiamus, ſed quia ſicut perfectè non credimus, ita etiam perfectè nondum cum eo ne in Cœna quidẽ ipſa vnimur, quoniam hæc perfecta vnitio alteri vitæ ſeruatur.

In altero accuſationis tuæ capite cùm ſcriptum à te dixiſti *quid Caluinus in Cœna ſumi credat, nec aliud tandem ex ipſo poſſe colligi quàm nihil intra nos recipi niſi effectus & qualitates aliquas ſpirituales, carnem autem ipſam in cælo ſitam à nobis non pertingi, niſi animi ſeu fidei intellectuali & purè ſpirituali contactu: itaque illum præſtigiari in Subſtantiæ nomine, quo non carnem ipſam ſed vigorem ex Chriſto promanantem intelligit.* Ego illud quod de carnis contactu dicis, planè vt verum & orthodoxum agnoſco, & illos Cyclopicos ac Capernaiticos corporum contactus planè deteſtor. Quod autem inde colligis Subſtantiæ ſiue Chriſti ipſius nomine nihil aliud à nobis intelligi quàm vitã inde ad nos promanantem, id eſt vitem cum ipſius fructu à nobis confundi, quum iam priore mea defenſione ſatis ſuperque refutarim, neque tu quicquam adhuc ad hanc partem reſponderis, pluribus mihi non arbitror refellendum. Nam quod repetis *ſubſtantiam intra nos defluere oportere, vt eius ſit realis perceptio*, quid aliud eſt quàm putidiſſimæ & millies refutatæ calumniæ, nunquam verò abs te probatæ vel probandæ ſententiæ repetitio? Sed quoniam longiùs etiam tibi excurrere placuit, eouſque nimirum vt nos tandem mentiaris definire, nihil à nobis ex Cœna reportari, agè quid hoc ſit monſtri videamus.

Tu ſic eras ratiocinatus: *Tollitis ipſius ſubſtantiæ intra nos delapſum. Ergo nec ipſa carnis efficacia frui nos ſinitis, ac proinde nihil à nobis ex Cœna reportari vultis.* Reſpondi vitioſiſſimum eſſe argumentum, quoniam ſublata vna ſpecie non tollatur totum genus. Communicationem enim carnis eſſe genus, cuius ſpecies vna ſit, Communicatio per ipſius carnis intra noſtra corpora deſcenſum, (quã vnam ſpeciem tollamus:) altera verò ſpiritualis per animi ſeu fidei aſcenſum, quæ à nobis non modò non tollatur, verùm etiam vt veriſſima & efficaciſſima defendatur. Quid tu contrà? *Non intuli*, inquis, *à vobis perimi omnem ſubſtantiæ communionem.* Sanè non intuliſti, ſed quaſi certum poſuiſti. Alioqui non ſtaret illa tua concluſio, nihil nos velle ex Cœna reportari. Num enim vel Chriſtus ipſe vel ſpiritualis per fidem perceptio nihil eſt? Manet igitur firma reſponſio mea, tu verò ſophiſtici argumenti reus perageris.

At enim, inquis, *aſſeritis nuſpiam ſeiungi efficaciam carnis à ſubſtantia. Nihil autem vultis ad nos de ſubſtantia penetrare. Ergo neque de efficacia. Itaque ex veſtra ſententia nihil ex Cœna refertur.* Ego verò ſic in teipſum concluſionem tuam regeſſi. Aſſerimus nuſquam ſeparari ſubſtantiam ab efficacia, id eſt nullum fieri participem efficaciæ Chriſti, qui non etiam Chriſtum ipſum vnde promanat efficacia, participet. Ponimus autem efficaciæ perceptionem. Ergo & Chriſti ipſius, ſed ſpiritualem ſiue vtriuſque perceptionis modũ. Quid tu contrà? *Aſſumere te*, inquis, *oportuit, vos ſicut confitemini efficaciam verè intra nos recipi, ita quoque Chriſtum ipſum, quod tamen negatis.* En verò quò prolabi neceſſe ſit quibus propoſitum eſt quoquo modo veritatem oppugnare. Si per efficaciam intelligis

vim illam viuificam ipſi Chriſto inhærentem, certè non illam magis intra nos quàm ipſam carnem delabi arbitramur. Sin verò illius effectum, nempe noſtri viuificationem nobiſcum intelligis (quemadmodum, exempli gratia, nihil ex ſolis ipſius vel ſubſtantia vel ipſa calefaciendi & vegetandi vi deciſum ad res inferiores penetrat, quæ tamen inde calorem & vigorem in ſe concipiunt) nihil ſanè contra nos concludis.

Sic etiam es argumentatus: *Docuiſti Cœnam interdum* (pro quo ſubſtituis plerunque) *etiam à fidelibus fieri nullo propter incogitantiam aut tarditatem fructu. Ergo vel Christi carnem ſeparatis à fructu, vel ſi verum eſt, vt vultis, nuſquam illa duo ſeparari, nihil vultis à Cœna interdum reportari.* Ego non per ambages, vt tu calumniaris, ſed planè ac perſpicuè ſic reſpondi, vt primùm oſtēderem nihil aliud nos velle quàm vtilitatem vſus Sacramentorum non eſſe ad ipſius quo ſumuntur temporis momentum reſtringendam. Tardiùs enim interdum regenerari, qui tamen ſunt in infantia baptiſati, & multis vſuuenire propter tarditatem, vt Cœnæ fructus aliquanto poſt tempore, plures & meliores edant. Deinde non minùs ineptam eſſe tui argumenti concluſionem dixi, quàm ſi negares ſemen ſatum eſſe in agro, quoniam ſimulatque ſatum eſt non germinat: vel infantem ratione præditum non eſſe, quoniam vti ratione non poſſit: vel ebrio mentem ereptam, cuius nec corpus nec animus officium faciat. Quid tu contrà? nihil ſanè, niſi quòd euigilare me iubes, & meas præſtigias intueri. At ego quod nuſquam eſt videre tuo more me non poſſe profiteor.

Reponis etiam nobis hoc argumentum: *Si Sacramenta tantùm obſignant iam exhibita, nihil in Cœna exhibebitur: ſin verò præſtant ex Deo quæ figurant, tolletur ſanctificatio puerorum in vtero, & Baptiſmo ſeruabitur.* Reſpondi primùm ad priorem tui dilemmatis partem, & rurſum reſpondeo, etiam ſi tibi concederem antecedens, non tamen effici quod volebas, quum obſignatio donorum iā collatorum non ſit nihil, ſed maximi ſanè momenti res, niſi Circuncisionem velis à Paulo fruſtrà dici iuſtitiæ iam Abrahamo imputatæ σφραγῖδα. Deinde oſtendi & rurſum oſtendo, non modò perperam illud abs te concludi, ſed ne illud quidem rectè dici, noui nihil nobis per Sacramenta conferri, ſi præciſè, ita vt tu vis, accipiatur. Etſi enim neque nouus nobis Chriſtus, neq; noua adoptio, vel fides, vel iuſtificatio, vel ſanctificatio in Cœna Domini confertur (nā de Baptiſmo poſtea dicam) tamén quod illis ipſis donis adiicitur, nouum eſt, quemadmodum ſi inchoato ædificio quod ſupererat parietum, aut tecti, aut quod iuſtæ menſuræ deerat, paulatim adieceris, nouum quidem ædificium, aut noua menſura non fuerit, ſed quod recèns adiectum eſt tamen fuerit veteris ſupplementum & additamentum. Præterea quum non tantùm remiſſionis veterum peccatorum obſignationem, ſed etiam recentem eorum quæ quotidie committimus remiſſionem in Chriſti corpore & ſanguine nobis communicato conſequamur, quis nihil ex Cœna nos reportare, niſi planè inſanus dixerit? vt interim omittā, quod minimè reticui, dubiū nō eſſe quin noua etiā quædam peculiaria dona interdum ſuis Dominus in ipſo Cœnæ vſu largiatur. Quid eſt igitur quod in iſtis reprehendas? *Hoc nimirum,* inquis, *quòd quum dicas in Sacramentis nihil niſi fide percipi, efficitur Sacramenta nihil ex ſe impertiri, & fide per ſe omnia tam in Sacramentis operante quàm extra, fruſtrà Cœnam adhiberi, neque ipſis tribuendum ſignificatarum rerum incrementum, quum nihil exhibeat quod fides ſola non impetret.* Egregium ſanè argumentum, Sola fides percipit quæ per Sacramenta intus docet & inſculpit Spiritus ſanctus, mentium ille noſtrarum innouator, veritatis doctor, & conſolator noſter. Ergo fides agit omnia excluſis Sacramentis, imò etiam, quantumlibet hoc reticeas, excluſo ipſo Spiritu ſancto. Nam ſi libet particulam SOLA, ita vrgere, vt inferiora inſtrumenta nihil agant, cur non & ſuperiorem illam vnicam verè & propriè omnium iſtorum bonorum conciliatricem cauſam? Tum igitur valebit tua iſta conſecutio, quum ad ſalutem hominum oſtenderis ſolum requiri perceptionis inſtrumentum. Eodem aut certè non multùm diſſimili paralogiſmo libenter perſuaſeritis, quum ſola fide nos iuſtificari dicimus, & bona opera & Sacramenta, totum denique miniſterium Eccleſiæ à nobis excludi. At cur non Chriſtum ipſum quoque, & Patrem, & Spiritum ſanctum? Pars autem tui dilemmatis altera quanto probabilior eſt? Dicis tolli ſanctificationem infantium ab vtero, quis Baptiſmo ſeruabitur, ſi Sacramenta præſtant quod figurant. Reſpondeo vix excuſari poſſe hanc loquendi formulam quæcunque interpretatio afferatur, quoniam Spiritus ſanctus vnus in his rebus propriè præſtat quòd Sacramenta tantùm pollicentur. Deinde iſtiuſmodi prorſus improprias & periculoſas phraſes, propter veſtrum illud planè exitiale & peſtilens dogma de opere operato, non ſecùs quàm ſcopulos multis naufragiis infames refugere nos vltrò profitemur. Sed vt hoc omittam, audi quid dicat Auguſtinus, *Sanctificatio,* inquit, *eſſe poteſt ſine viſibili ſigno.* Ecquis enim dubitat quin iam tum ſanctificari cœpiſſet immutatus ille Saulus, quum diceret, Quid me vis facere? qui tamen poſtea ab Anania iubetur peccata ſua abluere. Quòd ſi non ſatis placet hoc exemplum, at certè Cornelium illum incircunciſum conſtat pium & Deo gratum fuiſſe, ac proinde fide in Chriſtum, quem nondum veniſſe norat, iuſtificatum ac ſanctificatum, quum nemo abſque fide placere Deo poſſit. Sed & cor eiuſdem ante Baptiſmum, teſtatur Petrus fuiſſe fide purificatum. At iſte, inquies, erat adultus, neque propterea dicitur ab vtero ſanctificatus. Eſto. Natus enim erat à Dei fœdere prorſus alienus. Sed illud tamen euincitur, non poſſe dici ſanctificationem adultorum, ita vt tu vis, alligatam Baptiſmo, nec propterea tamen Baptiſmum inutilem ſtatui, ac proinde ruere tuæ concluſionis fundamentum. Petrus certè hac ipſa de re poſtea in Synodo Hieroſolymitana diſſerens, Spiritui ſancto per fidem tribuit cordis gentium purificationem, etiam ante Baptiſmum, quem tamen propterea minimè vt ſuperuacaneum neglexit, imò ad-

imò adhiberi iuſsit, nēpe ſicut iuſſus eſt circuncidi Abrahamus, qui tamē fuerat in præputio iuſtificatus. Et vt intelligas quod de Baptiſmo dico, in Cœna quoq; Domini & illa quam ſomnias diſtincta carnis Domini communicatione valere, audi quid alibi dicat idem Auguſtinus, *Nullus fidelium*, inquit, *alienatur à panis & vini conſortio, quando in ipſo hoc quod Sacramentum illud ſignificat, inuenitur.*

Sed de infantium in fœdere comprehenſorum ſanctificatione ab vtero, alius erit fortaſſe diſſerendi locus. Nunc ſatis eſt argumentationis tuæ inaniſsimam concluſionem oſtendiſſe, ſi vnum hoc addidero, callidè nimirum fuiſſe à te diſsimulatum quod in vos dixi, nempe ſi concludere vobis licet Sacramentorum nullam vim ſupereſſe, *ſi nihil exhibeant quod fides ſola non impetret*, multo meliore iure concludere nobis licere, ſi in Cœna (ſicut vultis) totum Chriſti reipſa perfectè intra nos ipſos recipitur, aut ipſum poſtea oportere demigraſſe, aut cauſam nullam eſſe iuſtam Cœnæ repetendæ, aut certè repeti ſumptionem, vt poſteriore prior ſanciatur, non vt nouum aliquid ſumatur, quod in nobis reprehendis. Hoc verò, cur ſuo ſaltem loco non refutas?

Supereſt illud cuius cauſa me nun dubitas, tu videris an non calcitroſus aſinus, rabidum canem vocitare. Dixeram quod adhuc dico, formulam iſtam SACRAMENTA NOVAE LEGIS vt ἄκυρα à me repudiari. *Nam*, inquit, *nec Hieremias, nec poſt illum Paulus, nec Iacobus Apoſtolus, ac ne Caluinus quidem noua Legis Sacramenta nuncupare dubitarunt.* Ego verò de Ieremia te mentitum dico, Paulum fateor vno loco legis fidei meminiſſe quam opponat legi operum, ſed præterquam quòd additum fidei nomen omnem amphiboliam tollit, dico ne ſic quidem illum locum tibi patrocinari. Lego apud eundem Legem Chriſti, ſed pro mutuæ dilectionis mandato à Chriſto renouatam, cui opponitur externa legis obſeruatio, ac præſertim phariſaica. Legem perfectam libertatis cuius meminit Iacobus, nego ad iſtam nouæ legis appellationem pertinere. Caluinum autem vti memini vno loco veſtra illa formula, ſed addita interpretatione, & idcirco tantùm vt quid in vobis redargueret, omnes intelligerent. Ne me verò exiſtimes de nihilo contendere, quum veteres nonnulli, veluti Auguſtinus Legis & quidem nouæ ſeu ſecundæ nomen aliquando nouo fœderi ſiue Euangelio tribuerint, facit exitialis ille & planè deteſtabilis error veſter quo Legis & Euangelii præcipuum diſcrimen tollitis, vt hanc formulam Scripturis inuſitatam prorſus repudiem. Si cui hoc non placet, ſuo ſanè ſenſu fruatur. Ego quid quorſum faciam oſtendo.

Denique ſic etiam tibi libuit colligere: *Tantum ſumitur in Cœna, quantum continetur illis inſtitutionis verbis, Hoc eſt corpus meum. Atqui Caluinus hæc verba metonymicè explicans, dicit idem valere, atque Hoc eſt ſymbolum & ſignum corporis mei. Ergo ex Caluini ſententia tantùm proponitur, accipitur, & editur ſignum corporis Domini, non autem ipſum corpus, nec ſubſtantialiter, neque ſpiritualiter.* Reſpondi non fuiſſe tibi ſiſtendum gradum in metonymia, ſed addendam eiuſdem explicationem, vt de tua calumnia omnibus conſtaret. Tu contrà excipis, ſi quid amplius à Caluino docetur, ad placitum eius eſſe, & non ex natura metonymiæ, neque ex vllis ad metonymicam Cœnæ inſtitutionem adiunctis comprobari. Quæro igitur ex te primùm quo pudore ſcribas quatuor illis voculis totam Cœnæ inſtitutionem comprehendi. Nam ſi ita eſt, neque ad illam inſtitutionem alia quoque pertinent ex quibus intelligitur, quid illic à Chriſto geratur, quorſum geratur, quid viciſsim à nobis fieri, & quorſum fieri oporteat, quo tandem auctore panis ille frangitur, præbetur, accipitur, comeditur, & infuſum poculo vinum porrigitur, acceptúmque bibitur? De integra Cœnæ inſtitutione, & actione, non autem de veſtra illa Miſſa loquor. Deinde quum ſigni appellatio neceſſariò ſit ex earū rerum genere, quę ad aliquid referuntur, vt res ipſa clamat, & Auguſtinus ex profeſſo declarat, neceſſe eſt fatearis, panem & vinum non vt res naturales & communi vſui deſtinatas, ſed vt aliarum rerum ſigna præberi. ac proinde duas ſemper res ſimul neceſſariò proponi, quoties ſignis agitur, quorū vna externis ſenſibus, altera intellectu percipiatur. Signum igitur nullū eſt, abſque re ſignificata, neq; res ſignificata dici poteſt cuius nullū ſit ſignū: neque vt tu ſomnias, neceſſe eſt rē ſignificatā adeſſe, vel re ipſa cōtineri, quo nihil dici poteſt ineptius. Cui enim dubiū eſt quin etiā præterita & futura, & quanuis extantia, tamen remota quàm longiſsimè, poſsint ſeu verbis quæ nihil aliud ſunt, quàm conceptuum animi notæ per aures in intellectum illabentes, ſeu quibuſuis aliis ſignis ad oculos, vel alios ſenſus pertinentibus ſignificari? Præterea cur quum tam variæ ſint metonymiæ ſpecies, tu nos ad genus reuocas, quum ſpecies propria quadam differentia diſtinguantur, ac proinde ſacramentalis metonymiæ ſpecificum diſcrimen minimè abs te negligi, nedum tolli oportuerit? Eſt autem hoc diſcrimen in eo poſitum, vt quod ſignificatur, non ſpectandi, ſed fruēdi cauſa ſignificari intelligatur, quoniam Sacramenta ſunt veluti appenſa diuinis pactionibus ſigilla. His poſitis dico, idem quidem valere, Hoc eſt corpus meum, atque Hic panis eſt ſacramentaliter corpus meum, ſiue eſt corporis mei ſymbolum, ſed tum ex his inſtitutionis verbis, Accipite, Comedite, Bibite: tum ex mutua ſignorum & rerum ſignificatarum relatione, tum ex Sacramentalis metonymiæ natura conſequi, vt donētur & accipiantur in Cœna Domini, tum ſigna, tū ipſemet Dominus, illa quidem externis ſenſibus apprehendenda, hic verò intellectu, ſoláque fide à nobis veriſsimè & efficaciſsimè ad vitam æternam percipiendus.

Cæterùm quoniam efficacem nobis eſſe negas Chriſti carnem, niſi reipſa carni noſtræ præſens mutuo contactu adiungatur, vſus ſum, vt hoc commentum refellerem, hac ſimilitudine, poſſe etiā naturaliter expreſſo panis apud piſtorem manentis ſucco nutriri quempiam, qui tamen dicatur illo pane paſci, ac ſi reipſa illum in ventrem traiiceret. Tu verò tam bellè ſanè in me neſcio quid iocatus quàm lepidè ſaltant aſini, torcularia, percolationes ſubſtantiæ, ſucci demutationes, & eliqua-

tiones commemorans, elabi tandem poſſe te putas, ſi denique exceperis, quum ex noſtra ſententia ſubſtantia & ſuccus carnis Chriſti ſint inſeparabiles, hunc ab illa in cælo manente exprimi non poſſe. quaſi ſcilicet inepta ſit ſimilitudo, niſi per omnia reſpondeat, ac non tu potiùs ineptiſſimus ſi hoc requiris. Satis autem eſt mihi oſtendiſſe quod vnum volui, ne in naturali quidem paſtu requiri ſemper neceſſariò vt ſubſtantia ipſa cuius ſucco nutrimur in noſtra corpora traiiciatur. *At enim*, inquis, *ſi vt interdum affirmat Caluinus, duo nobis porriguntur in Cœna, nempe ſubſtantia & efficacia, quo pacto ſuccus exhibetur, eodem oportet ſubſtantiam exhiberi.* Imò in his paucis quàm multa ſunt errata? Nec enim dubiũ eſt, quin plura vna eadémq; actione & loco natura ipſa diuerſa, diuerſíſque modis præberi poſsint. Sacramenta veterum & noſtra dicit Auguſtinus, ac etiam inculcat re paria eſſe. Rei nomine ſi ſolam efficaciam intelligis, paria non fuerint. Sin verò ſubſtantiam cum efficacia in vtriſque commiſcendam dixeris, quod ſanè verum eſt, ex Pauli teſtimonio, at cogeris tamen aliquod in rei extantis & futuræ exhibendæ modo diſcrimen ſtatuere, quamuis vterque ſit ſpiritualis, & fidei opus. Sed ad rem. Etſi non aliquando, vt tu dicis, ſed perpetuò conſueuit Caluinus carnem & efficaciam Chriſti vt res prorſus inſeparabiles coniungere, ita vt vnã abſque altera participari poſſe, teipſo calumniæ hac in re tuæ teſte, inficietur: tamen grauiùs etiã abs te in iſta diſtributione, alia ratione peccatur. Dicimus enim Sacramenta duabus rebus conſtare, ſigno videlicet & re ſignificata quam eſſe docemus carnem & ſanguinem Domini. Adiicimus poſtea non idcirco nos vnum corpus fieri cum Domino, & in Domino, vt ex corporum contactu fiat ſeu vnum naturale, ſeu ſpiritualis naturæ corpus, ſed vt omnes inter nos, & cum eo myſticè coniuncti ipſius Spiritu viuificemur. Itaque ſignorum perceptio abs te prætermitti non debuit, quum hac etiam in parte diſsideamus: & duas res illas ſubſtãtiam videlicet & efficaciam qua ſerie dicamus nobis communicari explicare oportuit, iſtam videlicet non vt illi coordinatam, ſed vt illi inſitam. vt nõ tam duæ res quàm vna nobis præbeatur, nempe caro Chriſti viuifica ſua virtute prædita, quemadmodum (exempli gratia) annulli nomine & annulum ipſum, & gemmã intelligimus. Sed in hoc demũ præterea grauiſsimè peccas, quòd inſanire nos dicas, niſi vim illam viuificatricem Chriſti carni inſitam, quam ſucco comparauimus, corporeũ & carneũ quiddã eſſe cenſeamus, vnde videlicet aliquid deciſum in nos traiiciatur, id eſt niſi qualitatem cum ſubſtantia & cauſam cum effecto confundamus. Itaque vt ſemel de hoc dicam, ſcito nos non aliam carnis communicationem ſtatuere, quem ſpiritualẽ videlicet & planè myſticã, vt vnum corpus cum Chriſto ſpiritualiter facti, in ipſo quoque & cum ipſo, viuificemur, futuri aliquando ipſius in æternum cohæredes. Tu verò videris an hoc ſit fumos vendere, an hoc potiùs hoc ipſum facere quod quotidie facitis. Quod autem nobis obiicitis, magnam videlicet neſcio quam nummorum ſummam nobis per ſingulas Cœnas colligi, id eſt quaſi veſtro more ſimus, vt ſcitè de veſtri ſimilibus loquitur Nazianzenus, χριστέμποροι καὶ χριστοκάπηλοι, ſcio apud eos qui vel doctrinam quam annuntiamus, vel diſciplinã quam ſanctè adhuc obſeruauimus, vel noſtros mores norũt, nulla refutatione indigere. Cæteros quos nihil pudet quoquo modo nos calumniari, nihil moramur.

Quæ multis poſtea paginis admodum confuſè & perturbatè ſcribis, ad duo capita tandem reuocas, nempe vel ad exiſtentiam corporis in pane, vel ad eiuſdem manducationem. Ego, ſicut ex argumentis liquebit contra vtraque ſimul dixi, quorum nonnulla quandoquidem ſtuduiſti refutare, ego viciſsim rurſum conabor confirmare. Dixi realem illam veſtram præſentiam ſtatui non poſſe, quin corpus ſit non corpus, id eſt quantum ſine quantitate, ſiue infinitè finitum. Ad hoc reſponſurus primùm accuſas me beſtialitatis, qui de corporibus non aliter quàm ex ſenſibus & naturalibus legibus cogitem. At ego beſtia ex te Monacho quæro quæ corpora intelligas, & quid tãdem rationis habueris, cur hoc non expreſſeris. Nã ſi vniuerſaliter negas oportere de corporibus iudicari ex naturæ legibus, ne beſtiæ quidem appellatione dignus es. Quæro & illud cur numero multitudinis DE CORPORIBVS dixeris. Putabam enim inter nos de vnico Chriſti corpore controuerti, cuius prærogatiuas ſi ſentis aliis vllis corporibus eſſe communes, cedò cur tandem ad omnipotentiam refugis, vt iſtam exiſtentiam confirmes? niſi fortè vis ſpiritus quoque eſſe omnipotentis cuiuſdã naturæ participes, vt & ipſa quoque corpora ſpiritualem exiſtendi modum nacta, quod dogma haud ſatis ſcio an veſtra Sorbona ſit approbatura. Vides ergo te cantherium in ipſo limine impingere? Sed agè, hoc ſinamus, & de vnico Chriſti corpore te loquutum fingamus. Reſpondeo hęc tua, circunſcriptionẽ eſſe non infirmitatis ſed naturæ, adeóque ſpecificam omnis propriè ſic appellati corporis formam: gloriam verò non ademiſſe corpori Chriſti naturam corporis, ſed ſolam infirmitatem, quod ait diſertè Auguſtinus: nec poſſe te in tota erudita vetuſtate vel vnum nominare, qui non apertè dixerit, ſaluam Chriſti corpori ſuam formam, ac loci circunſcriptionem manſiſſe, atque in æternum permanſuram. Sed illud addo, inenarrabiliter tamen glorificatam eſſe hanc ipſam carnem ſupra res omnes conditas, nedum vt infirmitates omnes nõ depoſuerit. Hæc oppugna firmis rationibus, ſi potes, aut nugari deſine.

Quid enim eſt nugari ſi hoc non eſt? *Non negamus*, inquis, *corpus Chriſti eſſe quantum in Euchariſtia*. Sed quid vocas Euchariſtiam? Si actionem ipſam Cœnæ, cur ſic ambiguè loqueris? Si panẽ, iã à tranſſubſtantiatione deficis: ſin panis accidentia, cur nõ apertè hoc ſcribis, vt te omnes intelligãt dicere ſubſtantiam & quidem quantitate corporea præditam accidentibus alienis ineſſe, quum cõtra ſit hoc proprium accidentibus, non vt ſint, ſed vt ſubſtantiis inſint? præterea ſi verè ſentis quantitatem corporis Chriſti ſaluam permanere, quod ſanè veriſsimè dicitur, cur tantopere laboras, vt quantitatem oſtendas ad corporis naturalis (adde organici) ſubſtãtiã nõ pertinere? Sic enim diſertis verbis ſcripſiſti: *Nulla ſubſtãtiali ac formali cõditione priuamus Chriſti corpus,*

ſed

ſed negamus ad ſubſtantiam corporis naturam pertinere QVANTITATEM, *loci ſpatium, oculis eſſe obnoxium & ſimilia, ſed ipſi iſta omnia accidere arbitramur ex vera naturalium rerum indagatione, & proinde iſtis omnibus carere poſſe ſubſtantiam, ita vt integra ſubſit & exiſtat Diuina virtute.* Quid tu vero appellas veram naturalium rerum indagationem, explicabis planiùs quum voles. Sed ad 16. Cur (obſecro) de retinenda quantitate corporis Chriſti poſtea laboras, quum illam numeres inter accidentia, quæ ſalua ſubſtantia poſſunt aboleri? an quòd iſta tibi iuſto Dei iudicio exciderint, vt teipſo iudice redarguaris? Certè ſi definitio eſſentiam rei declarat, & corpus id dicitur omniũ confeſſione, quod triplici dimenſione conſtat, quantitatem à corpore non magis quàm rationis participem eſſe ab homine, & ſpecificam formam à ſua ſpecie ſeparaueris abſque rei ipſius interitu. Quanto verò magis id faciendum eſt quum de corpore quantumuis glorioſo, tamen compoſito & organico quæritur? Sic enim Ambroſius, *Omnis creatura certis ſuæ naturæ limitibus circumſcripta eſt: nec creatura dicenda eſt, quæ non habet circumſcriptã determinatámq; naturã.* Et Auguſtinus, *Ego corpus Chriſti ita eſſe in cælo credo, vt erat in terra, quum aſcenderet in cælum.* Item, *Chriſtus eſt in loco aliquo cæli propter veri corporis modum, cui immortalitatẽ dedit, naturã non abſtulit.* Et Theodoretus, *Corpus Domini quod reſurrexit, à corruptione quidem & interitu alienum, & impaſſibile & immortale, & diuina gloria glorificatum, & ſeſſione ad dexteram Patris dignatum eſt, & à cæleſtibus adoratur poteſtatibus, corpus tamen eſt, & eandem quam priùs habuit, retinet formam, figuram, & circumſcriptionem.* Paralogiſmus autem ille quàm puerilis & ineptus eſt, corpus eſſe ſubſtantiam non accidens? quaſi verò quiſquam ignoret corporis nomen modò ſubſtantiam dici, quatenus videlicet res eſt materiata, ſiue ſimplex ſiue compoſita: modo verò quantitatem tribus conſtantem dimenſionibus. Phyſica hæc ſunt, dices. Sanè ſunt, & quidem prorſus firma & immota, ex inuariabili Dei conditoris voluntate. Tales enim res eſſe neceſſe eſt quandiu ſunt, quales illas Deus in rerum natura vult extare. Hunc autem ordinem quo rerum genera, & ſpecies, ac fundamenta diſtinguuntur, etſi conditori non magis difficile eſt immutare vel etiam abolere, quàm illi facile fuit omnia ex nihilo condere, ſi ò qui ordine digerere: nihil tamen ſimul id eſſe quod fuit, & aliud eſſe quã fuerit magis poteſt, (de formis ſpecificis loquor) quàm ſimul eſſe & non eſſe. Verè igitur Auguſtinus apud Proſperũ, *Deus, inquit, ſic eſt omnipotens, vt nunquam ſuæ rationis inſtituta conuellat.* Et ne tuo more declamites ex iſtis ſpeculationibus de corporibus glorioſis non eſſe diſputandum, inſcienter te loqui dico, tum quia tẽpore inſtitutionis Cœnæ Domini glorificatum nondum erat illud corpus, nec vt glorioſum, ſed vt iamiam crucifigendum traditum eſt: tum etiam quoniam Chriſtus ipſe te refellit, vt qui poſt reſurrectionem non alia ratione ſe probet verum illud naturale ſuum corpus conſeruaſſe, ſine eũ ipſum eſſe qui ante mortem fuerat, quàm quòd videri, tangi & contrectari ſe iubet, vt neceſſe ſit tale fuiſſe Chriſti argumentum, Videtis me & tangitis: Ergo non ſpiritũ, ſed corpus videtis. Atqui nullũ eſſet iſtius collectionis robur, ſi vel ſpirituũ ſubſtantia aſpectabilis & cõtrectabilis, vel corporũ ſubſtantia non aſpectabilis vel cõtrectabilis eſſe poſſet. Nã ſi verũ illud eſſet, reſpondere potuiſſent diſcipuli vel apud ſe cogitare, Etiam ſi hunc videmus & tangimus, tamen propterea non ſequitur hoc aliud eſſe quàm ſpiritum, quum ſpiritus etiam videantur & tangantur. Ex altero verò efficeretur tam malè argumentatum eſſe Chriſtum quàm ſi dicerem, Hoc eſt album, ergo homo eſt. Itaque quicquid nugeris, tam vera & neceſſaria eſt hæc conſequutio, Hoc videri & tangi poteſt (de ipſa rei natura in ſe conſiderata loquor). Ergo corpus ſiue quantum eſt: quàm iſta, Hoc neq; aſpectabile neque contrectabile eſt: Ergo corpus ſiue quãtum non eſt. Sed dicet aliquis, quorſum iſta, quum Sanctius diſertis verbis fateatur *corpus Chriſti in Sacramento retinere ſuam quantitatẽ, & ſuæ quantitatis circumſcriptionem?* Et ſanè fateor illis opus non fuiſſe, niſi poſtea à ſeipſo diſſentiret, quum ſic totidem verbis ſcribit, *Negamus talem hanc quantitatum circumſcriptionem, aut limitationem dici aut haberi ex locorum magnitudine aut multitudine, ſed ex eius rei proportione quæ ſubſtantia & quãtitas nominatur in naturali corpore.* Ergo naturale nunc quoque confiteris Chriſti corpus, & quidem rectè. Sed quomodo inter ſe conſentiat locorum multitudo cum limitatione quantitatis ſiue ſubſtantiæ, id eſt, quomodo quantum ſit non quantum, finitum infinitum, tu videris. Deinde quæ ſit iſta tua proportio quam innuis, totúmque iſtud ænigma, cuius obſcuritate abſurdiſsimum & mõſtroſiſsimum iſtud dogma occultari poſſe exiſtimas, quis tandem explicabit? Antea oſtendimus poſito corpore propriè ſic vocato, ſequi quantitatem, quum ſpecifica corporeæ ſubſtantiæ forma ſit magnitudo. Nunc quum veritatis vi adactus, poſueris quantitatem & circunſcriptionem, tamẽ locum tollis, qua in re quis tandem tibi aſſentietur, quin tecum prorſus inſaniat? Quid enim aliud eſt circunſcriptum eſſe corpus quàm ex neceſſitate loco circumſcribi? Sed tamen callidè hoc attigiſti. Interdum enim quaſi non de loco, ſed de anguſtia loci controuertamus, ſic ſcribis, *Affirmamus ſubſtantiam & quantitatem ex ſua natura indifferentes eſſe ad locorum breuia ſeu capacia interualla, ideóque non inferri debere neceſſariò ex ſubſtantiæ & quantitatis definita natura certi loci menſuram, quũ loci proprietas non ſit intrinſeca ſubſtantiæ aut quantitati, ſed aduentitia & accidentaria.* Interdum verò audaciùs loquens ad potentiam Dei confugis, nec contentus in tantas anguſtias corpus Dominĩ redigere, vt illud etiam comparare ſuſtineas minimis putrefacti in ſepulchro cadaueris particulis, progrederis ad naturarum incorporearum modum, neque eo contentus, tandem apertè prodis quid ſentias, & quænam tibi ſit religio vnum locum corporeæ magnitudini conuenientem tribuere, ne illud includere carcere videaris, ei tamen pluribus ſimul locis eſſe, id eſt quod vnius Deitatis proprium eſt, & vſqueadeò proprium, vt & vni & ſoli & ſemper conueniat, accõmodas, vſqueadeò neceſſe eſt præcipites tandem dari, qui ſcientes prudentes à veritate aberrant. De iſtis igitur ſingulis agè pleniùs & diſtinctè diſſeramus. Locales eſſe, id eſt loco aliquo neceſſariò com-

prehendi & circunſcribi corporeas ſubſtantias qui negat, vſqueadeò repugnat veritati vt planè ſit indignus quicum vlla de re diſputetur. *Spatia tolle corporibus*, inquit Auguſtinus de ipſa glorificati Chriſti carne loquens, *& corpora non erunt*: & , *ſi corpus, ergo in loco*, quod etiam ſi non dixiſſet ille, tamen ordo ipſe rerum, ſaluis manentibus rebus immutabilis, conuincit. adeò quidem vt quod millies eſt à nobis obiectum, à vobis autem nunquam refutatum, ne deitas quidem ipſa effugitura ſit loci circunſcriptionem ſi quantitatem haberet. Certi autem loci nomine ſi locum vnum quempiam intelligis, quo veluti carcere contineatur Chriſti corpus, tute tibi monſtra quæ debelles comminiſceris. Nec enim aliud docemus quàm quod Scriptura docet, in cælos aſcẽdiſſe Chriſtum, terris verè ſecundum carnem relictis, ibíque in gloria inenarrabili & nobis incomprehenſibili collocatum, nec inde ante vltimum illum diem illa vera carne ſua vllo modo deſcenſurum. At vos dum illi pyxidas tam multas & tam multos vẽtres attribuitis pro domiciliis, videritis quibus & quàm honeſtis anguſtiis illum includatis. Sin verò certum locum appellas certum ſpatium modulo corporis humani organici conueniens, quod nec maius nec minus eſſe poſsit, de hoc minimè tecum contendero, modò ne atomum pro Chriſti corpore ſubſtituas. Et quorſum iſta de rebus incompertis neque nobis patefactis, id eſt de corporum glorificatorum vel magnitudine vel tenuitate aut ſubtilitate diſputatio? Verùm ſi certum locum vel proprietatem loci appellas vnius alicuius loci quantuſcunque tandem ille fuerit circunſcriptionem, ſiue, vt ita loquar, localitatem, tum ſanè dico vni toti corpori non poſſe ſimul plures locos attribui, quin vnum corpus plura eſſe corpora, id eſt te prorſus amentem eſſe confitearis. Etenim ſicut Quantum eſſe eſt ipſa corporis ſpecifica forma, ita Locale eſſe, id eſt aliquo loco neceſſariò contineri, accidens eſt à quantitate corporis inſeparabile, quia ſi corpus, vel ipſo teſte Auguſtino, ergo & in loco. Iam audiamus tuas in contrariam partem rationes. Confugis ad modum exiſtendi ſpiritualium glorificatorum corporum proprium. Atqui primùm probare te oportuit ſpiritualia corpora idcirco dici quòd exiſtere incipiant modo ſpirituum, id eſt incorporearum naturarum proprio, ſiue quòd in ſpiritus transformẽtur. Corpora enim, id eſt quantitate prædita eſſe non poſſunt, & eo modo exiſtere quo exiſtunt incorporea & quantitatis expertia, quũ quæque res ſpecifica ſuæ naturæ forma exiſtat, qua ab altera prorſus diſtinguitur. Neque nos de hoc vel illo loco, ſed de localitate corporis (vt ita loquar) diſputamus. Quantitatem autem retinuiſſe corpus Domini, id eſt corporis naturalis organici circunſcriptionẽ, tutemet faſſus es, & diſcipulis ſuis Chriſtus ipſe veris ac neceſſariis demonſtrationibus confirmauit. Totum igitur iſtud nugatorium eſt, vt & illa quæ millies à noſtris explicata nobis reponis de partu virginis, de tranſitu per lapidem ſepulchri, & per ianuas clauſas, quoniam, inquis, more ſpirituum ſolida & inania penetrauit. Iſta, inquam ad quæ tu refugis latibula, etiam ſi inde ipſa te veritas non extruderet, tamen occulare tui dogmatis falſitatem nequeunt. Demus enim etiam tibi, ſi vis, corpus Chriſti omni quantitate ſpoliatum in ſpiritum eſſe commutatum, num ex eo colligeris multis ſimul locis exiſtere Chriſti corpus, quũ non ignores Spiritus ſancti Deitatem qua à cunctis ſpiritibus creatis ſeiungitur, ex eo quoque comprobari, quòd ſit vbique, iſti verò eodem tempore vno tantùm ſint loco, quamuis illum corporum modo non compleant? Et iſtud cuiuſmodi tandem eſt quod de corporibus in puluerem redactis ſcribis? *quorum*, inquis, *ſubſtantia ſine quantitate & ſine certa loci magnitudine ſuperſtes eſt*. Primùm enim eius corporis quod omnem corruptionem effugit quæ comparatio eſt cum corpore per putrefactionem in minimas particulas diſſoluto? Deinde vt in minimas etiam particulas diſſolutum ſit eiuſmodi corpus, num tamen ideo omnis quantitatis, & loci expertes illæ fuerint? Sic etiam in elementa reſolutum, & corpus compoſitum eſſe deſierit, ſanè tunc dixero corpus eſſe deſiiſſe, nec tamen inde concludam periiſſe, ſed dixero ea ipſa Dei virtute inenarrabili reficiendũ qua priùs conditum fuerat. Quorſum id tamen ad id corpus de quo à nobis quæritur, quod ſaluũ illibata ſua quantitate permanſiſſe inter nos conuenit? Eam enim ſubſtantiam quæ amiſſa corporis organici forma in minutiſsimas particulas diſsilierit, vel effugere oculorum aciem, vel, ſi cernatur, ea forma non cerni qua prædita eſſe deſiit, nihil mirum eſt. Inde verò quum colligis corpus ſolidum, naturale, organicum, aſpectabili natura non eſſe, aut tam anguſto ſpatio quàm puluiſculum contineri, ecquis ſatis ſanæ mentis tibi aſſentiatur? Et vt hoc demus, quid hoc ad locorum pluralitatem ſiue vbiquitatem facit? Pluribus enim locis ſimul eſſe & omnibus locis, vnius eiuſdémque eſt virtutis ac naturæ. Itaque quum eandem hanc comparationem aliquot interiectis paginis repeteres, rectè omnino feciſti, quòd pluralitatem locorum exceperis, de qua tamẽ vel præcipuè inter nos quæri non ignoras. Sed illa certè calumnia prorſus intolerabilis eſt, quòd quum veritatem corporis humani fatearis euſque à nobis defendi, vt penè nihil vltra ſenſum velimus de Chriſti humanitate apprehendere, tu verò apertè nos reuoces ad modum exiſtendi ſpiritibus proprium quem vis corpori Chriſti accidere, dicere tamen te non pudeat earum hæreſeon à nobis iaci fundamenta quibus traditum eſt Chriſtum humanum corpus, non reipſa ſed, *δοκήσει*, aſſumpſiſſe, vel carnem Chriſti fuiſſe a Diuinitate abſorptam: quæ tamen hæreſes, ſi tuum verum eſt dogma, manifeſtè ſtabiliuntur. Quid plura? tandem ad omnipotentiæ Dei *κρησφύγετον* illud deuenis in quo ſi te continuiſſes, rectiùs ſanè feciſſes, neque in illarum abſurditatum gurgitem te proieciſſes, ex quibus elabi nunquam poteris. Sed quid ſi hinc quoque te veritas detrudat? *Innitimur*, inquis, *verbo Chriſti, Hoc eſt corpus meum*. Quaſi verò nos aliud fundamentum quàm hoc ipſum ſtatuamus. Quoties autem tibi reſponſum fuit non pugnare inter ſe verbum Domini, veſtram autem de iſta præſentia ſubſtantiæ in terris non magis cum analogia fidei quæ eſt omnium in-

terpretationum

terpretationum norma,congruere quàm cum luce tenebras? *Imo*, inquis, *verbum Dei docet corpus Chriſti exiſtere quot in locis Cœna Domini celebratur, ideóque animum attollimus ad Diuinam potentiã quæ creaturis ſupra naturam & proprietatem illarum plura valet conferre quàm nos poſſimus comprehẽdere, ideóque dicimus impiè excipi contra Dei verbum,ipſúmque refelli ex naturali creaturarum conditione, & addimus ex pluralitate locorum ineptè infinitatem corporum à Beza concludi, quoniam à nobis non concipiatur quàm latè pateat Diuina virtus ad conſtituendum idem corpus pluribus in locis citra eorundem infinitatem.* Hæc verò rurſum vt appareat quàm falsò & quàm calumnioſè nobis obiicias, ſic verè & ſimpliciter reſpõdeo. Quot locis Cœna Domini ex ipſius inſtitutione celebratur, corpus quoque Domini ſacramentali modo ſiue in Sacramento adeſſe, id eſt ita vt præterquam quòd ſymbolis ſignificatur, verè quoque ad vitam æternam ſpiritualiter per fidem participãdum detur, abſit vt inficiati vnquam ſimus: veſtram autem illam præſentiam corporis cum ſymbolorum ſiue ſubſtantia, ſiue accidentibus, ideo non credimus, quia verbo Dei credimus. Quod ad Diuinam potentiam attinet, tam credimus Deum omnia poſſe quæ à potentia proficiſcuntur, quàm credimus Deum eſſe: quia ſi Omnipotens non eſt, ne Deus quidem eſt. Itaque poſſe illum corpora non modò inenarrabilibus donis ornare, verùm etiam, ſi liberet, in res alias infinitis penè partibus nobiliores tranſmutare: & contrà donis prout libuerit ſpoliare, adeóque in nihilum, ſi volet, redigere, cui tandem orthodoxo dubiũ eſſe poteſt? Sed poſſe Deũ efficere vt aliquid ſimul ſit & non ſit, vel ſimul eodémq; reſpectu tale ſit & tale nõ ſit, id eſt exempli gratia, vt aliquid ſit corpus & nõ corpus (ſi corpus autẽ eſt, ergo & quantũ, & eodẽ tempore vno tantùm loco) hoc verò pernegamus: nec propterea omnipotentiam ei adimimus, imò ideo hoc non poſſe dicimus, quia mentiri non poteſt, mentiretur autem vna ex parte, ſi quæ contradictoria eſſe voluit, vellet, quia contradictoriorum alterum falſum eſſe oportet. mentiri verò non eſt potentiæ alicuius, ſed infirmitatis. Cæterùm ſiue pluribus ſiue omnibus ſimul locis eſſentialiter & quidem illocaliter adeſſe (vtrunque enim æquè valet & eadem cauſa nititur) infinitatis, ideóque Deitatis proprium eſſe probatione non eget. Ergo loco comprehendi ſiue proprietate naturæ quod incorporeorum eſt, ſiue quantitatis mole quæ eſt corporum ſpecifica forma, finitæ naturæ proprium eſt, quo ſublato, res omnes creatas aut euadere Deos (infinitum enim eſſe & Deum eſſe idem valent) aut in nihilum redigi oportuerit: quorum iſtud ſi vellet, poſſet ſanè Deus tam facilè quàm ex nihilo omnia condidit: illud verò velle non poteſt, quoniam Deitatis multiplicatio nõ eſſet potentiæ ſed infirmitatis, quum vt ipſi philoſophi cognouerunt, multiplicatio ſit à materia, ideóque Chriſtiani tres quidem hypoſtaſes, vnicam verò Deitatem confiteantur. Ita verò orthodoxos aduerſus Eutychianos illud ipſum potentiæ diuinæ argumentum quod ab illis mutuati eſtis proferentes, diſputaſſe, & hoc ipſum quod reſpondemus reſpondiſſe (ſicut prolatis toties Theodoreti, & Vigilii expreſsis teſtimoniis oſtendimus) qua tandem conſcientia, diſsimulas? Et de præſentia quidem illa veſtra hactenus dictum eſto. Nunc ad realis manducationis argumenta propiùs accedamus, quæ tamẽ ſi labefactetur illa præſentia, neceſſariò quoque ruant oportet.

In primis hoc mordicùs retines, *oportere realiter coniungi ſubſtantiam carnis Domini cum noſtra & animabus noſtris, ac proinde illam inueniri vbi agunt animæ noſtræ & corpora, & reipſa ſumptam applicari reipſa animabus noſtris ſine corporibus.*

Sed cuiuſmodi tandem rationibus iſta innituntur? *Quinam enim*, inquis, *fieri poteſt vt quæ ſe non contingunt, reipſa coadunentur?* Oſtende igitur nobis quis ſit animarum noſtrarum cum carne Chriſti, id eſt rei incorporeæ cum corporea contactus. Deinde an eius oblitus es quod nobis obiicere conſueuiſtis, nempe Capernaitarum & incredulorum eſſe iſtud QVINAM ſiue QVOMODO?

Præterea, inquis, *quod non eſt, ſumi non poteſt. Ergo neceſſe eſt vt adſint res eo modo quo ſumuntur, id eſt adſint reipſa vbi reſident animæ & corpora.* Imò non te pudet vſqueadeò ineptire, vt inter ESSE & ADESSE non diſtinguas? Imò ſumi etiam ſpirituali modo per fidem ea quæ non ſunt, idque quàm efficaciſsimè, annon ſatis apertè oſtendit Apoſtolus, ſcribens eandem eſcam comediſſe Patres, & eundem atque nos potum, Chriſtum videlicet, non vtique ſecundum carnem natum, ſed certò naſciturum, ideóque fidei iam oculis præſentem, bibiſſe? Et an non hoc idem ſatis perſpicuè docet Auguſtinus, teſtificans veterum Sacramenta quoad ſigna fuiſſe à noſtris diuerſa, quoad ſignificata, paria fuiſſe? Denique vt illud verum ſit, oportere res adeſſe eo modo quo ſumuntur, vti ſanè verum eſt, non vides te incurrere in petitionem principii, quam dialectici vocant, quum velut eo conceſſo de quo quæritur, manducatione videlicet corporali, modum præſentiæ corporalem eſſe concludis? Cur non verò viciſsim ego concludero ex eodem antecedente, ſpirituali modo carnẽ Chriſti & adeſſe & coadunari? Sed age, audiamus quouſque tandem oppugnandæ veritatis ſtudio abripiaris.

Hoc, inquis, *patet ad ipſam vſque Diuinitatem, quæ ſi tantùm potentiam ac virtutem diffunderet vbique, & non ſuam eſſentiam re vera & actu omnibus in rebus exhiberet, eiſdémque ineſſet & VNIRETVR, non diceretur reipſa omnibus aſſiſtere, manere in ſingulis & vbique verè præſens eſſe: quantominus caro Chriſti quam Diuinitati non adæquamus, ab anima ſiue corpore dicetur reipſa percipi, niſi reipſa illis copuletur, & ibi adfuerit vbi ſunt antequam reipſa capiatur?* En tandem, veros ac planè genuinos huius veſtræ pertinaciæ fructus. Illud ſanè peruulgatum quis negarit, *Enter, præſenter Deus eſt, & vbique potenter?* Vniri verò Deum omnibus rebus, ac proinde ipſis etiam dæmoniis & impuriſsimis quibuſque, dic tu mihi, quis vnquam niſi penitus impius dicere auſus eſt? Certè præterquam quòd ſine horrore tanta blaſphemia ne audiri quidem

poteſt,ſi vnum eſt Deus cum rebus omnibus,cauſa non erat cur Chriſtus Patrem rogaret vt vnũ fieri vellet cum omnibus in ipſum nomen credituris.Deinde quo tandem pudore,vel ipſis electis & credentibus dixeris Deitatem eſſentialiter,aut alia ratione quàm ſpiritualis *ἐνεργείας* participatione vniri?Sola enim caro Chriſti ea eſt in qua verbum *σωματικῶς* habitat,ac proinde cui vni datum eſt non tantùm *ἐνεργητικῶς* vt nobis credentibus,ſed etiam *καθ' ὑπόστασιν* Deo verbo vniri. Denique ratione vel illius ſuſtentationis quæ rebus omnibus ſubſiſtentibus eſt communis,vel etiam ſanctificationis quæ eſt credentium propria,dici,ſine blaſphemia non poteſt Deus ſecundum eſſentiam vniri. Sed & iſtam formulam, DEVM REBVS OMNIBVS INESSE, ac multò etiam magis iſtud, DEVM IN SINGVLIS REBVS MANERE,ex quo tandem Scripturæ loco probaueris?Etſi enim eſſentia Dei vbique eſt,& omnia quæ ſunt præſens conſeruat,tamen illis verbis aliquid multò præſtantioris effecti,& vnis ſanctificatis proprium vbique in Scripturis declarari certum eſt.Ideo dicit Chriſtus de ſolis credituris loquens, Ego & Pater veniemus, & manſionem apud eos faciemus. Et Iohannes,Ex hoc,inquit,quòd de Spiritu ſuo nobis dedit, nouimus nos manere in ipſo,& ipſum in nobis. Et Paulus,Nõ poteſtis,inquit,participes fieri menſæ Domini(ergo ne Dei quidem)& menſæ dæmoniorum.Illud itaque dogma de vnitione eſſentiæ Dei cum rebus omnibus,vt impium & blaſphemum deteſtor,quorum criminum te reum facio:iſtas verò *καινοφωνίας* vt prorſus improprias, inſolentes, & vſitatis verbo Dei phraſibus repugnantes repudio. Ad rem ipſam autem ſic reſpondeo.

Quòd Deus vbique totus eſſentialiter eſt præſens,omnia comprehendens,à ſeipſo exiſtens, & à nullo neque totus neque ſecundum partes comprehenſus,ipſe videlicet ſimpliciſsimus ipſáque adeò ſimplicitas,à natura Dei eſt,cuius eſt infinitum Eſſe & Poſſe. Quòd verò præſens omnia ſuſtentet & regat,eſt ab ipſius voluntate,quæ cum natura & potentia ipſius prorſus conſentit. Nam alioqui non poſſe niſi reipſa præſentem aliquid authoritate ſua & mandato efficere, certum eſſet non ſatis potentis naturæ vel poteſtatis argumentum. Ponamus igitur (quoad abſque impietate facere poſſumus)non eſſe infinitam Dei eſſentiam,dico futurum tamen,quum infinitæ ſit potentiæ,vt abſens ſolo nutu omnia tam potenter & tam efficaciter ſuſtentet & gubernet, quàm præſens ſuſtentat & gubernat : quod niſi concedas, id eſt ſi neceſsitate quadam extra naturam ipſius conſiderata,quicquam Deum non niſi præſentem poſſe ſuſtentare & gubernare dicas, hoc ſanè præſentiæ vel abſentiæ nudo & ab ipſa natura ſeparato reſpectu,multos non tantùm Reges & Dominos,verùm etiam priuatos feceris ipſo Deo potentiores. Hinc æſtimare quiuis,opinor,poterit, quàm eluribe ſit hoc tuum argumentum,cuius etiam refutationem nobis tuemet ſuppeditas. Nã verbo negas te exæquare carnem Deitati,quod tamen teipſo facis, quum vtranque dicis poſſe reipſa præſentem, ſi non omnibus,at certè quotcunque volueris locis adeſſe. Quod enim fortaſsis excipies plus eſſe Vbique quàm plurimis ſimul locis adeſſe,nihil te iuuat,quoniam Pluribus locis & Omnibus locis eſſentialiter adeſſe,non genere,ſed ſecundum plus & minus differunt, ideóque vni eidémque naturæ conueniunt:& quum tam ad vnum quàm ad alterum iſtorum duorum,eadẽ infinitas neceſſariò requiratur,amentis hominis fuerit, animo concipere aliquam eſſentiam multis eodem tempore locis adeſſe, quæ omnibus ſimul locis non adſit,id eſt aliquid eſſe magis vel minùs infinitum. Nihil etiam te iuuerit aliud Vbiquiſtarum cauillum, ad quos paulatim deficis. Longè etenim,inquiunt , aliud eſt Non niſi aliunde & ex dono ſupernaturali adeſſe ſimul multis locis,quàm Ex ſeſe,id eſt ſuapte vi & natura vbique adeſſe. Hoc verò quid aliud eſt quàm vel contradictoria ſimul ponere,(mutuò etenim ſe conſequuntur,Finitum,& eodem tempore vno tantùm loco eſſentialiter reipſa adeſſe,itémque,infinitum eſſe,& ſiue pluribus locis ſiue vbique eſſentialiter ac reipſa adeſſe:ex quo conſequitur ſicut contradictoria ſunt Finitum eſſe & Infinitũ eſſe, ſic etiam inter ſe repugnare Vno tantùm loco ſemel adeſſe,& Pluribus locis,vel vbique ſimul adeſſe) vel binos infinitos,id eſt binos deos , vnum quidem à ſe,alterum per aliũ ſtatuere? Centurio ille cuius fidem tantopere Chriſtus ipſe commendauit,teſtatus eſt ſe non dubitare quin Chriſtus etiam abſens ſecundum carnem,poſſet vitam moribundo reſtituere:nec eum iſta ſpes fefellit. Et tu eundem Chriſtum negabis itidem verbo,quantumuis abſentem ſecundum carnem,poſſe nos à morte æterna ſeruare? Audi quid dicat Cyrillus lib.in Ioh.11,cap.22. *Quum Deitati ſeruatio attribuatur,non debetis,inquit Chriſtus,carnis præſentiam propterea deſiderare.* Sed proſpicio quid ſis excepturus,te nimirum non agere de virtute,ſed de perceptione carnis ſiue vnitione cum ipſa Chriſti carne,quum minimè neges carnis etiam nõdum extantis virtute ſeruatos fuiſſe Patres. Eſto. Quomodo igitur cohærebit tuum illud argumentum à Deitatis virtute ſumptum ad carnis Chriſti præſentiam? Ideo in antecedente inieciſti etiam realis cum ipſius eſſentia vnitionis mentionem, quod dogma vt impium & blaſphemum refutaui. Deinde ſi ad ſalutem , qui vnicus eſt tum prædicationis tum Sacramentorum finis , illa quam tu ſtatuis præſentia teſte Cyrillo non eſt deſideranda,qua de re,quæſo,tam pertinaciter contendis? De vnione ipſa,dices. Rectè profectò. Nemo enim ſeruatur niſi Chriſti particeps,quum extra Chriſtum non ſit ſalus,& neque Verbũ extra carnem ſeruet, neque caro in alio quàm in Verbo ſit viuifica , neque hæc vita in alios à capite Chriſti , quàm in ipſius membra promanet. Sed quis tibi largietur ad hanc vnionem requiri vllam ſubſtantiarum carnis Chriſti & noſtræ *συναφὴν*, quam neque corporis veritas, neque ſpiritualis vitæ ratio patitur? Et quorſum tu iſtud, *Animarum ſeu corporũ realem contactum*, &, *Animas noſtras ſeu corpora contingere reipſa ipſam carnem Domini*:& , *Ab anima ſiue corpore percipi*? Loquere, inquam,apertè,& prodi in lucem,tenebrio. Tibi dicendum eſt,aut ſimul vnóque momento tum animam tum corpus contingere carneam ipſam Chriſti ſubſtantiam , aut corporum eſſe hunc contactum,& inde ad animã peruenire, aut ab anima incipere,& ipſum corpus poſtea colligare.

Si primū illud intelligis, nullus fuit illi diſiūctiuæ particulæ ſ e v locus, & demonſtres nobis oportet reipſa extra hypoſtaticam vnionem poſſe ab incorporea ſubſtantia animorum noſtrorum contingi, & ei realiter ἁφῶς appellari carneam Chriſti ſubſtātiam. Sin alterū mauis, ergo noſtro corpori ἁφῶς cohærebit alterum, nempe Chriſti corpus, vt reipſa ſint bicorpores omnes Chriſtiani, ipſe autem Chriſtus tot corporibus quanuis non hypoſtaticè, tamen eſſentialiter reipſa & ἁφῶς conſtet, quot vnquam fuerunt, ſunt aut erunt verè Chriſtiani. Et præterea aliud inde conſequetur, nempe à corpore incipere vitam æternam hominis, vt inde in animam defluat, quod tam eſt abſurdum vt refutatione non indigeat. Sin verò tertium amplecteris, id eſt cibum hunc, vt loquitur Auguſtinus, mentis eſſe non ventris (minimè id quidem quaſi non etiam corpus viuificet, ſed quòd mente per fidē, non corpore percipiatur) nempe vel tibi in noſtras, id eſt veritatis partes tranſeundum erit, vel probandus, vt anteà dixi, eſſentiæ corporeæ cum incorporea realis contactus. Sed præterquàm quòd corporis quidem finiti veritas locorum pluralitatem, incorporea autem natura, qualis eſt animus noſter, contactum illum realem nullo modo patitur, iſtud quod dicit Apoſtolus, nos videlicet peregrè abeſſe à Domino quandiu in hoc corpore peregrinamur, & ſummus omnium veterum Patrum conſenſus Angelis conſentiens in aſſerenda Chriſti abſentia ſecundum carnem, vſque ad vltimum diem, nulla prorſus addita Cœnæ Domini exceptione, an non manifeſtiſſimè veſtrum quidem dogma redarguunt, ſententiā verò noſtram confirmant?

Sed audiamus alterum quiddam planè mirificum. *Fruſtrà*, inquis, *illuſiones fiunt à Caluiniſtis de potentia Spiritus ſancti, per quam cohæreant inter ſe longiſſimè diſiuncta. Nam niſi potentia illa applicet reuera vnum alteri ex ſeparatis vt ſe contingant, non illa coadunabit reipſa inter ſe, ſed per vinculum commune colligabit, nec tamen efficiet reipſa coniuncta inter ſe. Non enim quæ vni tertio reuera annectuntur, propterea connectuntur inter ſe re vera, vt cælum & terra ſi dicerentur per elementa intermedia vniri, non tamen per id inferretur aptè coadunari inter ſe reipſa, quoniam non maior ſit appropinquatio cæli & terræ quàm ſi nullum interueniret ligamen.* Reſpondeo trinam vnitionem in verbo Dei commemorari, quarum nulla hoc nomen meretur ſi verum eſt quod ſcribis. Nam & cum Deo Patre & cum Chriſto, & inter nos vniri nos ad ſalutem neceſſe eſt. Primæ verò vnitionis vinculum & colligamen vnicum eſſe noſtram cum Chriſto mediatore coniunctionem, ne tu quidem auſis opinor inficiari. Aut igitur impropriè locutum eſſe Spiritum ſanctum oſtende, aut verè & reipſa vniri excluſo etiam mutuo contactu concede fideles omnes cum Deo, quia Chriſtus, qui idem eſt homo & Deus, nos vnum ſecum faciens, etiam Patri annectit quîcum vnus eſt natura Deus. Et vt noria quanti hæc vnio ſit momenti, dico reliquas duas ad hanc tanquam finem & terminum referri, & ſine hac prorſus inutiles futuras. Idem dico de tertia qua inter nos vnimur, non modo conſenſu ſed etiam corporibus vt loquitur Cyrillus. Quum enim cū Chriſto omnes vnum corpus ſimus, ſanè etiam inter nos vnum in ipſo euadimus. *At nihilominus*, inquit Cyrillus, lib. 11. cap. 25. in Ioannem, *corpore & anima diſtamus, ſed Chriſtus modum adinuenit, conſilio Patris ſui & ſapientia conuenientem. Suo enim corpore credentes per communionem myſticam benedicens, & ſecum & inter nos vnum corpus nos effecit.* Ex his igitur conſtat, Monache, membrorum Chriſti inter ſe colligationem non eſſe ἁφῶς, quæ tamen eſt & dicitur reipſa vnio, eáque non tantùm conſenſus, ſed etiam corporum, quod diſertè exprimit Cyrillus. *Quomodo enim*, inquit, *vniuerſi inter nos vnum non erimus, ſi omnes inter nos vnum cum Chriſto corpus ſimus?* Ergo & hîc mentiris. Reſtat media quæ eſt vtriuſque illius extremæ vinculum, noſtra videlicet cum Chriſti corpore ſeu carne, quam & ipſam abſque vllo cōtactu corporum quem tu craſſiſſimè imaginaris fieri, audi quàm apertè idem Cyrillus hoc argumento demonſtret. Qua ratione ſimus inter nos vnum corpus, eâdem quoque Chriſtus eſt noſtrum caput, quum per id euadamus vnum inter nos corpus quòd illi tanquam vni capiti adhæreamus. At ſic ſumus vnum corpus inter nos vt tamen alii ab aliis & corpore & anima diſtemus. Ergo ſic & ille tanquam caput nobis concorporibus adhæret, vt tamen nullus inter illius corpus & noſtra contactus requiratur, quo etiam figmento nihil monſtroſius & à vita ſpirituali alienius fingi poſſit. Rectè itaque Auguſtinus de Chriſto loquens Saulum compellante, *Caput*, inquit, *erat in cælo, membrum erat in terris.* Denique quot teſtimoniis totius eruditæ vetuſtatis probatur corporis Chriſti vera abſentia à terris, & vera in cælis circunſcriptio, (illa verò toties iterare nos pudet) tot firmiſſimis & inexpugnabilibus argumentis conſtat nunquam illos de iſto reali corporum contactu quicquam cogitaſſe: & quum neque à Verbo Dei neque à ſeipſis hac in re diſſidere exiſtimandi ſint, quæcunque ſcribunt de Chriſti cum ſymbolis præſentia, ſacramētaliter, quæcunque de corporis manducatione noſtráque cum Chriſto vnione tradunt, ſpiritualiter eſſe accipienda. Illam autem ſimilitudine vnionis cæli & terræ per interiecta elementa quorſum tandem acceſſis, quum illam capitis & membrorum in promptu habeas? Num verò vnicum collum capiti vnitum, ac non etiam cætera membra cum capite vnita exiſtimabimus? Sed ne in hac quidem ſimilitudine omnis conuenire vel illud demonſtrat, quòd alioqui cohærere nos quoque inter nos mutuo corporum contactu oporteret. Ex his autem efficitur vniri nos quidem & Deo, & inter nos oportere, cuius vnionis vinculum eſt Chriſtus, quîcum vnum corpus & vnus ſpiritus facti, cum ipſo & in ipſo tum Patri tum inter nos vnimur. Totū hoc myſterium, eſt Spiritus ſancti operatio in ſolis credētibus tū per ſimplex verbū tū per Sacramenta, cuius vnius Spiritus efficaci ſuo interuentu & participatione nos colligātis vnū in Patre, Filio, ipſóq; Spiritu ac inter nos etiā ſimus, & volūtatū & pietatis cōſenſu, & ſanctæ Chriſti carnis cōmunione. Tuā illā verò realē corporis Chriſti traiectionē audi quantopere ſaltem Cyrillus his verbis ſit deteſtatus. *Num*, inquit, *pronuntias noſtrum hoc myſterium eſſe ἀνθρωποφαγίαν, & irreligioſè ad craſſas cogitationes vrges eorum qui crediderunt mentes, & conaris humanis cogitationibus tractare quæ S O L A pura & minimè*

inquiſitionibus indulgente fide percipiuntur? Nam quod tu nugaris de exiſtendi modo ſpiritibus peculiari, quem ad Chriſti corpus applicas, ſatis ſupérque à nobis paulò antè refutatum arbitror.

Tantùm quædam particulatim expendam. *Corpus Domini,* inquis, *extat in ore & ſtomacho quandiu manet panis incorruptus, non tamen corruptibili naturali & fragili modo, ſed eo quo incorporei ſpiritus exiſtunt.* Hæc quum totidem verbis ſcripſeris, Santeſi, prætetquàm quòd recurret quæſtio, quò tandem igitur euadat iſtud corpus poſt panis corruptionem, tibi etiam atque etiam videndum eſt quomodo ſis iſta coram Sorbona excuſaturus. Etenim ſi quod mordicus tuemini nihil remanet ſubſtantiæ panis, quorſum iſta de pane manente incorrupto, vel corrupto? Audi igitur iſtud, inquã, & ſi potes, nega tuis ipſius retibus te implicatum teneri.

Sic etiam, inquis, *quamuis re vera ipſum corpus ore, dentibus, & ſtomacho tractetur & edatur, non tamen aliorum animantium more necatur, dilaceratur, concoquitur, excernitur, quoniam modus ſit incorporeus ex parte corporis Dominici, at non ex parte noſtra, quum officia corporalis eſus per os & dentes exerceamus.* Itē, *In corporis Domini manducatione* (inquis) *duo iſta ſeparamus, rem videlicet & modum: & rem quidem corpus ipſum de facto ore corporis ſumi & comedi tradimus, ſed modum manducandi incorporeum & ſpiritalem ſtatuimus.* Iſtam verò Rei & Modi non diſtinctionem, ſed ſeparationem quam vocas, vnde tandem deprompſiſti? Nam velis nolis, ſi inſtrumentorum eſus cum natura rei qua vtitur in natura conſentias, ita re vtaris neceſſe eſt vt fert ipſius natura. Itaque ſi corpus eſt, ſiue animale ſiue ſpiritale, tamen non niſi vt corpus ab alio corpore ſumi poteſt. De fractione verò, comeſtione, cõctione, egeſtione quid ſentiemus? Iſta certè ipſi carni Chriſti neq; vt animali qua præditus erat quum Cœnam inſtitueret conuenire potuit citra eius deſtructionem, neque ſpirituali, qualis nũc eſt, citra naturæ tamen corporeæ abolitionẽ, id eſt quemcunque exiſtendi modũ illi tribuas, cõueniũt. Et quum præterea ſubſtantiam panis penitus aboleas, quid tandem illud erit, quod frangi, cõminui, concoqui, egeri negare ne tu quidem poſsis? Certè vel ſola accidentia, vel nihil. Deinde cur diſtinctionem modi retices quem non modo duplicem verùm etiam ſpecie diuerſum facis? Vis enim corpus quidem noſtrum communia officia omnia corporalis eſus exercere: & tamen corpus ipſum Domini incorporeo modo comedi. Vbi igitur veſtrum illud τὸ ῥητὸν? Quis enim quidpiam incorporeo modo propriè aut aliter corpore quàm tropo quopiam comedi, comminui, cõcoqui, excerni dixerit? Et ſi corpus quod comeditur incorporeo modo comeditur, dixeríſne corpus à quo comeditur, corporeo modo id comedere? Neceſſe enim eſt quæ eſt actionis ratio, ea quoque ſit perpeſsionis, ac proinde corpus corporeo modo comedi quod aliquis corpore comedat. Eóne vſque verò te progredi potuiſſe vt ad ſtabiliendum iſtud delirium auſus fueris illa Chriſti verba detorquere, Verba quæ loquor, ſpiritus & vita ſunt? *quo loco,* inquis, *Spiritus pro ſpiritali modo & proprietate ſumitur, quemadmodum ſancti Patres interpretati ſunt.* At ego omnes illos ad vnum tibi iudices fero, & hoc dico, tantum abeſſe vt cuiquam vnquam illorum tuus iſte exiſtendi modus ſpirituum proprius in mentem venerit, quamuis non vno modo locum iſtum interpretentur, vt cõtrà quicquid vel de Chriſti Deitate carni vnita, vel de his verbis ſpiritaliter intelligendis tradunt, appoſitiſsimè aduerſus tua hæc omnia commenta citentur.

Quid ampliùs? alio etiam prætextu formulam illam Berengario à Nicolao Papa dictatam excuſans, *Loquendi conſuetudo fert* (inquis) *vt quando res ſunt copulatæ inter ſe, proprietas vnius indifferenter attribuatur alteri, ſicut Deus dicitur crucifixus, paſſus & natus, quæ propriè competunt humanitati in Chriſto: & Lucas ait poculum effundi in remiſſionem peccatorum: & Paulus contrario modo ſcribit, Corpus frangi, quod propriè pani conuenit referens ad corpus Domini, quòd eſſet tam intimum pani vt eius proprietatem dici poſſet ſubire* Ergo iam tandem τὸ ῥητὸν vigere deſinite, & tropum agnoſcite. At quem tropum? Certè κοινωνίαν ἰδιωμάτων violentum fuerit vnioni ſacramentali adaptare, vnioni hypoſtaticæ ab illa multùm diuerſæ veluti conſecratam. Synecdochen verò non potes conſtituere, quum ex hoc tropo toti conuenire non poſsit quod proprium eſt alterius partis. Itaque te incautum ipſa veritas ad metonymiam ſacramentalem Verbo Dei & vetuſtis Patribus familiariſsimam deduxit, quamuis illam commodè non interpreteris. Quòd metonymiam continentis pro contento agnoſcis in frangendi verbo, cur non etiam in Comedendi & Bibendi vocibus? Sed vide quæ vis ſit veritatis in omni falſitate redarguenda. Quum maximè vidêris aliquid dicere, nihil tamen dicis. Quum enim nihil præter corpus ipſum Chriſti & accidentia panis, quæ Specierum nomine exornas, in iſtis myſteriis permanere velis, & illa corpori non niſi impropriè & figuratè tribui dicas, aut iſtam tuam fractionem, quam propriè dicis tribui pani, qui tamen nuſquam ſit, fatere inaniſsimam eſſe Chimæram, aut ipſa accidentia & quidẽ nuda, pendula, & abſq; ſubiecto, (nã alioqui corpus Domini aut ſuã organicã formã amitteret, aut duplici forma ſpecifica præditũ eſſet) reipſa frãgi, demõſtra.

Denique vt ſemel tandem ex hoc cœno emergam, quo vos ſacram Cœnam conſpurcatis, corpus Chriſti dicere quãtitatẽ corporis nõ amittere, & tamẽ modo incorporeo reipſa adeſſe contactúque mutuo cũ eorũ corpore iungi quotcunq; ſpecies illas panis ſumũt, Deũ & homines appello an hoc ipſum non ſit, corpus quantũ ſimul & nõ quantũ, id eſt corpus ſimul nõ corpus ſtatuere.

Negaui corporalẽ corporis Chriſti perceptionẽ, qua videlicet illud ſomniatis ori noſtro ingeſtũ in ventriculũ traiici, etiã ſi vobis eã largiremur, quicquã ad vitã æternã facere. Tu verò perinde aduerſum me diſputas ac ſi minimè neceſſariã dixiſſem ipſius corporis cõmunicationẽ, quod tãtũ abeſt vt cogitarim, vt contrà vbique aſſeruerim oportere nos in primis ipſiuſmet Chriſti fieri participes, nec quenquã vel conſenſu voluntatis ſiue credendi obediẽtia vel Spiritus participatione cũ Chriſto vniri, quin ſimul etiã cũ ipſo vnũ fiat, quoniã ſola vera ſua mẽbra viuificat. Nõ ergo diſceptatur ſufficiãtne volũtatũ ſiue animorũ cõiunctio, an verò Chriſtũ ipſum participare oporteat, (quis enim id opus eſſe negarit?) ſed de corporali illo corporũ cõtactu inter nos quæritur, quẽ tu

neceſſariũ eſſe dicis, ego nec fieri poſſe, nec ſi fieret, quicquã ad ſalutem nobis profuturũ affirmo. quã quæſtionẽ quũ ſic omittas vt nihil appoſitè dicas, cauſa nulla eſt cur tibi pluribus reſpondeã.

Quæſiui & iſta, ſi verè intus traiicitur Chriſti corpus, quid igitur noui apud vos annuatim quidem laici quos vocatis, ſacrifici verò tam ſæpe quærant & percipere ſe dicant. Nam vt hæc repetitio valeat, oporteret vel Chriſtum è corpore ſumentium excedere, vel Chriſto plura corpora tribuere quæ ſigillatim ſumenda ſint, vel Cœna prima excepta, in qua corpus ipſum realiter ſumatur, reliquas idcirco celebrari duntaxat vt prima illa ſumptiõ obſignetur. Ad hoc verò tu præfatus Bezam beſtialitatẽ ſuã prodere, reſpõdes Thyeſteã eſſe interrogationẽ, & illud Chriſti, Vade retrò Satana, mihi applicas, quia nõ ſapiã quæ Dei ſunt. Nempe hoc eſt nodos expedire: & Thyeſtæ ſunt, nec quæ Dei ſunt ſapiunt, qui nõ ventre ſed mẽte percipi Chriſtũ ad vitã æternã docẽt.

At enim, inquis, ſi verum eſt quod confingitis, nempe etiam extra Cœnam illud ſpiritale ſiue quod ad reliquum vitæ maneat, & ſingulos oportere ſibi perſuadere quòd ſint in gratia & corporis Chriſti communione, idem in vos recidet, & pari ratione dicetur Spiritalis participationis Cœna fruſtrà repeti. Imò verò, nunquam ita ineptè colligeres vt facis, ſi vel in ſcholis puer didiciſſes qualitates quidem (cuiuſmodi ſunt Fides, & quæ ex fide Chriſto vniti nanciſcimur) incrementum & decrementum admittere, ſubſtantias verò non itẽ. Quod ſi excipias te non agere de ipſa ſubſtantia ſed de reali eius perceptione, huc tibi nempe deueniendum erit, vt particulatim ſeu membratim illam ſumi dicas, de quo tu videris. Ex his autem efficitur corporalis quidem veſtræ præſentiæ & manducationis repetitioni nullum locum relinqui, niſi corpus quod ſumptum fuerat exceſſiſſe poſtea fateamini: ſpiritualis verò tum præſentiæ tum communicationis obſignationi & efficacitati vſqueadeò vtilẽ eſſe Cœnæ Domini, ad hũc etiam finem à Deo inſtitutæ, repetitionem, vt qui ſciens prudens hoc fidei ſubſidium aſpernatur, vitam ſalutẽmque ſuam meritò negligere videatur.

Quid amplius? *Noſtra fides eſt*, inquis, *carnem Domini ſubeſſe panis & vini ſpeciebus quandiu demonſtrari poſſunt illibatæ & in ſua natura ſaluæ: nobiſcum autem manere quandiu manemus in ipſo ſicut ſumus conglutinati. Itaque ſi puri tota vita duraremus, fortaſſe repetito corpore Domini non indigeremus ad deperditæ ſubſtantiæ ſiue innocentiæ reparationem, ſed ad tuendam ſanitatem ligno illo vitæ egeremus.* Atqui paulò antè non tantùm in pane ſed etiam in ore & ſtomacho ſcripſiſti tandiu duntaxat manere corpus Domini, quandiu manet panis incorruptus. Dic igitur quæſo, quônam tunc excedit? num eò vnde venerat, vt veſtra illa corporum realis connexio vix ad momentum perduret? an potiùs in mentem ſubſtantia corporea reipſa immigrat? Et quid eſt Deo & hominibus illudere, ſi hoc nõ eſt? Symbola porrò deſinere ſymbola eſſe non modò quũ exinanita ſunt ipſo vſu, ſed etiam (quod ignoratis) ſimulátque finis impoſitus eſt actioni cuius cauſa totum illud myſterium inſtitutum eſt, vltrò profitemur. Sed quod docetis, eos qui ſemel verè facti ſint Chriſti membra, poſſe penitus ab eo peccatis abſcindi, id verò pernegamus, quanuis ad tempus poſſint etiam electi quaſi extra Chriſtum eſſe quod ad Spiritus energiam attinet, ſicut nimirum qui ebrius eſt, mentis quidem vſum, mentem autem ipſam non amittit: quod niſi concedas, certè non Cœnam modò, verùm etiam Baptiſmum repeti oportuerit.

Sed ecce tandem ad tertium criminationis tuæ caput peruenimus, in quo nos arguis quaſi in illorum Chriſti verborum *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur*, interpretatione & ab aliis & à nobis ipſis diſsideamus, id quod etiam prolatis teſtimoniis probaueris. Ad hæc autem teſtimonia quum in priore defenſione mea ſic reſpõderim, vt quem te hac in re præbeas ſatis ſupérq; patefecerim, ſupereſt vt nonnulla quæ ſuperioribus recèns adieciſti expendamus. Dixi in Chriſti verbis ſigno, id eſt pani tribui metonymicè corporis nomen, vt ſit illius enunciationis hæc ſententia, Hic panis eſt ſacramentaliter corpus meum traditum pro vobis, ſiue, Hic panis eſt verum ſymbolũ corporis mei traditi pro vobis. Dixi etiam Patres inde, id eſt ex eo quòd ſigno tribueretur rei ſignificatæ nomen, occaſionem arripuiſſe nominis rei ſignificatæ nempe corporis, pro ſigno, id eſt pane illo vſurpandi, quæ metonymiæ ſpecies altera eſt ἀντίστροφος: veluti quum Corpus cõfici, tangi, videri, in terram cadere, in os intrare, conſumi dicunt. Huius autem tropi rationem paulò antè veritas à teipſo extorſit, quum quæ propria ſunt ſigno diceres ad rem ipſam accommodari, propter vnius cum altero connexionem, veluti (inquis) quum per κοινωνίαν ἰδιωμάτων Deus dicitur paſſus, quoniam in Chriſti perſona caro & Verbum coadunantur, vel quum poculum dicitur effuſum, id eſt ſanguis Chriſti in poculo vini ſpeciei coniunctiſsimus. Quid plura? tua hæc quoque verba ſunt, *Paulus*, inquis, *hoc facit, ſed contrario modo quum ſcribit, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur. Frangi enim quod propriè panis*, (ac proinde non niſi figuratè teipſo teſte corpori) *conuenit, refert ad corpus Domini, quod eſſet tam intimum panis vt eius proprietatem* (verbo tenus videlicet non reipſa, niſi vnum & idem eſſe reipſa velis proprium & commune) *dici poſſet ſubire.* Quidni verò idem cenſeas de aliis etiam durioribus verbis, putà, confici, atteri, conſumi, & ſimilibus? Itaq; in his Patrum formulis tropum eſſe conſentimus, propter ſigni & rei ſignificatæ connexionẽ, quã merè ſacramentalem, id eſt in ſola efficaci ſignificatione poſitam eſſe dico, tu contrà realem eſſe cõtendis. Dixi autem præterea, neque in illis Chriſti verbis quibus corporis vox pani tribuitur, neq; in illis Patrũ formulis, in quibus quæ propria ſunt panis corpori attribuũtur, aliud corpus quã illud ipſum vnicũ pro nobis traditũ ſignificari, ac proinde metonymiã non propriè in vocula panis ſeu corporis, ſed in ipſa enuntiatione ſiue attributione prædicati ſpectari. Quid tu cõtrà? Mirũ eſſe dicis quòd in illis quidem formulis Patrũ à quibus dicimus nos eſſe illam interpretationem mutuatos, velimus Corpus pro Signo corporis ſumi, in Chriſti verò verbis nõ item. At cur nobis minùs mirum videatur te in illis ipſis formulis velle quod rei tribuitur nẽpe fractionẽ,

propriè conuenire ſigno, ac proinde non niſi figuratè attribui rei, nec tamen fateri in verbis Chriſti quod rei propriè conuenit putà corporis nomen & Tradi pro nobis, figuratè de ſigno, id eſt de pane dici? At nos ſanè vtrunque ſicut conſentaneum eſt, agnoſcimus, neque tamen dum panem eſſe dicimus corporis ſymbolum, aut corporis ſymbolum conſumi, aliud corpus quàm vnicum illud pro nobis traditum vel in Chriſti verbis vel in illis Patrum formulis agnoſcimus. Præterea animaduertere etiam aliud oportet quo vel maximè interpretatio noſtra confirmatur, nēpe propoſitiones iſtas in ſeſe, ſiue ſeorſim conſideratas minimè reciprocari, niſi metonymicè explicētur. Iſta enim reciprocatio vera eſt, Panis iſte eſt ſymbolum corporis mei traditi pro vobis, Hoc ſymbolum corporis mei traditi pro vobis, eſt panis: at iſta falſa eſt quæ ex interpretatione veſtra literali naſcitur, Iſte panis eſt reale corpus meum traditum pro vobis, Hoc reale corpus meum traditū pro vobis, eſt panis, ſiue panis nomine ſubſtantiam ipſam intelligamus, ſiue tantùm panis accidentia quæ Species vocatis. Item iſta vera eſt, Corpus Domini conficitur, atteritur, conſumitur, concoquitur, Quod conficitur, atteritur, conſumitur, concoquitur, eſt corpus Domini, ſi corpus pro ſymbolo corporis accipiendum nobiſcum dicas: at iſta vtraque falſa eſt teipſo teſte, ſi de ipſo reali corpore accipiatur.

Dixi has duas enunciationes, Panis eſt ſymbolicè verum corpus, &, Panis eſt ſymbolum veri corporis, idem valere, quod tu quoque nunc concedis. Qui fit ergo vt te tuique ſimiles non pudeat nos quaſi in his quoque enunciationibus inter nos diſsidentes, committere? *Sed*, inquis, *nego iſtas conſentire, Panis eſt ſymbolum veri corporis, & Panis eſt corpus in propria ſua ſignificatione.* Sanè rectè negas, idcóque illam vt veram, iſtam vt falſam & impiam abhorremus, quam ne tu quidē poſſis admittere quin te, te Santeſi, impietatis vel ipſa iudice Sorbona, coarguam. Audi, inquam, dico, hanc propoſitionem, *Panis eſt corpus Chriſti*, nō poſſe te, acceptis in propria ſua ſignificatione ſubiecti & prædicati & copulæ terminis, ne in Sorbona quidem ipſa tueri, in qua tot alioqui deteſtādi errores pertinaciſsimè defendi cœperunt, ex quo præſertim illius ſcholæ doctores facti ſunt Antichriſti mancipia. Nam certè ſi panis nomine ſubſtantiam panis intelligas, putidiſsimus fueris illis hæreticus, & diſparata poſſe mutuò prædicari nunquam dices, quin ipſa ſine vlla exceptione natura omnis, vnà cum ipſa Sorbona te conſpuat. Sin verò panis voce intelligis panis accidentia ſiue ſpecies quas vocatis, multo etiam minùs accidentia dixeris eſſe propriam corporis quantumlibet ſpirituali tuo exiſtendi modo præditi ſubſtantiam. Quod ſi panis nomine neque ſubſtantiam neque accidentia ſignificari velis, quod tandem iſtud panis ſubiectum præter inanem chimæram fuerit? Vix enim obtinebis (ne ſi panis quidem nomine id dici excipias quod aliquando fuerit panis) vt eo vocabulo vagum illud indiuiduum ſignificetur, quum præſertim ex veſtro altero dogmate nondum pronunciatis operatoriis illis ſyllabis omnibus, dici non poſsit panis tranſſubſtantiatus. Sed de his tu videris. Dicis poſtea iſtas enuntiationes eaſdem eſſe, *Panis eſt ſymbolum veri corporis*, cui opponatur iſta, *Panis non eſt ſymbolum corporis*: &. *Panis eſt ſymbolicum corpus*, cui repugnat, *Panis eſt verum corpus*. De illis prioribus duabus tibi aſſentior, quarum priorem eſſe veram dico, poſteriorem vt falſam abominor. Iſtas autem duas, *Panis eſt ſymbolum corporis*, &. *panis eſt ſymbolicū corpus*, ſi verè & ſyncerè fateris à te pro eodē accipi, ita videlicet vt Symbolicū corpus pro corpore per panis ſymbolum ſignificato intelligas, etſi ab iſtis non ita vſitatis formulis abſtinendum cenſeo, tamen libenter admitto. Et quod ad iſtam attinet, Panis eſt verum corpus, ſi de vero corpore quatenus ſignificatur per panem, accipiatur, (nec enim aliter pani attribui poteſt) itidem vt veriſſimam & ipſius Chriſti ore prolatam admitto. Quînam enim SYMBOLICVM & VERVM, quum de ſacramentis agitur, inter ſe opponerentur, quum nullum aliud Domini corpus poſsit verè ſignificari, quàm illud vnum quod ſemel pro nobis traditum, nobis ſpiritualiter tum in Verbo tum in Sacramentis, ac potiſsimum in Cœna Domini per fidem fruendum donatur? Itaque nec ludo nec fallo, ſicut tu calumniaris, quum hæc dico, ſed tute potiùs dum hæc tā ſecurè oppugnas, teipſum & alios ſiue inſcius ſiue prudens perdis.

Denique vis vt paucis tranſigam? Quum dicat expreſsis verbis Nicolaus ille veſter Papa non ſolùm Sacramentum, ſed in veritate ipſummet corpus ſenſualiter manibus ſacerdotum tractari, frāgi, fidelium denique manibus atteri, non vides quicquid dixiſti de proprietate ſigni ad rem ſignificatam tranſlata, ab illo redargui? Imò etiam illud SENSVALITER quînam tandem cum illo tuo ſpirituali exiſtendi modo conciliabis?

Cæterùm ad aliam calumniam, quòd videlicet adeò ſimus non tantùm ſtolidi ſed etiam impii, vt non corpus ipſum Domini ſed eius ſymbolum, id eſt panem putemus pro nobis traditum & crucifixum, & quæ poſtea de citatis à me Auguſtini præſertim & Theodoreti teſtimoniis, nihil interea præter nudam inficiationem afferēs, nugaris, tum putabo mihi reſpondendum quū vel tantillum quippiam reſponſione dignum protuleris. Duo tantùm attingam, quorum vnum mihi in priore defenſione exciderat. *Beza*, inquis, *ſexto Ioannis capite carnem contendit metaphoricè & figuratè accipi.* Alo verò te hoc quoque comminiſci. Nec enim id mihi vnquam in mentem venit, ſed quod dixi hoc dico, quū Manducare & Bibere ſint propriè corporis actiones, figuratè accipi quū ipſi rei, putà carni & ſanguini Domini tribuuntur, id eſt, quū carnē & ſanguinē Domini edere, & bibere, dicimur. Et rurſum, *Beza*, inquis, *panē nunc dicit poni pro corpore, & poculū pro teſtamento. Itaq; deinceps apud Paulū in diſputatione de Cœna nō amplius interpretabitur panē in propria ſignificatione, vt oſtēdat ſubſtantiā panis manere quoniā maneat nomē eius, ſed panē dicet ex natura metonymia cōmemorari à Paulo pro corpore Domini vero, atq; ita ſatebitur in his Apoſtoli verbis, Quis māducauerit panē hūc indignè, &c. ipſiſſimū Domini corpus ſignificari: quæ ſcribo vt phrenetici hominis ſpectētur quā bene ſibi conſtēt deliria.*

deliria. At ego phreneticus rurſum te dico, tū in manifeſto mēdacio tum in magna inſcitia deprehendi. Nec enim panem dixi poni pro corpore, aut poculū pro Teſtamento, ſed panē dici corpus, & *τὸ ποτήριον* nouum Teſtamentum, id eſt corpus prædicari de pane, & nouum Teſtamentum de poculo. Quod ſi negas, agè cum Euangeliſtis ipſóque Apoſtolo contendito. Quidni enim hoc antè, quum in veſtra ſchola iam olim audita ſit, hæc blaſphemia, Meliùs habiturā fuiſſe Eccleſiam ſi Paulus nullam vnquam Epiſtolam ſcripſiſſet. Sed pone me quod tu dicis ſcripſiſſe, alicubi videlicet panem accipi pro Domini corpore, num idcirco efficietur panem nullo Scripturæ loco propria ſignificatione intelligendum? In illo igitur malam conſcientiam, in iſto magnam inſcitiam prodis.

Et hæc quidem hactenus ad triplex accuſationis tuæ caput, quibus adiicere placuit nōnulla eodem pertinentia, quæ tamen in reliquo tuo libello confuſè & perturbatè permiſcuiſti.

Quoniam ex aſcenſione Christi in cælos, conſueuimus realem illam præſentiam corporis in pane & eiuſdem manducationem Cyclopicam coarguere, tu contrà quaſi per iocum reſpondens, *Abſentia corporis*, inquis, *ab Euchariſtia* (id eſt à pane & eius corpore à quo ſumitur, & eo ipſo loco in quo panis ille ſitus eſt) *non iuſtiùs infertur ex Aſcenſione, quàm ſi negarem Aſcenſionem ex corporis præſentia, præſertim quum iſta & ſæpius, & expreſſius, & clariùs in ſcripturis contineatur quàm Aſcenſio, & vtraque ſit credenda, quoniam ſacris literis probetur.* Itáne verò, Spiritum ſanctum ſic cum committes, vt quæ repetita expreſſiùs fuerint in ſacris literis, ea credibiliora videantur? Hoc verò ſi tibi largimur, quid fiet Mariæ virginitati, & aliis eiuſmodi penè innumerabilibus, vnico penè teſtimonio ſacrarum literarum explicatis? Quid, quòd ſi eò deueniendum fuerit, auſim dicere vix quicquam in ſcripturis ſæpius, clariùs, expreſſiùs, Christi in cælis ſecundum carnem habitaculo inculcari? Falleris enim in eo vt & in aliis plurimis vehementer, quòd Aſcenſionis nomine nihil aliud quàm ipſam profectionem intelligis, quum id adiicere vel teſtibus ipſis Angelis oportuerit, ideo aſcendiſſe vt ibi permaneret, tantiſper dum veniat dies ille inſtaurationi rerum omnium deſtinatus, quod & Petrus teſtatur. Vbi enim ſedeat ad dexteram Patris ſi roges, reſpondebit Paulus, Surſum in cælis: quo in loco poſitus pro nobis intercedat, dicet Apoſtolus, In cælis: vnde locutus ſit Saulo, Cælitus dicet Lucas: vbi Stephano conſpectus, In cælis idem teſtabitur: vnde venturus ad iudicandum viuos & mortuos, E cælis, dicent Angeli, ex illis, inquam, ipſis cælis quò cōuerſos oculos illi Galilæi tenebant, ne Brentianas aut vanas aliquas tuas allegorias nobis opponas. Itaque ex Aſcenſione ſic argumentamur: Ibi eſt Christus ſecundùm veram carnem quò aſcendit. Ergo eſt in cælis. Quòd ſi in cælis, non igitur in terris, quemadmodum antequàm in cælos aſcenderet, in terris erat, non in cælis. Atqui, dices, communicat corpus ſuum & ſanguinem ſuum in terris. Ergo eſt ſimul in terris & in cælis. Nego conſequutionem, quia ſibi non contradicit Spiritus ſanctus. Itaque is eſt tum præſentiæ tum communicationis ponendus modus ex quo contradictio non ſequatur, ſacramentalis videlicet, id eſt Spiritualis per fidem. Rides atqui ringaris etiam licet, hoc ipſum eſt Cyrilli argumentum, *Nullus ambigit* (nec enim adhuc veſtrum commentum in Eccleſiam irrepſerat) *quum ad cælos aſcenderit, quamuis virtute Spiritus ſemper adſit, præſentia tamen carnis ipſum abeſſe.* Item, *Poſtquam cælos aſcendit, in nobis eſt per Spiritum.* Et ne per Spiritum aliud intelligas quàm Spiritus ſancti virtutem, quæ carnis circunſcriptioni & abſentiæ in cælis nihil deroget, audi quid idē Cyrillus dicat. *Etſi corpore ſit abſens Chriſtus Patri pro nobis apparens & ad dexteram ipſius ſedens, habitat tamen in ſanctis per Spiritum: nec patitur eos orphanos eſſe, quia in cœlos aſcendens immiſit eis Spiritum. Non enim conuerſari carne cum eis poterat, quum ad Patrem aſcenderit.* Sic quoque Auguſtinus, *Secundum hominem in terris erat non in cælo, quando dicebat, Nemo aſcendit, &c. quamuis ſecundum quod Filius Dei erat eſſet in cælo, ſecundum quod verò Filius hominis erat, adhuc eſſet in terra, nondúmque aſcenderat in cælum.* Item, *Secundum carnem quam Verbum aſſumpſit, aſcendit in cælum, non eſt hic, ibi ſedet ad dexteram Patris: & hic eſt, non enim receſſit ſecundum præſentiam maieſtatis*, id eſt Deitate ſua. Sic enim idem Auguſtinus paulò antè, *Ibat per id quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat. Ibat per hoc quod vno in loco erat, manebat per hoc quod vbique erat.* Et Vigilius, *Quando fuit in terra, non erat vtique in cælo, & nunc quia in cælo eſt, non eſt vtique in terra: & in tantum non eſt vt ipſum expectemus ſecundum carnem venturum de cælo, quem ſecundum Verbum nobiſcum eſſe dicimus in terra.* Et mox, *Hæc eſt fides & confeſſio catholica, quam Apoſtoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles vſque nunc cuſtodiunt.* Vtri igitur verò Catholici, vtri ab Apoſtolica Eccleſia, à martyrum confeſſione, ab Eccleſiæ fide defecerunt? Et Fulgentius, *Vnus idémque ſecundum humanam ſubſtantiam abſens à cælo quum eſſet in terra: & derelinquens terram, quum aſcendit in cælum.* Item, *Idem atque inſeparabilis Chriſtus, ſecundum totum hominem terram localiter deſerens in cælum aſcendit & in dextris ſedet, & ſecundum eundem totum hominem venturus eſt ad iudicandum.* Sed de his plus ſatis.

Veſtram illam Thyeſteam cœnam coarguimus etiam ex memoriæ nomine, vtpote quod abſentiam notet eius cuius recorderis. Hoc tu ſic eludis confidenter, vt dicas Memoriæ nomen non ad ipſum corpus, ſed ad paſſionem Chriſti referri. Et verò quis ignorat quod de morte Domini in illis myſteriis annuntianda præcipitur, quod & illa ſolennis verborum Chriſti formula declarat? Sed tune Chriſti ipſius recordationem dices à paſſionis eius memoria ſeparandam, quum illā iſti potiùs præire neceſſe ſit? Et certè non temerè Chriſtus potiùs IN MEI MEMORIAM quàm IN MORTIS MEAE MEMORIAM dixit, ſcribíque voluit.

Hoc quoque te vehementer vrit, quòd quum dixiſſes exiſtimari à Cinglio merita paſſionum Chriſti per Sacramentum Euchariſtiæ percipi, ego id à te confictum fuiſſe, & eo quidē ſenſu quo

à vobis dicitur, alienum eſſe reſponderim ab omnium veterum theologorum ſententia. Sic enim tum Verbo ſimplici tum Sacramentis tanquam organis quibuſdam vti Spiritum ſanctum, vt tamen ſolus propriè in cordibus noſtris agat, nos intus immutans, illuſtrans, fidémque ipſam & gignens in nobis, & Chriſto percipiendo efficacem reddens. Neque tamen ignoro tum in Dei verbo, tum in Patrum veterum ſcriptis ſic interdum coniungi inſtrumentum cum propriè efficiẽte cauſa, vt quod iſtius vnius propriũ eſt, videatur inſtrumento & ipſi externæ actioni nonnunquã tribui: ſed hoc neque ita eſt accipiendum, vt à vobis accipitur, neque perpetuum eſt, quum apertè ſæpe exterior Baptiſmus aquæ ab interiore Spiritus diſtinguatur, & Paulus eum qui plantat & qui rigat, dicat nihil eſſe, vt omnia tribuantur ei qui incrementum ſubminiſtrat. Sint ergo miniſtri *συνεργοὶ*, vt qui & ipſi aliquid agant ex Spiritus mandato & virtute. Verbum autem auribus inſonans, & Sacramenta præterea in oculos incurrentia, ſic adhibentur à Deo, vt quamuis minimè vana ſint vel otioſa, tamen dici nec poſſint nec debeat Deo *συνεργῶν*, ſed cauſæ ſint dũtaxat *ὧν οὐκ ἄνευ*, ac ne id quidem ſimpliciter & abſolutè, quod vtcunque ex analogia cibi corporei cum ſpirituali perſpicere licebit. Sic enim alit nos Deus cibo & potu, vt ſuas etiam ad alendum vires ex Deo cibus & potus habeant. Agunt etiam coquus & œconomus ſuas partes, ita tamen vt propriè non dicantur quenquam nutrire, ſed alimenta duntaxat præparare & præbere. Multò minus autem hoc patinis, poculis, & reliquo epularum apparatui quantumuis etiam neceſſario conuenerit. Cibus iſte & potus verè viuificus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus credentibus ſancti Spiritus virtute efficax. Eum nobis miniſtri ab ipſo delecti apparant *τῷ Θεῷ συνεργοῦντες*, vt loquitur Apoſtolus, & tum in Verbo ſimplici, tum in Sacramentis veluti diſtribuunt, quod eſt apud Apoſtolum *ὀρθοτομεῖν*, & in veterum ſacrificiis diſſectione victimæ figurabatur. Verbum autem & Sacramenta veluti vaſa ſunt non quibus nutrimur, ſed in quibus velut appoſitos cibos fide percipimus, ſiquidem res ſignificatæ videntur quodammodo ſignis ſuis contineri. Ex hac ſimilitudine quid Sacramenta per ſe conſiderata conferant ad Chriſti & æternæ in ipſo vitæ perceptionem intelligi vtcunque poteſt. Iam autem audiamus quid tibi velis. *Affingis*, inquit, *mihi quaſi merita paſſionis Chriſti per ſacramentum Eucharistiæ percipi eo ſenſu intelligam, vt ipſa merita in pane & vino Eucharistiæ reſideant.* Imò longè aliud volui, nempe tetrum & impurum illum errorem veſtrum de opere operato redarguere, quem quò diutiùs defendetis, eò magis incredibilem penè inſcitiam & impudentiam veſtram patefacietis. Sed ſi fortè id dicerem, an non hoc fateri vel à teipſo cogereris? Nam ſi meritorum, ſi iuſtitiæ, ſi obedientiæ Chriſti ſubiectum eſt ipſe Chriſtus, quum eum ipſum dicis reipſa præſentem in ſpeciebus illis adeſſe, an non illa quoque ſimul in illis contineri percipíque contendis? Et de his quidem hactenus.

Supereſt vt refellam tua illa conuitia quibus in viuos & mortuos euomendis tantopere te oblectaſti, vt quum integra reſponſio tua foliis centum ſexaginta quatuor contineatur, centum & octo in illis conſumpſeris. Ego verò ad illa reſponſurus primùm hoc peto, vt cui te conditioni vltro ſubiecisti, eam ſubire tenearis, id eſt tot tantáque illa crimina quorum nos accuſare non dubitaſti aut ea noſtris ſcriptis, aut teſtimoniis actíſque publicis tenearis probare: ſin minùs, vt qualis es talis quoque habearis. Ac de Caluino quidẽ priore loco agi neceſſe eſt. Cedò igitur quid tibi præterea in ea quam profeſſus eſt doctrina reprehendendum putaſti? Nam de Cœna ſatis ſuperque à nobis arbitror diſputatum. Arrianus eſt, inquis. Maximũ certè crimen, quia qui Filiũ negat, negat & Patrem. Sed túne eum potes vt Arrianum accuſare quo nullus extitit noſtra memoria vehementior & acrior omniũ illarũ hæreſeõ oppugnator, quibus ſiue deitati ſiue humanitati Chriſti vel tantillum detrahere veteribus illis blaſphemiis renouatis nonnulli ſtuduerũt? Sed & amplius dicam aliquid neceſſe eſt. Quis Seruetum illum impuriſsimum canẽ in ſinu tot annos fouit? Vos ſanè catholici. Vbi ſunt excuſæ ipſius blaſphemiæ? Lugduni & Valentiæ, vſqueadeò conniuente magiſtratu vt ibidem poſtea Gentilis eius diſcipulus, qui publicè eandem hæreſin hîc abiurarat, & Tritheiſmum apertè profitebatur, inuenerit qui ſuum libellum his de rebus imprimeret: quo nomine quum tandem, inſtigantibus piis quibuſdam, captiuus teneretur, conſtat dimiſſum ſine vlla difficultate fuiſſe, quum ille ſe Caluini hoſtem eſſe, & aduerſus illum hæc ſcripſiſſe dixiſſet. Hoc ita eſſe ex actis publicis & ex reipſa liquebit. Extat enim illius liber, apud vos editus, quo nihil vnquam ſceleratius ſcriptum fuit: & aliquot pòſt annis quum perditus ille iuſto Dei iudicio à Bernenſi magiſtratu captus, à quo etiam poſtea iuſto capitis ſupplicio affectus eſt, rogaretur quibus tandem artibus eſſet è veſtrorum manibus elapſus, rem totam ita vt erat palàm narrauit, ne quid à me confingi calumnieris. Quid plura? Poſtellum illum hominem ex omnibus ſemel quantumuis monſtroſis hæreſibus veluti conflatum, auſum etiam publicè docere, & in media Lutetia edito etiam libro, ſciente vidente Sorbona, profiteri Iohannam neſcio quam Venetam veniſſe ſeruandis mulieribus, ſicut Chriſtus viros redemiſſet: imò etiam Romæ ad perpetuos carceres damnatum, & per ſeditionem illam aduerſus Caraffæ Pontificis manes ibidem excitatam liberatum, vos boni catholici non tuliſtis? non reuerſum excepiſtis? non etiãnũ hodie fouetis, & libenter eadem aut etiam iſtis monſtroſiora commemorantem auditis? Sed recriminari, inquies, non eſt obiecta diluere. Itaque ad rem venio. Fecit ille noſtræ ſalutis hoſtis renaſcente noſtris temporibus Euangelio quod perpetuò conſueuit, excitatis Anabaptiſtis, Antinomis, Libertinis, Academicis, Seruetanis, Tritheitis denique, ac poſt hos etiam Arrianis, & Samoſatenianis, à quibus vera lux illa veritatis obſcuraretur. Hoc qui nobis quaſi malorum iſtorum authoribus tribuunt, vel admodum ſunt imperiti rerum ſacrarum totiúſque veteris Eccleſiarum hiſtoriæ, vel inſigniter malitioſi. Tritheitarum in Polonia & vici-

nis

nis prouinciis hæc prima fuit origo. Stancarus quidam Mantuanus ibi cœpit diſputare, Chriſtum eſſe Mediatorem ſecundum humanam duntaxat naturam. Huic dogmati ſeſe fortiter oppoſuerũt tum alij veritatis fidi doctores multi, tum verò vel maximè magni illi heroes, Melanchthon, Caluinus & Martyr, quorum extant etiam de re eruditæ & orthodoxæ tractationes. Ille contrà, vt ambitioſi & peruerſi ſolent, cœpit eos poſtea vt Arrianos calũniari, quaſi ſi Chriſtus diceretur ſecundũ vtranque naturam Mediator, conſequeretur vel Deum apud ſemetipſum intercedere, vel duos eſſe Deos, quorum vnus minor apud maiorem alterum intercederet. Huic falſiſſimæ conſequutioni, quæ tamen apud imperitos ſpeciem aliquam veritatis haberet, etſi clarè & perſpicuè inter alios reſpondit P. Martyr, & diſertis verbis admoniti fuerant à Caluino Poloni fratres, vt ſibi cauerent ne Stancari dogma refutantes in Arrij laqueos incurrerent, non potuit tamen hoc malum penitus prohiberi, in hunc ipſum gurgitem abreptis iam nonnullis, eò faciliùs quòd per id tempus Blandrata, Gentilis ille, & veſanus quidam Alciatus, Serueti tandem omnes, illuc perfugerant. Ita factũ vt à nonnullis apertè diceretur Filij quædam ſecundaria eſſe deitas, quæ ab illa vnica Patris profluxiſſet, quò etiã illi pertrahebãt ſnimirũ illa Synodi Nicenæ verba, Deum de Deo, apertè alioqui Athanaſij ſymbolum repudiantes, & τὸ ὁμοούσιον in ὁμοιούσιον transformantes. Huic blaſphemiæ ſeſe fortiter opponens Caluinus, quem vnum etiam illi præcipuè ſcriptis ſuis petere nunquam deſiterunt, oſtendit ex verbo Dei perpetuóque Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſu, Filij eſſentiam à Patris eſſentia non profluxiſſe, quaſi vna eſſentia alteram eſſentiam propagarit (quod illi verbu [illegible] tionis ſignificant) ſed vnicam eſſe Patris Filiíque eſſentiam, cuius totius æterna communicatione Pater Filium genuerit. Patris igitur & Filij vnicam & eandem eſſe eſſentiam abſolutè conſideratam: ideóque duas perſonas non eſſe totidem Deos, ſed vnicum Deum. Denique eam deitatem qua Filius eſt Deus, illam ipſam eſſe qua Pater quoque eſt Deus, adeò vt, ſepoſita relatione perſonali, ſiue Filio conſiderato in ſua eſſentia, abſque ea ratione qua Filius ſiue à Patre genitus eſt, ſit & ipſe abſque principio, quoniam nimirum à Patre illam ipſam eandem & vnicam eſſentiam totam habet, quæ nullum ſui principium habet, contrà quàm illi impii dicunt, vnam Patri, alteram Filio eſſentiam ab illa priore propagatam tribuentes. Hanc eſſe veram & orthodoxam de vnica Dei eſſentia & perſonarum diſtinctione aſſirmo, quam ſi ne nunc quidem intelligis, quid ad nos? Num enim, idcirco Arriani ſumus quòd hæc neſcias vel diſſimiles? Ita autem eſſe vt dico niſi ex omnibus Caluini ſcriptis, atque adeò ex iis ipſis locis appareat, quos alibi exſcripſiſti, non recuſo blaſphemus, & impius, & ἄθεος denique haberi. Sed iſta quanta eſt calumniandi libido, quum ex profeſſo doceat Caluinus vnam eſſe Patris ac Filii eſſentiam, vt duas numero eſſentias tollat, ita hoc torquere ac ſi non duas modò eſſentias concederet, ſed etiam Patrem & Filium faceret ἑτεροουσίους?

Arguis etiam Caluinum quaſi hoc poſito principio, nihil vel fortuitò, vel Deo inuito aut conniuente accidere, ſed ex æterno, ſapientiſſimo, iuſtiſſimo, ac prorſus immutabili Dei decreto euenire, omnis contingentia tollatur, & Deus ſcelerum omnium author conſtituatur. Sed hanc calumniam totiea rationibus certiſſimis, & ex Dei verbo, & Auguſtini præſertim authoritate refutatam, num tu nobis reponere ſtuderes ſiquid tibi pudoris ſupereſſet? Quid quòd etiam illam à Bolſeco cœptam tragœdiam, ab vno & altero poſtea nullius neque doctrinæ neque iudicij, neque etiam nominis hominibus aliquandiu proſequutam, ab iiſdem poſtea deſertam, & ſua ſponte abolitam, audes renouare? At ſi qua vos Papiſmi veſtri cura tangit, cur ipſum Bolſecum impunè inter vos verſari patimini? an quòd à noſtris Eccleſiis ſit eiectus? Sint ſanè igitur, maneántque apud vos omnes iſtæ ſordes, donec tandem vos neque Deus neque homines ferant. Illum quidem certè iam ab aliquot annis in veſtra poteſtate habetis, neque neſcitis quum eſſet apud vos Carmelita, & paulò liberiùs in diui Bartholomæi fano concionatus eſſet, in Italiam abiecta cuculla profugiſſe, ibíque repentè medicum factum vxorem duxiſſe, poſtea non modò ſeditionis & impietatis damnatum, à Senatu Bernenſi repreſſum, ac tandem eiectum, altera ducta vxore, omnis religionis irriſorem, medicinam Calipoli ad Ararim tam feliciter facere quàm olim theologiam exercuit. Sed quiduis nimirum apud vos etiam contra veſtram religionem licet dummodo nobis maledicatur. Et vos negabitis veſtram ipſorum religionem dicis tantùm cauſa profiteri? Zebedæus autem ille cuius poſtulatu mentiris damnatam Bernenſi S C. fuiſſe Caluini de prædeſtinatione doctrinam, ille ipſe, inquam, ne neſcias, quater minimùm miniſterio exauctoratus, non ita pridem Neuiduni apud noſtrum lacum moriens, adeò ſibi de turbis illis diſplicuit, vt flammis etiam exuri ſemet inſpectante iuſſerit quæcunque infelicibus quibuſdam ſchedis ea de re mandarat. Si mihi fidem non habes, inquire ſi voles. Vix enim vllus eſt in toto illo oppidulo cui res iſta non innotuerit. En quibus teſtibus criminationes tuas confirmes. Senatuſconſultum enim illud Bernenſe à te Latinè verſum & editum, quo damnatam fuiſſe mentiris Caluini inſtitutionem ac libros illis de rebus compoſitos, quos etiam vendi apud ſe interdixerint, quid tandem iſtiuſmodi probat? Teſtantur illic Domini Bernenſes ſtare ſe prorſus velle diſputationi de religione quæ Bernæ primùm, ac deinde Lauſannæ habita eſt. Aut igitur illic ſancitum oſtende contrarium iis quæ de prouidentia & prædeſtinatione poſtea docuit Caluinus, aut te ſycophantam confitere. Imò quum illi Bernenſi diſputationi conſtet Zuinglium penè præfuiſſe, extet autem eius hac de re pereruditus libellus, in quo illam ipſam ſententiam quam Bernæ damnatam fuiſſe dicis, ex profeſſo quàm acerrimè & quàm vehementiſſimè tuetur, an non ſatis iam manifeſtè mentitus eſſe deprehẽderis? Quid? quum iidem Bernenſes audita huius ciuitatis & Eccleſiæ aduerſus illos maledicos expoſtulatione miniſtros ſuæ ditionis deſinere iubent vllis perſonis vllo modo detrahere (hæc enim ipſa ſunt illius edicti verba, ſicut à teipſo Latinè ſunt cõuerſa) an non illos iſtarum theſeon auctores quas etiam

vim illam viuificam ipſi Chriſto inhærentem, certè non illam magis intra nos quàm ipſam carnem delabi arbitramur. Sin verò illius effectum, nempe noſtri viuificationem nobiſcum intelligis (quemadmodum, exempli gratia, nihil ex ſolis ipſius vel ſubſtantia vel ipſa calefaciendi & vegetandi vi deciſum ad res inferiores penetrat, quæ tamen inde calorem & vigorem in ſe concipiunt) nihil ſanè contra nos concludis.

Sic etiam es argumentatus: *Dicuis Cœnam interdum* (pro quo ſubſtituis plerunque) *etiam à fidelibus fieri nullo propter incogitantiam aut tarditatem fructu. Ergo vel Chriſti carnem ſeparatis à fructu, vel ſi verum eſt, vt vultis, nuſquam illa duo ſeparari, nihil vultis à Cœna interdum reportari.* Ego non per ambages, vt tu calumniaris, ſed planè ac perſpicuè ſic reſpondi, vt primùm oſtẽderem nihil aliud nos velle quàm vtilitatem vſus Sacramentorum non eſſe ad ipſius quo ſumuntur temporis momentum reſtringendam. Tardiùs enim interdum regenerari, qui tamen ſunt in infantia baptiſati, & multis vſuuenire propter tarditatem, vt Cœnæ fructus aliquanto poſt tempore, plures & meliores edant. Deinde non minùs ineptam eſſe tui argumenti concluſionem dixi, quàm ſi negares ſemen ſatum eſſe in agro, quoniam ſimulatque ſatum eſt non germinat: vel infantem ratione præditum non eſſe, quoniam vti ratione non poſſit: vel ebrio mentem ereptam, cuius nec corpus nec animus officium faciat. Quid tu contrà? nihil ſanè, niſi quòd euigilare me iubes, & meas præſtigias intueri. At ego quod nuſquam eſt videre tuo more me non poſſe profiteor.

Reponis etiam nobis hoc argumentum: *Si Sacramenta tantum obſignant iam exhibita, nihil in Cœna exhibebitur: ſin verò præſtant ex Deo quæ figurant, tolletur ſanctificatio puerorũ in vtero, & Baptiſmo ſeruabitur.* Reſpondi primùm ad priorem tui dilemmatis partem, & rurſum reſpondeo, etiam ſi tibi concederem antecedens, non tamen effici quod volebas, quum obſignatio donorum iã collatorum non ſit nihil, ſed maximi ſanè momenti res, niſi Circuncisionem velis à Paulo fruſtrà dici iuſtitiæ iam Abrahamo imputatæ σφραγῖδα. Deinde oſtendi & rurſum oſtendo, non modò perperam illud abs te concludi, ſed ne illud quidem rectè dici, noui nihil nobis per Sacramenta conferri, ſi præciſè, ita vt tu vis, accipiatur. Etſi enim neque nouus nobis Chriſtus, neq; noua adoptio, vel fides, vel iuſtificatio, vel ſanctificatio in Cœna Domini confertur (nã de Baptiſmo poſtea dicam) tamen quod illis ipſis donis adiicitur, nouum eſt, quemadmodum ſi inchoato ædificio quod ſupererat parietum, aut tecti, aut quod iuſtæ menſuræ deerat, paulatim adieceris, nouum quidem ædificium, aut noua menſura non fuerit, ſed quod recèns adiectum eſt tamen fuerit veteris ſupplementum & additamentum. Præterea quum non tantùm remiſſionis veterum peccatorum obſignationem, ſed etiam recentem eorum quæ quotidie committimus remiſſionem in Chriſti corpore & ſanguine nobis communicato conſequamur, quis nihil ex Cœna nos reportare, niſi planè inſanus dixerit? vt interim omittã, quod minimè reticui, dubiũ nõ eſſe quin noua etiã quædam peculiaria dona interdum ſuis Dominus in ipſo Cœnæ vſu largiatur. Quid eſt igitur quod in iſtis reprehendas? *Hoc nimirum*, inquis, *quòd quum dicas in Sacramentis nihil niſi fide percipi, efficitur Sacramenta nihil ex ſe impertiri, & fide per ſe omnia tam in Sacramentis operante quàm extra, fruſtrà Cœnam adhiberi, neque ipſis tribuendam ſignificatarum rerum incrementum, quum nihil exhibeat quod fides ſola non impetret.* Egregium ſane argumentum, Sola fides percipit quæ per Sacramenta intus docet & inſculpit Spiritus ſanctus, mentium ille noſtrarum innouator, veritatis doctor, & conſolator noſter. Ergo fides agit omnia excluſis Sacramentis, imò etiam, quantumlibet hoc reticeas, excluſo ipſo Spiritu ſancto. Nam ſi libet particulam SOLA, ita vrgere, vt inferiora inſtrumenta nihil agant, cur non & ſuperiorem illam vnicam verè & propriè omnium iſtorum bonorum conciliatricem cauſam? Tum igitur valebit tua iſta conſecutio, quum ad ſalutem hominum oſtenderis ſolum requiri perceptionis inſtrumentum. Eodem aut certè non multùm diſſimili paralogiſmo libenter perſuaſeritis, quum ſola fide nos iuſtificari dicimus, & bona opera & Sacramenta, totum denique miniſterium Eccleſiæ à nobis excludi. At cur non Chriſtum ipſum quoque, & Patrem, & Spiritum ſanctum? Pars autem tui dilemmatis altera quanto probabilior eſt? Dicis tolli ſanctificationem infantium ab vtero, quia Baptiſmo ſeruabitur, ſi Sacramenta præſtant quod figurant. Reſpondeo via excuſari poſſe hanc loquendi formulam quæcunque interpretatio afferatur, quoniam Spiritus ſanctus vnus in his rebus propriè præſtat quòd Sacramenta tantùm pollicentur. Deinde iſtiuſmodi prorſus improprias & periculoſas phraſes, propter veſtrum illud planè exitiale & peſtilens dogma de opere operato, non ſecùs quàm ſcopulos multis naufragiis infames refugere nos vltrò profitemur. Sed vt hoc omittam, audi quid dicat Auguſtinus, *Sanctificatio*, inquit, *eſſe poteſt ſine viſibili ſigno.* Ecquis enim dubitat quin iam tum ſanctificari cœpiſſet immutatus ille Saulus, quum diceret, Quid me vis facere? qui tamen poſtea ab Anania iubetur peccata ſua abluere. Quòd ſi non ſatis placet hoc exemplum, at certè Cornelium illum incircuncisum conſtat pium & Deo gratum fuiſſe, ac proinde fide in Chriſtum, quem nondum veniſſe norat, iuſtificatum ac ſanctificatum, quum nemo abſque fide placere Deo poſſit. Sed & cor eiuſdem ante Baptiſmum, teſtatur Petrus fuiſſe fide purificatum. At iſte, inquies, erat adultus, neque propterea dicitur ab vtero ſanctificatus. Eſto. Natus enim erat à Dei fœdere prorſus alienus. Sed illud tamen euincitur, non poſſe dici ſanctificationem adultorum, ita vt tu vis, alligatam Baptiſmo, nec propterea tamen Baptiſmum inutilem ſtatui, ac proinde ruere tuæ concluſionis fundamentum. Petrus certè hac ipſa de re poſtea in Synodo Hieroſolymitana diſſerens, Spiritui ſancto per fidem tribuit cordis gentium purificationem, etiam ante Baptiſmum, quem tamen propterea minimè vt ſuperuacaneum neglexit, imò ad-

imò adhiberi iuſsit, nẽpe ſicut iuſſus eſt circuncidi Abrahamus, qui tamẽ fuerat in præputio iuſtificatus. Et vt intelligas quod de Baptiſmo dico, in Cœna quoq; Domini & illa quam ſomnias diſtincta carnis Domini communicatione valere, audi quid alibi dicat idem Auguſtinus, *Nullus fidelium*, inquit, *alienatur à panis & vini conſortio, quando in ipſo hoc quod Sacramentum illud ſignificat, inuenitur.*

Sed de infantium in fœdere comprehenſorum ſanctificatione ab vtero, alius erit fortaſſe diſſerendi locus. Nunc ſatis eſt argumentationis tuæ inaniſsimam concluſionem oſtendiſſe, ſi vnum hoc addidero, callidè nimirum fuiſſe à te diſsimulatum quod in vos dixi, nempe ſi concludere vobis licet Sacramentorum nullam vim ſupereſſe, *ſi nihil exhibeant quod fides ſola non impetrat*, multo meliore iure concludere nobis licere, ſi in Cœna (ſicut vultis) totum Chriſti reipſa perfectè intra nos ipſos recipitur, aut ipſum poſtea oportere demigraſſe, aut cauſam nullam eſſe iuſtam Cœnæ repetendæ, aut certè repetii ſumptionem, vt poſteriore prior ſanciatur, non vt nouum aliquid ſumatur, quod in nobis reprehendis. Hoc vero, cur ſuo ſaltem loco non refutas?

Supereſt illud cuius cauſa me non dubitas, tu videris an non calcitroſus aſinus, rabidum canem vocitare. Dixeram quod adhuc dico, formulam iſtam SACRAMENTA NOVAE LEGIS vt *ἄγραφον* à me repudiari. *Nam*, inquit, *nec Hieremias, nec poſt illum Paulus, nec Iacobus Apoſtolus, ac ne Caluinus quidem noua Legis Sacramenta nuncupare dubitarunt.* Ego verò de Ieremia te mentitum dico, Paulum fateor vno loco legis fidei meminiſſe quam opponat legi operum, ſed præterquam quòd additum fidei nomen omnem amphiboliam tollit, dico ne ſic quidem illum locum tibi patrocinari. Lego apud eundem Legem Chriſti, ſed pro mutuæ dilectionis mandato à Chriſto renouato, cui opponitur externa legis obſeruatio, ac præſertim phariſaica. Legem perfectam libertatis cuius meminit Iacobus, nego ad iſtam nouæ legis appellationem pertinere. Caluinum autem vti memini vno loco veſtra illa formula, ſed addita interpretatione, & idcirco tantùm vt quid in vobis redargueret, omnes intelligerent. Ne me verò exiſtimes de nihilo contendere, quum veteres nonnulli, veluti Auguſtinus Legis & quidem nouæ ſeu ſecundæ nomen aliquando nouo fœderi ſiue Euangelio tribuerint, facit exitialis ille & planè deteſtabilis error veſter quo Legis & Euangelii præcipuum diſcrimen tollitis, vt hanc formulam Scripturis inuſitatam prorſus repudiem. Si cui hoc non placet, ſuo ſanè ſenſu fruatur. Ego quid quorſum faciam oſtendo.

Denique ſic etiam tibi libuit colligere: *Tantùm ſumitur in Cœna, quantum continetur illis inſtitutionis verbis, Hoc eſt corpus meum. Atqui Caluinus hæc verba metonymicè explicans, dicit idem valere, atque Hoc eſt ſymbolum & ſignum corporis mei. Ergo ex Caluini ſententia tantùm proponitur, accipitur, & editur ſignum corporis Domini, non autem ipſum corpus, nec ſubſtantialiter, neque ſpiritualiter.* Reſpondi non fuiſſe tibi ſiſtendum gradum in metonymia, ſed addendam eiuſdem explicationem, vt de tua calumnia omnibus conſtaret. Tu contrà excipis, ſi quid amplius à Caluino doceatur, ad placitum eius eſſe, & non ex natura metonymiæ, neque ex vllis ad metonymicam Cœnæ inſtitutionem adiunctis comprobari. Quæro igitur ex te primùm quo pudore ſcribas quatuor illis voculis totam Cœnæ inſtitutionem comprehendi. Nam ſi ita eſt, neque ad illam inſtitutionem alia quoque pertinent ex quibus intelligitur, quid illic à Chriſto geratur, quorſum geratur, quid viciſsim à nobis fieri, & quorſum fieri oporteat, quo tandem auctore panis ille frangitur, præbetur, accipitur, comeditur, & inſuſum poculo vinum porrigitur, acceptúmque bibitur? De integra Cœnæ inſtitutione, & actione, non autem de veſtra illa Miſſa loquor. Deinde quum ſigni appellatio neceſſariò ſit ex eorum rerum genere, quę ad aliquid referuntur, vt res ipſa clamat, & Auguſtinus ex profeſſo declarat, neceſſe eſt fatearis, panem & vinum non vt res naturales & communi vſui deſtinatas, ſed vt aliarum rerum ſigna præberi, ac proinde duas ſemper res ſimul neceſſariò proponi, quoties ſignis agitur, quorũ vna externis ſenſibus, altera intellectu percipiatur. Signum igitur nullũ eſt, abſque re ſignificata, neq; res ſignificata dici poteſt cuius nullũ ſit ſignũ: neque vt tu ſomnias, neceſſe eſt rẽ ſignificatã adeſſe, vel re ipſa cõtineri, quo nihil dici poteſt ineptius. Cui enim dubiũ eſt quin etiã præterita & futura, & quanuis extantia, tamen remota quàm longiſsimè, poſsint ſeu verbis quæ nihil aliud ſunt, quàm conceptuum animi notæ per aures in intellectum illabentes, ſeu quibuſuis aliis ſignis ad oculos, vel alios ſenſus pertinentibus ſignificari? Præterea cur quum tam variæ ſint metonymiæ ſpecies, tu nos ad genus reuocas, quum ſpecies propria quadam differentia diſtinguantur, ac proinde ſacramentalis metonymiæ ſpecificum diſcrimen minimè abs te negligi, nedum tolli oportuerit? Eſt autem hoc diſcrimen in eo poſitum, vt quod ſignificatur, non ſpectandi, ſed fruẽdi cauſa ſignificari intelligatur, quoniam Sacramenta ſunt veluti appenſa diuinis pactionibus ſigilla. His poſitis dico, idem quidem valere, Hoc eſt corpus meum, atque Hic panis eſt ſacramentaliter corpus meum, ſiue eſt corporis mei ſymbolum, ſed tum ex his inſtitutionis verbis, Accipite, Comedite, Bibite: tum ex mutua ſignorum & rerum ſignificatarum relatione, tum ex Sacramentalis metonymiæ natura conſequi, vt donētur & accipiantur in Cœna Domini, tum ſigna, tũ ipſemet Dominus, illa quidem externis ſenſibus apprehendenda, hic verò intellectu, ſoláque fide à nobis veriſsimè & efficaciſsimè ad vitam æternam percipiendus.

Cæterùm quoniam efficacem nobis eſſe negas Chriſti carnem, niſi reipſa carni noſtræ præſens mutuo contactu adiungatur, vſus ſum, vt hoc commentum refellerem, hac ſimilitudine, poſſe etiã naturaliter expreſſo panis apud piſtorem manentis ſucco nutriri quempiam, qui tamen dicatur illo pane paſci, ac ſi reipſa illum in ventrem traiiceret. Tu verò tam bellè ſanè in me neſcio quid iocatus quàm lepidè ſaltant aſini, torcularia, percolationes ſubſtantiæ, ſucci demutationes, & eliqua-

tiones commemorans, elabi tandem poſſe te putas, ſi denique exceperis, quum ex noſtra ſententia ſubſtantia & ſuccus carnis Chriſti ſint inſeparabiles, hunc ab illa in cælo manente exprimi non poſſe. quaſi ſcilicet inepta ſit ſimilitudo, niſi per omnia reſpondeat, ac non tu potiùs ineptiſſimus ſi hoc requiris. Satis autem eſt mihi oſtendiſſe quod vnum volui, ne in naturali quidem paſtu requiri ſemper neceſſariò vt ſubſtantia ipſa cuius ſucco nutrimur in noſtra corpora traiiciatur. *At enim*, inquis, *ſi vt interdum affirmat Caluinus, duo nobis porriguntur in Cœna, nempe ſubſtantia & efficacia, quo pacto ſuccus exhibetur, eodem oportet ſubſtantiam exhiberi.* Imò in his paucis quàm multa ſunt errata? Nec enim dubiũ eſt, quin plura vna eadẽq; actione & loco natura ipſa diuerſa, diuerſiſque modis præberi poſsint. Sacramenta veterum & noſtra dicit Auguſtinus, ac etiam inculcat re paria eſſe. Rei nomine ſi ſolam efficaciam intelligis, paria non fuerint. Sin verò ſubſtantiam cum efficacia in vtriſque commiſcendam dixeris, quod ſanè verum eſt, ex Pauli teſtimonio, ut cogeria tamen aliquod in rei extantis & futuræ exhibendæ modo diſcrimen ſtatuere, quanuis vterque ſit ſpiritualis, & fidei opus. Sed ad rem. Etſi non aliquando, vt tu dicis, ſed perpetuò conſueuit Caluinus carnem & efficaciam Chriſti vt res prorſus inſeparabiles coniungere, ita vt vnã abſque altera participari poſſe, teipſo calumniæ hac in re tuæ teſte, inficietur: tamen grauiùs etiã abs te in iſta diſtributione, alia ratione peccatur. Dicimus enim Sacramenta duabus rebus conſtare, ſigno videlicet & re ſignificata quam eſſe docemus carnem & ſanguinem Domini. Adiicimus poſtea non idcirco nos vnum corpus fieri cum Domino, & in Domino, vt ex corporum contactu fiat ſeu vnum naturale, ſeu ſpiritualis naturæ corpus, ſed vt omnes inter nos, & cum eo myſticè coniuncti ipſius Spiritu viuificemur. Itaque ſignorum perceptio abs te prætermitti non debuit, quum hac etiam in parte diſsideamus: & duas res illas ſubſtãtiam videlicet & efficaciam qua ſerie dicamus nobis communicari explicare oportuit, iſtam videlicet non vt illi coordinatam, ſed vt illi inſitam. vt nõ tam duæ res quàm vna nobis præbeatur, nempe caro Chriſti viuifica ſua virtute prædita, quemadmodum (exempli gratia) annulli nomine & annulum ipſum, & gemmã intelligimus. Sed in hoc demũ præterea grauiſsimè peccas, quòd inſanire nos dicas, niſi vim illam viuificatricem Chriſti carni inſitam, quam ſucco comparauimus, corporeũ & carneũ quiddã eſſe cenſeamus, vnde videlicet aliquid deciſum in nos traiiciatur, id eſt niſi qualitatem cum ſubſtantia & cauſam cum effecto confundamus. Itaque vt ſemel de hoc dicam, ſcito nos non aliam carnis, communicationem ſtatuere, quem ſpirituale᷒ videlicet & planè myſticá, vt vnum corpus cum Chriſto ſpiritualiter facti, in ipſo quoque & cum ipſo, viuificemur, futuri aliquando ipſius in æternum cohæredes. Tu verò videris an hoc ſit fumos vendere, an hoc potiùs hoc ipſum facere quod quotidie facitis. Quod autem nobis obiiciris, magnam videlicet neſcio quam nummorum ſummam nobis per ſingulas Cœnas colligi, id eſt quaſi veſtro more ſimus, vt ſcitè de veſtri ſimilibus loquitur Nanzianzenus, χρυσέμποροι ἢ χριστέμποροι, ſcio apud eos qui vel doctrinam quam annuntiamus, vel diſciplinã quam ſanctè adhuc obſeruauimus, vel noſtros mores norũt, nulla refutatione indigere. Cæteros quos nihil pudet quoquo modo nos calumniari, nihil moramur.

Quæ multis poſtea paginis admodum confusè & perturbatè ſcribis, ad duo capita tandem reuocas, nempe vel ad exiſtentiam corporis in pane, vel ad eiuſdem manducationem. Ego, ſicut ex argumentis liquebit contra vtraque ſimul dixi, quorum nonnulla quandoquidem ſtuduiſti refutare, ego viciſsim rurſum conabor confirmare. Dixi realem illam veſtram præſentiam ſtatui non poſſe, quin corpus ſit non corpus, id eſt quantum ſine quantitate, ſiue infinitè finitum. Ad hoc reſponſurus primùm accuſas me beſtialitatis, qui de corporibus non aliter quàm ex ſenſibus & naturalibus legibus cogitem. At ego beſtia ex te Monacho quæro quæ corpora intelligas, & quid tãdem rationis habueris, cur hoc non expreſſeris. Nã ſi vniuerſaliter negas oportere de corporibus iudicari ex naturæ legibus, ne beſtiæ quidem appellatione dignus es. Quæro & illud cur numero multitudinis DE CORPORIBVS dixeris. Putabam enim inter nos de vnico Chriſti corpore controuerti, cuius prærogatiuas ſi ſentis aliis vllis corporibus eſſe communes, cedò cur tandem ad omnipotentiam refugis, vt iſtam exiſtentiam confirmes? niſi fortè vis ſpiritus quoque eſſe omnipotentis cuiuſdã naturæ participes, vt & ipſa quoque corpora ſpiritualem exiſtendi modum nacta, quod dogma haud ſatis ſcio an veſtra Sorbona ſit approbatura. Viden' ergo te caotherium in ipſo limine impingere? Sed agè, hoc ſinamus, & de vnico Chriſti corpore te loquutum fingamus. Reſpondeo hęc tua, circunſcriptionẽ eſſe non infirmitatis ſed naturæ, adeóque ſpecificam omnis propriè ſic appellati corporis formam: gloriam verò non ademiſſe corpori Chriſti naturam corporis, ſed ſolam infirmitatem, quod ait disertè Auguſtinus: nec poſſe te in tota erudita vetuſtate vel vnum nominare, qui non apertè dixerit, ſaluam Chriſti corpori ſuam formam, ac loci circunſcriptionem manſiſſe, atque in æternum permanſuram. Sed illud addo, inenarrabiliter tamen glorificatam eſſe hanc ipſam carnem ſupra res omnes conditas, nedum vt infirmitates omnes nõ depoſuerit. Hæc oppugna firmis rationibus, ſi potes, aut nugari deſine.

Quid enim eſt nugari ſi hoc non eſt? *Non negamus*, inquis, *corpus Chriſti eſſe quantum in Euchariſtia.* Sed quid vocas Euchariſtiam? Si actionem ipſam Cœnæ, cur ſic ambiguè loqueris? Si panẽ, iã à tranſſubſtantiatione deficis: ſin panis accidentia, cur nõ apertè hoc ſcribis, vt te omnes intelligãt dicere ſubſtantiam & quidem quantitate corporea præditam accidentibus alienis ineſſe, quum cõtra ſit hoc proprium accidentibus, non vt ſint, ſed vt ſubſtantiis inſint? præterea ſi verè ſentis quantitatem corporis Chriſti ſaluam permanere, quod ſanè veriſsimè dicitur, cur tantopere laboras, vt quantitatem oſtendas ad corporis naturalis (adde organici) ſubſtãtiã nõ pertinere? Sic enim diſertis verbis ſcripſiſti: *Nulla ſubſtãtiali ac formali cõditione priuamus Chriſti corpus,*

ſed

ſed negamus ad ſubſtantiam corporis naturam pertinere QVANTITATEM, *loci ſpatium, oculis eſſe obnoxium & ſimilia, ſed ipſi iſta omnia accidere arbitramur, ac vera naturalium rerum indagatione, & proinde iſtis omnibus carere poſſe ſubſtantiam, ita vt integra ſubſit & exiſtat Diuina virtute.* Quid tu vero appellas veram naturalium rerum indagationem, explicabis planiùs quum voles. Sed ad rē. Cur (obſecro) de retinenda quantitate corporis Chriſti poſtea laboras, quum illam numeres inter accidentia, quæ ſalua ſubſtantia poſſunt aboleri? an quòd iſta tibi iuſto Dei iudicio exciderint, vt teipſo iudice redarguaris? Certè ſi definitio eſſentiam rei declarat, & corpus id dicitur omniũ confeſſione, quod triplici dimenſione conſtat, quantitatem à corpore non magis quàm rationis participem eſſe ab homine, & ſpecificam formam à ſua ſpecie ſeparaueris abſque rei ipſius interitu. Quanto verò magis id faciendum eſt quum de corpore quantumuis glorioſo, tamen compoſito & organico quæritur? Sic enim Ambroſius, *Omnis creatura certis ſuæ naturæ limitibus circumſcripta eſt: nec creatura dicenda eſt, quæ non habet circumſcriptam determinatámque naturam.* Et Auguſtinus, *Ego corpus Chriſti ita eſſe in cælo credo, vt erat in terra, quum aſcenderet in cælum.* Item, *Chriſtus eſt in loco aliquo cæli propter veri corporis modum, cui immortalitatē dedit, naturā non abſtulit.* Et Theodoretus, *Corpus Domini quod reſurrexit, à corruptione quidem & interitu alienum, & impaſſibile & immortale, & diuina gloria glorificatum, & ſeſſione ad dexteram Patris dignatum eſt, & à cæleſtibus adoratur poteſtatibus, corpus tamen eſt, & eandem quam prius habuit, retinet formam, figuram, & circumſcriptionem.* Paralogiſmus autem ille quàm puerilis & ineptus eſt, corpus eſſe ſubſtantiam non accidens? quaſi verò quiſquam ignoret corporis nomen modò ſubſtantiam dici, quatenus videlicet res eſt materiata, ſiue ſimplex ſiue compoſita: modo verò quantitatem tribus conſtantem dimenſionibus. Phyſica hæc ſunt, dices. Sanè ſunt, & quidem prorſus firma & immota, ex inuariabili Dei conditoris voluntate. Tales enim res eſſe neceſſe eſt quandiu ſunt, quales illas Deus in rerum natura vult extare. Hunc autem ordinem quo rerum genera, & ſpecies, ac fundamenta diſtinguuntur, etſi conditori non magis difficile eſt immutare vel etiam abolere, quàm illi facile fuit omnia ex nihilo condere, & õi pro ordine digerere: nihil tamen ſimul id eſſe quod fuit, & aliud eſſe quã fuerit magis poteſt, (de formis ſpecificis loquor) quàm ſimul eſſe & non eſſe. Verè igitur Auguſtinus apud Proſperũ, *Deus*, inquit, *ſic eſt omnipotens, vt nunquam ſuæ rationis inſtituta conuellat.* Et ne tuo more declamites ex iſtis ſpeculationibus de corporibus glorioſis non eſſe diſputandum, inſcienter te loqui dico, tum quia tēpore inſtitutionis Cœnæ Domini glorificatum nondum erat illud corpus, nec vt glorioſum, ſed vt iamiam crucifigendum traditum eſt: tum etiam quoniam Chriſtus ipſe te refellit, vt qui poſt reſurrectionem non alia ratione ſe probet verum illud naturale ſuum corpus conſeruaſſe, ſiue cũ ipſum eſſe qui ante mortem fuerat, quàm quòd videri, tangi & contrectari ſe iubet, vt neceſſe ſit tale fuiſſe Chriſti argumentum. Videtis me & tangitis: Ergo non ſpiritũ, ſed corpus videtis. Atqui nullũ eſſet iſtius collectionis robur, ſi vel ſpirituũ ſubſtantia aſpectabilis & cõtrectabilis, vel corporũ ſubſtantia non aſpectabilis vel cõtrectabilis eſſe poſſet. Nã ſi verũ illud eſſet, reſpondere potuiſſent diſcipuli vel apud ſe cogitare, Etiam ſi hunc videmus & tangimus, tamen propterea non ſequitur hoc aliud eſſe quàm ſpiritum, quum ſpiritus etiam videantur & tangantur. Ex altero verò efficeretur tam malè argumentatum eſſe Chriſtum quàm ſi dicerem, Hoc eſt album, ergo homo eſt. Itaque quicquid nugeris, tam vera & neceſſaria eſt hæc conſequutio, Hoc videri & tangi poteſt (de ipſa rei natura in ſe conſiderata loquor). Ergo corpus ſiue quantum eſt: quàm iſta, Hoc neq; aſpectabile neque contrectabile eſt: Ergo corpus ſiue quãtum non eſt. Sed dicet aliquis, quorſum iſta, quum Santeſius diſertis verbis fateatur *corpus Chriſti in Sacramento retinere ſuam quantitatē, & ſuæ quantitatis circumſcriptionem?* Et ſanè fateor iſtis opus non fuiſſe, niſi poſtea à ſeipſo diſſentiret, quum ſic totidem verbis ſcribit, *Negamus talem hanc quantitatum circumſcriptionem, aut limitationem dici aut haberi ex locorum magnitudine aut multitudine, ſed ex eius rei proportione quæ ſubſtantia & quãtitas nominatur in naturali corpore.* Ergo naturale nunc quoque confiteris Chriſti corpus, & quidem rectè. Sed quomodo inter ſe conſentiat locorum multitudo cum limitatione quantitatis ſiue ſubſtantiæ, id eſt, quomodo quantum ſit non quantum, finitum infinitum, tu videris. Deinde quæ ſit iſta tua proportio quam inuenis, totúmque iſtud ænigma, cuius obſcuritate abſurdiſsimum & mõſtroſiſsimum iſtud dogma occultari poſſe exiſtimas, quis tandem explicabit? Antea oſtendimus poſito corpore propriè ſic vocato, ſequi quantitatem, quum ſpecifica corporeæ ſubſtantiæ forma ſit magnitudo. Nunc quum veritatis vi adactus, poſueris quantitatem & circunſcriptionem, tamē locum tollis, qua in re quis tandem tibi aſſentietur, quin tecum prorſus inſaniat? Quid enim aliud eſt circunſcriptum eſſe corpus quàm ex neceſsitate loco circumſcribi? Sed tamen callidè hoc attigiſti. Interdum enim quaſi non de loco, ſed de anguſtia loci controuertamus, ſic ſcribis, *Affirmamus ſubſtantiam & quantitatem ex ſua natura indifferentes eſſe ad locorum breuia ſeu capacia interualla, ideòque non auferri debere neceſſariò ex ſubſtantiæ & quantitatis definita natura certi loci menſuram, quũ loci proprietas non ſit intrinſeca ſubſtantiæ aut quantitatis, ſed aduentitia & accidentaria.* Interdum verò audaciùs loquens ad potentiam Dei confugis, nec contentus in tantas anguſtias corpus Domini redigere, vt illud etiam comparare ſuſtineas minimis putrefacti in ſepulchro cadaueris particulis, progrederis ad naturarum incorporearum modum, neque eo contentus, tandem apertè prodis quid ſentias, & quænam tibi ſit religio vnum locum corporeæ magnitudini conuenientem tribuere, ne illud includere carcere videaris, et tamen pluribus ſimul locis eſſe, id eſt quod vnius Deitatis proprium eſt, & vſqueadeò proprium, vt & vni & ſoli & ſemper conueniat, accõmodas, vſqueadeò neceſſe eſt præcipites tandem dari, qui ſcientes prudentes à veritate aberrant. De iſtis igitur ſingulis agè pleniùs & diſtinctè diſſeramus. Locales eſſe, id eſt loco aliquo neceſſariò com-

prehendi & circumſcribi corporeas ſubſtantias qui negat, vſqueadeò repugnat veritati vt planè ſit indignus quicum vlla de re diſputetur. *Spatia tolle corporibus*, inquit Auguſtinus de ipſa glorificati Chriſti carne loquens, *& corpora non erunt*: & , *ſi corpus, ergo in loco*, quod etiam ſi non dixiſſet ille, tamen ordo ipſe rerum, ſaluis manentibus rebus immutabilis, conuincit. adeò quidem vt quod millies eſt à nobis obiectum, à vobis autem nunquam refutatum, ne deitas quidem ipſa effugitura ſit loci circumſcriptionem ſi quantitatem haberet. Certi autem loci nomine ſi locum vnum quempiam intelligis, quo veluti carcere contineatur Chriſti corpus, tute tibi monſtra quæ debelles comminiſceris. Nec enim aliud docemus quàm quod Scriptura docet, in cælos aſcēdiſſe Chriſtum, terris verè ſecundum carnem relictis, ibíque in gloria inenarrabili & nobis incomprehenſibili collocatum, nec inde ante vltimum illum diem illa vera carne ſua vllo modo deſcenſurum. At vos dum illi pyxidas tam multas & tam multos ventres attribuitis pro domiciliis, videritis quibus & quàm honeſtis anguſtiis illum includatis. Sin verò certum locum appellas certum ſpatium modulo corporis humani organici conueniens, quod nec maius nec minus eſſe poſsit, de hoc minimè tecum contendero, modò ne atomum pro Chriſti corpore ſubſtituas. Et quorſum iſta de rebus incompertis neque nobis pateſactis, id eſt de corporum glorificatorum vel magnitudine vel tenuitate aut ſubtilitate diſputatio? Verùm ſi certum locum vel proprietatem loci appellas vnius alicuius loci quantuſcunque tandem ille fuerit circumſcriptionem, ſiue, vt ita loquar, localitatem, tum ſanè dico vni tori corpori non poſſe ſimul plures locos attribui, quin vnum corpus plura eſſe corpora, id eſt te prorſus amentem eſſe confitearis. Etenim ſicut Quantum eſſe eſt ipſa corporis ſpecifica forma, ita Locale eſſe, id eſt aliquo loco neceſſariò contineri, accidens eſt à quantitate corporis inſeparabile, quia ſi corpus, vel ipſo teſte Auguſtino, ergo & in loco. Iam audiamus tuas in contrariam partem rationes. Confugis ad modum exiſtendi ſpiritualium glorificatorum corporum proprium. Atqui primùm probare te oportuit ſpiritualia corpora ideirco dici quòd exiſtere incipiant modo ſpirituum, id eſt incorporearum naturarum proprio, ſiue quòd in ſpiritus transformētur. Corpora enim, id eſt quantitate prædita eſſe non poſſunt, & eo modo exiſtere quo exiſtunt incorporea & quantitatis experia, quū quæque res ſpecifica ſuæ naturæ forma exiſtat, qua ab altera prorſus diſtinguitur. Neque nos de hoc vel illo loco, ſed de localitate corporis (vt ita loquar) diſputamus. Quantitatem autem retinuiſſe corpus Domini, id eſt corporis naturalis organici circumſcriptionē, tutemet faſſus es, & diſcipulis ſuis Chriſtus ipſe veris ac neceſſariis demonſtrationibus confirmauit. Totum igitur iſtud nugatorium eſt, vt & illa quæ millies à noſtris explicata nobis reponis de partu virginis, de tranſitu per lapidem ſepulchri, & per ianuas clauſas, quoniam, inquis, more ſpirituum ſolida & inuia penetrauit. Iſta, inquam ad quæ tu refugis latibula, etiam ſi inde ipſa te veritas non extruderet, tamen occulare tui dogmatis falſitatem nequeunt. Demus enim etiam tibi, ſi vis, corpus Chriſti omni quantitate ſpoliatum in ſpiritum eſſe commutatum, num ex eo collegeris multis ſimul locis exiſtere Chriſti corpus, quū non ignores Spiritus ſancti Deitatem qua à cunctis ſpiritibus creatis ſeiungitur, ex eo quoque comprobari, quòd ſit vbique, iſti verò eodem tempore vno tantùm ſint loco, quanuis illum corporum modo non compleant? Et iſtud cuiuſmodi tandem eſt quod de corporibus in puluerem redactis ſcribis? *quorum*, inquis, *ſubſtantia ſine quantitate & ſine certa loci magnitudine ſuperſtes eſt*. Primùm enim eius corporis quod omnem corruptionem effugit quæ comparatio eſt cum corpore per putrefactionem in minimas particulas diſſoluto? Deinde vt in minimas etiam particulas diſſolutum ſit eiuſmodi corpus, num tamen ideo omnis quantitatis, & loci expertes illæ fuerint? Sit etiam in elementa reſolutum, & corpus compoſitum eſſe deſierit, ſanè tunc dixero corpus eſſe deſiiſſe, nec tamen inde concludam periiſſe, ſed dixero ea ipſa Dei virtute inenarrabili reficiendū qua priùs conditum fuerat. Quorſum id tamen ad id corpus de quo à nobis quæritur, quod saluū illibata ſua quantitate permanſiſſe inter nos conuenit? Eam enim ſubſtantiam quæ amiſſa corporis organici forma in minutiſsimas particulas diſsilierit, vel effugere oculorum aciem, vel, ſi cernatur, ea forma non cerni qua prædita eſſe deſiit, nihil mirum eſt. Inde verò quum colligis corpus ſolidum, naturale, organicum, aſpectabili natura non eſſe, aut tam anguſto ſpatio quàm puluiſculum contineri, ecquis ſatis ſanæ mentis tibi aſſentiatur? Et vt hoc demus, quid hoc ad locorum pluralitatem ſiue vbiquitatem facit? Pluribus enim locis ſimul eſſe & omnibus locis, vnius eiuſdémque eſt virtutis ac naturæ. Itaque quum eandem hanc comparationem aliquot interiectis paginis repeteres, rectè omnino feciſti, quòd pluralitatem locorum exceperis, de qua tamē vel præcipuè inter nos quæri non ignoras. Sed illa certè calumnia prorſus intolerabilis eſt, quòd quum veritatem corporis humani fatearis euſque à nobis defendi, vt penè nihil vltra ſenſum velimus de Chriſti humanitate apprehendere, tu verò apertè nos reuoces ad modum exiſtendi ſpiritibus proprium quem vis corpori Chriſti accidere, dicere tamen te non pudeat earum hæreſeon à nobis iaci fundamenta quibus traditum eſt Chriſtum humanum corpus, non reipſa ſed, *δοκήσει*, aſſumpſiſſe, vel carnem Chriſti fuiſſe a Diuinitate abſorptam: quæ tamen hæreſes, ſi tuum verum eſt dogma, manifeſtè ſtabiliuntur. Quid plura? tandem ad omnipotentiæ Dei *κρησφύγετον* illud deuenis in quo ſi te continuiſſes, rectiùs ſanè feciſſes, neque in illarum abſurditatum gurgitem te proieciſſes, ex quibus elabi nunquam poteris. Sed quid ſi hinc quoque te veritas detrudat? *Innitimur*, inquis, *verbo Chriſti, Hoc eſt corpus meum*. Quaſi verò nos aliud fundamentum quàm hoc ipſum ſtatuamus. Quoties autem tibi reſponſum fuit non pugnare inter ſe verbum Domini, veſtram autem de iſta præſentia ſubſtantiæ in terris non magis cum analogia fidei quæ eſt omnium in-

terpretationum

terpretationum norma,congruere quàm cum luce tenebras? *Imo*, inquis,*verbum Dei docet corpus Chriſti exiſtere quot in locis Cœna Domini celebratur, ideóque animum attollimus ad Diuinam potentiã quæ creaturis ſupra naturam & proprietatem illarum plura valet conferre quàm nos poſſimus comprehẽdere,ideóque dicimus impiè excipi contra Dei verbum,ipſúmque refelli ex naturali creaturarum conditione, & addimus ex pluralitate locorum ineptè infinitatem corporum à Beza concludi, quoniam à nobis non concipiatur quàm latè pateat Diuina virtus ad conſtituendum idem corpus pluribus in locis citra eorundem infinitatem.* Hæc verò rurſum vt appareat quàm falsò & quàm calumnioſè nobis obiicias, ſic verè & ſimpliciter reſpõdeo. Quot locis Cœna Domini ex ipſius inſtitutione celebratur,corpus quoque Domini ſacramentali modo ſiue in Sacramento adeſſe, id eſt ita vt præterquam quòd ſymbolis ſignificatur,verè quoque ad vitam æternam ſpiritualiter per fidem participãdum detur, abſit vt inficiati vnquam ſimus: veſtram autem illam præſentiam corporis cum ſymbolorum ſiue ſubſtantia,ſiue accidentibus,ideo non credimus,quia verbo Dei credimus. Quod ad Diuinam potentiam attinet,tam credimus Deum omnia poſſe quæ à potentia proficiſcuntur,quàm credimus Deum eſſe:quia ſi Omnipotens non eſt,ne Deus quidem eſt. Itaque poſſe illum corpora non modò inenarrabilibus donis ornare,verùm etiam, ſi liberet,in res alias infinitis penè partibus nobiliores transmutare: & contrà donis prout libuerit ſpoliare,adeóque in nihilum,ſi volet,redigere, cui tandem orthodoxo dubiũ eſſe poteſt? Sed poſſe Deũ efficere vt aliquid ſimul ſit & non ſit, vel ſimul eodémq; reſpectu tale ſit & tale nõ ſit,id eſt exempli gratia, vt aliquid ſit corpus & nõ corpus (ſi corpus autẽ eſt,ergo & quantũ,& eodẽ tempore vno tantùm loco) hoc verò pernegamus: nec propterea omnipotentiam ei adimimus, imò ideo hoc non poſſe dicimus, quia mentiri non poteſt,mentiretur autem vna ex parte,ſi quæ contradictoria eſſe volnit,vellet, quia contradictoriorum alterum falſum eſſe oportet. mentiri verò non eſt potentiæ alicuius,ſed infirmitatis. Cæterùm ſiue pluribus ſiue omnibus ſimul locis eſſentialiter & quidem illocaliter adeſſe (vtrunque enim æquè valet & eadem cauſa nititur) infinitatis, ideóque Deitatis proprium eſſe probatione non eget. Ergo loco comprehendi ſiue proprietate naturæ quod incorporcorum eſt, ſiue quantitatis mole quæ eſt corporum ſpecifica forma, finitæ naturæ proprium eſt, quo ſublato,res omnes creatas aut euadere Deos (infinitum enim eſſe & Deum eſſe idem valent) aut in nihilum redigi oportuerit: quorum iſtud ſi vellet, poſſet ſanè Deus tam facilè quàm ex nihilo omnia condidit: illud verò velle non poteſt,quoniam Deitatis multiplicatio nõ eſſet potentiæ ſed infirmitatis,quum vt ipſi philoſophi cognouerunt,multiplicatio ſit à materia,ideóque Chriſtiani tres quidem hypoſtaſes,vnicam verò Deitatem confiteantur. Ita verò orthodoxos aduerſus Eutychianos illud ipſum potentiæ diuinæ argumentum quod ab illis mutuati eſtis proferentes, diſputaſſe, & hoc ipſum quod reſpondemus reſpondiſſe (ſicut prolatis toties Theodoreti, & Vigilii expreſsis teſtimoniis oſtendimus) qua tandem conſcientia, diſsimulas? Et de præſentia quidem illa veſtra hactenus dictum eſto. Nunc ad realis manducationis argumenta propiùs accedamus, quæ tamẽ ſi labefactetur illa præſentia,neceſſariò quoque ruant oportet.

In primis hoc mordicùs retines, *oportere realiter coniũgi ſubſtantiam carnis Domini cum noſtris & animabus noſtris,ac proinde illam inueniri vbi agunt anima noſtra & corpora,& reipſa ſumptam applicari reipſa animabus noſtris ſine corporibus.*

Sed cuiuſmodi tandem rationibus iſta innituntur? *Quinam enim*, inquis,*fieri poteſt vt quæ ſe non contingunt,reipſa coadunentur?* Oſtende igitur nobis quis ſit animarum noſtrarum cum carne Chriſti,id eſt rei incorporeæ cum corporea contactus. Deinde an eius oblitus es quod nobis obiicere conſueuiſtis,nempe Capernaitarum & incredulorum eſſe iſtud QVINAM ſiue QVOMODO?

Præterea,inquis,*quod non eſt,ſumi non poteſt. Ergo neceſſe eſt vt adſint res eo modo quo ſumuntur, id eſt adſint reipſa vbi reſident animæ & corpora.* Imò non te pudet vſqueadeò ineptire, vt inter ESSE & ADESSE non diſtinguas? Imò ſumi etiam ſpirituali modo per fidem ea quæ non ſunt, idque quàm efficaciſsimè,annon ſatis apertè oſtendit Apoſtolus,ſcribens eandem eſcam comediſſe Patres,& eundem atque nos potum, Chriſtum videlicet, non vtique ſecundum carnem natum, ſed certò naſciturum, ideóque fidei iam oculis præſentem, bibiſſe? Et an non hoc idem ſatis perſpicuè docet Auguſtinus,teſtificans veterum Sacramenta quoad ſigna fuiſſe à noſtris diuerſa,quoad ſignificata, paria fuiſſe? Denique vt illud verum ſit,oportere res adeſſe eo modo quo ſumuntur, vti ſanè verum eſt,non vides te incurrere in petitionem principii,quam dialectici vocant, quum velut eo conceſſo de quo quæritur,manducatione videlicet corporali, modum præſentiæ corporalem eſſe concludis? Cur non verò viciſsim ego concluſero ex eodem antecedente,ſpirituali modo carnẽ Chriſti & adeſſe & coadunari? Sed age,audiamus quouſque tandem oppugnandæ veritatis ſtudio abripiaris.

Hoc,inquis,*patet ad ipſam vſque Diuinitatem,quæ ſi tantùm potentiam ac virtutem diffunderet vbique,& non ſuam eſſentiam re vera & actu omnibus in rebus exhiberet, eiſdémque ineſſet & VNIRETVR,non diceretur reipſa omnibus aſſiſtere, manere in ſingulis & vbique verè præſens eſſe: quanto minus caro Christi quam Diuinitati non adæquamus, ab anima ſiue corpore dicetur reipſa percipi, niſi reipſa illis copuletur, & ibi adfuerit vbi ſunt antequam reipſa capiatur?* En tandem, veros ac planè genuinos huius veſtræ pertinaciæ fructus. Illud ſanè peruulgatum quis negarit, *Enter, præſenter Deus eſt, & vbique potenter?* Vniri verò Deum omnibus rebus, ac proinde ipſis etiam dæmoniis & impuriſsimis quibuſque, dic tu mihi, quis vnquam niſi penitus impius dicere auſus eſt? Certè præterquam quòd ſine horrore tanta blaſphemia ne audiri quidem

poteſt,ſi vnum eſt Deus cum rebus omnibus,cauſa non erat cur Chriſtus Patrem rogaret vt vnũ fieri vellet cum omnibus in ipſius nomen credituris. Deinde quo tandem pudore,vel ipſis electis & credentibus dixeris Deitatem eſſentialiter,aut alia ratione quàm ſpiritualis *ἐνεργείας* participatione vniri? Sola enim caro Chriſti ea eſt in qua verbum *ὑποστατικῶς* habitat, ac proinde cui vni datum eſt non tantùm *ἐνεργητικῶς* vt nobis credentibus,ſed etiam *καθ' ὑπόστασιν* Deo verbo vniri. Denique ratione vel illius ſuſtentationis quæ rebus omnibus ſubſiſtentibus eſt communis,vel etiam ſanctificationis quæ eſt credentium propria,dici,ſine blaſphemia non poteſt Deus ſecundum eſſentiam vniri. Sed & iſtam formulam, DEVM REBVS OMNIBVS INESSE, ac multò etiam magis iſtud, DEVM IN SINGVLIS REBVS MANERE,ex quo tandem Scripturæ loco probaueris? Etſi enim eſſentia Dei vbique eſt,& omnia quæ ſunt præſens conſeruat,tamen illis verbis aliquid multò præſtantioris effecti,& vnis ſanctificatis proprium vbique in Scripturis declarari certum eſt. Ideo dicit Chriſtus de ſolis credituris loquens, Ego & Pater veniemus, & manſionem apud eos faciemus. Et Iohannes,Ex hoc,inquit,quòd de Spiritu ſuo nobis dedit, nouimus nos manere in ipſo,& ipſum in nobis. Et Paulus,Nõ poteſtis,inquit,participes fieri menſæ Domini(ergo ne Dei quidem)& menſæ dæmoniorum. Illud itaque dogma de vnitione eſſentiæ Dei cum rebus omnibus,vt impium & blaſphemum deteſtor,quorum criminum te reum facio: iſtas verò *καινοφωνίας* vt prorſus improprias, inſolentes, & vſitatis verbo Dei phraſibus repugnantes repudio. Ad rem ipſam autem ſic reſpondeo.

Quòd Deus vbique totus eſſentialiter eſt præſens,omnia comprehendens,à ſeipſo exiſtens, & à nullo neque totus neque ſecundum partes comprehenſus,ipſe videlicet ſimpliciſſimus ipſáque adeò ſimplicitas,à natura Dei eſt,cuius eſt infinitum Eſſe & Poſſe. Quòd verò præſens omnia ſuſtentet & regat,eſt ab ipſius voluntate,quæ cum natura & potentia ipſius prorſus conſentit. Nam alioqui non poſſe niſi reipſa præſentem aliquid authoritate ſua & mandato efficere, certum eſſet non ſatis potentis naturæ vel poteſtatis argumentum. Ponamus igitur (quoad abſque impietate facere poſſumus)non eſſe infinitam Dei eſſentiam,dico futurum tamen,quum infinitæ ſit potentiæ,vt abſens ſolo nutu omnia tam potenter & tam efficaciter ſuſtentet & gubernet, quàm præſens ſuſtentat & gubernat: quod niſi concedas, id eſt ſi neceſſitate quadam extra naturam ipſius conſiderata,quicquam Deum non niſi præſentem poſſe ſuſtentare & gubernare dicas, hoc ſanè præſentiæ vel abſentiæ nudo & ab ipſa natura ſeparato reſpectu,multos non tantùm Reges & Dominos,verùm etiam priuatos feceris ipſo Deo potentiores. Hinc æſtimare quiuis,opinor,poterit, quàm elumbe ſit hoc tuum argumentum,cuius etiam refutationem nobis temerè ſuppeditas. Nã verbo negas te exæquare carnem Deitati,quod tamen reipſa facis, quum vtranque dicis poſſe reipſa præſentem, ſi non omnibus,at certè quotcunque voluerit locis adeſſe. Quod enim fortaſsis excipies plus eſſe Vbique quàm plurimis ſimul locis adeſſe,nihil te iuuat,quoniam Pluribus locis & Omnibus locis eſſentialiter adeſſe,non genere,ſed ſecundum plus & minus differunt, idcóque vni eidémque naturæ conueniunt:& quum tam ad vnum quàm ad alterum iſtorum duorum,eadẽ infinitas neceſſariò requiratur,amentis hominis fuerit, animo concipere aliquam eſſentiam multis eodem tempore locis adeſſe, quæ omnibus ſimul locis non adſit,id eſt aliquid eſſe magis vel minùs infinitum. Nihil etiam te iuuerit aliud Vbiquiſtarum cauillum, ad quos paulatim deficis. Longè etenim,inquiunt , aliud eſt Non niſi aliunde & ex dono ſupernaturali adeſſe ſimul multis locis,quàm Ex ſeſe,id eſt ſuapte vi & natura vbique adeſſe. Hoc verò quid aliud eſt quàm vel contradictoria ſimul ponere,(mutuò etenim ſe conſequuntur, Finitum,& eodem tempore vno tantùm loco eſſentialiter reipſa adeſſe,itémque,infinitum eſſe,& ſiue pluribus locis ſiue vbique eſſentialiter ac reipſa adeſſe: ex quo conſequitur ſicut contradictoria ſunt Finitum eſſe & Infinitũ eſſe, ſic etiam inter ſe repugnare Vno tantùm loco ſemel adeſſe,& Pluribus locis,vel vbique ſimul adeſſe) vel binos infinitos,id eſt binos deos , vnum quidem à ſe,alterum per aliũ ſtatuere? Centurio ille cuius fidem tantopere Chriſtus ipſe commendauit,teſtatus eſt ſe non dubitare quin Chriſtus etiam abſens ſecundum carnem,poſſet vitam moribundo reſtituere: nec eum iſta ſpes feſellit. Et tu eundem Chriſtum negabis itidem verbo,quantumuis abſentem ſecundum carnem,poſſe nos à morte æterna ſeruare? Audi quid dicat Cyrillus lib.in Ioh.11,cap.22. *Quum Deitati ſeruatio attribuatur,non debetis,inquit Chriſtus,carnis præſentiam propterea deſiderare.* Sed proſpicio quid ſis excepturus,te nimirum non agere de virtute,ſed de perceptione carnis ſiue vnitione cum ipſa Chriſti carne,quum minimè neges carnis etiam nõdum extantis virtute ſeruatos fuiſſe Patres. Eſto. Quomodo igitur cohærebit tuum illud argumentum à Deitatis virtute ſumptum ad carnis Chriſti præſentiam? Ideo in antecedente iniecisti etiam realis cum ipſius eſſentia vnitionis mentionem, quod dogma vt impium & blaſphemum refutaui. Deinde ſi ad ſalutem , qui vnicus eſt tum prædicationis tum Sacramentorum finis , illa quam tu ſtatuis præſentia teſte Cyrillo non eſt deſideranda,qua de re,quæſo,tam pertinaciter contendis? De vnione ipſa,dices. Rectè profectò. Nemo enim ſeruatur niſi Chriſti particeps,quum extra Chriſtum non ſit ſalus,& neque Verbũ extra carnem ſeruet , neque caro in alio quàm in Verbo ſit viuifica , neque hæc vita in alios à capite Chriſti , quàm in ipſius membra promanet. Sed quis tibi largietur ad hanc vnionem requiri vllam ſubſtantiarum carnis Chriſti & noſtræ *συνάφειαν*, quam neque corporis veritas, neque ſpiritualis vitæ ratio patitur? Et quorſum tu iſtud, *Animarum ſeu corporũ realem contactum* , &, *Animas noſtras ſeu corpora contingere reipſa ipſam carnem Domini*: & , *Ab anima ſiue corpore percipi*? Loquere, inquam,apertè,& prodi in lucem,tenebrio. Tibi dicendum eſt,aut ſimul vnóque momento tum animam tum corpus contingere carneam ipſam Chriſti ſubſtantiam , aut corporum eſſe hunc contactum,& inde ad animã peruenire,aut ab anima incipere,& ipſum corpus poſtea colligere.

Si primũ illud intelligis, nulla fuit illi diſiũctiuæ particulæ s e v locus, & demonſtres nobis oportet reipſa extra hypoſtaticam vnionem poſſe ab incorporea ſubſtantia animorum noſtrorum contingi, & ei realiter ἀμέσως appellari carneam Chriſti ſubſtãtiam. Sin alterũ mauis, ergo noſtro corpori ἀμέσως cohærebit alterum, nempe Chriſti corpus, vt reipſa ſint bicorpores omnes Chriſtiani, ipſe autem Chriſtus tot corporibus quanuis non hypoſtaticè, tamen eſſentialiter reipſa & ἀμέσως conſtet, quot vnquam fuerunt, ſunt aut erunt vere Chriſtiani. Et præterea aliud inde conſequetur, nempe à corpore incipere vitam æternam hominis, vt inde in animam defluat, quod tam eſt abſurdum vt refutatione non indigeat. Sin verò tertium amplecteris, id eſt cibum hunc, vt loquitur Auguſtinus, mentis eſſe non ventris (minimè id quidem quaſi non etiam corpus viuificet, ſed quòd mente per fidẽ, non corpore percipiatur) nempe vel tibi in noſtras, id eſt veritatis partes tranſeundum erit, vel probandus, vt anteà dixi, eſſentiæ corporeæ cum incorporea realis contactus. Sed præterquàm quòd corporis quidem finiti veritas locorum pluralitatem, incorporea autem natura, qualis eſt animus noſter, contactum illum realem nullo modo patitur, iſtud quod dicit Apoſtolus, nos videlicet peregrè abeſſe à Domino quandiu in hoc corpore peregrinamur, & ſummus omnium veterum Patrum conſenſus Angelis conſentiens in aſſerenda Chriſti abſentia ſecundum carnem, vſque ad vltimum diem, nulla prorſus addita Cœnæ Domini exceptione, annon manifeſtiſsimè veſtrum quidem dogma redarguunt, ſententiã verò noſtram confirmant?

Sed audiamus alterum quiddam planè mirificum. *Fruſtrà*, inquis, *illuſiones fiunt à Calumiſtis de potentia Spiritus ſancti, per quam cohæreant inter ſe longiſſimè diſiuncta. Nam niſi potentia illa applicet reuera vnum alteri ex ſeparatis vt ſe contingant, non illa coadunabit re ipſa inter ſe, ſed per vinculum commune colligabit, nec tamen efficiet reipſa coniuncta inter ſe. Non enim quæ vni tertio re vera annectuntur, propterea connectuntur inter ſe re vera, vt cælum & terra ſi dicerentur per elementa intermedia vniri, non tamen per id inferretur aptè coadunari inter ſe reipſa, quoniam non maior ſit appropinquatio cæli & terræ quàm ſi nullum interueniret ligamen.* Reſpondeo trinam vnitionem in verbo Dei commemorari, quarum nulla hoc nomen meretur ſi verum eſt quod ſcribis. Nam & cum Deo Patre & cum Chriſto, & inter nos vniri nos ad ſalutem neceſſe eſt. Primæ verò vnitionis vinculum & colligamen vnicum eſſe noſtram cum Chriſto mediatore coniunctionem, ne tu quidem auſis opinor inficiari. Aut igitur impropriè locutum eſſe Spiritum ſanctum oſtende, aut verè & reipſa vniri excluſo etiam mutuo contactu concede fideles omnes cum Deo, quia Chriſtus, qui idem eſt homo & Deus, nos vnum ſecum faciens, etiam Patri annectit quîcum vnus eſt natura Deus. Et vt noris quanti hæc vnio ſit momenti, dico reliquas duas ad hanc tanquam finem & terminum referri, & ſine hac prorſus inutiles futuras. Idem dico de tertia qua inter nos vnimur, non modo conſenſu ſed etiam corpotibus vt loquitur Cytillus. Quum enim cũ Chriſto omnes vnum corpus ſimus, ſanè etiam inter nos vnum in ipſo euadimus. *At nihilominus*, inquit Cyrillus, lib. 11. cap. 25. in Ioannem, *corpore & anima diſtamus, ſed Chriſtus modum adinuenit, conſilio Patris ſui & ſapientia conuenientem. Suo enim corpore credentes per communionem myſticam benedicens, & ſecum & inter nos vnum corpus nos effecit.* Ex his igitur conſtat, Monache, membrorum Chriſti inter ſe colligationem non eſſe ἀμέσως, quæ tamen eſt & dicitur reipſa vnio, eáque non tantùm conſenſus, ſed etiam corporum, quod disertè exprimit Cyrillus. *Quomodo enim*, inquit, *vniuerſi inter nos vnum non erimus, ſi omnes inter nos vnum cum Chriſto corpus ſimus?* Ergo & hîc mentiris. Reſtat media quæ eſt vtriuſque illius extremæ vinculum, noſtra videlicet cum Chriſti corpore ſeu carne, quam & ipſam abſque vllo cõtactu corporum quem tu craſsiſsimè imaginaris fieri, audi quàm apertè idem Cyrillus hoc argumento demonſtret. Qua ratione ſimus inter nos vnum corpus, eâdem quoque Chriſtus eſt noſtrum caput, quum per id euadamus vnum inter nos corpus quòd illi tanquam vni capiti adhæreſmus. At ſic ſumus vnum corpus inter nos vt tamen alii ab aliis & corpore & anima diſtemus. Ergo ſic & ille tanquam caput nobis concorporibus adhæret, vt tamen nullus inter illius corpus & noſtra contactus requiratur, quo etiam figmento nihil monſtroſius & à vita ſpirituali alienius fingi poſsit. Rectè itaque Auguſtinus de Chriſto loquens Saulum compellante, *Caput*, inquit, *erat in cælo, membrum erat in terris.* Denique quot teſtimoniis totius eruditæ vetuſtatis probatur corporis Chriſti vera abſentia à terris, & vera in cælis circunſcriptio, (illa verò toties iterare nos pudet) tot firmiſsimis & inexpugnabilibus argumentis conſtat nunquam illos de iſto reali corporum contactu quicquam cogitaſſe: & quum neque à Verbo Dei neque à ſeipſis hac in re diſsidere exiſtimandi ſint, quæcunque ſcribunt de Chriſti cum ſymbolis præſentia, ſacramẽtaliter, quæcunque de corporis manducatione noſtráque cum Chriſto vnione tradunt, ſpiritualiter eſſe accipienda. Illam autem ſimilitudine vnionis cæli & terræ per interiecta elementa quorſum tandem acceſſis, quum illam capitis & membrorum in promptu habeas? Num verò vnicum collum capiti vnitum, ac non etiam cætera membra cum capite vnita exiſtimabimus? Sed ne in hac quidem ſimilitudine omnia conuenite vel illud demonſtrat, quòd alioqui cohærere nos quoque inter nos mutuo corporum contactu oporteret. Ex his autem efficitur vniri nos quidem & Deo, & inter nos oportere, cuius vnionis vinculum eſt Chriſtus, quîcum vnum corpus & vnus ſpiritus facti, cum ipſo & & in ipſo tum Patri tum inter nos vnimur. Totũ hoc myſterium, eſt Spiritus ſancti operatio in ſolis credẽtibus tũ per ſimplex verbũ tũ per Sacramenta, cuius vnius Spiritus efficaci ſuo interuentu & participatione nos colligãtis vnũ in Patre, Filio, ipſóq; Spiritu ac inter nos etiã ſimus, & volũtatũ & pietatis cõſenſu, & ſanctæ Chriſti carnis cõmunione. Tuã illã verò realẽ corporis Chriſti traiectionẽ audi quantopere ſaltem Cyrillus his verbis ſit deteſtatus. *Nam*, inquit, *pronuntias noſtrum hoc myſterium eſſe ἀνθρωποφαγίαν, & irreligiosè ad craſſas cogitationes vrges eorum qui crediderunt mentes, & conaris humanis cogitationibus tractare quæ SOLA pura & minimè*

inquiſitionibus indulgente fide percipiuntur? Nam quod tu nugaris de exiſtendi modo ſpiritibus peculiari, quem ad Chriſti corpus applicas, ſatis ſupérque à nobis paulò antè refutatum arbitror.

Tantùm quædam particulatim expendam. *Corpus Domini,* inquis, *extat in ore & ſtomacho quandiu manet panis incorruptus, non tamen corruptibili naturali & fragili modo, ſed eo quo incorporei ſpiritus exiſtunt.* Hæc quum totidem verbis ſcripſeris, Santeſi, prætérquàm quòd recurret quæſtio, quò tandem igitur euadat iſtud corpus poſt panis corruptionem, tibi etiam atque etiam videndum eſt quomodo ſis iſta coram Sorbona excuſaturus. Etenim ſi quod mordicus tuemini nihil remanet ſubſtantiæ panis, quorſum iſta de pane manente incorrupto, vel corrupto? Audi igitur iſtud, inquã, & ſi potes, nega tuis ipſius retibus te implicatum teneri.

Sic etiam, inquis, *quamuis re vera ipſum corpus ore, dentibus, & ſtomacho tractetur & edatur, non tamen aliorum animantium more necatur, dilaceratur, concoquitur, excernitur, quoniam modus fit incorporeus ex parte corporis Dominici, at non ex parte noſtra, quum officia corporalis eſus per os & dentes exerceamus.* Itẽ, *In corporis Domini manducatione* (inquis) *duo iſta ſeparamus, rem videlicet & modum: & rem nimirum corpus ipſum de facto ore corporis ſumi & comedi trudimus, ſed modum manducandi incorporeum & ſpiritalem ſtatuimus.* Iſtam verò Rei & Modi non diſtinctionem, ſed ſeparationem quam vocas, vnde tandem deprompſiſti? Nam velis nolis, ſi inſtrumentorum eſus cum natura rei qua vtitur in natura conſentiat, ita re vtaris neceſſe eſt vt fert ipſius natura. Itaque ſi corpus eſt, ſiue animale ſiue ſpiritale, tamen non niſi vt corpus ab alio corpore ſumi poteſt. De fractione verò, comeſtione, cõcoctione, egeſtione quid ſentiemus? Iſta certè ipſi carni Chriſti neq; vt animali qua præditus erat quum Cœnam inſtitueret conuenire potuit citra eius deſtructionem, neque ſpirituali, qualis nũc eſt, citra naturæ tamen corporeæ abolitionẽ, id eſt quemcunque exiſtendi modũ illi tribuas, cõuenirũt. Et quum præterea ſubſtantiam panis penitus aboleas, quid tandem illud erit, quod frangi, cõminui, concoqui, egeri negare ne tu quidem poſsis? Certè vel ſola accidentia, vel nihil. Deinde cur diſtinctionem modi retices quem non modo duplicem verùm etiam ſpecie diuerſum facis? Vis enim corpus quidem noſtrum communia officia omnia corporalis eſus exercere: & tamen corpus ipſum Domini incorporeo modo comedi. Vbi igitur veſtrum illud τὸ ῥητὸν? Quis enim quidpiam incorporeo modo propriè aut aliter corpore quàm tropo quopiam comedi, comminui, cõcoqui, excerni dixerit? Et ſi corpus quod comeditur incorporeo modo comeditur, dixeríſne corpus à quo comeditur, corporeo modo id comedere? Neceſſe enim eſt quæ eſt actionis ratio, ea quoque ſit perpeſsionis, ac proinde corpus corporeo modo comedi quod aliquis corpore comedat. Eóne vſque verò te progredi potuiſſe vt ad ſtabiliendum iſtud delirium auſus fueris illa Chriſti verba detorquere, Verba quæ loquor, ſpiritus & vita ſunt? *quo loco,* inquis, *Spiritus pro ſpiritali modo & proprietate ſumitur, quemadmodum ſancti Patres interpretati ſunt.* At ego omnes illos ad vnum tibi iudices fero, & hoc dico, tantum abeſſe vt cuiquam vnquam illorum tuus iſte exiſtendi modus ſpirituum proprius in mentem venerit, quamuis non vno modo locum iſtum interpretentur, vt cõtrà quicquid vel de Chriſti Deitate carni vnita, vel de his verbis ſpiritaliter intelligendis tradunt, appoſitiſsimè aduerſus tua hæc omnia commenta citentur.

Quid ampliùs? alio etiam prætextu formulam illam Berengario à Nicolao Papa dictatam excuſans, *Loquendi conſuetudo fert* (inquis) *vt quando res ſunt copulatæ inter ſe, proprietas vnius indifferenter attribuatur alteri, ſicut Deus dicitur crucifixus, paſſus & natus, quæ propriè competunt humanitati in Chriſto: & Lucas ait poculum effundi in remiſſionem peccatorum: & Paulus contrario modo ſcribit, Corpus frangi, quod propriè pani conuenit referens ad corpus Domini, quòd eſſet tam intimum pani vt eius proprietatem dici poſſet ſubire.* Ergo iam tandem τὸ ῥητὸν vigere deſinite, & tropum agnoſcite. At quem tropum? Certè κοινωνίαν ἰδιωμάτων violentum fuerit vnioni ſacramentali adaptare, vnioni hypoſtaticæ ab illa multùm diuerſæ veluti conſecratam. Synecdochen verò non potes conſtituere, quum ex hoc tropo toti conuenire non poſsit quod proprium eſt alterius partis. Itaque te incautum ipſa veritas ad metonymiam ſacramentalem Verbo Dei & vetuſtis Patribus familiariſsimam deduxit, quamuis illam commodè non interpreteris. Quòd metonymiam continentis pro contento agnoſcis in frangendi verbo, cur non etiam in Comedendi & Bibendi vocibus? Sed vide quæ vis ſit veritatis in omni falſitate redarguenda. Quum maximè vidêris aliquid dicere, nihil tamen dicis. Quum enim nihil præter corpus ipſum Chriſti & accidentia panis, quæ Specierum nomine exornas, in iſtis myſteriis permanere velis, & illa corpori non niſi impropriè & figuratè tribui dicas, aut iſtam tuam fractionem, quam propriè dicis tribui pani, qui tamen nuſquam ſit, fatere inaniſsimam eſſe Chimæram, aut ipſa accidentia & quidẽ nuda, pendula, & abſq; ſubiecto, (nã alioqui corpus Domini aut ſuã organicã formã amitteret, aut duplici forma ſpecifica præditũ eſſet) reipſa frãgi, demõſtra.

Denique vt ſemel tandem ex hoc cœno emergam, quo vos ſacram Cœnam conſpurcatis, corpus Chriſti dicere quãtitatẽ corporis nõ amittere, & tamẽ modo incorporeo reipſa adeſſe contactúque mutuo cũ eorũ corpore iungi quotcunq; ſpecies illas panis ſumũt, Deũ & homines appello an hoc ipſum non ſit, corpus quantũ ſimul & nõ quantũ, id eſt corpus ſimul nõ corpus ſtatuere.

Negaui corporalẽ corporis Chriſti perceptionẽ, qua videlicet illud ſomniatis ori noſtro ingeſtũ in ventriculũ trudi, etiã ſi vobis eã largiremur, quicquã ad vitã æternã facere. Tu verò perinde aduerſum me diſputas ac ſi minimè neceſſariã dixiſſem ipſius corporis cõmunicationẽ, quod tãtũ abeſt vt cogitarim, vt contrà vbique aſſeruerim oportere nos in primis ipſiuſmet Chriſti fieri participes, nec quenquã vel conſenſu voluntatis ſiue credendi obediẽtia vel Spiritus participatione cũ Chriſto vniri, quin ſimul etiã cũ ipſo vnũ fiat, quoniã ſola vera ſua mẽbra viuificat. Nõ ergo diſceptatur ſufficiátne volũtatũ ſiue animorũ cõiunctio, an verò Chriſtũ ipſum participare oporteat, (quis enim id opus eſſe negarit?) ſed de corporali illo corporũ cõtactu inter nos quæritur, quẽ tu

neceſſariũ eſſe dicis, ego nec fieri poſſe, nec ſi fieret, quicquã ad ſalutem nobis profuturũ affirmo. quã quæſtionẽ quũ ſic omittas vt nihil appoſitè dicas, cauſa nulla eſt cur tibi pluribus reſpondeã.

Quæſiui & iſta, ſi verè intus traiicitur Chriſti corpus, quid igitur noui apud vos annuatim quidem laici quos vocatis, ſacrifici verò tam ſæpe quærant & percipere ſe dicant. Nam vt hæc repetitio valeat, oporteret vel Chriſtum è corpore ſumentium excedere, vel Chriſto plura corpora tribuere quæ ſigillatim ſumenda ſint, vel Cœna prima excepta, in qua corpus ipſum realiter ſumatur, reliquas ideirco celebrari dũtaxat vt prima illa ſumptio obſignetur. Ad hoc verò tu præfatus Bezam beſtialitatẽ ſuã prodere, reſpõdes Thyeſteã eſſe interrogationẽ, & illud Chriſti, Vade retrò Satana, mihi applicas, quia nõ ſapiã quæ Dei ſunt. Nempe hoc eſt nodos expedire: & Thyeſtæ ſunt, nec quæ Dei ſunt ſapiunt, qui nõ ventre ſed mẽte percipi Chriſtũ ad vitã æternã docẽt.

At enim, inquis, *ſi verum eſt quod confingitis, nempe etiam extra Cœnam illud ſpiritale ſumi quod ad reliquum vita maneat, & ſingulos oportere ſibi perſuadere quòd ſint in gratia & corporis Chriſti communione, idem in vos recidat, & pari ratione dicetur Spiritalis participationis Cœna fruſtrà repeti.* Imò verò, nunquam ita ineptè colligeres vt facis, ſi vel in ſcholis puer didiciſſes qualitates quidem (cuiuſmodi ſunt Fides, & quæ ex fide Chriſto vniti nanciſcimur) incrementum & decrementum admittere, ſubſtantias verò non itẽ. Quod ſi excipias te non agere de ipſa ſubſtantia ſed de reali eius perceptione, huc tibi nempe deueniendum erit, vt particulatim ſeu membratim illam ſumi dicas, de quo tu videris. Ex his autem efficitur corporalis quidem veſtræ præſentiæ & manducationis repetitioni nullum locum relinqui, niſi corpus quod ſumptum fuerat exceſſiſſe poſtea fateamini: ſpiritualis verò tum præſentiæ tum communicationis obſignationi & efficacitati vſqueadeò vtilẽ eſſe Cœnæ Domini, ad hũc etiam finem à Deo inſtitutæ, repetitionem, vt qui ſciens prudens hoc fidei ſubſidium aſpernatur, vitam ſalutémque ſuam meritò negligere videatur.

Quid amplius? *Noſtra fides eſt*, inquis, *carnem Domini ſubeſſe panis & vini ſpeciebus quandiu demonſtrari poſſunt illibata & in ſua natura ſalua: nobiſcum autem manere quandiu manemus in ipſo ſicut ſicimus conglutinati. Itaque ſi puri tota vita duraremus, fortaſſe repetito corpore Domini non indigeremus ad deperdita ſubſtantia ſiue innocentia reparationem. ſed ad tuendam ſanitatem ligno illo vitæ egeremus.* Atqui paulò antè non tantùm in pane ſed etiam in ore & ſtomacho ſcripſiſtis tandiu duntaxat manere corpus Domini, quandiu manet panis incorruptus. Dic igitur quæſo, quònam tunc excedit? num eò vnde venerat, vt veſtra illa corporum realis connexio vix ad momentum perduret? an potiùs in mentem ſubſtantia corporea reipſa immigrat? Et quid eſt Deo & hominibus illudere, ſi hoc nõ eſt? Symbola porrò deſinere ſymbola eſſe non modò quũ exinanita ſunt ipſo vſu, ſed etiam (quod ignoratis) ſimulátque finis impoſitus eſt actioni cuius cauſa totum illud myſterium inſtitutum eſt, vltrò profitemur. Sed quod docetis, eos qui ſemel verè facti ſint Chriſti membra, poſſe penitus ab eo peccatis abſcindi, id verò pernegamus, quamuis ad tempus poſſint etiam electi quaſi extra Chriſtum eſſe quod ad Spiritus energiam attinet, ſicut nimirum qui ebrius eſt, mentis quidem vſum, mentem autem ipſam non amittit: quod niſi concedas, certè non Cœnam modò, verùm etiam Baptiſmum repeti oportuerit.

Sed ecce tandem ad tertium criminationis tuæ caput peruenimus, in quo nos arguis quaſi in illorum Chriſti verborum *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur*, interpretatione & ab aliis & à nobis ipſis diſſideamus, id quod etiam prolatis teſtimoniis probaueris. Ad hæc autem teſtimonia quum in priore defenſione mea ſic reſpõderim, vt quem te hac in re præbeas ſatis ſupérq; patefecerim, ſupereſt vt nonnulla quæ ſuperioribus recèns adieciſti expendamus. Dixi in Chriſti verbis ſigno, id eſt pani tribui metonymicè corporis nomen, vt ſit illius enunciationis hæc ſententia, Hic panis eſt ſacramentaliter corpus meum traditum pro vobis, ſiue, Hic panis eſt verum ſymbolũ corporis mei traditi pro vobis. Dixi etiam Patres inde, id eſt ex eo quòd ſigno tribueretur rei ſignificatæ nomen, occaſionem arripuiſſe nominis rei ſignificatæ nempe corporis, pro ſigno, id eſt pane illo vſurpandi, quæ metonymiæ ſpecies altera eſt ἀντίστροφον: veluti quum Corpus cõfici, tangi, videri, in terram cadere, in os intrare, conſumi dicunt. Huius autem tropi rationem paulò antè veritas à teipſo extorſit, quum quæ propria ſunt ſigno diceres ad rem ipſam accommodari, propter vnius cum altero connexionem, veluti (inquis) quum per κοινωνίαν ἰδιωμάτων Deus dicitur paſſus, quoniam in Chriſti perſona caro & Verbum coadunantur, vel quum poculum dicitur effuſum, id eſt ſanguis Chriſti in poculo vini ſpeciei coniunctiſſimus. Quid plura? tua hæc quoque verba ſunt, *Paulus*, inquis, *hoc facit, ſed contrario modo quum ſcribit, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur. Frangi enim quod propriè panis*, (ac proinde non niſi figuratè teipſo teſte corpori) *conuenit, refert ad corpus Domini, quod eſſet tam intimum panis vt eius proprietatem* (verbo tenus videlicet non reipſa, niſi vnum & idem eſſe reipſa velis proprium & commune) *dici poſſet ſubire.* Quidni verò idem cenſeas de aliis etiam durioribus verbis, putà, confici, atteri, conſumi, & ſimilibus? Itaq; in his Patrum formulis tropum eſſe conſentimus, propter ſigni & rei ſignificatæ connexionẽ, quã merè ſacramentalem, id eſt in ſola efficaci ſignificatione poſitam eſſe dico, tu contrà realem eſſe cõtendis. Dixi autem præterea, neque in illis Chriſti verbis quibus corporis vox pani tribuitur, neq; in illis Patrũ formulis, in quibus quæ propria ſunt panis corpori attribuũtur, aliud corpus quã illud ipſum vnicũ pro nobis traditũ ſignificari, ac proinde metonymiã non propriè in vocula panis ſeu corporis, ſed in ipſa enuntiatione ſiue attributione prædicati ſpectari. Quid tu cõtrà? Mirũ eſſe dicis quòd in illis quidem formulis Patrũ à quibus dicimus nos eſſe illam interpretationem mutuatos, velimus Corpus pro Signo corporis ſumi, in Chriſti verò verbis nõ item. At cur nobis minùs mirum videatur te in illis ipſis formulis velle quod rei tribuitur nẽpe fractionẽ,

propriè conuenire ſigno, ac proinde non niſi figuratè attribui rei, nec tamen fateri in verbis Chriſti quod rei propriè conuenit putà corporis nomen & Tradi pro nobis, figuratè de ſigno, id eſt de pane dici? At nos ſanè vtrunque ſicut conſentaneum eſt, agnoſcimus, neque tamen dum panem eſſe dicimus corporis ſymbolum, aut corporis ſymbolum conſumi, aliud corpus quàm vnicum illud pro nobis traditum vel in Chriſti verbis vel in illis Patrum formulis agnoſcimus. Præterea animaduertere etiam aliud oportet quo vel maximè interpretatio noſtra confirmatur, nẽpe propoſitiones iſtas in ſeſe, ſiue ſeorſim conſideratas minimè reciprocari, niſi metonymicè explicẽtur. Iſta enim reciprocatio vera eſt, Panis iſte eſt ſymbolum corporis mei traditi pro vobis, Hoc ſymbolum corporis mei traditi pro vobis, eſt panis: at iſta falſa eſt quæ ex interpretatione veſtra literali naſcitur, Iſte panis eſt reale corpus meum traditum pro vobis, Hoc reale corpus meum traditũ pro vobis, eſt panis, ſiue panis nomine ſubſtantiam ipſam intelligamus, ſiue tantùm panis accidentia quæ Species vocatis. Item iſta vera eſt, Corpus Domini conficitur, atteritur, conſumitur, concoquitur, Quod conficitur, atteritur, conſumitur, concoquitur, eſt corpus Domini, ſi corpus pro ſymbolo corporis accipiendum nobiſcum dicas: at iſta vtraque falſa eſt teipſo teſte, ſi de ipſo reali corpore accipiatur.

Dixi has duas enunciationes, Panis eſt ſymbolicè verum corpus, &, Panis eſt ſymbolum veri corporis, idem valere, quod tu quoque nunc concedis. Qui fit ergo vt te tuique ſimiles non pudeat nos quaſi in his quoque enunciationibus inter nos diſsidentes, committere? *Sed*, inquis, *nego iſtas conſentire, Panis eſt ſymbolum veri corporis, & Panis eſt corpus in propria ſua ſignificatione.* Sanè rectè urgas, ideóque illam vt veram, iſtam vt falſam & impiam abhorremus, quam ne tu quidẽ poſſis admittere quin te, te Santeſi, impieratis vel ipſa iudice Sorbona, coarguam. Audi, inquam, dico, hanc propoſitionem, *Panis eſt corpus Chriſti*, nõ poſſe te, acceptis in propria ſua ſignificatione ſubiecti & prædicati & copulæ terminis, ne in Sorbona quidem ipſa tueri, in qua tot alioqui deteſtãdi errores pertinaciſsimè defendi cœperunt, ex quo præſertim illius ſcholæ doctores facti ſunt Antichriſti mancipia. Nam certè ſi panis nomine ſubſtantiam panis intelligas, putidiſsimus fueris illis hæreticus, & diſparata poſſe mutuò prædicari nunquam dices, quin ipſa ſine vlla exceptione natura omnis, vnà cum ipſa Sorbona te conſpuat. Sin verò panis voce intelligis panis accidentia ſiue ſpecies quas vocatis, multo etiam minùs accidentia dixeris eſſe propriam corporis quantumlibet ſpirituali ſuo exiſtendi modo præditi ſubſtantiam. Quod ſi panis nomine neque ſubſtantiam neque accidentia ſignificari velis, quod tandem iſtud panis ſubiectum præter inanem chimæram fuerit? Vix enim obtinebis (ne ſi panis quidem nomine id dici excipias quod aliquando fuerit panis) vt eo vocabulo vagum illud indiuiduum ſignificetur, quum præſertim ex veſtro altero dogmate nondum pronunciatis operatoriis illis ſyllabis omnibus, dici non poſsit panis tranſſubſtantiatus. Sed de his tu videris. Dicis poſtea iſtas enuntiationes eaſdem eſſe, *Panis eſt ſymbolum veri corporis*, cui opponatur iſta, *Panis non eſt ſymbolum corporis*: &, *Panis eſt ſymbolicum corpus*, cui repugnat, *Panis eſt verum corpus*. De illis prioribus duabus tibi aſſentior, quarum priorem eſſe veram dico, poſteriorem vt falſam abominor. Iſtas autem duas, *Panis eſt ſymbolum corporis*, &, *panis eſt ſymbolicũ corpus*, ſi verè & ſyncerè fateris à te pro eodẽ accipi, ita videlicet vt Symbolicũ corpus pro corpore per panis ſymbolum ſignificato intelligas, etſi ab iſtis non ita vſitatis formulis abſtinendum cenſeo, tamen libenter admitto. Et quod ad iſtam attinet, Panis eſt verum corpus, ſi de vero corpore quatenus ſignificatur per panem, accipiatur, (nec enim aliter pani attribui poteſt) itidem vt veriſſimam & ipſius Chriſti ore prolatam admitto. Quînam enim SYMBOLICVM & VERVM, quum de ſacramentis agitur, inter ſe opponerentur, quum nullum aliud Domini corpus poſsit verè ſignificari, quàm illud vnum quod ſemel pro nobis traditum, nobis ſpiritualiter tum in Verbo tum in Sacramentis, ac potiſsimum in Cœna Domini per fidem fruendum donatur? Itaque nec ludo nec fallo, ſicut tu calumniaris, quum hæc dico, ſed tute potiùs dum hæc tã ſecurè oppugnas, teipſum & alios ſiue inſcius ſiue prudens perdis.

Denique vis vt paucis tranſigam? Quum dicat expreſsis verbis Nicolaus ille veſter Papa non ſolùm Sacramentum, ſed in veritate ipſummet corpus ſenſualiter manibus ſacerdotum tractari, frãgi, fidelium denique manibus atteri, non vides quicquid dixiſti de proprietate ſigni ad rem ſignificatam tranſlata, ab illo redargui? Imò etiam illud SENSVALITER quînam tandem cum illo tuo ſpirituali exiſtendi modo conciliabis?

Cæterùm ad aliam calumniam, quòd videlicet adeò ſimus non tantùm ſtolidi ſed etiam impii, vt non corpus ipſum Domini ſed eius ſymbolum, id eſt panem putemus pro nobis traditum & crucifixum, & quæ poſtea de citatis à me Auguſtini præſertim & Theodoreti teſtimoniis, nihil interea præter nudam inficiationem afferẽs, nugaris, tum putabo mihi reſpondendum quũ vel tantillum quippiam reſponſione dignum protuleris. Duo tantùm attingam, quorum vnum mihi in priore defenſione exciderat. *Beza*, inquis, *ſexto Ioannis capite carnem contendit metaphoricè & figuratè accipi.* Aio verò te hoc quoque comminiſci. Nec enim id mihi vnquam in mentem venit, ſed quod dixi hoc dico, quũ Manducare & Bibere ſint propriè corporis actiones, figuratè accipi quũ ipſi rei, putà carni & ſanguini Domini tribuuntur, id eſt, quũ carnẽ & ſanguinẽ Domini edere, & bibere, dicimur. Et rurſum, *Beza*, inquis, *panẽ nunc dicit poni pro corpore, & poculũ pro teſtamento. Itaq; deinceps apud Paulũ in diſputatione de Cœna nũ amplius interpretabitur panẽ in propria ſignificatione, vt oſtẽdat ſubſtantiã panis manere quoniã maneat nomẽ eius, ſed panẽ dicet ex natura metonymia cõmemorari à Paulo pro corpore Domini vero, atq; ita ſtatuitur in his Apoſtoli verbis, Quicumq; mãducauerit panẽ hũc indignè, &c. ipſiſsimũ Domini corpus ſignificari: quæ ſcribo vt phrenetici hominis ſpectẽtur quã bene ſibi conſtẽt deliria.*

deliria. At ego phreneticus ruſum te dico, tũ in manifeſto mẽdacio tum in magna inſcitia deprehẽdi. Nec enim panem dixi poni pro corpore, aut poculũ pro Teſtamento, ſed panẽ dici corpus, & *τὸ ποτήριον* nouum Teſtamentum, id eſt corpus prædicari de pane, & nouum Teſtamentum de poculo. Quod ſi negas, agẽ cum Euangeliſtis ipſóque Apoſtolo contendito. Quidni enim hoc auſis, quum in veſtra ſchola iam olim audita ſit, hæc blaſphemia, Meliùs habiturã fuiſſe Eccleſiam ſi Paulus nullam vnquam Epiſtolam ſcripſiſſet. Sed pone me quod tu dicis ſcripſiſſe, alicubi videlicet panem accipi pro Domini corpore, num idcirco efficietur panem nullo Scripturæ loco propria ſignificatione intelligendum? In illo igitur malam conſcientiam, in iſto magnam inſcitiam prodis.

Et hæc quidem hactenus ad triplex accuſationis tuæ caput, quibus adiicere placuit nõnulla eodem pertinentia, quæ tamen in reliquo tuo libello confuſẽ & perturbatẽ permiſcuiſti.

Quoniam ex aſcenſione Chriſti in cælos, conſueuimus realem illam præſentiam corporis in pane & eiuſdem manducationem Cyclopicam coarguere, tu contrà quaſi per iocum reſpondens, *Abſentia corporis*, inquis, *ab Euchariſtia* (id eſt à pane & eius corpore à quo ſumitur, & eo ipſo loco in quo panis ille ſitus eſt) *non ſuffitiùs infertur ex Aſcenſione, quàm ſi negarem Aſcenſionem ex corporis præſentia, præſertim quum iſta & ſæpius, & expreſſius, & clariùs in ſcripturis contineatur quàm Aſcenſio, & vtraque ſit credenda, quoniam ſacris literis probetur*. Itáne verò, Spiritum ſanctum ſecum committes, vt quæ repetita expreſſiùs fuerint in ſacris literis, ea credibiliora videantur? Hoc verò ſi tibi largimur, quid fiet Mariæ virginitati, & aliis eiuſmodi penè innumerabilibus, vnico penè teſtimonio ſacrarum literarum explicatis? Quid, quòd ſi eò deueniendum fuerit, auſum dicere vix quicquam in ſcripturis ſæpius, clariùs, expreſſiùs, Chriſti in cælis ſecundum carnem habitaculo inculcari? Falleris enim in eo vt & in aliis plurimis vehementer, quòd Aſcenſionis nomine nihil aliud quàm ipſam profectionem intelligis, quum id adiicere vel teſtibus ipſis Angelis oportuerit, ideo aſcendiſſe vt ibi permaneret, tantiſper dum veniat dies ille inſtaurationi rerum omnium deſtinatus, quod & Petrus teſtatur. Vbi enim ſedeat ad dexteram Patris ſi roges, reſpondebit Paulus, Surſum in cælis: quo in loco poſitus pro nobis intercedat, dicet Apoſtolus, In cælis: vnde locutus ſit Saulo, Cælitus dicet Lucas: vbi Stephano conſpectus, In cælis idem teſtabitur: vnde venturus ad iudicandum viuos & mortuos, E cælis, dicent Angeli, ex illis, inquam, ipſis cælis quò cõuerſos oculos illi Galilæi tenebant, ne Brentianas aut vanas aliquas tuas allegorias nobis opponas. Itaque ex Aſcenſione ſic argomentamur: Ibi eſt Chriſtus ſecundùm veram carnem quò aſcendit. Ergo eſt in cælis. Quòd ſi in cælis, non igitur in terris, quemadmodum antequàm in cælos aſcenderet, in terris erat, non in cælis. Atqui, dices, communicat corpus ſuum & ſanguinem ſuum in terris. Ergo eſt ſimul in terris & in cælis. Nego conſequutionem, quis ſibi non contradicit Spiritus ſanctus. Itaque is eſt tum præſentiæ tum communicationis ponendus modus ex quo contradictio non ſequatur, ſacramentalis videlicet, id eſt Spiritualis per fidem. Rideſ atqui ringaris etiam licet, hoc ipſum eſt Cyrilli argumentum, *Nullus ambigit* (nec enim adhuc veſtrum commentum in Eccleſiam irrepſerat) *quum ad cælos aſcenderit, quamuis virtute Spiritus ſemper adſit, præſentia tamen carnis ipſum abeſſe*. Item, *Poſtquam cælos aſcendit, in nobis eſt per Spiritum*. Et ne per Spiritum aliud intelligas quàm Spiritus ſancti virtutem, quæ carnis circunſcriptioni & abſentiæ in cælis nihil deroget, audi quid idẽ Cyrillus dicat. *Etſi corpore ſit abſens Chriſtus Patri pro nobis apparens & ad dexteram ipſius ſedens, habitat tamen in fidelibus per Spiritum: nec patitur eos orphanos eſſe, quia in cælos aſcendens immiſit eis Spiritum. Non enim conuerſari carne cum eis poterat, quum ad Patrem aſcenderit.* Sic quoque Auguſtinus, *Secundum hominem in terris erat non in cælo, quando dicebat, Nemo aſcendit, &c. quamuis ſecundum quod Filius Dei erat eſſet in cælo, ſecundum quod verò Filius hominis erat, adhuc eſſet in terra, nondumque aſcenderat in cælum.* Item, *Secundum carnem quam Verbum aſſumpſit, aſcendit in cælum, non eſt hic, ibi ſedet ad dexteram Patris: & hic eſt, non enim receſſit ſecundum præſentiam maieſtatis*, id eſt Deitate ſua. Sic enim idem Auguſtinus paulò antẽ, *Ibat per id quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat. Ibat per hoc quod vno in loco erat, manebat per hoc quod vbique erat.* Et Vigilius, *Quando fuit in terra, non erat vtique in cælo, & nunc quia in cælo eſt, non eſt vtique in terra: & in tantum non eſt vt ipſum expectemus ſecundum carnem venturum de cælo, quem ſecundum Verbum nobiſcum eſſe dicimus in terra.* Et mox, *Hæc eſt fides & confeſſio catholica, quam Apoſtoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles vſque nunc cuſtodiunt.* Vtri igitur verò Catholici, vtri ab Apoſtolica Eccleſia, à martyrum confeſſione, ab Eccleſiæ fide defecerunt? Et Fulgentius, *Vnus idémque ſecundum humanam ſubſtantiam abſens à cælo quum eſſet in terra: & derelinquens terram, quum aſcendit in cælum.* Item, *Idem atque inſeparabilis Chriſtus, ſecundum totum hominem terram localiter deſerens in cælum aſcendit & in dextris ſedet, & ſecundum eundem totum hominem venturus eſt ad iudicandum.* Sed de his plus ſatis.

Veſtram illam Thyeſteam cœnam coarguimus etiam ex memoriæ nomine, vtpote quod abſentium notet eius cuius recorderis. Hoc tu ſic eludis confidenter, vt dicas Memoriæ nomen non ad ipſum corpus, ſed ad paſſionem Chriſti referri. Et verò quis ignorat quod de morte Domini in illis myſteriis annuntianda præcipitur, quod & illa ſolennis verborum Chriſti formula declarat? Sed tune Chriſti ipſius recordationem dices à paſſionis eius memoria ſeparandam, quum illã iſti potiùs præire neceſſe ſit? Et certẽ non temerẽ Chriſtus potiùs IN MEI MEMORIAM quàm IN MORTIS MEAE MEMORIAM dixit, ſcribíque voluit.

Hoc quoque te vehementer vrit, quòd quum dixiſſet exiſtimari à Cinglio merita paſſionum Chriſti per Sacramentum Euchariſtiæ percipi, ego id à te confictum fuiſſe, & eo quidẽ ſenſu quo

nis prouinciis hæc prima fuit origo. Stancarus quidam Mantuanus ibi cœpit diſputare, Chriſtum eſſe Mediatorem ſecundum humanam duntaxat naturam. Huic dogmati ſeſe fortiter oppoſuerũt tum alij veritatis fidi doctores multi, tum verò vel maximè magni illi heroes, Melanchthon, Caluinus & Martyr, quorum extant ea de re eruditæ & orthodoxæ tractationes. Ille contrà, vt ambitioſi & peruerſi ſolent, cœpit eos poſtea vt Arrianos calũniari, quaſi ſi Chriſtus diceretur ſecundũ vtranque naturam Mediator, conſequeretur vel Deum apud ſemetipſum intercedere, vel duos eſſe Deos, quorum vnus minor apud maiorem alterum intercederet. Huic falſiſſimæ conſequutioni, quæ tamen apud imperitos ſpeciem aliquam veritatis haberet, rectè, clarè & perſpicuè inter alios reſpondit P. Martyr, & diſertis verbis admoniti fuerant à Caluino Poloni fratres, vt ſibi cauerent ne Stancari dogma refutantes in Arrij laqueos incurrerent, non potuit tamen hoc malum penitus prohiberi, in hunc ipſum gurgitem abreptis iam nonnullis, eò faciliùs quòd per id tempus Blandrata, Gentilis ille, & veſanus quidam Alciatus, Serueti omnes, illuc perfugerant. Itaque factũ vt à nonnullis apertè diceretur Filij quædam ſecundaria eſſe deitas, quæ ab illa vnica Patris profluxiſſet, quò etiã illi pertrahebãt ſinistrè illa Synodi Nicenæ verba, Deum de Deo, apertè alioqui Athanaſij ſymbolum repudiantes, & τὸ ὁμοούσιον in ὁμοιούσιον transformantes. Huic blaſphemiæ ſeſe fortiter opponens Caluinus, quem vnum etiam illi præcipuè ſcriptis ſuis petere nunquam deſtiterunt, oſtendit ex verbo Dei perpetuóque Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſu, Filij eſſentiam à Patris eſſentia non profluxiſſe, quaſi vna eſſentia alteram eſſentiam propagarit (quod illi verbo [illegible]tionis ſignificant) ſed vnicam eſſe Patris Filiíque eſſentiam, cuius totius æterna communicatione Pater Filium genuerit. Patris igitur & Filij vnicam & eandem eſſe eſſentiam abſolutè conſideratam: ideóque duas perſonas non eſſe totidem Deos, ſed vnicum Deum. Denique eam deitatem qua Filius eſt Deus, illam ipſam eſſe qua Pater quoque eſt Deus, adeò vt, ſepoſita relatione perſonali, ſiue Filio conſiderato in ſua eſſentia, abſque ea ratione qua Filius ſiue à Patre genitus eſt, ſit & ipſe abſque principio, quoniam nimirum à Patre illam ipſam eandem & vnicam eſſentiam totam habet, quæ nullum ſui principium habet, contrà quàm illi impii dicunt, vnam Patri, alteram Filio eſſentiam ab illa priore propagatam tribuentes. Hanc eſſe veram & orthodoxam de vnica Dei eſſentia & perſonarum diſtinctione affirmo, quam ſi ne nunc quidem intelligis, quid ad nos? Num enim, idcirco Arriani ſumus quòd hæc neſcias vel diſſimules? Ita autem eſſe vt dico niſi ex omnibus Caluini ſcriptis, atque adeò ex iis ipſis locis appareat, quos alibi exſcripſiſti, non recuſo blaſphemus, & impius, ἄθεος denique haberi. Sed iſta quanta eſt calumniandi libido, quum ex profeſſo doceat Caluinus vnam eſſe Patris ac Filii eſſentiam, vt duas numero eſſentias tollat, ita hoc torqueres ſi non duas modò eſſentias concederet, ſed etiam Patrem & Filium faceret ἑτερουσίους?

Arguis etiam Caluinum quaſi hoc poſito principio, nihil vel fortuitò, vel Deo inuito aut conniuente accidere, ſed ex æterno, ſapientiſſimo, iuſtiſſimo, ac prorſus immutabili Dei decreto euenire, omnis contingentia tollatur, & Deus ſcelerum omnium author conſtituatur. Sed hanc calumniam toties rationibus certiſſimis, & ex Dei verbo, & Auguſtini præſertim authoritate refutatam, num tu nobis reponere ſtuderes ſiquid tibi puduris ſupereſſet? Quid quòd etiam illam à Bolſeco cœptam tragœdiam, ab vno & altero poſtea nullius neque doctrinæ neque iudicij, neque etiam nominis hominibus aliquandiu proſequutam, ab iiſdem poſtea deſertam, & ſua ſponte abolitam, audes renouare? At ſi qua vos Papiſmi veſtri cura tangit, cur ipſum Bolſecum impunè inter vos verſari patimini? an quòd à noſtris Eccleſiis ſit eiectus? Sint ſanè igitur, maneántque apud vos omnes iſtæ ſordes, donec tandem vos neque Deus neque homines ferant. Illum quidem certè iam ab aliquot annis in veſtra poteſtate habetis, neque neſcitis quum eſſet apud vos Carmelita, & paulò liberiùs in diui Bartholomæi fano concionatus eſſet, in Italiam abiecta cuculla profugiſſe, ibíque repentè medicum factum vxorem duxiſſe, poſtea non modò ſeditionis & impietatis damnatum, à Senatu Bernenſi repreſſum, ac tandem eiectum, altera ducta vxore, omnis religionis irriſorem, medicinam Caſipoli ad Ararim tam feliciter facere quàm olim theologiam exercuit. Sed quiduis nimirum apud vos etiam contra veſtram religionem licet dummodo nobis maledicatur. Et vos negabitis veſtram ipſorum religionem dicis tantùm cauſa profiteri? Zebedæus autem ille cuius poſtulatu mentiris damnatam Bernenſi S C. fuiſſe Caluini de prædeſtinatione doctrinam, ille ipſe, inquam, ne neſcias, quater minimùm miniſterio exauctoratus, non ita pridem Neuiduni apud noſtrum lacum moriens, adeò ſibi de turbis illis diſplicuit, vt flammis etiam exuri ſemet inſpectante iuſſerit quæcunque infelicibus quibuſdam ſchedis ea de re mandarat. Si mihi fidem non habes, inquire ſi voles. Vix enim vllus eſt in toto illo oppidulo cui res iſta non innotuerit. En quibus teſtibus criminationes tuas confirmes. Senatuſconſultum enim illud Bernenſe à te Latinè verſum & editum, quo damnatam fuiſſe mentiris Caluini inſtitutionem ac libros illis de rebus compoſitos, quos etiam vendi apud ſe interdixerint, quid tandem iſtiuſmodi probat? Teſtantur illic Domini Bernenſes ſtare ſe prorſus velle diſputationi de religione quæ Bernæ primùm, ac deinde Lauſannæ habita eſt. Aut igitur illic ſancitum oſtende contrarium iis quæ de prouidentia & prædeſtinatione poſtea docuit Caluinus, aut te ſycophantam confitere. Imò quum illi Bernenſi diſputationi conſtet Zuinglium penè præfuiſſe, extet autem eius hac de re pereruditus libellus, in quo illam ipſam ſententiam quam Bernæ damnatam fuiſſe dicis, ex profeſſo quàm acerrimè & quàm vehementiſſimè tuetur, an non ſatis iam manifeſtè mentitus eſſe deprehẽderis? Quid? quum iidem Bernenſes audita huius ciuitatis & Eccleſiæ aduerſus illos maledicos expoſtulatione miniſtros ſuæ ditionis deſinere iubent vllis perſonis vllo modo detrahere (hæc enim ipſa ſunt illius edicti verba, ſicut à teipſo Latinè ſunt cõuerſa) an non illos iſtarum theſeon auctores quas etiam

edidiſti, ego verò (Deum teſtor) nunquam antea legeram, ſatis manifeſtè damnant? Atqui, inquies, monent & rogant viciſſim confœderatos ſuos Geneuates, vt libros ceſſent edere hæc arcana Dei nimium curioſè ſcrutantes, imò etiam ſubſcribere Caluini doctrinæ recuſarunt, adeóque minantur ſe non paſſuros vt libri ſuis diſputationibus aduerſantes in ſua ditione diſtrahantur. Eſto. ſed hóccine eſt vllos à Caluino editos libros damnare vel prohibere ſicuti comminiſceris? Nunquámne verò intellexiſti non dico quod anus illa protulit, à Philippo ad eundem Philippum prouocans (nec enim id illi pio & religioſo Senatui conuenit) ſed quod illic fieri ſæpiſſimè conſueuit, vt aduerſus ipſa Senatuſconſulta eiuſdem Senatus iudiciũ imploretur? Audi igitur, ſi libet, quid tum claſſis Lauſanenſis ad illas Senatus literas reſponderit.

MAGNIFICIS ET HONORANDIS DOMINIS,

D. Conſuli & Senatui Bernenſi, Gratia & pax per Chriſtum Dominum noſtrum.

TAMETSI, Magnifici & ampliſſimi Domini, nequaquam dubitamus de egregia voluntate veſtra in iis quæ ad Eccleſiæ pacem & concordiam ſpectant, & non ſumus neſcij meritò vos defeſſos eſſe audiẽdis tot tantiſque querimoniis quæ ſuperioribus hiſce diebus ad vos delatæ ſunt: tamen quum animaduertamus magnum eſſe periculum ne malum cui poſtremis literis veſtris mederi conati eſtis eò euadat, vt valde metuendum ſit ne mora quadam diſſipatio contra voluntatem veſtram eueniat, putauimus noſtri eſſe officij ex iureiurando quo amplitudini veſtræ obſtricti ſumus, quódque proximis literis veſtris renouare vobis placuit, ea vobis ſignificare, quæ quoniam arbitramur ad motus iſtos planè componendos magnopere pertinere, idcirco ſuppliciter illa petere non dubitamus, Dei Opt. Max. nomine, quem teſtamur hoc vnum nos quærere vt amplificetur ipſius gloria, & officio erga amplitudinem veſtram defungamur. Quoniam ergo, Magnifici Domini, in poſtremis veſtris mandatis, vno videlicet publicè promulgato 13. Martij, altero autem miniſtris proprio, quædam inſunt nobis perobſcura, vnde fortaſſis oriri nonnulla poſſent penitus repugnantia ſtudio pacis & concordiæ quam in Eccleſia vigere & foueri cupitis: magnopere rogamus: quò conſcientiarum noſtrarum & ſubiectorum quoque veſtrorum paci conſulatur, paulò apertiùs ea nobis declarari. Primùm igitur in priore illo mandato quod datum 13. Maij, menſe tamen exeunte demum accepimus, in genere ſcribitis quandam exortam eſſe inter Sabaudicæ veſtræ regionis & Geneuenſis Eccleſiæ miniſtros, ac præſertim cum Caluino, de prouidentia Diuina controuerſiam. Hinc autem iam exorta eſt, aut procul dubio exorietur inter populos ditionis veſtræ fama, miniſtros veſtræ huiuſce regionis contra Geneuenſes veluti comiſſe: quod tamen non accidit, neque vnquam, iuuante Deo eueniet. Conſtat enim hoc quicquid eſt turbarum, paucorum quorundam hominum eſſe, qui plus ſatis antehac aliis in negotiis planum fecerunt, quàm parum Eccleſiarum veſtrarum paci & tranquillitati ſtudeant: neque veſtra amplitudo neſcit ipſius vrbis veſtræ Bernæ miniſtros vnà cum reliquis veſtræ ditionis paſtoribus, perpetuò in vnam ac eãdem doctrinam cum Geneuenſi Eccleſia conſenſiſſe, vtpote cum ſacra Scriptura & diſputatione veſtra congruentem: quamobrem etiam quum illud de quo agimus mandatum tandem nobis oblatum eſſet promulgandum, & offendiculum inde contra voluntatem veſtram exoriturum proſpiceremus, differendam putauimus eius promulgationem, tantiſper dum pleniùs & apertiùs quid eſſet veſtræ voluntatis intelligeremus. Præterea, quoniam tum ex reliqua illius mandati parte, tum etiã ex poſtremis literis quas ad nos priuatim tertia Aprilis dediſtis, apparet amplitudinem veſtram exiſtimare, quæſtionem, de qua controuerſia ab illis hominibus mota ſunt, non modò vanam eſſe & curioſam, ſed etiam turbis iſtis & rixis occaſionem præbuiſſe, adeò vt de hoc ne quærendum quidem poſthac cenſeatis: illud in primis rogamus vt vobis in mentem veniat, eam diſertis verbis exprimi in Baptiſmi formula, adeò vt reticeri nequeat, quin ei detrahatur, quæ in Catechiſmo veſtro & Baptiſmi formula quotidie exponuntur. Sed & illud dignum eſt de quo cogitet amplitudo veſtra, inter pios illos viros qui purum Dei cultum in his regionibus reſtituerunt, Zuinglium & OEcolampadiũ, quum priori veſtræ diſputationi interfuiſſent, de hoc ipſo argumento ſcripſiſſe, tanquã vero & vnico fundamẽto doctrinæ Dei, quæ ipſius verbo continetur, & quidem verbis aſperioribus, quàm poſtea vſus ſit Caluinus, præcipuis Euangelicæ veritatis aduerſariis reſpondens, ſicut ex libris vtriuſque ſcriptis liquet: ex quibus tamen nullum in Eccleſia Dei offendiculum eſt exortum. Quinetiam illi ipſi qui cõtentiones iſtas & tragœdias nuper excitarunt, quot annos doctrinam iſtam ſuæ plebi annunciarunt, & ſilentio ſaltem libros approbarunt quos nunc demum reprehendunt? Hinc ergo ſatis apertè conſtat, turbas iſtas & diſſidia neque à libris, neq; ex eo quòd curioſa ſit hæc doctrina, aut perperam explicata proficiſci, ſed eorum culpa hoc fieri, qui nec tranquillam ipſi vitam agere, nec eam in aliis ferre poſſunt. Denique quamuis illa interdicti veſtri verba, quibus vetatis ne quiſquam diſſerat de arcanis Dei quæ perſcrutari nemo poteſt, exiſtimamus ad alios potiùs quoſdam quàm ad nos pertinere, quos nemo (vti ſperamus) comperiet vllo pacto tranſiliiſſe fines nobis in ſacris literis præſcriptos: tamen quum illa perinde quoq; ſic poſſint accipi, acſi aliquo modo in culpa eſſemus, & præterea non temerè ſuſpicemur ſic perſtringi doctrinam Ioannis Caluini libris comprehenſam, ex cuius etiã nomine quoſdam malè feriatos non pudet Caluiniſtas nos appellare, quum tamen hæc ipſa doctrina ſemper placidè & vtiliter ante vllum ſcriptum à Caluino editum ab antiquis miniſtris veſtris fuerit annunciata, quorum multi adhuc ſuperſtites viuunt: obteſtamur amplitudinem veſtram per Dei nomen, futuri eorum iudicis qui ſectarum & factionum nomina in Eccleſiam inuehunt, velitis nobis apertè ſignificare, an illo vocabulo Imperſcrutabilium Dei iudiciorum, amplitudo veſtra intelligat & complectatur doctrinam prædeſtinationis ſicut placidè ex Scripturæ norma à multis Dei ſeruis prædicata & ſcriptis mandata fuit, ac nominatim

quidem

quidem à fidis illis Euangelij miniſtris Zuinglio, OEcolampadio, Caluino, Muſculo, qui ea de re congruenter ſacræ Scripturæ vnà cum alijs fidelibus miniſtris, qui fidelem operam & antehac nauarunt perpetuò, & hodie adhuc nauant, ad Eccleſiarum veſtrarum ædificationem ſcripſerunt. Nam quod ad nos attinet, Magnifici principes, abſit vt ſinamus nobis præſcribi auctoritate vel Caluini, vel cuiuſquam mortalis, quum de religione Chriſtiana agitur. Nihilo minus tamen, ne in Chriſti iudicium incidamus, ore ſuo teſtantis ſe ab ijs ſpretum videri qui ſeruos ipſius ſpreuerint: lecta Chriſtiana à Caluino edita inſtitutione, itémque libello eiuſdem De prædeſtinatione, alijſque in ſacram Scripturam commentarijs, conſcientia noſtra cum teſtimonio totius ferè Chriſtiani orbis coniuncta, cogit nos ingenuè profiteri doctrinam De prædeſtinatione, quæ libris illis continetur, diligenter à nobis perlectis, & cum verbo Dei collatis, planè conſentaneam eſſe ſacris literis: neque aut vituperari aut ſepeliri poſſe quin euertatur præcipuum & firmiſſimum diſputationis veſtræ, & Eccleſiarum veſtrarum reformationis fundamentum: quam quidem reformationem nos adhuc vſque diem Dei beneficio ſeruauimus, atque ad vltimam ſanguinis guttam tueri, Deo fauente, conſtituimus. Quamobrem, Magnifici principes, quatenus Dei veritas, pax Eccleſiarum veſtrarum, tranquillitas item cõſcientiarum, ſemper amplitudini veſtræ charæ fuerunt: ſi non eſt moleſtum, facite vt doctrina hæc non Caluini aut alterius cuiuſquam mortalis, ſed viuentis Dei, à paucis iſtis prius vituperata quàm intellecta, poſthac confirmetur, & ſarta tectáque permaneat. Quòd ſi fortè vobis amplius hac de re ſententiam & cõſilium Eccleſiarum exquirere libet (quanquam hoc neceſſarium nobis non videtur, propter conſenſionem & concordiam hac in doctrina perpetuam) parati ſumus fidei noſtræ rationem & veritati teſtimonium edere. Deinde ne fortè incerti & ſuſpenſi relinquantur populi veſtri, & Verbi, quod nobis commiſſum eſt, diſpenſatio arctioribus finibus & cancellis circunſcribatur quàm par ſit, quum nobis planè per Dei verbum liceat de arcanis Dei concionari, quatenus ſacra Scriptura nobis ea patefecit, quod etiam huc vſque bona conſcientia facere ſtuduimus, quemadmodũ de egregia in omnes Eccleſias voluntate veſtra minimè dubitamus, ita etiam demiſſè & ſuppliciter vos rogamus per Filium Dei, qui arcana hæc ſua nobis in conſolationem noſtrã aperuit, vt apertè hoc denuntiare & planum ciuibus facere velitis, quò occludantur eorum ora qui cauſſificando non ingredienda nec excutienda eſſe Dei adyta, neque homines eſſe nobis adorandos, veritatis doctrinam interea ſunt criminati, & Eccleſiarum veſtrarum perniciem & ruinam moliti. Quòd autem conuicia & maledicta prohibetis, conabimur, Deo iuuante, præſtare, quemadmodum adhuc ſedulò facere ſtuduimus.

Et hæc quidem, Magnifici & honorandi Principes, neceſſitate extrema coacti, ſignificanda & exponenda veſtræ amplitudini duximus, quamobrem etiam duos ex noſtro cœtu mittimus, intellecturos quid veſtri ſit arbitrij & voluntatis: cui nos quidem libenter pro viribus obſequemur, nunquam, fauente Deo, futuri immemores iuriſiurandi & officij quo ergà Deum & amplitudinem veſtram ſumus deuincti. Dominus & Deus noſter pia & ſancta veſtra optata perficiat, Magnifici & honorandi Domini, ad nominis ſui gloriam, & illuſtriſſ. reip. veſtræ incrementum. Lauſannæ, ex communi claſſis conuentu, ſexto Nonas Maij, anno Domini 1555.

Vobis deditiſſimi & obſequentiſſimi ſerui, claſſis Lauſanenſis Eccleſiarum miniſtri.

Hæc tum igitur illuc ſcripta ſunt, quæ quum vſqueadeò Senatui grata fuerint, vt & Bolſecus paulò poſt exulare ſit iuſſus, & magis poſtea quàm piſces muti fuerint qui turbis iſtis occaſionem præbuerant: vides rurſum, Monache, ne ſic quidem poſſe accuſationem tuam probari, imò certiſſima hæc eſſe tuæ monitoriſque tui vanitatis argumenta, qui tam audacter vobis incomperta & à maleuolis accepta, quaſi certiſſimas quaſdam hiſtorias obtrudatis. Sed aliud fortaſſe magis idoneũ teſtimonium audiamus. *Quando enim*, inquis, *Heluetici de prouidentia, prædeſtinatione, reprobatione, alijſque earum appendicibus ſunt amplexi Caluini dogmata?* Imò verò, quænam habuit peculiaria his de rebus dogmata Caluinus? Lege, ſi voles, quid ea de re ante Caluinum Zuinglius, quid Martyr, quid Gualterus, Tigurinarum Eccleſiarum miniſtri, quid Muſculus Bernenſis Eccleſiaſtes, quid OEcolampadius Baſilienſis Eccleſiæ inſtaurator, & poſt illum Borrhaus ſcripſerint, &, ſi quid tibi pudoris ſupereſt, iſtud quærere erubeſce. Sed quid tandem te pudeat, qui hoc etiam auſis adiicere, noua Helueticarum Eccleſiarum Latina confeſſione de Dei permiſſione circa peccata cum Catholicis contra Caluinum decerni, multáque alia contra eiuſdem doctrinam de illis capitibus & alijs nonnullis pronuntiari? Atqui non ignoras quod ipſa libri inſcriptio indicat, hanc etiam Eccleſiam illi confeſſioni ſubſcripſiſſe. Qui fit ergo vt non etiam adiicias nos quoque à Caluino vt illos à Zuinglio & Martyre defeciſſe? Nam certè ſi de permiſſione ſecundum vos, aut de illis capitibus contra Caluinum pronuntiarunt, omnes non tam à magnis illis viris, quàm ab ipſa veritate defecimus. *At condemnant eos qui dicunt Deum eſſe peccatorum auctorem.* Ergo, inquam, Caluinum à tua calumnia abſoluunt, qui hoc idem aduerſus Libertinos tuetur. *Sed dicunt illas formulas, Deum indurare, excæcare, ſic eſſe accipiendas vt Deus intelligatur id facere tanquam iudex & iuſtus vltor.* Et nos quid aliud docemus, quàm ſubſequentia peccata eſſe præcedentium pœnas? Num verò iudex dici poteſt iudicium exercere qui nihil decernat, & quidem volens? Ergo neque voluntas & quidem efficax, neque decretum Dei in induratione excluditur. Vbi igitur veſtra illa mera præſcientia, & otioſa permiſſio in malis? *Sed addunt, quoties in Scripturis videtur quippiam mali Deo tanquam id faceret attribui, non hoc dici quaſi homo ipſe malum illud non perpetret, ſed quòd Deus iuſto ſuo iudicio ſinat malum fieri, neque illud impediat quod potuiſſet tamen ſi voluiſſet.* In his verò quid tandem deprehendes doctrinæ quam tu Caluinianam appellas contrarium? Quis enim vnquam no-

ſtrûm alibi quam in mala hominis voluntate quærendam peccati cauſam docuit? quoties Deum nunquam niſi bene etiam per ipſum Satanam & peccantes malos agere: Satanam autem contrà malóſque omnes nunquam niſi malè agere docuimus? Permiſſionem enim à nobis non ſimpliciter tolli, quum aliter in bonis, aliter per malos agat Deus, ſed eo ſenſu duntaxat quo & à Iuliano quondam vſurpabatur, contra quem errorem ex profeſſo diſputat Auguſtinus, & à nobis nunc accipitur, quaſi videlicet voluntati & decreto opponatur, quoties eſt à nobis inculcatum? nec aliter in illa Confeſſione intelligendum eſſe nomen Permiſſionis quàm vt à nobis accipitur, ita videlicet vt à voluntate & decreto fluat nedum vt illis repugnet, te ſaltem ex illo Auguſtini citato loco animaduertere oportuit, in quo dicitur ne id quidem fieri abſque Dei voluntate, quod fiat præter ipſius voluntatem, quoniam id non fieret niſi fieri ſineret, non ſinit autem nolens ſed volens. *At enim*, inquis, *quæſtionem illam, Num Deus voluerit Adamum peccare, & quare lapſum illius non impediuerit, & ſimiles alias curioſas eſſe iudicant.* Ne retice igitur, quod ab illis in vos ipſos adiectum eſt, *niſi hæreticorum pertinacia vſque nos adegerit, vt hæc etiam exponere cogamur quatenus verbo Dei continentur, quemadmodum ſæpe de his egerunt fidi Eccleſiæ doctores.* Et de iſtis quidem hactenus. Theſes enim illas eadem fide & ab illis perditis excerptas, & à te nobis repoſitas quid attinet refellere, id eſt millies actum agere?

Audiamus aliã nihilo pudentiorem calumniam. Caluinus acturus de Sacramentis, poſtquam in genere tum de nomine tum de reipſa diſſeruit, *præſentis*, inquit, *inſtituti eſt de his Sacramentis peculiariter diſſerere quæ Dominus ordinaria eſſe voluit in ſua Eccleſia, ad alendos in vnam fidem, vniuſque fidei confeſſionem ſuos cultores ac ſeruos.* Deinde abſoluta Baptiſmi & ſacræ Cœnæ tractatione, ad quinque falſò nominata progrediens, quum ad Eccleſiaſticos ordines ventum eſſet, & Pſeudocleri ſacerdotij impietatem pateſeciſſet, *Quantum ad verum*, inquit, *presbyterij munus attinet, quod ore Chriſti nobis eſt commendatum, libenter Sacramenti loco habeo, &c. Quod autem tertium in numero non poſui, eò factum eſt quòd non ordinarium nec commune eſt apud omnes fideles, ſed ſpecialis ad certam functionem ritus.* Hæc ille. Quid tu verò? *Non apponam*, inquis, *de numero Sacramentorum Caluini diuerſitatem.* Imò cur eam quæ inter vos eſt omittis? Inſulſas, ineptas, ridiculas illas rationes non attingo, quibus veſtrum illum ſeptenarium Sacramentorum numerum probatis, ſola certè duo numerat & explicat Iuſtinus in Apol. 2. & Tertul. l. 1. & 4. contra Marcionem & De corona militis: nec Cyryllus Hieroſolymitanus de aliis myſteriis quàm de Baptiſmo & Cœna Domini diſſerit. Nec enim alio loco impoſitionem manuum & vnctionem habent quàm Baptiſmi appendices. Horum igitur ſententiam vt verbo Dei conſentaneam ſequimur. Ex iis verò qui illos ſequuti ſunt, miror ecquem tandem ante Hugonis & Lombardi tempora ſis nominaturus, qui non vel plura vel pauciora numeret quàm vos. non certè Dionyſium qui nec pœnitentiam nec matrimonium Sacramentis annumerat, & pro vnctione infirmorum, vnctionem mortuorum ponit: non Gregorium qui c. Multi ſecularium, tria tantùm: non Paſchaſium qui duo duntaxat numerat. Auguſtinum multo minùs, multo longius trahere conſuetum Sacramenti nomen: non Bernardum, niſi ablutionem pedum velitis veſtris illis ſeptem adiicere. Quid quòd Alenſis ipſe confirmationem nec à Chriſto nec ab Apoſtolis, ſed per Concilium Meldenſe inſtitutam dicit? & noſtra memoria Aſotus ille celebris Sophiſta quatuor ex illis Sacramentis nempe confirmationem, Ordinem, Matrimonium, & Extremam vnctionem, elementa & verba & effectus habere non ex Scripturis, ſed ex Apoſtolica traditione ſcripſit? Quod enim ſpecioſius nomen ſuis commentis prætexerent boni iſti recentiores non habuerunt. Hæc igitur nobis toties iam obiecta potiùs refutare te vel conciliare ſaltem oportuit quàm nobis aliquam hac in re inconſtantiam obiiceres. Sed ad Caluinum redeo. *Is*, inquis, *initio tantum duo eſſe credenda propoſuit* (nempe ordinaria, totíque Eccleſiæ communia, in quo perpetuò ſibi conſtitiſſe Caluinum comperies) *& poſtea tertium Ordinis & Impoſitionis manuum adiecit:* (ſcilicet, ſi adiicere eſt, ſpecialis ritus functionem ab iis Sacramentis diſtinguere quæ toti Eccleſiæ ſiue omnibus ſigillatim fidelibus ordinata ſunt.) *Et facetè excuſauit, cur aliis duobus non annumerauit tertium, quoniam nimirum populus tantum fuerit docendus de numero Sacramentorum, quæ ad plebeios pertinerent, & non ad ipſam Ieſu Chriſti Eccleſiam.* Imò inſacetiſſime homo, non te tandem iſtarum calumniarum pudebit? Caluini verba paulò antè deſcripſi. Hinc non recuſo quin quinis iudicium ferat.

Non placet tibi Caluini interpretatio de Chriſti ad inferos deſcenſu. At veſtra multo magis nobis diſplicet: quam ſi vetuſtam eſſe clamites, reſpondebimus neque ab vltima eſſe vetuſtate, quum totum illud & Nicæna & Conſtantinopolitana, & aliæ quoque Synodi non commemorêt, & inter ipſos veteres non penitus conſtet de illius ſententia. Certè quod ad eos ſcripturæ locos attinet quibus plerique nituntur, tam manifeſtè ſunt detorti vt res ipſa ſeſe prodat. Quid plura? tu qui eandem eſſe doces Catholicam & Romanam Eccleſiam, quî tandem audes de hoc articulo diſceptare? Nec enim ignoras Ruffinum (minimè certè vſqueadeò impudentem vt hoc palàm ſcripturus fuerit, niſi ita ſe res haberet,) diſertè teſtari hæc verba DESCENDIT AD INFERNA, in Romanæ Eccleſiæ (non illius nouitiæ quam tuemini) ſymbolo non haberi, neque in Orientis Eccleſiis legi, & ſi legatur cenſere eandem eius eſſe vim cum eo quod ſepultus dicitur. Nec ſanè aliter accipi poteſt in Symbolo Athanaſij, quod in eo alioqui nihil de ſepultura dictum videatur, & apud eundem Athanaſium in tractatu de Chriſti incarnatione dicuntur martyres non reformidare mortem, neque corruptionem quæ deſcenſum ad inferos, id eſt ſepulturam conſequitur. Et ſic etiam hanc formulam vſurpari in ſcripturis conſtat. Nos tamen illud expungere Romanæ Eccleſiæ more noluimus, quamquam fortaſſis eſt ſuperuacaneum, & initio quidem vſurpa-

tum

tum ex Scripturæ more, cuius planior explicatio quum obſcuriuiſſet, alterum etiam poſtea per oſcitantiam irrepſit. Vnde igitur illa interpretationum diſcrepantia, quòd ineptum videretur, & meritò quidem, in tam breui compendio existimare bis idem eſſe diuerſis formulis explicatum, & ita quidem vt quod obſcurius eſt poſteriore loco legeretur. Vtcunque ſit, cum tua Romana Eccleſia & præcipuis Synodis priùs tranſigas oportet quàm ad noſtri accuſationem admittaris. Aliquid autem in explicando Chriſti agone à nobis minùs rectè dictum aut ſcriptum eſſe nunquam probabis.

In vtero matrum ſanctificari pueros nunquam in genere diximus, ſicut tu falſò ſcribis. Sed hoc diximus & tueri parati ſumus, fidelium ſobolem ab ipſo exortu ſanctificatam eſſe, id eſt in fœdere Dei comprehenſam, cuius beneficij non tunc primùm illis conferendi, ſed in eis reipſa obſignandi cauſa baptiſentur. Si hoc negas, oſtende quo iure ante Chriſti aduentum circũciſi fuerint Iſraelitarum aut proſelytorum infantes, & in Chriſtiana Eccleſia fidelium liberi baptiſentur, aliorum verò non item. Nam ſi quid apud vos in contrarium factitatur, & contra Dei verbum fit, quum Baptiſmus ſit fœderis ſigillum, ac proinde ad ſolos Eccleſiæ domeſticos ſpectet: & contrario veteris Eccleſiæ vſu refellitur.

Baptiſmo remitti ſiue ablui peccata quo ſenſu cõcedamus, & quo ſenſu negemus, paulò antè diximus. Quod tu verò ex ineptiſſimo illo perſonato Epiſcopo, Netenſi peguillone dictum voluiſti, nempe ſi in vtero ſanctificati ſunt fidelium infantes, adimi Baptiſmo peccati ſaltem originalis remiſſionem, vix vlla refutatione indiget. Præterquam enim quòd peccatum originis falſò docetis in Baptiſmo penitus tolli & aboleri, ſanctificationis nomine non aliud intelligimus quam comprehenſionem in fœdere ex illa formula, Ero Deus tuus & SEMINIS TVI: quò etiam omnino reſpexiſſe Paulum affirmamus, quum ſanctos eſſe diceret liberos ex impari quoque coniugio procreatos, vt ex eo colligeret bona conſcientia poſſe fidelem etiam cum infideli coniuge permanere. Itaque tantum abeſt vt illud argumentum valeat, vt è contrario infantes illi non alia ratione ad Baptiſmum admittantur, cuius vtilitas & efficacia poſtea in quibus & quo tempore Deo viſum eſt, emergit. Ne illud quidem probatis quòd Baptiſmum doceamus non ab aliis quàm ordinatis miniſtris conferri poſſe, qui tamen in veſtro illo altaris idolo non modò ſacrificuli ordinationem, verùm etiam conſecrantis intentionem requiritis. At nos tanti facere Baptiſmum quanti Cœnã Domini, & in Domini domo rite & ordine fieri omnia oportere didicimus. Etſi verò non pendet Sacramenti vis à miniſtro ſed à Domini ipſius auctoritate, num tamen efficietur, valere quod neque ab ipſo Domino, neque ab alio ex ipſius mandato præeunte geritur? Imò num ratum eſſe poteſt quod contra ipſius Domini expreſſam voluntatem exercetur? Niſi enim illa Chriſti verba, Prædicate, Baptiſate, ſic explices vt certis perſonis hoc munus permittatur, quid cõſequetur niſi vt cuiuis etiam liceat doctoris & paſtoris partes obire? Et quum etiam pluſculum aliquid Sacramentis quàm ſimplici verbo meritò tribuatur, non vides ſacrum miniſterium à vobis profanari quum quibuſuis in caſu (ſicuti loquimini) neceſſitatis baptiſandi poteſtatem conceditis, quibus tamẽ veſtræ illius ſacerdotalis abſolutionis facultatem minimè omnium tribueritis? Scio fore vt excipias illos veſtros neceſſitatis caſus, & inter ordinarium quippiam & extraordinarium, inter id quod, priuatim & quod publicè fit diſtingui oportere. Proferes etiam nimirum vxoris Moſis exemplum & Alexandri iudicium de Athanaſij baptiſmo. Profer igitur iſta aut alia quæcunque quum voles. Nihil tamen afferes quod non fuerit millies ſolidis firmíſque rationibus refutatum. Stat enim illud, Non priuatione ſed contemptu Baptiſmi reatum damnationis quempiam incurrere. Stat & illud, Eum cenſeri non debere Baptiſmi contemptorem, qui ex ordine & inſtitutione Domini baptiſari ſine ſua culpa, ſeu morte præuentus, ſeu obiecto alio iuſto impedimento non potuit.

Conſecrationis ritum, & Eccleſiaſticum cultum quem ſtultum & hiſtrionicum vocamus, dicis ab Auguſtanis retentum, à nobis autem abolitum. Atqui inſtitutionem Cœnæ Domini & quidem addita ſolenni ipſius explicatione minimè à nobis abolitam eſſe, ſed repudiato veſtro illo impuriſſimo Canone, & peregrinæ linguæ vſu ſublato, reſtitutam ex impreſſis libellis conſtat. Si quid aliud per conſecrationis ritum intelligis, vltrò ſanè fatemur noſtrum non eſſe ſed veſtrum potiùs quicquam Dei verbo adiicere vel detrahere, cuius obſeruationis nunquam nos pudebit. De reliquis ritibus ſublatis rationem reddere coram Dei Eccleſia parati ſumus.

Garris etiam aliquid de vocatione, id eſt miniſterij noſtri fundamento, *& aliquid proferre nos iubes pro noſtra vocatione quod omnes perditi heretici & facinoroſi homines eadem fronte qua nos nequeant (fortaſſis etiam probabilius) allegare. quod ni faciamus Deum extraordinarium à nobis introducti quereris, & principes hortaris vt nos in aliquem mundum extraordinarium extrudant.* Quod igitur nos proferre iubes ecce profero, legitimum nimirũ & doctrinæ & morũ examen, presbyterij iudiciũ, illuſtrium auctoritatem, populi vota, legitimã denique χειροτονίαν, & realẽ ipſius muneris functionẽ, quas eſſe dico, tum ex Dei verbo, tum ex ipſis patrũ canonibus veteriſque totius Eccleſiæ exemplo legitimæ & ordinatæ vocationis partes, non tamẽ ex æquo neceſſarias. Præcipuæ enim ſunt, doctrinæ puritas, vitæ prioris integritas aut certũ inſignis pœnitentiæ teſtimoniũ, electio denique libera, ſancta, plena, id eſt vniuerſæ Eccleſiæ voluntate ſancita, ne quis vltrò ſeipſum ingerat, vel inuitis obtrudatur. His etiam neceſſariò adiiciẽda eſt ipſius miniſterij vera functio, ne quis nomine tenus ſit paſtor, vel pro pabulo venenũ præbeat, quod vtrunque ſæpe Prophetæ & Chriſtus ſuorũ temporum ſacerdotibus exprobrãt. Ordinatio verò ſiue χειροτονία etſi prætermitti quatenus fieri poteſt minimè debet, quoniam ordine fieri omnia oportet in Dei domo, non eſt tamẽ ſubſtantialis pars vocationis, quemadmodum apud vos in veſtra illa Beneficiorũ quæ vocatis, nundinatione, miſſio in poſſeſſionem non acquirit ius in rem ipſam, ſed poſſeſſori tamen hoc tribuit, vt non temerè

deiici poſſit. Eſt igitur illa ordinatio publicum potiùs vocationis legitimæ teſtimonium, quàm vocationis ipſius fulcrum. Neque tamen quum hæc dico, illam nobis deeſſe dico, quum illam pleniſſimam habeamus, vos nullam niſi imaginariam & ex ipſis veſtris canonibus planè adulterinam iactare poſſitis. Addo autem & illud, quanuis minimè ſit inane quod illic, inuocato Dei nomine, ritè geritur, tamen hanc ordinationem ſine exceptione neceſſariam non eſſe, quũ multis iuſtis de cauſis euenire poſſit vt alicui legitimè electo pars aliqua miniſterij ſit exercenda priuſquam ſolenni more in eius poſſeſſionem mittatur. Dico etiam aliquid amplius, nempe non eſſe certo & inuariabili ritui adſtrictam ordinationem, quod ſi tu neges, res ipſa te redarguet. Quum enim vel ipſo teſte Hieronymo, conſtet Epiſcopalem illam eminentiam initio non extitiſſe in Eccleſia, ac multò minùs totam illam ſedium Epiſcopalium diſtributionẽ, quæ ex ariſtocratia primùm in oligarchiam, ac deinceps in Antichriſtianam tyrannidem euaſit: conſequitur canonem illum de ordinatione à tribus Epiſcopis facienda, ignoratum in puriore Eccleſia fuiſſe, quo tempore maximè legitimæ vocationes fuerunt. Imò fuiſſe tunc legitimè electis manus ab ipſis presbyteris impoſitas ex ipſa Timothei initiatione liquet. Et quod ad ritus attinet, eoſdem vbique & omnibus temporibus non fuiſſe, ex canonum & exemplorum varietate & temporum collatione conſtat, vt fateri vos quoque de veſtris ſemel omnibus Agendarum (quas vocatis) formulis, veritas ipſa cogit. Itaque futilia, vana, inania, ridicula, nihili denique ſunt illa veſtra in nos toties iactata argumenta quibus euerti noſtrum miniſterium exiſtimatis. Et illos tui iuriſconſulti tam craſſi & ſtolidi hominis clamores, quàm tu illum eruditum & ingenioſum eſſe ſomnias, erexiſſe nos altare contra altare, Donatiſtarum exemplum imitatos, deeſſe nobis ſucceſſionem, nuper natas eſſe noſtras Eccleſias, quò tandem euadunt? huc videlicet vt magis ac magis audacia veſtra vel ipſis cæcis patefiat. Vos autem, vos, inquam, bullati, vncti, raſi, mitrati, nec tamen certè Galli, veſtræ illius magnæ deûm veſtrorum matris, Romanæ inquam illius [illegible] meretricis ſacerdotes, vos ſacrilegorum turba, locuſtæ ex abyſſi puteo emergentes, quid tandem veſtræ iſti profligatiſſimæ impudentiæ prætexere poteſtis, quod ipſimet Satanæ non fœteat? Succeſſionem, dices. Nempe idcirco fuerit legitima vocatio Caiaphæ, quoniam Aaroni ſucceſſit. At illa ex Dei verbo conſtituta, veteribus canonibus ſancita, perpetuo purioris Eccleſiæ vſu confirmata, num apud vos boni Catholici inueniuntur? Quænam in veſtris Eccleſiis vel leuiſſima doctrinæ inquiſitio? niſi fortè nunc illud quæritur, ſitne quiſpiam Lutheranus aut Caluiniſta. De moribus autem ſaltem vltima fieret quæſtio. Quis apud vos eligit? quis quorſum eligitur? non ſunt illic omnia diuina & humana iura fœdiſſimè conculcata? non certo præſcripto pretio addicta? Et hanc ſcilicet fœdiſſimam proluuiem texerit inanis, putida, impia denique multis modis vnctionis, raſuræ, & cæterorum eiuſmodi rituum cæremonia. Et quorſum inſtituta cæremonia? num ad paſcendum? num ad docendũm? ſcilicet. Sed nunc quidem me reprimo. Tantùm hoc dico, & coram vniuerſa Dei Eccleſia teſtari & euincere paratus ſum, non aliud vos nec melius, nec certius vniuerſæ veſtræ, quam vocatis, hierarchiæ teſtimonium, quàm Satanam ipſum habere: & quod iampridem dixi hoc ipſum dico, clamo, vociferor, neminem eſſe in toto veſtro clero à veſtri vſque Antichriſti ſolio ad vltimum quem vocatis Capellanum, qui non ex veſtris ipſorum canonibus comperiatur & iure & ſuo facto excommunicatus.

Et hæc quidem ſunt præcipua Caluinianæ quam vocas doctrinę capita quæ in illa tua defenſione ſuſcepiſti exagitanda. Ea verò maledicta quibus mortui integerrimi hominis, & verè excellentis ſerui Dei nomen conſputare te poſſe ſperas, cauſa non eſt cur admodum ſolicitè ſtudeam diluere, quum is non ſis cuius inſectatione quicquam poſſit tanti viri apud bonos & eruditos omnes exiſtimationi tot tantiſque monimentis teſtatæ detrahi: & inter ipſius laudes hæc ſit nõ poſtrema, quòd nullus omnibus malis, id eſt tui ſimilibus æquè fuerit exoſus. Dicam tamen etiam hac de re nonnihil, vt grati diſcipuli vel filij potiùs officio defungar. Exprobras illi ambitionem & arrogantiam: tam verè profectò & tam accommodatè ad illius ingenium & mores, quàm ſi Modeſtiam ipſam ſuperbiæ accuſares. Iubet nos Chriſtus arbores ex fructibus dignoſcere. Hic ego omnium qui magnum illum virum viderunt, audierunt, nouerunt, conſciẽtiam appello, & obteſtor, ecquid tandem in illo faſtus, ecquam φιλοτιμίας deprehenderint. Imò quid aliud fuit totus eius habitus, inceſſus, ſermo, vultus, quàm ſingulare quoddam modeſtæ grauitatis, & vt minimè abiectæ ſic etiam minimè affectatæ ſimplicitatis exemplum? In docendo quàm fuit ipſius oratio ab omni oſtẽtatione remota, pronuntiatio minimè artificioſa, actio denique tota vſque adeò ſimplex vt etiam grauiſſimis eius dictis nõnihil detrahere põderis videretur? Quis illum vnquã vel loquendo vel ſcribẽdo argutias ſectari ac non potiùs ſummo ſtudio refugere, quis vllum inanis eloquẽtiæ ſplendorẽ captare, quis ingeniũ venditare, quis ex cuiuſquã ſcriptoris reprehenſione gloriolã venari animaduertit? Cui tandẽ ille blandiri, cuius fauorẽ & gratiam toties calumniis impetitus ſibi cõciliare, ad cuius vitia cõniuere viſus eſt? Et tamen has eſſe ambitioſorũ hominum vel præcipuas artes cõſtat. Quoties fuit reprehenſioni locus, quàm acer, quàm vehemẽs, quàm ab omni [illegible] penitus alienus fuit? adeò quidẽ vt in hoc etiam iuſtum modũ non ſatis tenere nonnunquã videretur. Sed illam vehementiam, vel maieſtatem potiùs quam ſeruo ſuo Dominus circundederat, quis non facilè potuit ab arrogantia & illa cæterorum contemptrice natura diſtinguere? Verborum fateor fuiſſe parciſſimum, quod eſt in nonnullis ſuperbiæ ſignum, ſed hoc illum partim quòd ita ferret ipſius natura, partim iudicio feciſſe ex ipſius ſcriptis perſpicitur. Itaque in eo quidem maledicẽdi ſtudium incredibile oſtendis, quòd illum vt loquacem & garrulum reprehendis, & quidẽ, inquis, à

forenſibus

forenſibus illis rabulis eruditum, parum ſanè memor tuum illum monitorem à quo tam multa didiciſſe te fateris, eum ipſum eſſe qui ſe glorietur tuos illos rabulas excoquere. Quid enim quæſo dici in eum potuit ineptius, cuius vel præcipua, tum in loquendo, tum in ſcribendo hæc laus fuit, quòd nemo plura paucioribꝰ aut expreſſioribus verbis declararet? Vt te verò vel inſcitia vel improbitas non ſinat verborum ipſius pondera & ſententiarum grauitatem expendere, ac proinde quæ maximi ſunt momenti tanquam inania prætereas, at certe ſi vel numerare vocabula & ex eo quàm ſit in loquendo cõciſus, quàm nullis digreſsionibus à ſcopo lectorem abducat, quàm in diſputando & nectendis ac expediendis nodis ſtatim iugulũ ipſum cauſæ petat, attendiſſes, nũquã id in eo vitii reprehendiſſes, à quo tam illum abfuiſſe conſtat, vt ne illud quidem vitare potuerit, Breuis eſſe laboro, Obſcurus fio. In moribus autem illius quid faſtuoſum, quid ambitioſum notabitur? Si moroſum fuiſſe, ſi naturæ facilè irritabilis diceres aſſentirer: quod autem illi exprobras tam falſum eſt vt contrarias illi a vitiis virtutes in eo præcipuè ſint quicũque illum norũt, admirati. Quid enim ille iſto ingenio, hac doctrina, hoc iudicio prædiuus conſequi non potuiſſe videtur, ſi ad ea quibus ambitioſi inhiant animum ſemel adieciſſet? at ſi omnem ipſius vitæ curſum animo ſemel contemplemur, vixiſſe illum ſemper aliis, ſibi nunquam comperiemus. Enimuerò cur ille in voluntarium exilium relicta patria, florentiſsima iſtius orbis regione, vltrò abiiſſet? cur vrbem ſi qua ſub cælo eſt cupidis opum & honorum hominibus minimè (quod omnes norũt) opportunam, cur vitæ genus omnibus iniuriis obnoxium delegiſſet, cur illud ita conſtanter eſſet ad extremum vſque halitum perſequutus?

Criminatio enim illa quòd regnum hic aliquod ſiue in Eccleſia, ſiue in ciuitate exercuerit, riſu dignior eſt quàm vlla apud eos refutatione quibus eſt huius vrbis & Eccleſiæ forma vel leuiſſimè inſpecta, niſi fortaſſe regnaſſe illũ dicant qui, vt omnibus conſuleret, ſibi nunquam nec valens nec ægrotus pepercit. Quarũ rerum omniũ teſtem non vnum aliquem, ſed infinitos penè homines habemus, omniáque ipſius ingenii perpetua futura monimenta. Tu verò nihil te prolaturum teſtatus quod maximè idoneis probationibus non niteretur, quid tandem affers cui fides habeatur?

Gloriatur, inquis, *ſe ſolitum ſine meditatione & lectione quicquid in buccam veniſſet effutire & ſcriptis tradere tanquam ſibi à Spiritu Dei ſubminiſtratum.* Cur igitur locum non indicas? Apponis ad marginem id extare in appendice libelli de vera Eccleſiæ reformandæ ratione. Quid autem eiuſmodi ibi inuenias? imò hæc totidem verbis ſcripta inuenies, quæ te manifeſtiſſimè mentitum fuiſſe coarguunt. *Sobrios lectores*, inquit, *obteſtor vt qualem ego religionem tractandis Dei oraculis affero, ipſi quoque modeſtiam legendis ſcriptis meis adhibeant. Sanè mihi teſtis eſt conſcientia me reuerenter & qua decet humilitate tanquam in Dei & angelorum conſpectu aliis tradere quod mihi à Christi Spiritu datum eſt, nec tam quod mihi adlubeſcit ſequi, quàm mentem meam in Dei obſequium addicere. Me verò procul abeſſe ab eorum numero quos ad captandam dogmatum nouitatem ambitio ſollicitat, tota vita mea ratio teſtatur. Et in libris meis, vt opinor, nulla oſtentatio, ſimplex autem ædificandi ſtudium vbique eminet.* Hæc igitur ille, tam vera quàm ab iis diuerſa quæ tu illi impingis. Et tamen hoc erat ille certè conſequutus vt, quod de illo me ſcribere memini, non multo aliter loqueretur quàm ſcriberet, & quod grauiter & appoſitè diceret, non procul ipſum accerſere oporteret. Alterum ipſius ambitionis & arrogantiæ teſtimonium profers, quòd Farello à quo fuerat aſcitus cathedra & Eccleſia Geneuenſi deturbato, ſtatim oligarchiam conſiſtorij ſui molitus plurima à Farello & aliis conſtituta ſuſtulerit, ſua ſubiecerit vt ſolus Eccleſiæ Geneuenſis inſtaurator & fundator haberetur. Hoc verò, vnde tandem habes? Vllam vnquã vel leuiſſimæ ſimultatis ſpeciem inter Farellum & Caluinum incidiſſe quis vnquam præter te vnum dicere auſus eſt? hoc ſemper à Farello optimo & modeſtiſſimo ſene fuiſſe Caluino tributum vt eo inconſulto penè nihil ageret, Caluinum viciſſim illi in tota miniſterij ſui ratione coniunctiſſimum fuiſſe: & illum quidem Neocomi, iſtum verò Geneuæ, ex communi Eccleſiarum voluntate fuiſſe collocatum, cui tandem ignotum eſt? Et quam tu tandem nobis cathedrã affingis? an tu nos ignoras, (&, ſi fortè ignoras, quæ tua hæc impudentia eſt?) etſi rogãdis fratrum ſententiis aliquis præeſt, tamen in communi presbyterij cœtu Eccleſias nobis commiſſas adminiſtrare? Sumus enim experti quod nos ipſa triſtiſſima docuit experientia, illud Epiſcopalis eminentiæ culmen quod dicit Hieronymus vitandi ſchiſmatis cauſa introductum, peius ipſo morbo remedium eſſe, quum antea vnius tantùm gregis timenda eſſet ſciſſura, cui remedium afferri aliter potuit ac certè debuit, ea illa verò ſedium erectione fabrefacta ſit illa beſtiæ imago quam Ioannes prædixit, illa, inquam, Eccleſiæ peſtis quæ ne nunc quidem curari poteſt, presbyterij primùm ariſtocratia repentè & vno veluti momento in ochlocratiam commutata, paulatim ſeſe confirmantibus Epiſcopis: ac deinceps iſtis oligarchis, mutuò ſeſe euertentibus dum Epiſcopus Tyrannus fieret, & iſtis rurſus Tyrannis mutuò inter ſe confligentibus, dum res omnis tandem ad illum veſtrum quem adoratis Antichriſtum, illud, inquam, omnium idolorum fœdiſſimum ac maximè deteſtabile prolaberetur. Veſtra interim arcana illa & extra mundum ſcilicet conſtituta *arcana* quibus tandem gradibus proceſſerint, tibi ex tuo illo quem erudiriſſimum antiquitatis magiſtrum habere te profiteris cognoſcendum relinquo, vt & illius in tantanto doctore erudiendo, & tua in illo audiendo diligentia vniuerſo mundo pateſiat. Iſtas igitur vt ad rem redeã, Cathedras, iſtas ſedes, iſtos primatus quorſum tandem apud nos? Nihil in occulto gerimus, etiam ſi veſtra ſæuitia renaſcentem Eccleſiam rurſum coegit cryptas quærere. Extant presbyterij Geneuenſis leges. Quis illas propoſuerit ſeu Caluinus ſeu alius quiſpiam quid ad te vel etiam ad nos attinet, niſi vt Deo gratias agamus qui tã ipſius verbo veteriſque Eccleſiæ purioribus canonibus,

conſentanea ſeruo ſuo ſuggeſſerit? Rogatæ ſunt poſtea à magiſtratu, nullo prorſus obnuntiante. Scinit illas populus Geneuenſis non aliis ſed ſibi, adeò quidem felicibus auſpiciis vt illarum præſidio tuta adhuc & domi & foris hæc Eccleſia, vobis fruſtra ringentibus, perſeueret. Et quàm ridiculus etiam eſt tuus ille de Oligarchico regno garritus? Nec enim Oligarchia vnius eſt quantumuis ambitioſi, qualem tu Caluinum commiſceris. Dic igitur, quiſnam iſte fuit ἀναγαγὼν qui ſtatim ab initio (ſi tibi creditur) omnes eiecerit vt ſolus regnaret? Quid quòd Caluinum illum omnium hominum ſcilicet ambitioſiſſimum Geneuenſis reip. finibus illis anguſtiſſimis minimè contentum, hinc quidem exiſtimas Heluetiam, illinc Germaniam inuadere ſibíque ſubiicere ſtuduiſſe? Galliæ enim toti dominatum fuiſſe non ambigis. At quibus artibus? Heluetios, populos, ſcilicet, vt omnes norunt, ſuæ retinendæ libertatis minimè ſtudioſos ſibi adiungere ſe poſſe credidit ſi cum Lutheranis quos vocas colluderet: & Germanos viciſſim ſibi conciliare, ſi ad Zuinglianos deficeret: vtroſque verò ſibi deuincire, ſi, quod eum in ipſo ſtatim ſuæ vocationis initio feciſſe teſtaris, in vtriſque aliquid homo nouus reprehenderet, id eſt in ipſo limine impingeret. Ad hæc enim capita reuocantur quæcunque tu de rebus tibi prorſus incompertis garriens de Caluini, quas vocas præſtigiis narras. Itaque ad te redarguendum nullo teſte ac ne iudice quidem penè alio quàm teipſo indigemus, niſi fortè tam obtuſum Caluinum fuiſſe arbitramur, cui tamen ne tu quidem acuti ingenij laudem adimere potes, vt vel à contrariis principiis iaceret regni ſui fundamenta, vel iis artibus retinere ſe dignitatis & auctoritatis opinionem aliquam putaret quibus vtrsque amitti conſueuit. Meas hic chartas requiris quibus aſſeruandis inuigilem. Atqui non niſi paratum accedere te ad accuſandum decuit. Non vtar hic illa veſtri fori exceptione, non teneri reum actori inſtrumenta quibus iuguletur ſubminiſtrare. Totum iſtud omittamus, etiam ſi vetere illa formula non comprehẽderis, Cum bonis bene agier oportet. Deum verum teſtor (non illum veſtrum furfuraceum) nihil extare apud me huius argumenti quod tibi non pateat. Sed te venturum ſcilicet ad illud petendum negas. Atqui ne vnum quidem nominare potes cui facta ſit apud nos iniuria. Interea tantiſper dum reum illum peregeris, nullum opinor fore qui te vt fidei in his rebus iudicijque nullius hominem non derideat. Vrit te illud quoque vehementer quòd Caluinus in illa pulcherrima epiſtola commemorat quam ſuis in Pſalmos commentariis præfixit, quandam fortè ſuorum certaminum cum Dauidis luctis collationem inſtituens, *tacitè*, inquis, *innuens ſe regem à Deo conſtitutum ſuper Sion Geneuenſem & montem ſanctum eius*. Mirum ſanè acumen, qui quod non modò tacitum ſed etiam nuſquam eſt, tam certò perſpiciat vt etiam aliis commonſtret. Enimuerò quid in tota illa epiſtola non ſapientiſſimè, grauiſſimè, modeſtiſſimè ſcriptum oſtendes? At iniqua eſt iſta homunculi Caluini cum tanto Dauide collatio. Sanè verò quaſi hic illius ſcopus fuerit, alterum ſeſe Dauidem pronunciare. Quod ſi per ſe damnandæ ſunt omnes iſtiuſmodi collationes, agè in ipſum Apoſtolum inſurge, qui nos ait ipſius Filij Dei imagini fieri *συμμόρφους* oportere.

Ad aliud crimen accedo, auaritiam videlicet aut potiùs rapacitatem, quam ſi fortè exercuit Caluinus, ſanè aut illum neceſſe fuerit inſignem fuiſſe decoctorem quem vix coronatos ducentos in bonis omnibus morientem poſſediſſe liquidò conſtat, aut nullos ſatis locupletes quos prædaretur inueniſſe, aut valde profectò ſegnem fuiſſe prædatorem, quod tamen illud hominum genus minimè conſueuit.

Nec te tam putidorum mendaciorum pudet? Audiamus tamen quos capilarit. Faleſium, inquis, virum nobilem, Caroli Imperatoris cubicularium. adde etiam ſi liber, eiuſdem cognatum, multa pecunia abundantem. Audio quid narres, id eſt quid ex tuo Ecebolio didiceris. Sed vbi vel leuiſſima iſtorum quæ commemoras probatio? Faleſius, cuius vxorem ab Anabaptiſtis faſcinatam Caluinus in viam reuocarat, Geneuam venit, ibi aliquandiu honeſtè vixit, illum audiens & tanquam parentem colens. Dicauit ei commentarium in alteram ad Corinthios epiſtolam Caluinus: cui fuit hoc in more poſitum Apoſtoli exemplo (ſicut ex ipſo audire memini) vt quos exiſtimaret Eccleſiis prælucere exemplo poſſe, illorum libenter nomina edendis ſcriptis ſuis præſcribendo, meminiſſet. Toto autem illo tempore quicunque vel Caluinum à Faleſio quicquam captaſſe, vel Faleſium Caluino fuiſſe largitum dixerit, eum neceſſe fuerit vel inſigniter eſſe impudẽtem, vel quàm ille quidem natura ab omni ſordido quæſtu abhorrens, iſte verò parum munificus ac liberalis fuerit ignorare. Aliquanto pòſt ſecedit ille in vicinum quoddam Bernẽſis ditionis caſtellum, valetudinis curandę cauſa, vt qui morbo penè perpetuo (quod omnes norunt) vexaretur. Ibi ipſum commorantem infelix ille de quo antè dixi Agyrta ſub medicinæ faciendæ ſpecie, per vxorem, leuiſſimam fœminam & à ſuo anabaptiſmo vixdum reſipiſcentem ita ſubuertit, vt in viã poſtea reuocari nulla ratione potuerit. Quid plura? iſtius etiam commorationis pertæſus Argentoratum vterque reuertitur, vbi quis fuerit eius exitus ſi tibi verè exponere monitor tuus volet, iuſtum diuini iudicij manifeſti exemplum cognoſces. Caluinus interea quum eum cuius pietatem & conſtantiam qualis tum videbatur, epiſtola ſuis in alteram ad Corinthios commentariis præfixa commendaſſet, adeò turpiter & perfidioſè videret defeciſſe, nomen ipſius expunxit, vt alterum digniorem ſubſtitueret. Magnum ſcilicet flagitium, quod monachus (hominum genus non aliunde quàm ex rapto viuens, ſiquidem Rapere etiam dicitur qui blanditiis incautum pellicit) mortuis etiam exprobraret. Alter autem ille Attrebatenſis quem Bancarium latronem vocas, & à Caluino receptum dicis, cuius etiam filiam Antonio fratri collocarit vt ipſius furtis ditaretur, adhuc viuit apud nos, & vir honeſtus habetur. Is ſi cui fecit iniuriam cur in ius non trahitur? Nec enim ignorare potes in his regionibus multo etiã quàm apud vos ſeueriùs & incorruptiùs iudicari.

Imò

Imò illum audio (cótigerunt enim iſta priuſquàm Gallia excederé) à nonnullis de hoc ipſo querentibus in ius vocatum, ab ipſo tuo monitore, qui tum hîc erat, defenſum, & à iudice abſolutum. Nec te iſtarum calumniarũ pudet? Minimè verò, vt qui grauius etiam ſcelus audeas Caluino exprobrare. Ais enim illum poſtea vt ſeſe ignominia initæ cum latrone ſocietatis liberaret & vxorem à fratre eiiceret, falſum adulterij crimen miſeræ obiecisſe. Impure cucullio, téne hæc comminiſci audere, vnáque impudentiſſima calumnia inculpatæ vitæ hominem, & optimè conſtitutæ reipub. magiſtratum inuoluere? Sed quorſum in iſtis diutius immoror? Saltem, tibiipſi non repugnares, qui poſtquam falſò obiectam illi mulieri adulterij criminationem in Caluinum intendiſti, ſubiicis illi ipſi inceſtum vel ab eo vel ab alio cognato illatum. Os hominis impudens, an nõ ſatis temetipſum refellis quum ſic loqueris? Et tamen ſcilicet nihil niſi ex noſtris ipſorum libris vel actis publicis certò compertum & probatũ affers. Cedò igitur vnde iſtud habes? ex eo quòd quum hanc maculam honeſtiſſimæ Caluinorum familiæ exprobraſſes, reſpondi minùs etiam illam alieno peccato pollui quàm Iacobum & Dauidem filiorum ſuorum inceſtu. Hinc inceſtuoſum illum fuiſſe quum te colligere non pudet, cur refutandis iſtis diutius immorer?

Sed nihilne amplius? Imò etiam aliquid grauius, ſi quidem Caluinus ſanguinis ſitiens (ſi tibi creditur) ab eorum ſanguine per quos pulſus eſt, & quorum potentiam reformidabat, pontificatum ſuum exorſus, iiſdem artibus illum retinuit ſummiſſis in ſuos aduerſarios accuſatoribus. Mirum eſt verò non fuiſſe etiam abs te, exuſti Serueti factam mentionem, cui vos Catholici pepercisſtis. Ex eadem enim, Caſtellionis videlicet, officina omnes iſtas calumnias tuus ille monitor hauſit, quibus non tam nos tamen quàm ſeſe tecum perfudit. Atqui quod attinet ad ea quæ in Caluini reſtitutionem inciderunt, ipſa te rei geſtæ veritas conuincet. Nec enim tunc de quoquam ciue ſumptum à Magiſtratu ſupplicium, ſed iuſta ſua iudicia Deum quaſi cœlitus brachium exerentem in eos qui turbarum illarum auctores fuerant priùs exercuiſſe quàm ciuitas de paſtore ſuo reuocando cogitaret, acta ipſa publica teſtabuntur. Ab eo tempore nihil non molitum fuiſſe Satanam vt hæc futura multo maioris operis exordia quàm tunc homines intelligerent & adhuc cognoſcimus, prorſus euerteret, tu quidem non noſti, neque ſi noſſes agnoſceres: at nos teſtari par eſt qui millies & ab externis veſtris nefariis & crudeliſſimis conatibus, & ab inteſtinis ſuæ ipſorum patriæ inimicis, pij & ſeduli Magiſtratus ope, ſine cæde, ſine vulnere, ſine vi vlla fuimus conſeruati. Nihil hîc narro, quod non ſit publicè & tota ciuitate, more maiorum, conſcia, adminiſtratum, vt quot penè in his regionibus homines illorum temporum ſuperſunt, tot teſtibus reus peragaris. Nulla hîc ne per ſomnium quidem Caluini mentio, niſi ſi quia fortè in illa perditiſſimorum hominum turba hanc occaſionem transferendi cauſæ ſuæ ſtatus arripuit. Denique quum illi ipſi quorum iam pridem iuſtis & maxima ex parte extraordinariis Dei iudiciis ſublatorum cauſam tuendam auctore monitore tuo, ſuſcepiſti, nihil non viui ſuis apud vicinos calumniis moliti ſint vt hanc remp. omnium inuidiæ exponerent, indéque cognita cauſa nihil præter alteram damnationem retulerint, te nunc ſcilicet, cum tuo ſanè obtuſiſſimo Iuriſconſulto ſiue ineptiſſimo cauſidico, neſcio quid garriente, damnabitur conſtuprati iudicij Caluinus ad quem iſta propriè nihil pertinent: arguetur tanquam vi aut metu perterritus, vel pretio corruptus noſter magiſtratus, illi verò impietatis & in Deum & in patriam & in hoſpites ſua ipſorum confeſſione conuicti abſoluentur. Adeóne verò parum abs re tua otij tibi, quantumuis otioſe, vt iſta curares? Et tamen hæc tam falſa, támque abſurda illi à vobis obiici quem omnibus conſtat cum nullo vnquam de re vlla propriè priuata contendiſſe, nec vnquam hoſtem habuiſſe qui non pietati & honeſtati bellum indixerit, nemo mirabitur qui Athanaſij vitam legerit.

Supereſt non tantùm impudens ſed etiam immanis nec cuiquam planè niſi Cacolyco Romano conueniens criminatio. Fuit ille vt omnibus conſtat, corpore tam imbecillo vt nihil ſuprà, animo verò tam forti vt nullus eſſet tantus labor quem defugeret. Singulis annis habere conſueuerat ducentas octoginta ſex conciones, lectiones centum octoginta ſex: nec illum temere quiſquam toto anno vicaria opera collegarum vtentem vidit. Patuit eius domus conſulentibus omnibus, dictandis vndiquaque literis ſuum etiam amanuenſem fatigauit. Librorum quos & eruditiſſimos & laborioſiſſimos ſcripſit, is eſt numerus cui vix ſufficere vnius quantumlibet tum animo tum corpore valentis hominis integra vita videatur. Omitto neglectam penitus valetudinis curam, tot inſomnes noctes, tantam tibi parcitatem vt ſex minimùm annis ante obitum, prãdium ſumpſerit nunquam, extra cibi capiendi tempus nihil neque biberit neque guſtarit, niſi quũ ad ſeſquidiem (quod ſæpiſſime faciebat) inediam toleraſſet. Hinc illum ac potiſſimum ex vocis contentione & quòd perpetuò vel loqueretur aliquid vel ſcriberet vel meditaretur, quis miretur tam varios atque multiplices morbos tandem contraxiſſe? Sed quòd ad extremum vſque halitum eandem conſtantiam & animi fortitudinem ſeruarit, nec priùs Eccleſiæ prodeſſe quàm ſpirare deſierit, id verò quàm rari & quàm admirabilis ſit exempli vtinam ex tam multorum mollitie & ignauia non liqueret. Quænam igitur hæc eſt improbitas, quæ feritas, quæ immanitas, ex iis quæ partim humanæ ſortis cõmiſeratione digna ſunt, partim ſummam laudem merẽtur, inſultandi occaſionẽ arripere? Dominũ ſeruos ſuos quibus libuit modis exercere nouũ non eſt, quũ Iacob ipſe dies ſuos paucos & malos fuiſſe, Dauid oſſa ſua cõputruiſſe tot eiulatibus fateatur. Pauli colaphos à Satana impactos quomodo Chryſoſtomus interpretetur nõ ignoras. Timotheũ ventriculi imbecillitate laboraſſe ex ipſo Apoſtolo diſcimus. Baſilij ex podagra penè inutilis redditi, Gregorij de

renum debilitate & arthretide querẽtis clamores penè ipſos adhuc exaudimus. Vt autẽ paucis omnia cõplectar. Ex aſthmate mortuus eſt Caluinus, quod toti ciuitati vſqueadeò cõſtat vt etiã in concionante & alioqui valente morbus ſeſe proderet: quartanam ſequuta eſt ſpecies podagræ, vt geſtatione aliquot menſibus egeret, ambulatione tamen minimè impedita. hæmorrhoides etiam illum fatigarunt, bilem accendente frequenti aloës vſu, qui certè mortem eius accelerauit. pauciſſimis ante mortem diebus in lectulo decubuit, ſic ægroto corpore vt tamen ſurgeret, per cubiculum incederet, ſederet, dictaret, ſcriberet, quanuis ægrè ſpiritum duceret. Denique vt temperãtiſſimè vixit, ſic ab omnibus illis malis turpibus & feculentis fuit immunis, quibus veſter pſeudoclerus non Deo tantùm & hominibus, ſed ipſis beſtiis fœtet. Si mihi non credis an propterea mentior? Agè igitur, conuiciare fido ſeruo Dei quandiu & quantum voles. Quot illi morbos es immenſis pro Chriſti veritate aduerſum vos defendenda laboribus cõtractos exprobrabis, tot illius incredibilis diligentiæ, laboris, cõſtãtiæ teſtes proferes, tot illi quidẽ trophea, tibi ipſi verò cruces figes. Viuit ille nũc beatus, laborioſiſſima vita feliciſſimo placidiſſimóq; exitu terminata. Te verò, niſi fortè reſipueris, quæ Dei iudicia maneant, vltimus ille dies tandem aliquando declarabit.

Iam tandem ad me peruentum eſt in cuius ſcriptis præter illa de quibus antea diſſerui, hæc quoque reprehendis. Sum ego videlicet beſtia illa immanis, cuius os ſicut os leonis, regnis omnibus inhians, de qua extat prophetia Apocal. 13, ſum Theodorus ille ἄθεος, ipſum Deum blaſphemans. Egregia ſanè metamorphoſis qua Bezam in Beſtiam, id eſt in tuum Romanum Antichriſtũ transformas. Saltem verò, inepte, paulò ingenioſior fuiſſes in aliqua mei nominis alluſione quam ex monitore tuo repetis. Cuius enim eſt iudicii pro Beza beſtiam dicere, & impietatis crimen ex Theodori cognomine colligere? Paulò ſanè iucundior & verior eſſet Balduini in Badinum quem Galli vulgò vocant, & Fratris Claudii in Fratrem Clodii transnominatio Lutetiam tribunitiis ſuis clamoribus non minùs furioſè perturbantis quàm ille quondam Romam ſeditioſè concitauit. Et hoc in te quoque conueniet quòd vt ille à patritiis ad plebeios, ſic tu à Monachis ad ſeculares quos vocatis presbyteros & laicos vt inter illos regnares tranſiuiſti: & vt ille Cæſaris, ſic tu Cardinalis illius tui aſſecla & adminiſter es factus. Et vt ille Catonem in Cyprum, ita & tu cum tua factione non vnum aliquem actionibus tuis obſiſtentem ſed optimum & integerrimum quẽque ex vrbe non ſanè liberæ legationis obtentu ſed aperta vi expuliſti. Sed hæc tu legens nimirum Milonem etiam aliquem tibi trucidando à nobis, ſicut olim Guiſio, appoſitum dices. Verùm tam profectò de illo mentieris, quàm de iſto mentitus es, vel illo ipſo teſte cuius falſa teſtificatione priore, altera vltima repudiata, nitimini, & quem poſtea licet corona fortaſſe potiùs quàm vlla pœna dignum, tam crudeliter mactaſtis.

Sed agè audiamus tamen tanti criminis, id eſt impietatis probationem. *Iniecit*, inquis, *Beza vincula ipſi Omnipotenti, quum negauit illum poſſe corpus ſuum inuiſibile reddere, minori ſpatio quàm ferat ſua magnitudo concludere, ac pluribus locis vno tempore ſiſtere.* Sed vbi tandem hæc ſcripſit Beza? *In Heſhuſium*, inquis. Cur igitur verba non profers? nempe ne tuum falſiſſimum mendacium prodatur. Egone vero Deum poſſe negarim res omnes creatas etiam in nihilum redigere, nedum vt ex aſpectabilibus nequeat inconſpicuas, aut ex magnis quàm paruas libuerit reddere? Nunquã ſanè, Dei beneficio, vſqueadeò inſaniui: ſed hoc dixi, Sycophanta, quia Deus mentiri non poſſit (mentiri autem poſſe, potentiæ non eſt ſed imbecillitatis argumentum) idcirco contradicentia efficere non poſſe, nempe vt vnum idémque verum corpus, ſimul ſit in ſeſe aſpectabile & inconſpicuum, quãtũ eſt & quantum non eſt. Neque iſta mea ſunt, ſed Theodoreti, Auguſtini, Vigilii, totius denique Eutychetiſmum veſtrum refellentis eruditæ vetuſtatis. Ad tertium verò quod attinet, fateor hoc me ſcripſiſſe quod eadem ratione aſſero, non poſſe aliquid ſimul eſſe corpus & non corpus, quantum & non quantum, finitum & infinitum: ac proinde totum vno duntaxat loco, eóque magnitudini ſuæ conueniente corpus illud verum Chriſti quantumuis ſpirituale & glorificatum vno tempore comprehendi. Hoc ſi potes vel ex Dei verbo vel vllorum orthodoxorum Patrum auctoritate refelle, aut calumniari deſine.

Quid amplius? *Negauit Beza Deum eſſe omnipotentem, niſi ad omne facinus impulſorem & actorem ſe præbuerit, neque tantum ab improbis fieri ſcelera permiſerit.* Vbi verò ſic docuit Beza? In Caſtellionem, inquis. Inſpiciatur ergo liber, vt quæ tua ſit fides omnes perſpiciant. Non illud dixi, ſed hoc dixi quod dico, tum apertiſſimis Verbi diuini teſtimoniis, tum ipſa ratione, tum Auguſtini potiſſimùm expreſſa auctoritate fretus, non futura mala niſi ſineret Deus, nec illa ſinere inuitum ſed volentem, ſemper tamen iuſtè vel vt malorum iudicem vel vt ſuorum probatorem & caſtigatorem velle & facere, quæ tamen mala ipſius inſtrumenta malè velint & faciant. Dixi & illud, Deum ſi quid fiat inuito ipſo, omnipotentem non eſſe: ſi neſciente, ne Deum quidem eſſe: ſi ſciente & non curante, Epicureorum dogma ſtabiliri. Reſtare igitur vt omnia & ſingula Deo præſciente, volente, decernente, & ad iuſtum certúmque finem, id eſt ad gloriam ſuam, electorum ſalutem, Satanæ & reproborum omnium exitium dirigente, fiant: nullius tamen mali auctorem eſſe, quoniam benè ſemper agat, quomodocunque agant ipſius inſtrumenta. Hæc, inquam, dixi & dico, tu refelle ſi potes, aut mentiri deſiſte.

Quid Beza prætérea? *Contra honorem & cultum Mariæ matris Dei & ſanctorum oblatrauit.* Ergóne tibi Maria non tantùm Chriſti, ſed etiam vt altera quædã Cybele, deorum omnium eſt mater? Aut enim ſanè totidẽ deos quot ſanctos numeratis, aut deitatẽ in tot particulas ſecatis. Sed ridere me dicea quũ ſic reſpõdeo, & ſanè riſum tenere me quãuis in re tã ſeria nõ potuiſſe fateor, quũ hãc

tuam

tuam exprobrationem legerem. Egóne Neſtorianus qui Mariam *θεοτόκον* eſſe negem, ac nõ potiùs contrariam iſti veritati blaſphemiam aduerſus Brentianos vbiquitarios pro viribus oppugnaui? At negaui perpetuam virginitatẽ Mariæ eſſe ex fidei quos vocant articulis. Negaui certè & nego, quãuis permãſiſſe virginẽ vt probabilius dictũ amplector. Sed illã coli nolo. Sanè ita eſt, niſi cultus nomine imitationẽ plurimarum maximarúmque ipſius virtutum appelles. Vni enim Deo adorationem, cuius præcipua pars eſt inuocatio, deberi cum vniuerſa ſcriptura profiteor: vóſque deteſtor vſqueadeo furioſè inſanientes vt Mariam non modò reginam cæli, dominam angelorum, portam miſericordiæ, ſalutem, vitam, ſpem, fontem gratiæ appelletis, & quod incredibilis eſt amentiæ, quamuis in cælis regnantem tamen ſaluere & auere iubeatis, verùm etiam quaſi Chriſtus ille cæli terræque etiam ſecundum carnem Dominus adhuc ab vberibus matris pendeat, ſicut idolum illud veſtrum ſtolidi pictores exprimere conſueuerunt, in Filium etiam Dei (proh inauditam ſeculis prioribus omnibus blaſphemiam) imperium in cælis ei tribuatis. Veſtri enim hi ſunt, veſtri inquam impuri, blaſphemi, impij clamores,

Roga Patrem, iube natum. &,

Iure matris impera. quibus quid tandem execrabilius Satan ipſe euomuerit? Epiphani, quid in iſtos diceres, qui tam durus in Collyridianos fuiſti? Et vos eſtis ſcilicet Mariæ cultores, nos autem hæretici. De veſtris autem ſanctis, quid tandem gannis, vulpes? Sunt autem primùm omnium tibi hæc explicanda, primùm de quibus ſanctis agas, an de patribus ſub lege, quorum quum certiſſima teſtimonia perſcripta ſint, nullum tamen ferè admittitis præter vnicum Iobum, cúmque hac ignominia affectum vt quoniam horrenda ſcabie fuit affectus, veſtri illius infamis & monaſteriis præſertim veluti peculiaris morbi curationi illum præfeceritis: an verò etiam ſanctos illos Dei ſeruos, quorum ſanctimonia ſcriptis Apoſtolicis vel aliis idoneis teſtimoniis conſecrata eſt: an denique iſtis etiam accẽſeatis quoſcunque libuit, de quibus etiam vetus illud dictũ apud vos celebratur, multorum corpora coli in terris, quorum animæ apud inferos torquentur. Deinde & illud expoſitione indiget, de illorum corporibus colendis quorum reliquias oſtentatis, an de ſpiritibus eorum inuocandis agatur. Denique de illo quoque inter nos conueniat oportet, ſanctorum appellatione num illorum idola, an vero illos ipſos idolis repræſentatos intelligatis. De iſtis vbi ſententiam tuam cognouero tum faxo Deo fauente, vt audias etiam aliquid amplius quod veriſſimum erit, & tamen non libenter audies.

Nunquid verò etiam amplius? *Optimorum etiam temporum Synodis quæ de orbe Chriſtiano conuenerunt, affirmauit Beza Satanam non Spiritum ſanctum præfuiſſe.* Vbinam verò? *In præfatione,* inquis, *in nouum Teſtamentum Græcolatinum.* Ibi oſtenſurus aliunde quàm ex Conciliis & veteribus canonibus ſarciendam Eccleſiæ concordiam, primùm dico inter Synodos non apertè alioqui damnandas reperiri quæ obſcurè & imperitè de nõnullis ad doctrinam quoque pertinentibus iudicarint, idque ex eo liquêre oſtendi quod prouinciales ſæpe à generalibus ſint correctæ, & interdum prouinciales rectiùs ſenſiſſe comperiantur, vt vel ex vna Gangrenſi liquet cum OEcumenicis nonnullis comparata. Deinde ad Synodos alterius generis deſcendens, his verbis vſum eſſe me profiteor. *Omitto quod ipſa temporum hiſtoria manifeſtè probat, optimis etiam illis temporibus (ſi cum poſterioribus conferantur, quibus manifeſtiſſima tyrannis Eccleſiam oppreſſit) eam fuiſſe Epiſcoporum partim ambitionem, partim ſtoliditatem & ignorantiam, ac multorum etiam apertiſſimam & deſperatiſſimam improbitatem, vt Satanam planè cœtibus eorum præfuiſſe, vel ipſi cæci manifeſtiſſimè perſpiciant.* Quod igitur eſt calumniari, Monache, ſi hoc non eſt? etenim quæ hæc impudentia eſt quod de iis cœtibus dixi in quibus vel ſoli improbi coierunt, vel maior pars meliorem vicit, ad illas citra controuerſiam & meritò quidem receptas Synodos detorquere? Quid ſi igitur illa mihi Nanzianzeni vox qua Synodi penè omnes iugulantur excidiſſet? Num tu verò tot inter ſe temporibus illis confligentes Synodos inficiari potes ab alio quam pacis ſpiritu fuiſſe gubernatas? Qua auctoritate non ſemel expulſus Athanaſius? in exilium detruſus Hilarius? de Oſio illo Cordubenſi quàm inter ſe repugnantia ſcriptorum iudicia? Túne Synodo qua expulſus eſt Chryſoſtomus & ante eum Nanzianzenus, Spiritum ſanctum præfuiſſe dixeris? Denique quiſquis eorũ temporũ hiſtoriã legerit, non dubito quin mihi ſit aſſenſurus: & ante ipſam Nicænam Synodum, quæ fuerint inter ſe Epiſcoporum concertationes vel illud oſtendit quod Conſtantinus auctoritate potiùs quàm rationibus illas coerceri poſſe iudicauit. Iſta verò nũ verè ſacroſanctis Synodis aliquid detrahunt? minimè profectò, ſed alias quidã ab aliis diſcernendas, omnes verò ex Dei verbo diiudicandas docẽi. De Synodis iſta ſcripſi, quæ ſi falſa ſunt, cur non refellis potiùs quàm vſqueadeò improbè & calũnioſè detorquas? *Dixit etiam Beza,* inquis, *per eoſdem optimos patres vitæ integritate & miraculorum virtute inſignes eundem Satanam iecisse fundamenta inuocationis ſanctorum.* Hoc ſanè ſcripſit, de mortuorum inuocatione, & tuerſum paratus abſque vlla eorum qui hanc paleam imprudenter extruxerunt inſectatione: neque id accidiſſe in exuiis alioqui bonis & eruditis non paucis mirabitur qui tẽporum illorũ hiſtoriã legerit. Audiamus antẽ aliquid etiã cæteris grauius. *Beza textum de Cœna Domini contra omniũ exemplariũ fidẽ nouus corrector emẽdat, & Apoſtolos ſolœciſmi accuſat.* Quo tandẽ loco? nẽpe in hæc verba Lucæ, 22.20, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Inſpiciatur locus. Si vel apicẽ in cõtextu mutaui, habear ſanè falſarius & impius. Sin verò cõperiar, ſeruato cõtextu, nec temere, nec ſine idoneis teſtibus annotaſſe quod in eũ locũ ſcripſi, quis te iuſtus iudex à calũnia abſoluerit? Aliud impietatis argumentũ profers quòd omnẽ ritũ quem ad cultum Euchariſtiæ adhibetis, irrideam, & mihi reſpõdes quod olim Dauid Michol infatuatæ mulieri, *Viuit Dominus, quia ludemus ante eum qui elegit nos potius quàm Saulem, id eſt patrem tuum Caluinum, & omnem domum eius, ſiue ſectam.* Lude ſa-

nè,& tam lepidè ſalta quàm aſinus ad lyram quandiu & quoties voles. Nobis ſufficit Chriſti inſtitutionem ſequi, & cum reuerentia panem illum & vinum illud ſumere non colere. Sed age audiamus tandem certum impietatis *τεκμήριον*. Bene immodicus eſt Caluini laudator: *Nos autem, Monachi*, inquis, *aliter in Eccleſia catholica inſtituti ſumus, vt ex fide & ſynceritate religionis perſonas æſtimemus, non autem fidem de perſonis æſtimemus.* Sanè verò, non docemus, ſcilicet oportere nos ab vno Dei verbo pendere. Quænam eſt igitur nobis vel præcipua vobiſcum controuerſia, ſi hæc non eſt, nullos homines æquum eſſe fidei noſtræ dominari? vnicum habere nos legiſlatorem Filium Dei? pendere ipſius Eccleſiæ authoritatem ab vno Dei verbo ſicuti à Prophetis & Apoſtolis perſcriptum eſt? huic ſcripturæ nulla hominum authoritate, nullo temporum ſpatio præſcribi? An oblitus es de hoc ipſo tecum actum eſſe in Poſliaceno conuentu, quum locum illum ea poſteriore ad Timotheum epiſtola *τοῦ χαρ.*, &c. impudenter deprauares, & illam Cypriani aduerſus conſuetudines ſententiam eludere conatus, Tertulliani libello de præſcriptionibus & præfationis cuiuſdam quæ à nonnullis Chryſoſtomo in opus imperfectum quod vocant tribuitur, auctoritate abutereris? Quod ſi non ſunt hominum diſcipuli Monachi, vnde putida iſta & in vera Dei Eccleſia intolerabilia Franciſcanorum, Dominicanorum, Benedictinorum, innumerabilium denique ſectarum nomina? vnde illud recens & audaciſſimum illarum ſectæ teterrimum facinus, qui traducto ad ſe Ieſu nomine vel communem omnibus Chriſtianis appellationem non ſine inſigni ſacrilegio ad ſe pertraxerunt, vel Ieſum à Chriſto ſeparatum immani ſcelere diſcerpſerunt? Sed hic eſt nimirum monachorum pudor, quorum voti vel præcipua pars eſt NIHIL PVDERE, & quorum frontem cuculla quotidiano ſic attritu perfricuit vt effrontes euaſiſſe iampridem nullus admiretur. Cedò verò qua in re modum non tenui? *Auſpicatus es*, inquis, *apologiam tuam à Caluini commendatione.* Magnum certè flagitium. Quid verò potius agerem quum in Caluinum & me quaſi in tradenda Chriſtiana *ἀλλοτριοεπισκόπως* calamum ſtrinxiſſes, quàm vt & illius in vna eadémque doctrina proponenda conſtantiam, & meum in perſequendis illius cui ſucceſſi veſtigiis ſtudium ſignificarem? Sed illum immodicè laudaui: nempe quoniam illum fidelem & conſtantem Dei ſeruum vocaui. Nec enim quicquam de illo ſum præfatus, quàm quod ad rem propoſitam maximè pertinebat. Sed ferre te non poſſe veritatis laudem quis miretur, qui mendacium propugnandum ſuſceperis? Quia tamen in hoc capite maximam tuæ defenſionis partem conſumis, agè ſigillatim etiam reprehenſiones tuas expendamus. Dicis me proſequutum eſſe diſcedentem ex hac vita Caluinum illa Heliſæi voce, pater mi, pater mi, currus Iſrael & auriga eius, quaſi videlicet illum cum Helia compararim, & tacitè duplicem eius ſpiritum mihi conceſſum innuerim. Sed quam tandem eius rei probationem affers? quoniam videlicet in vitæ Caluini editione Gallica Typographus vltimam paginam finiens, illam ſententiam adſcripſit, qui duas etiam alias ipſius libelli fronti præfixerat. At ego hiſtoriam illam (quod omnes hic norunt) neque ſcripſi neque edidi, ſed qui tum erat mihi collega, Nicolaus Colladonius, quanuis in eam ſit tranſlatum quod de Caluini vita & obitu quadam in Ioſuam præfatione Gallica fueram præfatus. Et, quæſo, ſi quid eiuſmodi, more quodam ſuo vel editioni ſuæ exornandæ, vel explendis aliquot extremis paginis adiiciunt Typographi extra libri ipſius contextum, num hoc æquum eſt ipſis ſcriptoribus tribuere? Sic in primæ orationis meæ in Poſliaceno cœtu habitæ editione, quo loco noſtræ, quos vocant, fidei articulos recenſeo, caſu prætermiſſum eſt Typographi negligentia, Omnipotentis nomen: (quis enim id factum ſtudio putet?) Hinc in me calumnia quaſi Dei omnipotentiam negem. Sic in priore minoris mei noui Teſtamenti Græcolatini typographus alioqui diligentiſſimus, vt aliquot abundantes paginas impleret, quatuor Synodorum ſymbola Græcè & Latinè excudens, fortè in ſymbolo Niceno particulam illam Deum de Deo prætermiſit. Hinc ab iſto arrepta mei de Arrianiſmo accuſandi occaſio, quum tamen præfixa breui epiſtola Typographus ſeſe illius adiunctionis auctorem profiteatur. Et quis tandem erit calumniandi modus? Sed agè, ponamus illis verbis proſequutum eſſe me tantum illum virum ex hac vita demigrantem, num idcirco illum Heliæ adæquaui? Quam multa verò iſtiuſmodi apud Nazianzenum præſertim inuenias? Et cur tu non potiùs, ineptiſſimis illis & idololatriæ plenis canticis quibus templorum veſtrorum teſtudines perſonant offenderis? cur non, inquam, potiùs horrendum illud Franciſcanorum alcoranum exagitas? Hic autem mihi quiddam in mentem venit quod maximè ad rem facit, vt quæ ſit iſtorum in calumniando impudentia omnes intelligant. Agebamus cum Sorbonicis doctoribus coram concilio Regio, inter quos nullo tunc eras numero, de imaginum vſu. Ibi inter cætera protuli libellum cuiuſdam ſacrificuli cuius iterum mox meminero, non ſine Sorbonicæ facultatis & Senatus priuilegio excuſum, in quo impurus ille decem Domini mandata, noſtrarum Eccleſiarum odio in quibus decantantur prout à Clemente Maroto ſunt rithmicis numeris Gallicis comprehenſa, vſqueadeò impudenter deprauarat, vt pro eo quod ille rectè ſcripſit,

Tailler ne te feras image
De quelque choſe que ce ſoit,
Si honneur luy fais ou hommage,
Ton Dieu ialouſie, en reçoit, perditiſſimus nebulo ſubſtituerit cōtraria ex diametro ſentētia;
Tailler tu te feras image,
De quelque choſe que ce ſoit,
Si honneur luy fais ou hommage,
Ton Dieu grand plaiſir en reçoit. Oſtendebam igitur manifeſtiſſimā legis diuinæ falſationē,

teſtimonio

teſtimonio Sorbonæ qua deceptus fuiſſet Senatus,comprobatam. Quid tum illi?hoc,inquiebar, poſtea ſubiecit vel ſcriptor ipſe vel typographus,neque iſtiuſmodi errata tenemur præſtare. Mirati ſunt omnes ipſáque in primis Regina Regis mater tam iniquum & impudens reſponſum, & illis fuit iniunctum vt librum illum abolendum curarent, quod ipſi tamen non magis quàm illorum quos tum confeſsi ſunt abuſuum emendationem præſtiterunt. Mihi verò cur hoc ſaltem vti iure non liceat, quo vno abutentes illi iuſtiſsimam damnationem euaſerunt? Sed agè ad aliud progrediamur.

Caluinũ, loquis, *Beza non tantùm ipſis Apoſtolis adæquauit, ſed etiam prætulit, quos in Cœna intelligentia Caluino inferiores fecit: eúmque Apoſtolicis viris omnibus qui vnquam vixerunt & in ſcripturarũ cognitione atque interpretatione & Chriſtianæ religionis veritate ita antepoſuit, vt vnicum illum nunquam lapſum, alios autem vt vmbras volitaſſe & oberraſſe deſcripſerit.* Item, *Fingit Caluinum abſolutiſſimam Theologorum ideam qui nuſquam in doctrina ac ne in vita quidem poſt ſuam vocationem aliquando aberrarit aut variauerit, aut vlla de re ſe retractare debuerit.* Item, *Caluini ſcripta tanti æſtimas vt ſine his ad ſacrarum literarum lectionem nemo perueniat, ob idque tam ſæpe lapſum putas in ſcripturis Caſtellionem quòd Caluini libros euoluere non admodũ curarit.* Hæc & alia illis ſimilia toties abs te inculcata, quid attinet refutare? Extat præfatio illa quam vnam iſtarum omnium criminationum teſtem citas. Si quid iſtorum in illa comperias, viceris. Sin minùs, quid ſupererit niſi vt pro calumniatore impudentiſsimo habearis? Dixi inter cætera Caluinum in componendo de Cœna Domini diſſidio ita ſeſe prudentem & diligentem præbuiſſe, vt ei ſecundum Deum accepta feratur illius controuerſiæ decitio quam omnes ſani iudicii homines ſint amplexi. Hinc verò quum tu illum colligis Apoſtolis & Apoſtolicis omnibus à me non modò adæquatum ſed etiam prælatum, quid aliud quàm inſanum iſtud maledicendi ſtudium prodis? Num enim Caluinus extitit doctrinæ de Cœna Domini primus promulgator? num entuſiaſmum aliquem iactauit? num aliunde quàm ex Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, adeóque ex puris Eccleſiaſticis ſcriptoribus illa omnia deſumpſit? Et ni ita eſſet quis illi Chriſtianus fidem haberet? Caſtellionem, monſtrum ex plurimis hæreſibus conflatum, in genere dixi in tot errores idcirco incidiſſe, quòd ſibi vni confiſus doctorum hominum commẽtarios legere neglexiſſet. Et quum is Caluinum falsò redargueret, dixi nunquam id facturum, nec tam procul à vero aberraturum fuiſſe, ſi Caluini libros diligẽter euoluiſſet. Hóccine verò eſt Caluini ſcripta quibuſcunque aliis doctorum virorum libris anteponere, vel Propheticis & Apoſtolicis æquiparare? Fateor illud quoque, quum Caluini ſub occaſum ſolis ex vita exceſſum deſcriberem, quem adhuc ego vigilans & ſomnians in ipſius ædibus videre mihi videor, & cuius vox [illegible] in auribus meis quandiu ſuperſtes fuero perſonabit, in hæc verba me erupiſſe, eodem tempore tum ſolem occidiſſe mihi viſum eſſe, tum illam extinctam lucem quæ maxima temporibus noſtris hominibus ad veræ pietatis notitiam adducendis præluxiſſet. Neque verò temere, vel amoris abũdantia, ſed ſtudio & iudicio hæc me ſcripſiſſe vltro profiteor. Si quis à me diſſenſerit, ſanè hoc illi per me licet. Iſta verò quid ad te, qui lucem in tenebras transformas? Adieci & illud, in hoc eódem & vnico homine Deum nobis hoc tempore tum bene viuendi tum bene moriendi ſingulare exemplum propoſuiſſe. Hoc vero quum ita diſtorques, quaſi quum ſolum dicerem, non Latinè ſed Gallicè ſcribens, reliquos voluerim excluſos, & eum in vita [illegible] facere, quid aliud quàm vel noſtri idiomatis ignorationem, vel ſummam conuiciandi rabiem oſtendis? Dixi & illud quod nunquam falsò dictum eſſe probabis, nũquam illum ab ea doctrina quam initio ſuæ vocationis profeſſus eſt vel tantillum deſciuiſſe, quod non ita multis Dominus, noſtra præſertim memoria, conceſsit. Adieci verò rationes, quas à te malitioſè prætermiſſas iterum commemorare neceſſe eſt. *minimè id*, inquam, *quaſi non aliquid quotidie diſceret, vnus omniũ, vt arbitror hominum [illegible], vel quòd, vt nonnulli obtrectatores dictitant, pertinaciter ſua defendere quàm veritati aſſentiri mallet, ſed quòd in ſingulis Chriſtianæ doctrinæ capitibus nonniſi adeò probè edoctus & planè confirmatus ad docendum & ſcribendum acceſſiſſet, vt quamuis quotidie ſibi Eccleſiæque toti proficeret, tamen quò longius pergebat, eò certius teſtimonium haberet, ſe ab ipſo ſtatim initio veram illam ſolidámque religionis viam ingreſſum, adeò quidem vt in tam multis támque variis ſcriptis quanta vix alius quiſquam theologus edidit, vnus idémque ſibi perpetuò ſimilis in Euangelica doctrina ſingulis placitis comperiatur.* Scripſi & iſta totidem verbis, quorum nequaquam me pudere poteſt, *Si de integritate illius quæratur, nemo eſt qui culpam eius aliquam in ſui muneris functione notarit, vel vllius [illegible] ipſum poſſit arguere, qui denique vel in doctrina, vel in moribus inconſtantem illum fuiſſe, vel quenquam eſſe calumniatum animaduerterit.* An hæc vera ſint quæ dixi, iudices ſunto qui vel præſentem illum, vel ex eius ſcriptis cognouerunt. Deinde annon hæc quoque mea ſunt? *Non defuerunt quibus videretur ad iraſcendum procliuior quàm par eſſet. Nec ſanè velim ego hominem in Angelum transformare. Nihilominus tamen quoniam reipſa cognoui quantopere hac etiam vehementia Dominus ad res præclaras ſit vſus, nõ diſſimulabo quod res eſt. Præterquam quod natura fuit ad iram pronus, illa ingenii promptitudo, multorum imprudentia, plurimorum pro Eccleſia negotiorum varietas, & inclinante iam ætate magni & quotidiani ſuperuenientes morbi, moroſum & difficilem illum reddiderunt. Sed tantum abeſt vt in hoc vitio ſibi placeret, vt contrà nemini neque notius neque grauius quàm ipſi vni videretur.* Hóccine verò eſt illũ negare hominẽ natum eſſe, quod tu mihi impudentiſsimè tribuis? Quid plura? quaſi toties mẽtitũ eſſe non ſufficeret, illud etiam mihi obiicis, *quòd ſultus hominis diſcipulus, in Caluini verba vſqueadeo iurarim, vt in Chriſti doctrina, non ſicut ab Apoſtolis, a Martyribus, primis Chriſtianis, & vniuerſa Eccleſia tradita eſt, ſed vt à Caluino traditur, mihi ſcribam immorie ndum ac ne latum quidem vnguem recedendum.* Atqui ſi ab ore Caluini pendeo, non ſua ſed quæ Chriſti ſunt docentis, non ſum profectò

Caluini ſed Chriſti diſcipulus. Iubet enim ſeruos ſuos audiri Dominus, imò etiam Scribas & Phariſæos, ſi ſuper cathedram Moſis ſederint, ſéque ab iis ſperni dicit qui eos contempſerint. Quum autem Chriſti doctrinam dicerem, an aliam ego quàm Propheticam & Apoſtolicam dixi? Quid igitur iſta criminatione toties abs re repetita magis ineptum aut ridiculũ fingi poteſt? Quid quòd tu ipſe mihi defenſionem optimam ſuppeditas? Nec enim diſsimulas quod minimè inficior, me videlicet non ſemel tum in noui Teſtamenti tranſlatione tum in quorundam locorum explicatione ab illo diſſenſiſſe. Cur ergo me illius verbis addictum mentiris? Nam in præcipuis ipſis religionis & doctrinæ capitibus, fateor me ſanè ne tantillum quidem ab eo vt certo Propheticæ Apoſtolicæq; doctrinæ interprete receſsiſſe. Imò quum eo viuo & approbatore meas annotationes ediderim, & iſta mea in nonnullis alio modo explicandis libertate ne tantillum quicquam de mutua illa noſtra coniunctione ſit vnquam detractum, cur non & meam hanc libertatem, & illius candorem potiùs commendas? Hóccine eſt verò Caluino ſeruire? Nec te iſta commemorare pudet, qui Cardinalẽ illum tuum (cuiuſmodi tandem hominem?) non aliter quàm Dominum tuum appellare conſueueris? Nam quòd me ſuſpectum Caluino fuiſſe fingis, & idcirco Lauſannam ab eo ablegatum, refelli teſtibus poteſt quot in hac ciuitate vel Eccleſia Lauſannenſi homines ab hinc annos viginti quatuor vixere. *At enim (inquis) nuſquam in ſuis ſcriptis mentionem tui facit.* Quid ſi igitur feciſſet? an non illud occineres, Mutuò muli ſcabunt? Atqui neque hoc ego ab illo vnquam petii, neque ille à me poſtulauit. Scripta verò Caluini omnia quum edita fuerint, tum ſaltem deceptum fuiſſe te, vt ſpero, fateberis. Quid quòd etiam comminiſceris vſque adeò me fuiſſe illi exoſum, vt certis me periculis obiecerit? Scilicet ille mihi Saul, ego illi fuerim Dauid. Ergo & vos Philiſtæi fueritis, quorum præputiis illius filiam, id eſt eius in hac Eccleſia Geneuenſi regni ſucceſsionem redemerim. Atqui nec tanti mihi vel illi vnquam fuiſtis Philiſtæi, nec tantum nobis eſt abs re noſtra otii vt veſtra illa præputia quæ ſua iam ſponte procidunt, circuncisione vlla noſtra indigere putemus. Nec te pudet, ad has falſiſsimas & nugaciſsimas ineptias agẽtem de re maximè ſeria delabi? Quòd ſi fortaſſe noſſes cuiuſmodi ſit hoc regnum, ſiue hæc ſucceſsio, cuius cauſa lepidam illam fabellam de neſcio quo accerſendis miniſtris à Nauarrico magiſtratu Geneuam miſſo vel ipſe comminiſceris, vel à tuo fortaſsis monitore, qui tum Nauarrenſ nothum deglubebat, impudenter confictam & ſtolidè creditam repetis, mirum ni te quantumuis in impudentiæ ludo magiſtrum tui ipſius pudeat. Iſtud regnum ſi adeptus eſſes, quid ageres miſer? alternis hebdomadibus totis eſſet habenda tibi quotidiana concio, & in eo quidem auditorio in quo vix falſò quicquam vel ineptè diceres quod ab ipſis infimis non facilè poſſet animaduerti. Eſſet præterea ter profitendum tibi ſingulis hebdomadibus Dei verbum in ſchola, non tam diſcipulorum quàm doctorum turbæ, eorúmque tacita ſaltem ſubeunda iudicia: ſingulis item hebdomadibus in publico cœtu, facta quibuſuis auditoribus ordine ſuo loquendi poteſtate, de propoſito Scripturæ loco diſſerendum: menſtruæ habendæ diſputationes: ſedendum quoque in presbyterio, audiendæ Eccleſiaſticæ cauſæ, rogandę presbyterorum ſententiæ, & ex eorum arbitratu alii conſolandi, alii obiurgandi, alii etiam, quum opus eſt, ex Eccleſiæ cœtu eiiciendi. Auctoritas alia nulla eſt, paria cum cæteris collegis cætera, qui & ipſi non multò minus oneris ſuſtinent. Hoc fuit Caluini regnum, in cuius labores non modò rogatus ſed etiam vix exoratus, ídque non niſi in communi vel repetenda vel mutanda electione, ſucceſsi: hic ille Geneuenſis quem tantoperè prædicatis patriarchatus. Horum autem onerum quæ quantáque ſint ſtipendia ſi requiras, tenuem victum & veſtitum mediocrem dicam, & quidem qui tibi tuique ſimilibus vix in trientem anni, nobis autem, Dei beneficio, noſtriſque fami liis abundè ſufficiat, quamuis perſæpe poſsimus illud Petri vſurpare, Aurum vel argentum non habeo. Sed Deo & Eccleſiæ, conſtitutis ab Eccleſia ſtipendiis militare, non hominibus mercede ſeruire, non verbum Dei cauponari, non ex ſacrilegiis pauperum viuere didicimus. Si hæc narrãti mihi fidem non habes, quid ad me? Tam hæc tamen omnibus qui noſtras Eccleſias norunt, certa & perſpicua ſunt, quàm ſolem meridie lucere. Et me tam amentem eſſe iudicas, vt ſi quis me titillaret ambitio, non fuerim aliud quoduis iter vitæ ingreſſurus, aut iſtud ſemel ingreſſus, tam diu fuerim proſequuturus? Sed de ambitione paulò pòſt. Ad rem redeo. Si tam fui Caluino ſuſpectus & tam exoſus, cur in dubium vocas tot virtutum teſtimonia quæ illi tribuo? Si adipiſcendæ ſucceſsionis cauſa viuo ſum inimico adulatus, cur pontificum veſtrorum tot ſequutus exempla, mortui manes non lacero? cur eius acta non reſcindo? cur eius temporibus conſtituta laudo, prædico, & inuiolabiliter obſeruanda cenſeo? Et de hac quidem impietate hactenus. Nam ad hominis nutũ religionem non tantùm colere, verùm etiam docere, adeóque χριστεμπορίαν & χριστεμπαιγμὸν maximã impietatem eſſe duco. Sed & iſtud alterum impietatis genus longè maximum eſt quod præterea mihi impingis, quaſi videlicet ex eo quòd tibi ad quædam verba Ciceronis ſuperſtitionem Ægyptiorum quandam excuſare conantis alludens, obieci nullam vnquam gentem, excepta illa veſtra Romana, tam ſtultam fuiſſe, quæ Deum id eſſe crederet quo veſceretur, liberè mihi fatendum ſit habere me religionem ac myſteria Chriſtianorum ludibrio, & ſicut antea rem ſacramentariam ad philoſophorum axiomata reuocaui, nunc ex impiorum populorum ſenſu religionem metiar & ad infidelium cachinnos reducam. Condono hæc tibi, pugnas enim pro aris & focis, & illo ſublato fatali cruſto, res vobis ad reſtim redierit. De philoſophicis principiis quibus (ſcilicet) nititur ſpiritualis illa quam ex vno Dei verbo ſtatuimus corporis & ſanguinis Domini communicatio, ſatis ſupérq; ſuo loco diſſeruimus. Iſtud verò quomodo tandẽ tuebere, Deũ videlicet eſſe illud ipſum eſſentialiter & reipſa quod in os intret, & per ſeceſſũ expellatur? Nã ne hominẽ quidẽ illud reipſa eſſe dixeris quin Cyclops carniuorus manifeſtè habearis, téque vt immanis flagitii reũ Auguſtinus ſaltẽ & Cyrillus conuiciẽt, & veterẽ illam immeritò Chriſtianis obiectã ὠμοφαγίαν & αἱματοποσίαν

reipſa

reipſa confirmes: quin denique cibum mentis in ventris ſaginam impiè transformes, ſiue ſolidum illud ſiue fruſtulatim diſſectum, ſiue viſibiliter ſiue inuiſibiliter edatis & bibatis. Et quo iure, quæſo, veſtram illam *θυσίαν* vocabitis *ἀναίμακτον* ſi reipſa, & non tantùm ſacramentaliter (vt veſter ille Cyclops Nicolaus loquitur) verùm etiam ſenſualiter, Filii Dei carnem ipſis dentibus atteritis, & ſanguinem in veſtrum aqualiculum infunditis? Sed illa vox ab homine profano, Cicerone videlicet, profecta eſt. Sanè. Sed ſi repudias quicquid eum naturæ quantũuis deprauatæ *κοινὰς ἐννοίας* cõſtituit, agè expunge etiam quicquid Paulus ex philoſophiæ principiis in epiſtola ad Romanos, & Athenis & Antiochiæ, & alibi, verè & eruditè diſſeruit. Irride quod in idololatrarum amentiam dicit Eſaias, adeò illi cõſentiente tot poſtea ſeculis profano illo Epicureo Horatio, vt hic ab illo pene quæ ſcribit deſumpſiſſe videatur. Noſti enim illud, Quum faber incertus ſcamnũ &c. Irride & illud Perſianum, Dicite pontifices, & quæ de ſceleratorum precibus Plato in Alcibiade poſteriore ſcripſit. Quanto igitur ſatius eſſet turpiſsimã illam carnificinam à vobis ſemel eiurari, quàm non Auerroi ſolùm ſed innumerabilibus hominibus Chriſtiana myſteria non modò deridenda proponere, verùm etiam execranda reddere? *Ergo etiam*, inquis, *irride vteri virginalis pyxidas, & aſini pompam, & ſepulchri clauſtra.* Nequaquam verò, bone vir. Gloria enim Dei eſt illa in forma ſerui exinanitio. Sed à Iudæis ſatis eſt ſemel eſſe mactatum Chriſtum, neque in ventrem traiiciendum, ſed fideli mente comprehendendum illum adoramus. Et de impietate quidem hactenus.

Accedo ad aliam calumniam. *Scribit*, inquis, *Beza de paruulorum ſanctificatorum & baptiſatorum ſalute, ſi deceſſerint, dubitandum eſſe, quoniam de eorum prædeſtinatione nemini liqueat.* Vbi hoc ſcripſi, vbi quæſtionem hanc attigi? *In tua confeſſione*, inquis. Mea hæc igitur verba ſunt, poſtquam aduerſus Catabaptiſtas diſſerui: Si quis obiiciat non omnes infantes eſſe electos, ac proinde nõ omnes ſanctificatos (id eſt in fœdere comprehenſos, & fidei germine donatos) qui ex fidelibus parentibus naſcuntur, quum ne Abrahami quidem neque Iſaaci liberos omnes Deus elegerit, non deeſt quod reſpondeamus. Etſi enim hæc ita eſſe minimè inficiamur, tamen arcanum hoc iudicium Deo relinquendum eſſe dicimus, & in genere ex promiſsionis formula præſumimus ſanctificatos eſſe id eſt in fœdere cõprehenſos quicunque ex fidelibus parentibus aut altero duntaxat fideli parente nati ſunt. Non igitur curioſam illam quæſtionem, ita vt tu vis propoſui, ſed vt illi ipſi quod tu mihi falsò tribuis occurrerem, quaſi videlicet ex eo quòd incerta ſunt nobis quæ in Dei arcano adhuc latent, conſequatur baptiſandos infantes non eſſe, reſpondi eſſe quidem arcanum illud Deo relinquendum, ſed tamen non immeritò præſumi ſaluti deſtinatos, ac proinde baptiſandos eſſe quicunque ex ſanctis naſcuntur. Hoccine verò eſt ſancire vt de baptiſandorum ſalute dubitetur?

Superſunt alia potiùs ad mores meos quàm ad doctrinam pertinentia, quæ & ipſa libet expendere, non vt me *ἀναμάρτητον* conſtituam, qui miſerrimum fuiſſe & eſſe me peccatorem ſicuti par eſt agnoſco: ſed vt aduerſus falſiſsimas calumnias tuas meam & meorum exiſtimationem iure tuear & defendam. Ais me à pueritia furorem, impudicitiam, impudẽtiam cum arte poetica imbibiſſe, totámque ætatem explendis libidinibus exercuiſſe, imò etiam amori genitum. Aio verò me nõ in monaſteriorum, id eſt omnis turpitudinis, omnium ſcelerum, omnium nefariorum libidinum luſtris & cloacis, ſed in nobili, honeſta, caſta familia Vezelii natum, deinceps apud ſenatoriæ grauitatis patruum religioſè, prout tempora tum ferebãt, Lutetiæ educatum, à præceptore omni virtutum genere præſtanti ab anno ætatis octauo ad decimum ſeptimum purè, caſtè, diligenter ac ſumma fide Biturigibus, in vtraque lingua bonisque artibus inſtitutum: in academia Aureliãſi ad annos quatuor cũ ſtudioſis & honeſtis ſodalibus ampliſsimos honores poſtea merito ſuo conſequutis, doctis bonisque charum ſtudia non tantùm iuris, ſed etiam bonarum literarum exercuiſſe: inde maxima ex parte Lutetiæ inculpatè, & bona integráque exiſtimatione, neque (quod ſine inuidia dictum ſit) abſque idoneo tum eruditionis tum alicuius etiam virtutis teſtimonio ad annum vſque viceſimum nonum vixiſſe: inde non fuga, non clàm, non vi, non metu cuiuſquã, non ære alieno oppreſſum, (quæ tu mihi falſiſsimè & mendaciſsimè impingis) ſed vnius religionis ſtudio, patriæ, patri, cognatis, amicis, fortunis omnibus, ſicuti Chriſtus iubet, antepoſitæ, vnà cum vxore mihi deſponſa, quam poſtea legitimo ritu duxi, ad veram Eccleſiam iuſtis itineribus vltrò conceſsiſſe: ibique partim in Lauſanenſi ſchola iudicio Eccleſiæ, & ampliſsimi Senatus Bernenſis auctoritate vocatum, nouem circiter annos Græcas literas docuiſſe: inde bono cum totius illius ciuitatis teſtimonio, & eiuſdem Senatus Bernenſis non modò de me non conquerentis, verùm etiam pro ſingulari humanitate ſua, retinere me cupientis, venia hùc conuerſum, ita ab illo tempore tum domi in hac Eccleſia tum foris legitimè in varias regiones pro Eccleſiarum afflictarum negotiis miſſum, ita (per Dei miſericordiam) munere meo pro mea tenuitate defunctum, vt nemo de me bonus ſit conqueſtus, & omnium à me dictorum, factorum, ſcriptorum rationẽ cuiuis reddere ſim paratus. Hæc ego tuis omnibus conuiciis & maledictis oppono, meque & omnium bonorum qui me norunt, & meæ ipſius conſcientiæ teſtimonio ſuſtento. Et verò quid potes in contrariam partem proferre, quod vllam habeat veritatis ſpeciem, & millies à nobis non ſit refutatum? Poeticos meos luſus quum vt res ſeriò dictas & ſcriptas interpretaris, quis te iudex æquus audiat? Vbi quæſo Publia illa viri quem adhuc ſuperſtitem dicis vxor? Hoc enim corã Deo iuratus teſtari poſſum, non magis vnquam mihi contigiſſe vt cuiuſquam vxoris pudicitiam attentarẽ, quàm vt Indorum regnum inuaderem. Teſtor & illud, tam fictitiam eſſe Publiam illam cuius fecit in Elegia quadam memini, quàm eſt veſter panaceus Deus, quo ne chimæram quidem inaniorem eſſe prorſus credo. Et quænam illa eſt Candida? vxor mea ſcilicet, quam in meis verſiculis

prægnantem ſuperis commendo, quum vxor mea nunquam etiam conceperit. Vbi meretrices illæ meæ, quarum amore ſi captus eſſem, num in eam ciuitatem conceſsiſſem in qua penè ſola ſcortationes publica ignominia & non exiguis mulctis, adulteria verò capitaliter etiam vindicantur, ac non potiùs tuum illum Cardinalem aut quemuis ex veſtro clero alium (quod centies oblatum repudiaui) eſſem aſſectatus? Quid quum eouſque proueheris vt meam cum honeſtiſsimo viro & iam tum in Senatu Pariſienſi aduocato, quem vocant, nunc verò in ciuitate Aurelienſi magna cũ dignitate verſanti, amicitiam & familiaritatem ſummam, ad nefarium & execrandum illud ſcelus transferas, quod à nobis ne nominari quidem ſine horrore poteſt, à vobis autem in veſtris illis gurguſtiolis, vt omnes norunt, pro ludo & ioco ducitur, quis te ipſum vir honeſtus non execretur? Denique ſi tam noſtra illa reprehendenda ſunt, cur ea excudi, cur legi, cur manibus teri iubetis, cur publico ſcripto à me abdicatos fœtus aboleri non ſinitis? nempe vt perpetua ſit Bezæ infamia. Hóccine verò, boni viri, vos theologia docet, vt vni cuipiam dedecus concilietis, innumeris hominibus malè conſultum velle? Sed quàm hîc quoque fallimini? Etſi enim illa vel nunquam edita vel ſtatim abolita fuiſſe optarim, tamen ſi is eſſem quem eſſe me fingitis, id eſt ſi gloriolæ neſcio quid aucuparer, quid mihi facere gratius poſſetis? Nam apud amatores aliquam mihi eruditionis laudem ſic conciliari certum eſt, & quo vetera illa propiùs ad veſtros omnium quibuſcum tunc verſabar, mores accedunt, eò magis omnibus bonis meam iſtam mutationem, inuitis ſanè vobis, commendabunt. *Scriptum eſt*, inquis, *pontifex ſcortum & vile proſtibulum non ducet*. Imò non ſic ſcriptum eſt, qua de re ſic alibi diſſerui vt minimè cauſari poſsis me litem meam ſeciſſe, ſi vera ſunt quæ immerenti exprobras. Sed quid hoc ad me, qui nihil minùs quàm pontifex ſum, & pontificem nullum eſſe poſſe ex Dei verbo didici, quoniam vnicum pontificem æternum habemus: neque vxorem duxi, cuius pudere poſsit Eccleſiam?

Ambitionem quoque & rapacitatem mihi exprobras, ſed qua tandem ratione? Scis enim mihi vix quicquam eorum defuiſſe quæ ad opes aliquas & dignitates aditum patefaciunt. Oſtende igitur, ſi potes, cuius aurum, cuius veſtem rapuerim, quos honores expetierim. Nego enim id comperiri poſſe: nec tale quicquam reformido, niſi fortè mihi reſpondendum putas ad ridiculum illud de neſcio qua cauponaria muliere commentum, quæ me inſalutato hoſpite diſcedentem, Latinis verbis reuocarit, nempe quaſi ſim illic vnquam niſi ad vnum & alterum diem fortaſsis, ídque in Principis ipſius Portiani comitatu verſatus, aut tanti fuerint illi ſumptus vt de illorum ſolutione mihi fuerit laborandum. Audiamus tamen quid dicas, *Caluinus*, inquis, *te ſucceſſorem non deſignauit: neque vocatus ad ſe Geneuenſis ſynagogæ* (ſic enim vocas) *miniſtris, te dignum ſuo miniſterio declarauit, ſed ſuggeſtum occupaſti, aliſque te & praelectoribus & doctoribus per nefarias tuas factiones præripuiſti.* Quid ais? De iſto quem ſomnias primatu dixi paulò antè quod res eſt, quem cur tandem appeterem? Præterea vide, ſi potes, in quo mendacio deprehendaris. Nemo tunc fuit in hac ciuitate qui me nõ nouerit omnium collegarum rogatu, & ipſo Caluino recuſantem vrgente, quum ex veſtra laniena, id eſt ex primo Ciuili bello domum tandem rediiſſem, & eum morbus prohiberet ſingulis noſtris conuentibus, ac præſertim presbyterio intereſſe, deſignatum qui partem oneris ipſius ſuſtinerem. Norunt & hoc omnes, ipſéque in primis vniuerſus Senatus, eo defuncto, me omnino inuitum & reluctãtem, nulláque magis ratione permotum quàm ipſius adhuc ſuperſtitis indicio & voluntate, hoc onus ſubiiſſe, imò etiam illud non alia conditione recepiſſe, quàm vt anno exacto alius quiuis eligeretur, quod ſingulis pòſt annis à collegio noſtro petitum eſſe, quanuis nunquam impetratum, teſtem Deum ipſum fratréſque omnes appello. Et porrò quod ſuggeſtum intelligis? pares enim, onere excepto, omnes ſumus. Quas vero mihi factiones commemoras in ea re quam omnes meritò recuſarent ſi priuato ſuo commodo ſtuderent? Iſtud verò cuiuſmodi eſt? *Narrant*, inquis, *Caluinum ægrotantem ad tui conſpectum exhorruiſſe, & quanta fieri potuit vociferatione interrogaſſe, an exploratum venires quantum vitæ & ſpiritus ipſi ſupereſſet, cuius ſucceſsionem mora impatiens videreris aucupari. Nemo enim ferè libenter apud ſe videt quem ſibi fore ſucceſſorem putauit. An ita ſit neſcio.* Apage igitur, ſycophanta. Si neſcis (nec ſanè ſcire factum potes quod nuſquam vnquã fuit) qua fronte iſta commemoras? Sint ſanè apud vos infinita iſta aucupia, ſint factiones innumerabiles, currant equi, litigent aſini, vendantur & emantur oues Chriſti ſanguine redemptæ, noſtri hæc non ſunt moris, vt te planè deriſerit quiſquis hac fabella te oblectauit, cui tam facilè te credidiſſe, hominem alioqui, vt aiunt, fallere potiùs quàm falli aſſuetum, ſunt qui non immeritò demirentur.

Quid quòd non ſimpliciter eſt ambitioſus Beza, ſed etiam tyrannidem in vniuerſum terrarum orbẽ affectat? Cedò verò quibus artibus & machinamentis? *Scripturas ad omnia flagitia, homicidia, & arma accommodando.* Quis verò vnquam tale quicquam ex me audiuit? & quibus, ſi non vobis, auctoribus vniuerſis mundus tot iam annos ſanguine redundat? *odia contra ſibi repugnantes ſummos ac Principes viros exercet pluſquam Vatiniana.* Inepte, quis ſum ego qui cum Principibus & quidem ſummis odium exerceam, aut quem illi ſibi ſiue amicum ſiue infenſum timeant? Ad vos potiùs hæc pertinent ſub illo veſtro deo Maozim vſqueadeò ſecuros, vt ſæpe vel infimus cucullio potentiſsimos Principes in maximas difficultates coniecerit. *At enim Germaniæ principes*, inquis, *contra Regẽ Henricum ſollicitaſti.* Imò verò num vſqueadeò vel me inſaniſſe putas vt hoc auderé, vel ſummos & prudentiſsimos illos Principes quales tum erant apud quos pro Gallicis Eccleſiis intercedebam, Otto Henricus comes Palatinus Elector, Philippus Heſsiæ Lantgrauius, Vlricus dux VVirtembergenſis, tam fuiſſe patientes vt meam audaciam, ſi quid tale aggreſſus eſſem, tolerarent? *Ergo*, inquis, *cur ne iſta quæ agebas in Galliam efferrentur tantopere cauiſſes?* Nempe ne vos quorũ crudelitatẽ interceſsione illorum Principum frangere ſtudebamus, ſi præmoniti eſſetis, Regis animum veſtro more

more ab omni æquitate auerteretis. Hoc igitur falſiſſimum eſt. Sed iſtud verum eſt, ſicuti quæ ſunt Cæſaris Cæſari reddenda ſemper docui, ita etiam quæ Dei ſunt Deo reddenda, nullius hominis neq; potentia neq; eminentia excepta, conſtanter adhuc, Dei beneficio, priuatim & publicè cẽſuiſſe. Hoc ſi vobis quotidie ad innocẽtum cædẽ non modò Principes, ſed etiam vulgus ipſum inflammantibus, hoc, inquam, ſi vobis idem eſt atque ſeditionibus cauſam præbere, & bella pluſquam barbara & ciuilia excitare, quid hic noui nobis accidit? Nec enim aliter Achabus Heliam, Phaſſur Ieremiam, Iudæi Chriſtum, Theſſalonicenſes Iaſonem ſunt criminati. Sed Deus eſt iuſtus ille iudex in cælis apud quem omnes ſtabimus aliquando iudicandi. Quod autem de noſtris lecticis, equis gradariis, vehiculis quibus vicos in aula compleremus, de auratis, & torquatis antambulonibus, ſtipatoribus, ſaltatoribus ἐμπομπεύειν, quis non riſu proſequetur, qui & nos & vos nouerit? Neque hîc mihi prætermittendum eſt aliud quod affers tyrannicæ meæ crudelitatis exemplum, qui videlicet per Campaniam primo illo Ciuili bello occurrens Germanico noſtro equitatui, conciones de toto interficiẽdo presbyterio habuerim. Enimuerò apud quem tunc aliũ quàm apud viginti fortaſsis equites conciones habuiſſem? Nõ enim tum plures cum illis eramus, & quidem per hoſtilem regionẽ non ſine metu magnis itineribus tranſiuimus, & Germanicæ linguæ ignarus ita inſaniui vt per interpretes illis concionarer. Quorſum igitur putidũ & vanum in me iſtud commentum? *Sed non poſſum*, inquis, *conſortem pati.* Quicum igitur vnquam mihi negotiũ aut litem de miniſterio fuiſſe oſtendes? quid ego turbarum in Eccleſia dedi? *Quid Spifamio, Caſtellioni, Molinæo*, inquis, *& aliis plurimis acciderit, & quas inſidias beſtia intenderit, norunt non pauci Caluiniſtæ, quorum conſcientiam conteſtor.* Prodeant ſanè quicunque & quotcunque voles. ego iudicium non defugiam. Spifamius mihi nunquam collega fuit, & cur ego illum odiſſem, à quo nunquã iniuriam acceperã? num, ſicut in alterius nomine ineptus ille tuus monitor mihi exprobrat, quòd vererer ne meis luminibus officeret? Atqui, neque hoc ille vnquã, cogitauit, opinor, neque (abſit verbo inuidia) cauſa vlla fuit cur id timerem. Ais tamen illi à me intentata vana crimina fuiſſe proditionis, illiciti matrimonii, & ſtupri, quum lõgè grauius ipſo in iſtis deliquiſſem. Quòd ſi vana illa fuerunt, quomodo ille minùs quàm ego grauiter deliquerit? an quòd apud vos iſta pro nihilo ducantur? At tu hominum vaniſſime, vide quàm teipſum fallas. Num enim ego accuſator, num ſubſcriptor in iis fui quæ nunquam in illius cauſa in diſceptationẽ venerunt? Nam de proditione vel ſtupro nulla quòd ſciam fuit mentio. Sciunt autem omnes ea huius ciuitatis more qua quiſque de cauſa damnetur. nec de adulterio quæſitum eſt. De quo igitur dices? hoc verò tu ex me non audies, qui ne hæc quidem niſi à te coactus commemoro. Iure tamen damnatum fuiſſe ſi mihi non credis, ipſimet ſaltem credere te oportuit. De Caſtellione quid tibi velis neſcio quem hominem ne conueni quidem vnquam, licet plurimos maximóſque ipſius errores quanta maxima contentione potui refutarim. Hóccine eſt verò alicui inſidiari? Molinæum verò quorſum mihi exprobras? Vixit ipſe apud nos à vobis eiectus, quandiu voluit, bona apud omnes gratia. Cur enim illi irati fuiſſemus? Hinc vltrò in Germaniã diſceſsit, & ex Germania rurſum aliò. nec priùs conquieuit quàm cum eorum ferè omnium offenſione apud quos verſatus erat, ad ſuós reuerſus, nouam quandam Eccleſiæ ſpeciem domi inſtitueret, ac tandem, quod omnibus conſtat, ne ſeipſum quidem ferens ex hac vita diſcederet. Ediderat autem iſtic paulò ante mortem non tantùm ineptam, verùm etiam multis perniciofis erroribus ſcatentem quatuor Euangeliſtarum harmoniam, quæ quum hîc eſſet meritò damnata, exarſit ille, & neſcio quid ſcripti, vt aiunt, in nos apparauit quod ipſius obitus abrupit. Hoc autem quorſum, vt me vel ambitionis vel etiam affectatæ tyrannidis alicuius coarguas? Quid amplius? *Deterres* inquis, *Bezane quis noſtra legat.* Et quorſum? *ne quis*, inquis, *aperiat oculos.* Imò verò, vide quantopere fallaris. Nihil enim eſt ex quo veſtræ nugæ meliùs perſpici quàm ex veſtris ſcriptis poſſint, nedũ vt verear ne quis à nobis legendis veſtris abducatus. Sed hoc ſanè lepidum eſt. Conquereris de paſtoribus quòd oues aduentante lupo ad ſe colligant. Sed erras ſi propterea fungi nos munere noſtro deſituros arbitraris. Quid præterea? Cum P. Martyre conuenire mihi non potuit. Deus te compeſcat, ſycophanta. Mihine verò aut cuiquam alii ex nobis qui Poſsiacum conciliandæ Eccleſiis pacis alicuius obtentu euocati ſumus, cum optimo & doctiſsimo, ac planè nobis venerando ſene, quẽ omnes vt parẽtem meritò ſuſpeximus, vllam vnquam fuiſſe de re vlla vel leuiſsimam controuerſiæ ſpeciem? Viximus, viximus illic ſimul, ſub eodem tecto duodecim & amplius fratres, tanta in veſtris oppugnandis mendaciis animorum concordia, vt ne vocula quidem vlla inter nos audita ſit quæ vel leuiſsimam diſcordiam pareret. Magnum autem illum virum vobiſcum eruditiſsimè diſſertantem (quod bis duntaxat accidit) cur tandem ego interturbaſſem? Fuiſſe me quidem illi quaſi pro interprete, quũ nos Gallicè reſpondentes homo extraneus non ſatis interdum intelligeret, non nego. Illum denique ſeorſim de carne Domini nuſquam nunc alibi quàm in cælis ſita ſententiam ſuam paucisſimis verbis præſcriptam non vobis, ſed quinque illis à Regina delectis collocutoribus obtuliſſe quum dicis, nũ ex eo diſſenſionẽ noſtram probas, ac non potiùs ſummi inter nos conſenſus teſtimonium edis, quum ab iis quæ Galaſius & ego biduo antè in priuato cum duobus colloquio obtuleramus, ne tantillum quidem illa diſſideat?

Aliud noſtrarum diſcordiarum argumentum profers, ſcriptas ad nos Taſini Metenſis tum Eccleſiæ miniſtri literas, quibus nos conſulebat num ratum eſſe Baptiſmum cenſeremus ab eo qui legitimè vocatus non eſſet adminiſtratum. Huic enim Taſino ſic me reſpondiſſe, vt dicerem inter nos qui tum Poſsiaci eramus, non ſatis ea de rẽ conuenire potuiſſe, ideóque quæſtionem hãc ad Geneuenſem Tigurinámque Eccleſiam referendam cenſuiſſe. Magnum ſcilicet argumentum

inter nos regnaſſe diſcordiæ ſpiritum, quòd quæſtionē de qua non omnibus nobis ſatis liqueret, ad alias Eccleſias reſerendam cenſuerimus. Damneutur ergo primi illi Chriſtiani vocati Antiocheni, quòd quū de præcipuo Chriſtianæ religionis capite non ſatis inter ipſos omnes conuenire poſſet, Apoſtolos per Paulum & Barnabam conſulendos putarint. Damnentur ipſi Hieroſolymitani, quòd initio inter eos non ſatis liqueret, rectène Petrus feciſſet quòd ad Cornelium non circunciſum eſſet ingreſſus: imò etiam quòd de illa ipſa quæſtione à Paulo & Barnaba propoſita diu multúmque inter eos diſceptatum eſt, donec tandem Iacobi & Petri ſententia obtineret. Quòd ſi neque dubitare, neque ſi dubitetur peritiores conſulere, ſiue malæ diſcordiæ ſuſpicione licet, cur tot olim vltrò citróque miſſæ inter Eccleſias epiſtolæ? cur coactæ ſynodi? vnde tot veſtrorū Pontificum reſcripta? Sed vobis ſcilicet Sorbonicis doctoribus religio eſt de vlla quæſtione in religionis cauſa rogatos, non protinus pronuntiare. Nec te ruſum vides, in turpiſsima calumnia deprehendi?

Sed audiamus tandem inſignem intolerabilis ambitionis meæ demonſtrationem. *Circunferuntur*, inquis, *Lutheri & Melanchthonis imagines nudis eorum inſcriptis nominibus, Caluini verò imagini litera D. tanquam Germanis omnibus diuiniori præfigitur. Bezæ autem effigies in tabella per Caluiniſtarum domos circunfertur cum iſto elogio, Effigies Reuerendi Viri D. Theodori Bezæ miniſtri verbi diuini in Eccleſia Geneuenſi.* Inſulſe homo, adcóne quum hæc ſcriberes exhauſtū erat tuū iſtud calumniarum vſqueadeò fœcundum pectus, vt ad iſtas nugaciſsimas nugas deuenire te oportuerit? Súntne tabellæ iſtæ Geneuæ aut alibi ſculptæ quàm apud eos ipſos quos nobis tam aduerſarios eſſe dicis? num, quæſo, vel conſentientibus vel procurantibus nobis? Alicuius ſcriptoris imaginem præfigi ipſius libris quid vetat, ſi cui ſic libeat? Et ſi quid in ea re à pictoribus ſiue typographis peccatur, an hoc nobis præſtandum putas? Téne verò etiam vſqueadeò imperitum eſſe, vt litera D. ignores non Diuinum ſed Doctorem ſignificari? Num, inquam, ex eo quòd tam indoctus es, idcirco ambitioſos eſſe nos efficitur?

Supereſt nobis vltima libri tui pars, in qua profeſſus te velle maledictis noſtris quæ vocas reſpondere, ſic omne virus tuum effudiſti, vt vix quiquam tibi amplius supereſſe mihi perſuaſeris. Multum laboras in primis de Guiſianæ familiæ & quidem nominatim de Domini tui Cardinalis celebranda pietate, probitate, clementia, patientia, laboribus pro tuenda fide Chriſtiana, totóque denique Gallico regno ſuſceptis. Age tu verò cauſam iſtam quandiu & aduerſus quos voles, & quatuor illis quas in ſcholis veſtris Cardinales vocatis virtutibus, mille etiam alias ſeu veras ſeu commentitias adiice. Excuba ſi placet, in ipſius ſtabulo, vel quandoquidem canis appellari non recuſas, oſſa ex ipſius menſa procidentia quandiu voles arrode. Nihil hoc ad me. Age, vt ait tuus monitor cū Geminiano. Religionis autē defenſionem aduerſus ipſum quoque Satanā, nedū vt homines me perterrefaciant, quicunque tandem illi ſint, conſtanter & religioſè, Deo fauente, ad extremum vſque halitum perſequar. De Poltroto quem ais quum equis diſtraheretur, me & alios impulſores execratum, reſpondi coram Deo quod adhuc reſpondeo, illum hominem ne mihi quidem, quod ſciam, vnquam fuiſſe conſpectum, nedum vt conſilium vlla de re cum eo communicarim. Adieci & illud, nunquam me de Guiſio per dolum interficiendo cum quoquam deliberaſſe, imò quum nondum cœpto bello & ſtatim ab illa immani cæde quam in Vaſsienſes ediderat, tale nonnihil cuipiam in cœtu quodam excidiſſet, grauiter id à me fuiſſe reprehenſum. Quòd ſi tam iuſto feruente bello, vel ſtratagemate, vel aperta vi illius è medio tollendi rationem inueniſſem, dico iure id à me vt in hoſtem fieri potuiſſe: neque id factum excuſaſſem. Amiralium autem fuiſſe ab huius cædis accuſatione, ex ipſius Regis & quidem cauſa cognita ſolenni decreto adſolutum, túne inficiari auſis? Me verò ipſiuſmet Poltroti paulò ante mortem voce & claro teſtimonio non ſemel ab hac criminatione purgatum ſi negas, habeo penes me, habeo, inquam, vnde manifeſtè refellaris. *Geneua*, inquis, *pedem non audes efferre, ne te quiſquis inuenerit vt alterum Cain occidat.* Imò vide, quàm audacem me reddat bona conſcientia. Etſi mihi appoſitos à tuis illis & veneficos & ſicarios non ignoro, (hæ ſunt enim artes Romanæ) quorum etiam vnus iam hîc deprehēſus pœnas dedit, tamen non tanti eſt mihi hæc vita, quin quocunque me miſerit Dominus, ſiue in veſtrum vſque ſterquilinium, ſiue ad Indos & Garamantas, eò ſim intrepidè, Deo duce, perrecturus. Interea me ſanè libens domi contineo, & veſtras inſidias quàm prudētiſsimè poſſum euito. Balduinum præceptorem à quo tam multa didiciſti, nemo tibi noſtrûm inuidet. Fruere ſanè iſtis deliciis prout libebit, vt verum illud eſſe probes, *Similes habent labra lactucas.*

Dixi & nunc iterum repeto ferendos non eſſe vos Graccos de ſeditione conquerentes. Huius rei argumentum protuli habitam illam à vobis in media veſtra caula diſputationē de obedientia Regibus infidelibus, quos vocatis, deneganda. quod quum non poſsis inficiari, (eſtis enim hac de re ad Senatum vocati) excurris in Druydum vſque campos, vnde via effugerim, commilitone meo Perucelio gladiis hoſtium expoſito. Ad hæc verò quid aliud potiùs reſpondero, quàm hæc eſſe longè vaniſsima? Interfui ſanè prælio, & incboanti & deſinenti, (quidni enim hoc facerem? eò ritè vocatus) & quidem, quod magis miretis, palliatus non armatus: nec mihi quiſquam verè vel cædem cuiuſquam vel fugam obiecerit. Illum quem commilitonem meum appellas, neſcio an toto illo die viderim. fugiſſe quidem cum conſtat, & cum altero, quem nominas proditione in oppidulo vicino captum. Sed ad rem. Eludis quod de veſtra diſputatione dixi, quaſi de more in veſtra ſchola fuerit trita quædam quæſtio propoſita, & in illa poetaſtri Arturi illius Deſiderati, cuius blaſphemos rythmos (vt antè dixi) iudicio veſtro comprobaſtis, vllos Sorbonicos comprehenſos fuiſſe negas. At ego tum literarum cum quibus eſt Aureliæ deprehenſus in Hiſpaniam veſtra voluntate proficiſcens, tum etiam aliarum exemplum habere me profiteor, quæ quum in lu-

cem proferentur, aut erit vobis tandem aliquando confitenda veritas, aut longè alia defenſio comparanda.

Dolet tibi Monachum vocari. Et tamen hoc perinde diſsimulas ac ſi monaſtices defenſionem in te recepiſſes: quaſi verò quum te Monachum voco, non honorificentiſsimo te nomine appellem ſi verum eſt quod dicis, nunquam ferè inter hæreticos & Monachos conueniſſe. Sed quis tibi crediderit cui nota fuerit ſynodi Chalcedonenſis hiſtoria, quum hinc quidem clamaret orthodoxorum cœtus, Monachos iſtos eiice, contumeliam ſynodi tolle, Vim ſynodo illatam tolle, probrum ſynodi tolle: inde verò pro ſua monaſtica modeſtia vociferarentur Monachi, Monaſteriorum contumeliam tolle, hoc etiam addentes, ſeſe, niſi homicida ille Dioſcorus reſtitueretur, veſtimenta excuſſuros, & ab Epiſcoporum communione ceſſuros? Tales igitur iam tum fuere Monachi, Eutychianorum factionem adiuuantes, quo ſublato dogmate, dico non magis ſtare poſſe veſtram realem ipſius carnis Chriſti præſentiam in terris, quàm ſublato neceſſario antecedente ſtare poſsit conſequens. Itaque nunc quoque vos Monachi patriſſatis, ſi modò vel Monachorum nomen vobis conuenit, niſi qua ratione Monachi quoque dicti ſunt illi circumforanei, qui vt olim Chryſoſtomum zeli prætextu ex Eccleſia expulerunt, ſic etiam omnem pietatem & honeſtatem ex Eccleſia, imò & paſtores ipſos è ſuis cathedris eiecerunt, imò thronis Epiſcopalibus non contenti, ipſos etiam reges, ſibi modeſti ſcilicet homines, ſubiecerunt. Et miramini in noſtris Eccleſiis fuiſſe conſtitutum ne quis ex veſtris illis fœdiſtimis cloacis prorepens, ad illius puriſsimæ domus Dei adminiſtrationem temere admitteretur? *Excellunt tamen*, inquis, *iſti inter vos eruditione & concionandi dexteritate, adeóque conſcientia magis ducuntur & retinentur.* Vtinã verò quotquot ex veſtro illo cœno emerſerũt, tales ſe præſtitiſſent. Infinitis enim offendiculis, & turbis caruiſſemus: quæ quum dico, tantum abeſt vt bonos offendam, cuiuſmodi nonnullos initio præſertim renaſcentis Euangelii cæteria præluxiſſe conſtat, (nempe vt vbi abundauit peccatum, abundaret gratia:) vt contrà nihil eis gratius eſſe poſſe exiſtimem quàm ſi monachiſmum dicantur exuiſſe. Nam, vt paucis dicam omnia, fieri non poſſe arbitramur vt illorum quiſquam vir bonus eſſe poſsit, niſi qui Monachus eſſe deſierit. Nec eſt quòd tu mihi patruum Abbatem obiicias, à quo me ex vtero matris exceptum, & educatum, & cuius ſumptu inſtitutum fuiſſe quum dicis, rurſum impudenter mendacem te probas. Fuit ſanè vir ille (quod verè teſtor) dignus multis nominibus qui Monachus non eſſet, quod quum dico, ampliſsimam ei laudem tribuere mihi videor. At quũ tu iſta in me torqueas, *Nunquid nõ ipſi ſunt patres tui qui poſſederunt te, fecerunt te & creauerunt te, ſi fas iſta de hominibus loqui?* quid aliud tibi reſpondero quàm quo dignus es, te nimirum prorſus impudentiſsimè iſta comminiſci. Sum enim ego (ne neſcias) Dei gratia, non ex Monachis, non ex adulterio vel ſtupro, ſed honeſtis auis & atauis prognatus. & ne ad allegorias tuas confugias, ſcito Bezarum familiam, ſi fortè quæcunque ante ducentos & amplùs annos in Monachos ſuperſtitioſè largita eſt reciperet, tam fore locupletem, quàm ægrè hodie ſeſe in ſua inopia tuetur. Quæ porrò de Aphraate & aliis quibuſdam commemoras, quorſum ad vos fucos, & meros ventres quos nemo neſcit non laborandi ſed depaſcendi cauſa in Eccleſiæ aluearia ingreſſos, ac ne veſtris quidẽ Tarpeii Iouis Pauli IIII, fulminibus terreri ſic potuiſſe, vt in veſtras mandras reuerti tandem aliquando in animum induceretis? Quia enim canes ab vncto corio abſterruerit?

Ais tamen fore, ſi ſit opus, vt te in monaſterii piſtrinum rurſum dedas. At tibi & tuis per nos quidẽ certè ſiue iſtic verſari, ſiue quocunque voletis diſcurrere fas eſto. Tantùm eos agros cõmiſerabimur, quibus iſtiuſmodi locuſtæ inſederint. Sed illud profectò perappoſitum eſt quod de piſtrino narras: nec procul abſuturam cellam vinariã probabile eſt. Quid enim ageretis ſine Cerere & Baccho miſeri? Et de his quidem hactenus. Cæterùm, Santeſi, ſi quid poſthac tibi mecum negotii eſſe vis, agè tandem ſic de ſacris diſceptemus, vt ſemel omiſsis quæ ad cauſam nihil faciunt, de rebus ipſis ita diſſeramus, vt vnius tuendæ veritatis ſtudioſos decet. Hoc ſi feceris, ſanctè polliceor futurum vt me vel conſentientem habeas ſi vera te dixiſſe compererо, vel æquum ac moderatum antagoniſtam experiaris.

FINIS.